R. P.

JACOBI LOBBETII LEODIENSIS

SOCIETATIS JESU THEOLOGI,

OPERA OMNIA

IN SEX TOMOS DISTRIBUTA.

HAC SECUNDA EDITIONE RECOGNITA, ET AUCTA Tomis duobus: & inſuper, in aliis antea impreſſis, ſparſim aucta Quæſtionibus novis quàmplurimis, illuſtrata ſelectis Sanctorum Patrum ſententiis, Antiquorum præclarè dictis, & magnarum Virtutum exemplis, atque Hiſtoriis.

OPUS MAXIMA PARTE NOVUM,

& Concionatoribus, Paſtoribus, ac ſpiritualis vitæ Magiſtris atque Religioſis perutile.

TOMUS QUARTUS.

CONTINENS GLORIAM SANCTORVM, SIVE QVÆSTIONES MORALES in Feſta Sanctorum totius Anni, themate libero explicatas: Et Gloriam Patriarcharum, ſive Quæſtiones Morales in Feſta SS. Patriarcharum Ordinum Religioſorum. Itemq; Gloriam Leodienſis Eccleſiæ. Cum duplici Indice Quæſtionum & Materiarum.



BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

LEODII,

EX OFFICINA TYPOGRAPH. JOAN. MATHIÆ HOVII,

Ad inſigne Paradiſi Terreſtris. M. DC. LXVIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

ILLUSTRISSIMIS
REVERENDISSIMIS
AC GENEROSIS
DOMINIS

PAVLO IOANNI BARONI A GROESBEECK,
Eccleſiarum Cathedralis & S. Dionyſii Leodienſis Præpoſito,
Domino de Francwaret, &c.

FERDINANDO BARONI DE BOCHOLTZ ET OREY,
Decano Leodienſi, Vice-Domino Monaſterienſi,
Præpoſito S. Petri Leodienſis.

ÆGIDIO FRANCISCO DE SVRLET,
Archidiacono Ardennæ, & S. Bartholomæi Præpoſito.

HERMANNO DE STOKHEM,
Archidiacono Condroſii, & S. Martini Præpoſito.

CLAVDIO DE POICTIERS,
Archidiacono Famennæ, Cuſtodi Leodienſi,
Sereniſſimi Principis Conſiliario.

LAVRENTIO DE MEAN,
Archidiacono Hannoniæ, Scholaſtico Leodienſi,
Præpoſito Tungrenſi.

BERTRANDO DE LA HAXHE,
Archidiacono Hasbaniæ.

IOANNI DE STOCHEM,
Archidiacono Brabantiæ, & Præpoſito S. Pauli.

IOANNI ARNOLDO BARONI DE LEERODT,
Archidiacono Campiniæ, & Concilii Ordinarii Conſiliario.

NICOLAO BARONI DE LA PIERRE,
Abbati ſæculari Cynacenſi, & Vice-Præpoſito.

ARNOLDO DE MERODE DE WAROVX,
cui nuper ſuffectus

EVGENIVS ALBERTVS D'ALLAMONT DE MALANDRY,
Baro de Buſy, nunc Epiſcopus Gandavenſis.

HENRICO DE BERLEMONT.

ARNOLDO DE RAITZ A FRENTZ,
Cathedralis Spirenſis Theſaurario.

IOANNI LVDOVICO BARONI AB ELDEREN,
Cantori.

IOANNI EDMVNDO AB OVLTREMONT.

IOANNI AMANDO A LAPIDE,
Abbati ſæculari Amanienſi.

LAMBERTO EDMVNDO TABOLET.

FRANCISCO TABOLET,
Abbati ſæculari Dionantenſi.

IOANNI ERNESTO DE SVRLET;
Vicario generali Leodienſi, Abbati ſæculari Viſetenſi.
LAMBERTO DE LIVERLOZ,
Præpoſito Foſſenſi, Sereniſſimi Principis Cancellario.
RASONI DE SVRLET.
GERARDO BARONI A GROESBEECK.
ARNOLDO PHILIPPO SELIS,
Officiali Capituli, Præpoſito Maſekenſi.
RENATO FRANCISCO DE SLVZE,
Sereniſſimo Principi à Conſiliis Privato & Ordinario.
FRANCISCO GVILHELMO BARONI A BOCHOLTZ,
Theſaurario Hildeſienſis Eccleſiæ.
FRANCISCO EGONI EPISCOPO ARGENTORATENSI,
Adminiſtratori Abbatiarum Mirbacenſis, & Luderenſis, Landtgravio Alſatiæ, Comiti de Fuſtembergh, & Decano majori Colonienſi.
WALTERO DE LIVERLO,
Præpoſito S. Ioannis Evangeliſtæ, & Officiali Leodienſi.
GVILLIELMO A GVTSCHOVEN.
HENRICO DV MONT, Theologo.
FRIDERICO PRINCIPI CARDINALI HASSIÆ.
NICOLAO DE STOCKHEM.
ANTONIO HIERONYMO DOYEMBRVGGE, DE DVRAS,
Præpoſito Huenſi.
PETRO WOOT, Præpoſito Thudinenſi.
GVILHIELMO THEOBALDO MOTMANS, Præpoſito Inticenſi.
THOMÆ FRANCISCO WOOT DE TRIXHE.
ANDREÆ DE GERIN.
NICOLAO DE MEYS.
LAVRENTIO NICOLARTS, Pœnitentiario.
GVILIELMO COMITI DE FVRSTEMBERGH.
GVILIELMO BERNARDO AB HINNISDAEL,
Præpoſito S. Crucis Leodien.
MAXIMILIANO FRANCISCO COMITI DE RECHEM,
Præpoſito Aquenſi.
IOANNI PETRO ROSEN.
IOANNI PETRO DE SPRIMONT.
EMMANVELI THEODOSIO DE LA TOVR D'AVERGNE
Principi, Duci D'Albret.
ALBERTO DE SCLESSIN.
PHILIPPO DE MEAN.
GVILIELMO BARONI DE FVRSTEMBERGH.
OTTONI LVDOVICO DE MANDERSCHEIT.
FERDINANDO ERNESTO DE METTERNICHT.

Nomina aliorum Canonicorum uſque ad ſexageſimum hic non recenſentur, quia etſi illis de Canonicatu ſit proviſum, necdum tamen recepti ſunt.

INDEX

INDEX QVÆSTIONVM ET PARAGRAPHORUM.

IN FESTO S. CATHARINÆ VIRGINIS ET MARTYRIS.

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa verba: *Venerunt nuptiæ Agni, & uxor præparevit ſe.* Apoc. cap. 9. v. 7.

Ecquis Agnus? pag. 1

Ecquæ nuptiæ? Quæ uxor? Quæ præparatio? 2

D. Catharina *Agni ſponſa, ſpanſa Chriſti.* 3

Primæ nuptiæ D. Catharinæ *cum Chriſto per Fidem & gratiam.* ibid.

Secundæ nuptiæ D. Catharinæ *cum Chriſto per Martyrium.* 4

Tertiæ nuptiæ D. Catharinæ *cum Cæleſti ſponſo in Superum Regia ac beatitate.* 5

Prima præparatio D. Catharinæ *ad cæleſtes nuptias per veram cordis munditiam.* ibid.

Secunda præparatio D. Catharinæ *ad cæleſtes nuptias per exteriorem pœnitentiam.* 6

Tertia præparatia D. Catharinæ *ad cæleſtes nuptias per veram patientiam, & malorum tolerantiam.* ibid.

IN FESTO S. ANDREÆ APOSTOLI. 9

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa verba: *Dixi: Aſcendam in palmam, & apprehendam fructus ejus.* Cant. c. 7. v. 8.

Ecquis ille qui dixit, Quæ palma, Et qui illius fructus? pag. 9

IN FESTO SANCTI FRANCISCI XAVERII, Indiarum & Iaponiæ Apoſtoli. 12

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa verba: *Dedi te in lucem Gentium.* Iſaiæ c. 42. verſ. 6.

Ecquis ille qui à Deo datus in lucem Gentium, & qua etiam, qualiſve lux? pag. 12

Prima dos lueis. *Lux ſemper, & ubique pura.* ibid.

Secunda dos lueis. *Lux impaſſiva.* 13

Tertia dos lucis. *Lux eſt ſui communicativa & diffuſiva.* 14

Quarta dos lucis. *Lux eſt ſpiritualiter generativa & nutritiva.* 15

Quinta dos lucis. *Lux eſt confortativa.* 16

Sexta dos lucis. *Lux eſt purgativa.* 17

IN FESTO S. NICOLAI PONTIFICIS. 18

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa verba: *Ecce nubecula parva quaſi veſtigium hominis aſcendebat de mari.* Lib. 3. Reg. cap. 18. verſ. 44.

Quæ ſit illa nubecula parva? Quódve veſtigium hominis? 18

§. 1. *Nubecula ſymbolum cæleſtis in* D. Nicolaum *beneficentiæ.* ibid.

§. 2. *Nubecula ſymbolum effuſæ beneficentiæ* D. Nicolai *in egenos & afflictos.* 19

§. 3. *Veſtigium hominis, eſt Dei-hominis, ſive Chriſti imitatia.* 22

IN FESTO S. THOMÆ APOSTOLI. 23

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa verba: *Surge, & veni Columba mea in foraminibus petræ, in cavernâ maceriæ.* Cant. 2. v. 13. 14

Ecquis ille qui ſic evocat: Surge & veni? *Quæ deinde Columba, Quæ denique foramina petræ, Quæ caverna maceriæ?* 23

Chriſtus eſt animæ ſanctæ ſponſus. ibid.

Columba ſpanſa Chriſti, id eſt anima à Deo electa. 24

Petra Chriſtus: foramina petræ, manuum, pedumq́, hiantia vulnera: Caverna maceriæ, apertum illi latus: ibid.

IN FESTO S. STEPHANI PROTOMARTYRIS. 28

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa verba: *Poſuiſti in capite ejus coronam de lapide pretioſa.* Pſal. 20. v. 4.

Ecquis ille, Ecqua etiam corona? 28

Cur D. Stephano *corona de lapide pretioſo?* 29

Ex Iaſpide. 30

Ex Sapphiro. 31

Ex Smaragda. 32

Ex Adamante. ibid.

INDEX QUÆSTIONUM,

IN FESTO S. JOANNIS EVANGELISTÆ. pag. 34

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa verba: *In conſpectu ſedis tanquam mare vitreum ſimile criſtallo, & in medio ſedis, & in circuitu ſedis quatuor animalia, plena oculis antè, & retrò. Et animal primum ſimile leoni, ſecundum animal ſimile vitulo, & tertium animal habens faciem quaſi hominis, & quartum animal ſimile aquilæ volanti.* Apoc. c. 4. v. 6. 7.

Quæ ſit illa ſedes, Quod mare vitreum, Quæ animalia? 34

Prima excellentia D. Joannis, *à ſanguine, & natalibus.* 35

Secunda excellentia D. Joannis, *à ſingularis gratiæ prærogativa, data ſanguini & natalibus,* ibid.

Tertia excellentia D. Joannis, *ab omnibus Sanctorum titulis.* ibid.

Quarta excellentia D. Joannis, *à ſingulari Chriſti in eum amore, cujus indicio eſt illud, quod in cœnâ recubuit ſuper pectus ejus.* 38

Quinta excellentia D. Joannis, *expreſſa his Chriſti morientis vocibus:* Fili ecce mater tua. ibid.

Sexta excellentia D. Joannis, *hiſce verbis notata:* Mulier ecce filius tuus. 39

Septima excellentia D. Joannis, *ſingularis in proximum caritas.* 40

Octava D. Joannis *excellentia, mors adinſtar ſomni placidiſſima; adinſtar & raptus.* 41

IN FESTO CONVERSIONIS S. PAULI APOSTOLI. 42

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa verba: *Vicit Leo de tribu Iuda.* Apoc. c. 5. verſ. 5.

Quis ille Leo, de quo victoria, & quibus armis parta? 42

Quibus armis de eo parta victoria? 43

IN FESTO S. MATHIÆ APOSTOLI. 45

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa verba: *Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus.* Cant. c. 5. v. 19.

§. 1. *Ecquis ille dilectus, & cui?* 46

§. 2. *Quomodo* S. Mathias *electus ex millibus?* 46

§. 3 *Cur* D. Mathias *candidus, & unde candor?* 47

§. 4. *Cur* D. Mathias *rubicũdus, & unde ille rubor?* 48

IN FESTO S. IOSEPHI VIRGINIS SPONSI. 49

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa verba: *Nemo natus eſt in terrâ qualis Ioſeph.* Eccl. c. 49. v. 17.

Quis ille Joſeph, *& cur nemo natus in terrâ qualis ille?* 50

I. *Ex ipſo nomine, quod ex vero* Joſeph. ibid.

II. *Ex ipſa nativitate.* ibid.

III. *Quòd Virginis Sponſus.* 51

IV. *Quòd Chriſti Pater.* 52

V. *Quia Chriſti nutritius, & illi familiaris in paucis.* ibid.

Coronis hujus diſcurſus Panegyrici. Nonnulla ſeu pietatis, ſeu venerationis in D. Joſephum *officia.* 53

IN FESTO SS. APOSTOLORUM PHILIPPI ET IACOBI. 54

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa verba: *Hi ſunt duæ olivæ, & duo candelabra in conſpectu Domini terræ ſtantes.* Apoc. c. 11. v. 4.

Qui ſint iſtæ duæ olivæ, & qui duo candelabra? 55

Oliva, ſymbolum ſanctitatis, & ſanctorum. ibid.

Oliva ſymbolum miſericordiæ. 56

Oliva ſymbolum pacis. ibid.

Oliva ſymbolum certaminis, & victoriæ. 57

Oliva ſymbolum beatæ æternitatis. 58

IN FESTO S. IOANNIS BAPTISTÆ. 59

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa verba: *Ioannes eſt nomen ejus.* Lucæ c. 1.

Potuítne dari vel aptius, vel ſpecioſius nomen? 59

Vnde Joannes *gratia? A parentibus.* 59

Ab Angelo nuntio. 60

A vita, rebúsque geſtis. 61

A miraculis. 62

IN FESTO SS. APOSTOLORUM PETRI ET PAULI. 65

QUÆSTIO PRIMA MORALIS.

Ad illa verba: *Illi viri miſericordiæ ſunt, quorum pietates non defuerunt.* Eccl. c. 44. v. 10.

Qui ſint illi Viri miſericordiæ, & quæ eorum pietates? 65

Antiqui Patriarchæ Viri miſericordiæ. 66

Divi Apoſtoli Petrus & Paulus *Viri miſericordiæ, hoc eſt miſericordiam conſecuti.* ibid.

SS. Apoſtoli Petrus & Paulus *Viri miſericordiæ, hoc eſt miſericordiâ pleni.* ibid.

SS. Apoſtoli Petrus & Paulus *Viri miſericordiæ, id eſt miſericorditer à Deo nobis donati.* 68

QUÆ-

QUÆSTIO II. MORALIS.
Ad illa verba: *Quorum pietates non defuerunt.* Eccl. c. 44.
Quæ ſint illæ pietates? 68
SS. Apoſtolorum Petri *&* Pauli *pietas erga Deum in humili ſubmiſſione & obedientia.* 69
SS. Apoſtolorum Petri *&* Pauli *pietas erga Deum. fide in eum ſtabili ac firma.* ibid.
SS. Apoſtolorum Petri *&* Pauli *pietas erga Deum. Ab incenſo in eum amore.* 70
SS. Apoſtolorum Petri *&* Pauli *pietas erga Deum. A ſingulari reverentia, & in eum religione.* 71
SS. Apoſtolorum Petri *&* Pauli *pietas erga proximum. A ſingulari pro animabus zelo.* ibid.
SS. Apoſtolorum Petri *&* Pauli *Martyrium. Sive coronis illorum erga Deum pietatis.* 72
SS. Apoſtolorum Petri *&* Pauli *cultus. Eſſe hic poteſt altius, atque altius.*

IN FESTO S. MARIÆ MAGDALENÆ. 74

QUÆSTIO UNICA MORALIS.
Ad illa verba: *Ecce mulier, quæ erat in Civitate peccatrix.* Lucæ c. 7.
Quæ fuerit illa mulier, & quo fine ingreſſa domum Phariſæi? 75
Convivii ſpiritualis à Magdalena Chriſto exhibiti.
Primum Ferculum. Pœnitentia lacrymæ. ibid.
Secundũ Ferculum. Amoris ac venerationis oſcula. 76
Tertium Ferculum. Vnguenta virtutum. 77
Myſtica hujus unguenti compoſitio ex virtutibus.
I. *Ex ardenti deſiderio gratiæ, & ſalutis recuperandæ.* 78
II. *Ex vita ac morum in melius mutatione.* ibid.
III. *Ex dolore de peccatis.* 79
IV. *Ex ardentiſſimo in Chriſtum amore.* ibid.
V. *Ex raptu, exceſſuq́ in Deum.* 80
VI. *Ex gratia etiam miraculo conceſſa illius capiti, & capillis, & ſacro Chriſti cruori ab illa Maſſiliam delato.* ibid.
VII. *Ex amore, ſtudioq́ juvandi peccatores.* 81

IN FESTO S. IACOBI APOSTOLI. 82

QUÆSTIO UNICA MORALIS.
Ad illa verba: *Dilectus Deo & hominibus, cujus memoria in benedictione eſt.* Eccleſ. c. 45.
Quis ille dilectus, & quæ ei benedictio? 82
Prima D. Jacobi benedictio.
Ex ipſo nomine, ejusq́ etymologia ac mutatione petita. ibid.
Secunda D. Jacobi benedictio.
Ab eximio Chriſti in eum amore. 83
Tertia D. Jacobi benedictio.
A ſingulari Deiparæ in eum amore. ibid.
Quarta D. Jacobi benedictio.
Ab inſigni, & numeroſa animarum converſione. 84
Quinta D. Jacobi benedictio.
A felici morte, ac martyrio. ibid.
Sexta D. Jacobi benedictio.
A ſepulchri luce ac gloria. 86
Septima D. Jacobi benedictio.
Ab armorum fulgore ac præſidio. ibid.
Octava D. Jacobi benedictio.
A præſenti, ac prodigioſo in clientes ſuos ac peregrinos auxilio. 87

IN FESTO S. LAVRENTII MARTYRIS. 88

QUÆSTIO UNICA MORALIS.
Ad illa verba: *Probavit me quaſi aurum quod per ignem tranſit.* Job. c. 23. v. 10.
Quis ille qui probat, quem probat, & quomodo? 88
Quomodo à Deo probatus S. Laurentius? 89
Quo igne probatus ſit D. Laurentius? ibid.
Primus ignis. Illuminans & inflammans. ibid.
Secundus ignis. Probans & examinans. 90
Tertius ignis. Glorificans & beatificans. 91

IN FESTO S. BARTHOLOMÆI APOSTOLI. 92

QUÆSTIO UNICA MORALIS.
Ad illa verba: *Poſuit vineam meam in deſertum, ficum meam decorticavit, nudans ſpoliavit eam, & projecit, albi facti ſunt rami ejus.* Joël c. 1. v. 7.
Vinea eſt Eccleſia: in ea D. Bartholomæus *quaſi ficus decorticata, nudata, projecta.* 93
In ligno ficus deſignatur illuſtris D. Bartholomæi *fortitudo & patientia.* 94
In foliis ficus explicatur quæ in D. Bartholomæo *fuit Apoſtolicæ prædicationis amœna viriditas, & in fructibus animarum proventus.* 95

IN FESTO S. MATTHÆI APOSTOLI ET EVANGELISTÆ. 96

QUÆSTIO UNICA MORALIS.
Ad illa verba: *Converſus ſum ut viderem vocem, quæ loquebantur mecum.* Apocal. c. 1.
Quis ille converſus, quæ vox, & cujus? 97
Quis D. Matthæus? ibid.
Quomodo vocatus à Chriſto? ibid.
Ad quid vocatus, & quæ ab ejus vocatione dignitas? 98

IN FESTO SS. APOSTOLORUM SIMONIS ET IVDÆ. 110

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa verba: *Hi ſunt duo candelabra in conſpectu Domini.* Apoc. c. 11. v. 4.
Quæ ſint illa duo candelabra? 101
Prima lux Sanctorum Apoſtolorum Simonis & Judæ, *A ſanguine & natalibus orta.* ibid.
Secunda lux Sanctorum Apoſtolorum, Ab indito illis nomine. 102
Tertia lux Sanctorum Apoſtolorum, Ab altiore, id eſt cæleſti ſapientia. 103
Quarta lux Sanctorum Apoſtolorum, A ſpiritu prophetiæ & miraculis. 104
Quinta lux Sanctorum Apoſtolorum, A terrenorum contemptu. ibid.
Primus ardor SS. Apoſtolorum Simonis & Judæ, *Ab incenſo divinæ gloriæ zelo.* 105
Secundus ardor SS. Apoſtolorum Simonis & Judæ, *Ab incenſo patiendi ac moriendi deſiderio.* ibid.

LECTORI BENEVOLO.

IAm edidi Quæſtiones ſimiles in feſta Sanctorum; ſed argumento petito ex Evangelio ea die inter ſacra Miſſarum ſolemnia legi ſolito: ſed quia ſæpius Evangelicæ Hiſtoriæ ſeries vix aptari poteſt Vitæ & geſtis Sanctorum; viſum eſt iis, qui primum Opus legerunt opportunius eſſe, ſi uterer argumento liberiore, & quod magis conveniret & diei Feſtivæ, & Vitæ illius Sancti: quod & feciſſe adverto SS. Patres, maximè verò D. Thomam, & D. Bonaventuram; quorum exempla dum ſequor, oculis & animo fave.

JACOBI

Digitized by Google

JACOBI LOBBETII
SOCIETATIS JESU THEOLOGI,
GLORIA SANCTORUM
SIVE
QUÆSTIONES MORALES
IN FESTA
SANCTORUM TOTIUS ANNI.

Sumpto Themate libero: non ut aliàs ex Evangelio.

TOMUS QUARTUS.

IN FESTO
SANCTÆ CATHARINÆ
VIRGINIS ET MARTYRIS.

DIVUS JOANNES Chriſti amor & deliciæ, in exceſſu mentis Cœlitum gaudia, feſtivamque gratulationem auribus excepit, & hanc quidem duplici ex cauſa.

Una fuit purpuratæ meretricis, id eſt Babylonis excidium, atque damnatio; altera, dies ipſa nuptiarum Agni, & cœleſtis Sponſæ ad eas præparatio. Ex quibus illæ Cœlitum voces: *Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ Agni, & uxor ejus præparavit ſe.* (Apoc. c. 9. v. 7.)

Hic moveri poſſunt varii generis, ordiniſque dubia. Quis ſcilicet Agnus? quæ nuptiæ? quæ uxor? & quæ hujus præparatio? quæ omnia unica quæſtione evolvemus?

QUÆSTIO UNICA
MORALIS.

Ad illa verba: *Venerunt nuptiæ Agni, & uxor ejus præparavit ſe.* Apocal. cap. 9. v. 7.

ECQUIS AGNUS?

DIvus Joannes Bapt. præco veritatis, & vox Incarnati Verbi, huic quæſtioni faciet ſatis. *Vidit ille altera die IESUM venientem ad ſe, & ait: Ecce Agnus Dei.* (Ioan. c. 1. v. 29.)

Agnum appellat & quidem *Dei*, tum quia à Deo fuit, imò divinus, imò Deus fuit; tum quia ipſi Deo pro communi generis humani ſalute oblatus, atque immolatus; tum quia pro nobis Infans factus, & Infantes Scriptura *Agnos* vocat, ab Agni genio, innocẽtia, ac manſuetudine; à quâ etiam Jeremiæ voce, atque oraculo, ſeipſe *Agnum* dixit. *Et Ego*, inquiebat, *quaſi Agnus, qui portatur ad victimam.* (JESUS cur Agnus Dei? Clement. Alexand l. 1. pæd. c. 5.) (Cap. 11. v. 19.)

Sic *Agnus* audit in terris; ſic & in Cœlis audiet *Agnus*: teſtem appello, teſtem amo *S. Agnetem* Virginem, & Martyrem. Teſtes & illi ſuperſtites parentes. Vigilabant hi ad illius tumulum, cùm ecce apertis Cœli valvis, intempeſtæ noctis ſilentio quaſi Virginum exercitum ſuſpiciunt; erant omnes auro textus cycladibus induæ, cœleſtique lumine conſpicuæ, quas inter eminebat *Agnes*, ad cujus dexteram ſtabat *Agnus* nive candidior. (Bollandus in ejus vita 21. Ian. c. 1.)

D. Agneti cur aſter Agnus?

Hoc ſpectaculo, dum oculos, animosque paſcunt pii *Agnetis* patentes; ſimul ab iſtâ audiunt hæc verba, ſed gaudii, ſed felicitatis plena.

Videte ne me quaſi mortuam lugeatis, ſed congaudete mihi, & congratulamini, quia cum his omnibus lucidas ſedes accepi, & illi ſum juncta in Cœlis, quem in terris poſita totâ animi intentione dilexi.

Hæc ubi dixit, tum exercitus ille virgineus qui ad *B. Agnetis* vocem conſtiterat, leviore greſſu pertranſiit, pertranſiit & *Agnes* Agno Cœleſti, id eſt Chriſto, comite; imò & Duce. Ex quo habes *Agnum*, cujus nuptiæ hic venerunt, & fuiſſe, & eſſe Chriſtum; qui & in terris audire voluit *Agnus*, & in Cœlis etiam *Agnus* amat videri. Sed hinc injicitur altera quæſtio.

Ecquæ nuptiæ?

Nuptiæ mundanæ fugiendæ.

NOn amo nuptias, quæ carni conſecrantur & ſanguini; quæ libidini extinguendæ, verius accendendæ, ſerviunt. Nec porrò illas amarunt excelſæ mentes, & Cœlo, cœleſtibusque nuptiis deſtinatæ; ſed illas & oderunt, & quà licuit, etiam fugerunt.

Eas fugit B. Chriſtiana

Bollandus in ejus vita 10. Ian. c. 1.

Ita fugit aliquando *B. Chriſtiana* Virgo longè nobiliſſima, quæ cùm à fratribus importunè, quà verbis, quà etiam verberibus ad nuptias terreſtremque ſponſum, impellerentur; ſæpiùs effugit, atque rapidum amnem inſiliit, ac tranſiit ſemper, ex eo egreſſa etiam ſicco pede, ſiccisque veſtibus, aquâ ſcilicet ipſius caſtitatem, ac virginitatem reverente.

S. Aldegundis.

Bolland. in ejus vita, 30. Ian. l. 2.

Ita fugit *B. Aldegundis*, Virginum gemma, Belgii gloria, & Malbodienſium patrona, quæ dum amatii manus declinat, effugitque; in Sambram, obvium utique flumen, & minimè vadoſum ſeſe immiſit, Deo freta, & Angelo comite, quocum & ſuper aquas ambulavit, & alteram ripam attigit, ab undis intacta. Ita quæ ab aquis abibat, turbinibusque babylonicis, etiam elementares riſit aquas, ſuperavitque; ſic intacta, ut ne fimbria quidem veſtimenti immaduerit.

S. Brigida.

Ita denique (ne omnes conſecter) cum mortali nuptias exhorruit, fugitque *S. Brigida*, Virgo, à frequentibus prodigiis, vulgo dicta *Thaumaturga*.

In ejus vita 1 Feb. c. 1.

Hæc cum à Parentibus, & nobili viro, ad nuptias urgeretur, à Deo petiit inſignem aliquam in corpore maculam, tabemque, quâ deformis amari non poſſet, quæ non noverat amare. Votis annuit Deus, & illico oculorum unus illi crepuit. Ita ne pretioſiorem animæ oculum perderet, corporis oculo eſt orbata. Sed mox (quæ Dei miſerentis indulgentia fuit) accepto Virginitatis velo, oculum recepit. Diceres unà cum Virginitatis voto rediiſſe lumen oculorum, adeo ſuperis grata fuit ea terrenarum nuptiarum fuga, adeo acceptus cæleſtium amor, ac deſiderium. Ut hoc in teipſo accendam, *Amice Lector*, paucis docebo, quæ ſint eæ nuptiæ, de quibus in præſens eſt quæſtio.

Cœleſtes nuptiæ triplices:

Sunt illæ cum Chriſto, Cæleſti utique Sponſo, & cùm Anima, Dei ſponſa, eæque triplices.

Primæ iniri ſolent, atque inchoari ad aquas, & baptiſmi fontes, è quibus anima fidem haurit, & primam gratiam; De his ſic apud Oſeam Deus: *Deſponſabo te mihi in fide.*

Cap. 2.

Secundæ perficiuntur in alio, atque alio gratiæ habitualis appulſu, atque incremento, eo maximè quod à martyrio effluit, in quo Anima ceu Chriſti Sponſa, dicere poteſt antiquum illud: *Sponſus ſanguinum tu mihi es.*

Tertiæ celebrantur in cœli regiâ, ſedeque beatitatis, in his anima Deo ad extremum jungitur, jungeturque in omnem retrò æternitatem, De iſtis ipſum Numen ore, calamoque Prophetæ, ait: *Sponſabo te mihi in ſempiternum.* Ecce quæ, qualesve nuptiæ.

Quæ uxor?

IAm verbulo inſinuavi, eſt Anima ſancta: eò nimirum ſeſe inclinat cæleſtis ſponſus, id eſt Agnus, id eſt Chriſtus, ut illam ſibi deſponſet.

Anima ſancta ſponſa Chriſti

Bolland. in ejus vita.

Teſtem habeo *B. Ivettam Recluſam*. hæc in exceſſu mentis, vidit de cœlis elabi è ſingulis Beatorum ſpirituum ordinibus, binos & binos; & hinc à dextris ſibi adeſſe novem, totidemque à ſiniſtris. Ubi ſic ſtetere cæleſtes illi genii, tum *Ivettam* ornare viſi ſunt. Primò veſte auro textâ, deinde monilibus, denique & gemmis pretioſiſſimis, non iis, quas maria gignunt, aut terra videt: ſed quales virtus parit, & gratia, quales & cœli gazæ ferunt, hoc eſt virtutes.

Talis fuit B. Ivetta.

His pulchrè ornata *Ivetta*, ab iiſdem cœli civibus, & accolis deducta ad thronum Dei, & Agni; ut ſponſa terreſtris ad cæleſtem ſponſum. Ecce quæ ſupremæ illius bonitatis inclinatio, quis exceſſus amoris in ſanctam animam: ingens omninò & cæleſtibus etiam invidendus: ſed audeo dicere major, & ardentior in eandem ſi etiam virgo ſit aut mirè caſta: hanc quippe ſibi ipſemet deſponſat *Agnus*, deſponſat Chriſtus, nec ad hoc officii genus paranymphos adhibet, aut procuratores Angelos; ſed uni ſibi, id quale, quale eſt obſequium, reſervat.

B. Angela.

Teſtem adduco *B. Angelam* de Fulginio, nomine, & re etiam Angelam, hoc eſt, Angelicam. Juvat illius meminiſſe temporis, quo in Chriſti ſponſam aſſumpta. Dies erat ſanctis Angelis feſtivus, quo ſacro epulo refici geſtiebat *Angela*, ſed ô malum! ô dolor! obſtabat corpuſculi infirmitas, & ſacerdotis abſentia, qui ægrotæ, & mirum quantum à cæleſti illo cibo famelicæ eum deferret. Hinc *B. Angelæ* mœror & gemitus; hinc & mixtæ illis querelæ; ſed amoris, & divini quidem.

Huic dum ſcæna laxat, & animum, illicò abit à ſeipſa, & in cœlos abit, & ecce illi numeroſus Angelorum chorus, à quibus primùm ducitur ad Altare, quod dicebatur & erat Angelorum; tum etiam ad Chriſtum, ceu ſponſum, qui eò deſcendit indulgentiæ, ut illam ſibi deſponſarit inſerto etiam in digitum annulo, ſymbolo utique cæleſtis cum *Agno* conjugii.

Maneat ergo ſtatum, fixumque illud, animam gratiâ illuſtrem, eſſe cœleſtis *Agni* ſponſam: jam videndum ad ſacratiores illius nuptias

Quæ præparatio?

Ad nuptias illas præparatio triplex

DIvus Bonaventura in illud Apocalypſis (de quo in præſens eſt quæſtio) alias, atque alias vias aperit, quibus anima, ceu Chriſti ſponſa, ad altiores illas *Agni* nuptias venit.

Serm. 2. de S. Agneta.

Prima.

Primò, inquit, *per veram cordis munditiam*, cordis ait, quod ſcilicet in homine membrum eſt princeps, vitæ fons, & origo. Hujus munditia quæritur, & candor quidam niveus; veluti prima radix, primumque virtutum principium, ut albedo colorum omnium eſt principium.

Cap. 2.

De hac ita Eccleſiaſticus, *Qui Dominũ timent, præparabũt corda ſua, & in conſpectu illius ſanctificabũt animas ſuas.*

Secunda.

Secundò, paratur via cœleſti Sponſo *per exteriorem pœnitentiam; carnem, jejuniis & vigiliis edomando.* Ita paravit *Cæcilia*, quæ innoxium corpus cilicio macerabat, domabat, frangebatque: Ita & tenellulæ virgines, & innocentes animulæ. Non ſic hodie, non ſic peccatores, qui ut immania ſcelera committant, de pœnitentiâ tamen minimè laborant, quorum ſtuporem dum attendit, deplorat que Seraphicus Doctor; ſic æſtu quodam ſeu doloris, ſeu amoris, exclamat:

Serm. 2. de S. Agneta.

Ubi eſt pœnitentia? Quis hodie dolet ſi Deum offendit? Verè plus dolet, ſi aſinum perdidit; quia aſino perdito mox eum quærit, ſed Deo perdito, per tempora longiſſima non requirit. Et hic peccatorum ſtupor eſt, hæc inſania delirantium, & à via virtutis aberrantium,

à quâ

Digitized by Google

à quà ut revocet ille ipſe S. Doctor, hoc votum emittit in ſaventes auras:

O utinam attenderent quàm utilis ſit pœnitentia licet modò videatur amara! ut autem ea amarities ab eâ deguſtandâ non avocet, à ſimili allicit, ac provocat.

Poma omnia prius amara quàm dulcia. Aqua in fonte ſuo, hoc eſt, in mari, & ipſa eſt amara; ſed dulceſcit in vena. Sic & pœnitentia adinſtar ſpiritalis medicinæ, amaritiem habet, & guſtum malè afficit: at animo proficua eſt. Pomum eſt & amarum quidem in primo quaſi ortu: at dulce, ubi maturuerit. Aqua eſt, & ſalſedinem habet in prima ſui origine; at dulcedinem in rivulo. Appello *Ezechielis* fidem, atque experientiam.

Cap. 2.

Datus eſt ei liber ad devorandum, qui erat ſcriptus intus, & foris; & ſcripta erant in eo lamentationes (utique pœnitentiæ) & *væ* damnationis æternæ. Ecce amaritiem, attende quæ deinde ex eâ dulcedo. *Et comedi*, inquit, *volumen, & factum eſt in ore meo tanquam mel dulce.* Ecce pœnitentiæ dulcedinem, quam dum libat, guſtátque mens ſancta, per illam ſibi viam facit ad *Agni* nuptias.

Tertia

Sed & tertio, *per veram patientiam & malorum tolerantiam in minime cedendo.* Hanc inierunt Sponſæ Christi. Hanc *Agnes corpore juvencula, ſed animo cana*, inquit Ambroſius: Hanc *Cæcilia*, hanc aliæ propè innumerabiles, imprimiſque CATHARINA, Virgo caſtiſſima, & Martyr invicta, ad quam deſcendo, & primùm ſpecto ecquænam illa? & cui juncta tum in terris, tum etiam in cœlis? & quâ demum via, ac ratione.

Lib. 4. Epiſt. ep 34.

D. CATHARINA AGNI SPONSA, SPONSA CHRISTI.

DUo ſuprà ſtatuimus. Primum, animam à fide illuſtrem, & à gratiâ decoram dici, & eſſe, Christi Sponſam. Secundum, virgines Deo ſacras, Deo dicatas *Agni* eſſe Sponſas. Quod ſi verum illud, & probatum cœli calculo, Deique indulgentis beneficio; ſimul etiam indubitatum illud, CATHARINAM Chriſti eſſe Sponſam. Appello fidem magni Præſulis *Equilini*, & ſimul oblatam aliquando eidem Divæ ſpeciem. Quieſcebat hæc à ſomno placidè ſopita, cùm ei ſeſe objecit auguſta Dei Mater, puellulum JESUM ulnis geſtans, quæ etiam CATHARINAM* (quod amoris fuit, ac cœleſtis indulgentiæ) filio offerebat: ſed hic averſo ab eâ vultu, & dedignari viſus, & rejicere, adderéque etiam illud: *Non placet, quia nec decora, nec caſtè amabilis, & hoc quia baptiſmi aquis necdum lota.*

Ribadineira ejus vita.

Hæc inter, CATHARINA ſibi à ſomno redditur, advertenſque quid ſibi deeſſet ad puros illos cœleſtis Sponſi amores, & in fide Chriſtiana inſtrui voluit, & ſacro lavacro probè tingi, purgarique: quod ubi ex Eccleſiæ ritu perfectum; exhibuit ſe illi rurſum Chriſtus, eámque blandè intuitus, inuſitato divini amoris prodigio, in ſponſam adlegit, inſerto etiam in digitum ſponſali annulo: & hoc quidem aſtante Diva Matre, Angelis quamplurimis aliiſque cœleſtis aulæ principibus, qui & teſtes forent, & ſummi illius in CATHARINAM amoris præcones. Ubi peracta illa divinæ charitatis ſcena, à ſomno excitatur illa, ac ne vana crederetur ac ludicra ſopitæ mentis imago, annulum digito immiſſum, atque etiamnum hærentem videt, amatque Virgo: adeo verum etiam in illa, quod mens Deo devota, ſit Agni ſponſa, & hoc quidem tam ſponſi conniventis amore, quam ſuo voto: hoc enim Virginibus à baptiſmo ſolet eſſe in primis curis atque amoribus.

Ejuſdeſponſatio.

Salaphta Virgo D. Porphyrium, Gazenſem Epiſcopum hoſpitio exceperat: & ab illo etiam uberem hoſpitii gratiam receperat, fidem ſcilicet, ac baptiſmum; à quò hæc illi S. Præſul: *Vis, ô filia, jungi matrimonio?* erat enim nubilis. Cui mox illa: *Minimè*, inquit, *ô Domine.* Alteri enim jam à te juncta ſum, alteri ſum ſponſa, & alter à mortali ſponſus eſt mihi. Cui ille? ecquis enimverò? tum illa: Chriſtus, inquit, JESUS, quem mihi in baptiſmo jam deſpondi. Audiit Epiſcopus, & illacrymans ſtupenſque in caſtos irruit amplexus. Ecce ut anima Chriſto per fidem, gratiámque ſacrata etiam illius eſt ſponſa. At quæ, inquies, hujus, illiúſque nuptiæ? hoc erit ulterioris indaginis, pro qua ſit illud

Salaphta Virgo ſponſa Chriſti.

Bolland. in vita S. Porphyrii 26 Febr.

Primæ nuptiæ D. Catharinæ cum Chriſto per Fidem & Gratiam.

EÆ contractæ ad ſacratiores baptiſmatis aquas, quibuſcum & fidem accepit, & primam gratiam; & hanc, & illam publico dedit & huic luci, non ſine ſpectantium ſtupore, ac miraculo.

Lubet illius meminiſſe temporis. Romanum Imperium tenebat *Maximinus*, idolorum cultor, & fautor malè ſanus: nec ſibi tantùm malus, ſed & aliis peſſimus. Sancivit enim edicto publico, ut omnes omninò ditionum ſuarum ſubditi deos agnoſcerent, diis immolarent ſolemni cultu, cui primus indulgebat ipſe, deſignans ad victimam octoginta tauris, qui ad impias aras caderent, & ritu impio immolarentur; aliiſque minores, & pauciores relictæ erant victimæ, omnibus tamen una aliqua, quam ſcilicet ſuppeditarent facultates domeſticæ, his majores, minores illis.

Maximinum arguit D. Catharina.

Quid hæc inter CATHARINA Chriſti ſponſa; Sponſa, inquam, à firmâ fixáque in Deum fide? Degebat hæc Alexandriæ, urbe nobili, à ſanguine regio prognata, pulchra corpore, pulchrior animo: quem dum cœleſti ſponſo retinet excolitque: domi etiam ſe continebat; & verò continuiſſet, niſi foras etiam reluctantem evocaſſet Dei ſui cultus, & animarum periclitantium amor, quas dum perire non patitur, erumpit, evaditque è tenebris in lucem, è cellulâ ſua, domeſticiſque parietibus in aulam, venitque in *Maximini* conſpectum, quem & liberè arguit impietatis; & ſimul in ſubditos immanitatis, quos ſcilicet perderet, dum ad profana ſacrificia cogeret.

Sur. in ejus vita 25. Dec.

Quid ad hæc *Maximinus?* primùm ſtupori, iræ dein, furorique fræna laxat; tum ad alias artes vertitur, & Philoſophos, atque oratores è toto imperio evocat; qui cum CATHARINA deſcendant in certamen, & de religione, diiſque (ut aiebant immortalibus) diſputent. CATHARINA interim in arctam cuſtodiam ire juſſa.

Incarceratur.

Ivit porrò Chriſti Sponſa, hoc uno læta: imò & beata, quòd *vincta Chriſti IESV.* Hæc nempe gaudii, ac lætitiæ ſedes, hic campus certaminis, hoc gloriæ theatrum, hic titulus honoris, imò & in ſponſum amoris.

Quæſivit aliquando Paulus quomodo Philemonem caperet, raperetq; & hoc illi in epiſtolæ fronte. *Paulus vinctus Chriſti IESV.* hoc ad Pauli fidem, ad mortem, ad honorem fuit ſatis, quod *vinctus Chriſti IESV*, & hoc ad vincula, ad carcerem martyri eſt ſatis, quod illa admittat, hunc intret Chriſti cauſa.

Cap. 1. v. 1.

Et hoc ipſum eſt quod olim ad Martyres Tertullianus, qui ſic de illorum carcere: *Habet tenebras, ſed lumen eſtis ipſi; habet vincula, ſed vos ſoluti Deo eſtis. Triſte illic expirat; ſed vos odor eſtis ſuavitatis.*

Lib ad Martyr. c. 2.

Et tale CATHARINÆ ſuus carcer, lumen illi fuit, libertas fuit, odor fuit; ſed ſuavitatis, & cœleſtis quidem: vel potius ipſa carceri lumen, ipſa illi odor: & uni Deo, ſibique libera quàvis à tyranno vincta.

Cum Philoſophis diſputat.

Interea dum victa manet ad dies multos, è toto Imperio quæruntur Oratores, adſuntque tandem numero quinquaginta, quibuſcum in arenam deſcendit Virgo, unica par omnibus; imò ſuperior: vicit enim illos, & ſui erroris arguit, docuitque quæ tandem vera fides, quis verus Deus, quis mundi reparator, ſalvatorq; generis noſtri: & ita probè edoctos Religioni Chriſtianæ, Chriſtóq; ceu ſponſo, peperit.

* R.P. Lobbetii Gloria Sanctorum. Tom.IV.

Adeo in ſpiritales liberos fœcunda virgo, fœcundaque virginitas, quam dum in CATHARINA attendit *D. Bonaventura*, non ſine ſtupore amabili, eam componit eum columba, quæ ut ait *fertilis eſt in effectu: frequenter enim in anno pulliſicat.* Et hinc pulchrè indicatur *fœcunditas conſcientiæ, quæ major eſt fœcunditate naturæ.* Major, inquam, eſt & fortunatior; quia ut eleganter D. Ambroſius: *Illi non incumbit matrimonii onus, non dolor partus, & inde numeroſior ſoboles piæ mentis, quæ omnes pro liberis habet, fœcunda ſucceſſionibus, ſterilis orbitatibus, neſcit funera, novit heredes, fidei ſcilicet ſuæ, atque religionis.*

Serm. de S. Catharina.

Eos convertit.

Et hos ſibi novit, viditque CATHARINA, fœcunda liberis, fœcunda ſucceſſionibus, ſed ſpiritualibus.

Noſce vis, quæ ſint illæ? primò *Oratores* omninò quinquaginta. Dein ipſa etiam Imperatrix, Denique *Porphyrius*, Dux exercitus, & unà eum eo milites ducenti, quos omnes Chriſto, ceu ſponſo, genuit CATHARINA.

Ecce ut fœcunda virginitas, fœcundáque ſponſa Chriſti, quæ etiam ab eodem privilegio divini amoris, ad alias nuptias eſt vocata, de quibus etiam hìc paucis.

Secunda Nuptiæ D. Catharinæ cum Chriſto per Martyrium.

Martyrium triplex:

EXcelſis mentibus triplex eſt quaſi Martyrium. Unum eſt à *timore*, ne ſcilicet Sponſum, id eſt Chriſtum, perdant.

Ita *B. Margarita de Cortona*, ipſo Chriſti oraculo dicta eſt martyr: ſic enim aliquando ad illam, *Quid à me petis Margarita martyr mea?* Cui cùm dixiſſet illa: *Quid me martyrem dicis, ô Domine.* Statim audiit: *Martyrium tuum, timor eſt ne me perdas.* Nimirum illo angebatur; imò cruciabatur, & quaſi lenta morte conficiebatur pia Virgo.

Bollandus Feb tom. 3. in ejus vita c. 9.

Timoris.

Quod ſi bonæ menti magnum à *timore* martyrium eſt: majus certè ab amore.

Quæſivit aliquando Doctor Angelicus: *An amor eſſet paſſio læſiva amantis?* Et reſpondit eſſe, amantem quippe lædit, & quandóque ad languorem, quandóque etiam ad mortem, atque intentum.

Serm. 2. q. 28. art. 5.

Ita læſit ſponſam, quæ ſic ad ſuas in amoris cantico: *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.*

Cant. c. 2.

Ita læſit D. Catharinam Senenſem, de quâ ſic in ejus vita Surius.

29. April.

Amoris.

Amoris Chriſti in eâ tanta vis fuit, ut cor Virginis à Summo uſque deorſum crepuerit, ruptiſq; vitalibus venis, ſola vi divini amoris ſpiritum reddiderit: ac deinde cœli gratiâ, ac beneficio poſt quatuor horas ad vitam redierit.

Tale ſcilicet ab amore martyrium eſt; cui accedit etiam tertium, à fuſo ſcilicet ſponſi causâ ſanguine, à quo verè martyres colit, ac veneratur Eccleſia. Dicere hìc poſſem S. CATHARINAM à ſimili timore martyrem, dicere poſſem & à conſimili amore martyrem, ſed quia tam hic quàm ille in occulto eſt: timor enim & amor in animæ, & voluntatis quaſi ſinu reſident, latentque, & mortales oculos fugiunt, ſoliſque patent immortalibus: adeoque in præſentia ſatis erit oſtendere ab effuſo Chriſti causâ ſanguine martyrem eſſe: uti in Eccleſia martyres alii omnes, in quorum laudes & ſacratiora encomia eùm totus abiret *D. Ambroſius*, ſic aliquando ab Auditores ſuos è pulpito.

Serm. 95.

Honoremus beatos Martyres, principes fidei, interceſſores mundi, præcones regni, cohæredes Dei, addam ego auguſtius illud, atque amantius *Chriſti Sponſas*, & quidem ſanguinum ſponſas; nec enim ad eas *Agni* nuptias venire datum eſt, niſi ſudore multo; imò & multo ſanguine; cujus aſſertionis ac veritatis teſtes appello teſtes amo extremas illas *D. Dorotheæ* voces; quæ audita ab impio præſide mortis ſententiâ, Chriſto, ceu ſponſo, gratias egit, quod eâ viâ ad nuptias Agni vocaretur, & ad thalamum cœleſtem invitaretur; uti infrà fuſiùs explicabitur. Quod ſi illa ſic vocata, ſic invitata; ſic & D. CATHARINA, Virgo integerrima, & Martyr invicta.

Hæc primò cuſtodiæ arctiori, obſcuróque carceri tradita, atque ad dies omninò duodecim ſine cibo, potúque, inediâ utique conficienda, niſi eam paviſſet cœleſtis Sponſus, Chriſtus JESUS, qui quotidie columbam ſubmiſit, quæ ei annonam deferret, annonam utique è cœli gremio, providentiâque amabili petitam, quam dum accipit CATHARINA ſimul etiam Chriſtum, ceu ſponſum, ad ſe adventantem ſæpius aſpicit, cœleſtium ſpirituum coronâ ſeptum: crederes CATHARINÆ carcerem pro Cœlo eſſe, ac Paradiſo.

Surius in ejus vita.

Et certè illi Cœlum erat, ac Paradiſus, quia in eo Cœli, ac Paradiſi Dominus qui ſponſam ornare voluit purpura nobili, purpura dico, fuſi ejus amore ſanguinis. Juvat illum è virgineo corpore, undique fluentem, & ſpectare, & amare, & demirari: Cùm enim Virginis conſtantiam blanditiis emolliri, flectique minimè poſſe advertiſſet *Maximinus*, ad iras truces, ad feroces minas, ad crudelem corpuſculi lanienam eſt delapſus: nudari quippe voluit, & nervis boum crudeliter tundi, cædique, non ſine ſpectantium horrore, & lacrymis, quas dum copioſè fundunt propè omnes, ad tam inviſum, immanéque ſpectaculum, ſola CATHARINA animo ſemper invicta, invicta & corpore, nec lacrymas ſanguini affundit ſuo, nec gemitus dolori. Crederes illi è duro marmore, ſaxóve corpus eſſe, adeo ad verbera, plagáſque durum, quia ſcilicet dura mens, durus, id eſt, obfirmatus ad tormenta erat animus.

Sanguinis.

Quàm pulchrum ſpectaculum Deo, inquit Minutius Felix, *cùm Chriſtianus* (dicam ego cùm CATHARINA) *cum dolore congreditur, cùm adverſum minas & ſupplicia & tormenta componitur, cùm ſtrepitum mortis & horrorem carnificis irridens inculcat, cùm libertatem ſuam adverſus Reges & Præſides erigit, ſoli Deo cujus eſt, cedit, cùm triumphator & victor, ipſi, qui adverſum ſe ſententiam dixit, inſultat.*

De Octavio.

Sic inſultavit CATHARINA, ubique libera, ubique ſua, quia ubique Dei, & ſponſi.

Adeſt interim decretoria dies, & *Maximino* ſeu Iudici, ſeu Tyranno quaſi rea ſiſtitur, & primùm tantatur blanditiis, ac pollicitationibus, etiam purpurâ, ſceptroque donanda, etiam Imperio, ſi modò Diis immolaret.

Et hæc fuere retia, quibus illaqueari, capique potuit anima CATHARINA inferior; at non ipſa; *Fruſtrà* enim *jacitur rete ante oculos pennatorum*, evolant hi altiùs à terra, & libero redduntur aëri: evolat & Sponſa Chriſti, retiaque fallit, ac ridet.

Hinc ad extrema ſupplicia ventum eſt, & ea quidem, quæ nulla hactenus vidit ætas; ſuggeſſit enim unus aliquis id tormenti genus, ut unica fibula necterentur rotæ quatuor, ferris & clavis acutis horridæ, tum media diſtenderetur CATHARINA, & volutatis hinc, & hinc rotis, tota diſcinderetur, & hæc immanis machina priùs ſub Virginis oculos poſita, ſi fortè terreret, ac flecteret: at nec terruit, nec flexit. Igitur in ferali illa machina diſtenta Virgo, ſubitura, ſi cœlum pateretur, immane ſupplicium. At non eſt paſſum, adfuit enim è Superum Regia bonus Angelus, qui Dei ſponſam & vincolis exemit, & rotis, immanemque illam machinam ſic in fruſta concidit, ut & rotarum fragmentis & ferris, & clavis conciſa, confractaque fuerit ingens omninò infidelium multitudo, quæ dum hinc & inde cadit quaſi mortis, vindictæque cæli victima; auditæ illæ morientium ac ſuperſtitum voces, *Magnus Deus Chriſtianorum.*

S. Catharina Martyr tripliciter:

Jactet antiquitas *Mutium Scævolam, qui cùm erraſſet in Regem, periiſſet in hoſtibus niſi dexteram perdidiſſet.*

Mutii Scævolæ conſtantia.

Jactet

Minutius ſuprà.

Jactet *Attilium Regulum*, aliosque illius ævi viros fortes. Ecce *pueri, & mulierculæ noſtræ, cruces & tormenta, & omnes ſuppliciorum terriculas inſperatâ patientiâ doloris illudunt.*

Sic profectò illuſit CATHARINA, quæ deinde ad novum ſupplicii locum educta, caput impio ferro amputandum objecit, eadem omninò conſtantiâ, quâ prius corpus omne diſcerpendum.

Sic cecidit illuſtris illa cœli victima, non ſine doloris, imò amoris prodigio: viſa enim pro ſanguine lac effundere, lac dico virginei candoris: virgineique pudoris.

Sic è corpore ſeu hoſpitio exceſſit magna illa mens, & cœli novi, id eſt Eccleſiæ, Intelligentia, & ad ultimas cæleſteſque ſponſi nuptias venit, dum interim corpus, animæ quondam comes, & cuſtos, ab Angelis in montem *Sinai* aſportatur, ibi quietem ſepulchrumque habiturum. A quo dum diſcedo, in oculos, animumque veniunt

Tertiæ nuptiæ D. Catharinæ cum Cæleſti Sponſo in Superum Regia ac beatitate.

Bollandus ex M. S. græco Regis Galliæ 10. Febr.

SANCTUS CHARALAMPIUS, Martyr inclytus, rogatus aliquando ab Imperatore *Severo*, an nuptias contraxiſſet in terris; reſpondit, neque nuptias in terris contraxi, neque uxorem in terris unquam novi: mihi cum regno Chriſti, regno cœleſti feliciores ſunt nuptiæ, feliciores omnino, quia in illis nonniſi miſeria: in his autem nonniſi felicitas.

Nuptiæ cœleſtes.

Teſtem habeo D. Ioannem, qui Deo homini, id eſt Chriſto, fuit à ſecretis.

Ille in altiore mentis exceſſu beatitudinem, ad quam à morte fortiter obita invitatur Chriſti ſponſa, oculis, animoque præſentiens exclamat: *Beati qui ad Cœnam nuptiarum Agni vocati ſunt.*

Apoc. c. 19. v. 9.

Beatitatem *Cœnam* appellat; quia datur ad vitæ mortalis occaſum, & veſperam infelicis ævi, quo exacto animæ ceu *Agni* ſponſæ nuptiæ celebrantur, & quidem cæleſtes, ac propè divinæ duraturæ in omnem retro æternitatem.

Alexandri Olivæ.

Ioſephus Pamphylus.

Has porro nuptias cogitatione, ſpeque certa præcipiens *Alexander Oliva*, primùm Generalis Ordinis D. Auguſtini: tum S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, creatus à Pio Secundo Pontifice Maximo. Has, inquam, præſentiens, Religioſo qui morienti aderat, fortè dicenti, ne quid timeret, adjecit: *Quid ego timerem qui ad nuptias eo.* Nuptias dico cœleſtes, imo & divinas, quas animo, votiſque omnibus jam prenſans *S. Dorothea*, poſt atrocia tormenta mortis ſententiam à Præſide excipiens, adjecit illicò geſtientis illud:

S. Dorotheæ

Benedico te Domine, caſte amator animæ meæ quod me immeritam ad nuptias Agni immaculati vocare, & ad thalamum tuum cæleſtem invitare dignatus ſis.

Ita nimirum ad *Agni* nuptias vocantur illæ grandes animæ, ita ad illius thalamum invitantur.

Ita vocata, ita invitata B. CATHARINA, ita & *Dorothea*, quæ immeritam ſe dicit, quod humilitatis fuit; verè autem ex virtutis, ac ſanctitatis conſummatæ merito; uti & in præſens D. CATHARINA, cui *datum eſt ut cooperiret ſe byſſino ſplendenti, & candido.* Quod illud ſi quæris, audies *Iuſtificationes eſſe Sanctorum*, hoc eſt opera juſta, & ſancta; quæ byſſino, ſeu ſymbolo quodam, deſignantur, quo enim potius?

Apoc. c. 19. v. 8.

S. Catharinæ.

Erat *byſſus* antiquis lini genus præſtantiſſimum, quod melius, purius, candidius, ſplendidius evadit injuriâ ſui, hoc eſt maceratione, tunſione, carminatione. & ita evadunt Sancti; ita Virgines: ita Martyres, ita (ut alios in præſentia taceam) D. CATHARINA, quæ ad illas cæleſtis *Agni* nuptias ſedula ſe præparavit.

At quomodo, quibúsve magnarum virtutum præſidiis atque ornamentis, diſce ex ſimili ex D. *Bonaventura*, qui hæc aliquando de S. *Agnete*; quæ ego hodie de D. CATHARINA.

Prima præparatio D. Catharinæ ad cæleſtes nuptias per veram cordis munditiam.

ESt cor in homine membrum princeps, vitæ ſedes, & officina affectionum omnium, quæ ſi mundæ ſint, & mundum cor erit: ut porro ſit, opportunum illud monitum ſapientis. *Ad illas præparatio.*

Omni cuſtodia ſerva cor tuum. Eſt à naturâ cor cuſtoditum probè, firmo ſcilicet opertum membranæ involucro, munitum coſtarum & pectoris muro. *Proverb. c. 4. v. 23.*

Quod illi natura; hoc diligens animi cuſtodia, quæ non una ſit oportet: ſed omnis, & præ omni. hinc *Aben-Eſra* vertit, *præ omni cuſtodia ſerva cor tuum*, hoc eſt diligentiùs, & fortiùs, quàm domum, agros, theſauros, uxorem, filios, arces tuas, & urbes. Hinc *Chaldæus* reddit, *Omni munitione.* Syrus *omni cautione.* Vatablus *omni cura.* Symmachus *omni cuſtodia.* Ita cor ſuum cuſtodiendum eſſe duxit B. CATHARINA, cui prima cuſtodia fuit domus, & cellæ in qua ſeſe ſic continebat, ut nonniſi rariſſimè prodiret in publicum, nec videre volebat, nec videri, quia nec volebat amari.

I. In cuſtodia & arctica ſolitudine.

Contra quam faciunt Virgines pleræque, in quas ſic olim aculenta oratione D. Cyprianus:

Si per publicum notabiliter incedas, oculos in te juventutis illicias, ſuſpiria adoleſcentium poſt te trahas, concupiſcendi libidinem nutrias, ſuſpirandi fomenta ſuccendas, ut etſi ipſa non pereas, alios tamen perdas, & velut gladium te, & venenum videntibus præbeas, excuſari non potes quaſi mente caſta ſis, & pudica. Qui enim excuſareris, quæ alios caſtos, & pudicos eſſe non patereris?

De diſciplina & hab. Virg.

Secunda cuſtodia puri cordis, & virginei nitoris in D. CATHARINA, fuit modeſtia cultus, & habitus: Etſi enim regiâ de ſtirpe eſſet, nihil tamen regium; hoc eſt nihil inſolens in veſte præferebat, parca, & modeſta erant illi omnia.

II. In modeſtia cultus.

Secus hoc ævo puellæ, in quas aliquando ſic Divus Cyprianus: *Redarguit te cultus improbus, & impudicus ornatus, nec computari jam potes inter puellas, & virgines, quæ ſic vivis ut poſſis adamari:* Non ſic certè vixit CATHARINA, quæ ita vixit, ut ab uno dumtaxat cœleſti ſponſo poſſet adamari. *Suprà.*

Ut & ſic poſſitis, ô virgines, ô puellæ, *D. Cyprianum* audite: ſic ille in terris ad ſuas olim; ſic modò è cœlis ad vos:

Eſtote tales quales vos Deus artifex fecit, eſtote tales, quales vos Patris manus inſtituit, maneat in vobis facies incorrupta, cervix pura, forma ſincera. Non inferantur auribus vulnera, nec brachia includat aut colla de armillis & monilibus catena pretioſa, ſint à compedibus aureis pedes liberi, crines nullo colore fucati, oculi conſpiciendo Deo digni. *Suprà.*

Hæc ubi dixit facundus Orator, tum illud ad extremum adjicit, *vince veſtem, quæ Virgo es, quæ Deo ſervis; vince aurum, quæ carnem vincis & ſæculum.* Et hoc, & illam ſi viceris, viam tibi parabis ad cœleſtes *Agni* nuptias, uti & paravit D. CATHARINA, cui

Tertia cuſtodia fuit ab omni inverecunda nuditate, quam cavit vel maximè, utpote quæ plurimum faceret ad illecebras impuri amoris, quem incendunt vel maximè, *quæ*, ut advertit D. Cyprianus, *promiſcuas balneas adeunt, quæ oculis ad libidinem curioſis, pudori, ac pudicitiæ corpora dicata proſtituunt, quæ cùm viros, atque à viris nuda vident turpiter, ac videntur.*

III. In cavenda nuditate.

Hæc libidinis incitamenta ubi aperuit S. Præſul, tum quæ ad eam ſequantur mala exponit: *Nonne*, inquit, *ipſa illecebram vitiis præſtant? nonne ad corruptelam & injuriam ſuam deſideria præſentium ſollicitant, & invitant? Viderit, inquis, quæ illuc mente quis veniat; mihi tantùm reficiendi corpuſculi cura eſt, & lavandi.* Ubi

Digitized by Google

hanc qualem qualem excuſationem audit, tum ſic refutat, & arguit:

Non te purgat iſta deſenſio nec laſcivia & petulantiæ crimen excuſat. Sordidat lavatio iſta, non abluit; nec emundat membra, ſed maculat: Et cauſam hanc adjicit

Impudicè tu neminem conſpicis, ſed ipſa conſpiceris impudicè, oculos tuos turpi oblectatione non polluis; ſed dum oblectas alios, ipſa pollueris. & rationem reddit è loci natura petitam:

Spectaculum de lavacro facis, theatro ſunt fœdiora quo convenis, verecundia illic omnis exuitur. Simul cum amictu veſtis, honor corporis ac pudor ponitur, denotanda & contrectanda virginitas revelatur.

Hæc Carthaginenſis Antiſtes de infami illa nuditate, & enaſcentibus inde malis, quæ ut declinet mens caſta, in arctiore ſui cuſtodia eſſe debet, & quidem etiam

IV. In vitandis conviviis.

In quartâ unâ cum Virgine CATHARINA, quæ ut illibatum ſervaret virginei pudoris florem, abſtinebat à conviviis, epuloque nuptiali etiam conſanguineorum, certa in illis tantùm decedere pudori, quantum accedit voluptati; quod ut altiùs virginum animis imprimat D. *Cyprianus*, ſic arguit nonnullas ſui ſæculi Virgines:

Supra.

Quaſdam, inquit, *non pudet nubentibus intereſſe, & in illa laſcivientium libertate ſermonum colloquia inceſta miſcere, audire quod non decet, quod non licet dicere; obſervare, & eſſe præſentes inter verba turpia, & temulenta convivia, quibus libidinum fomes accenditur, ſponſa ad patientiam ſtupri, ad audaciam ſponſus animatur.*

Ubi hæc malorum ſemina, quæ & oculis, & ori, & auribus injiciuntur, expoſuit, tum ad Virgines ſtylum convertit, & ſic ad illas:

Supra.

Quis illi in nuptiis locus eſt, cui animus ad nuptias non eſt, aut voluptaria illic, & læta eſſe quæ poſſunt, ubi & ſtudia, & vota diverſa ſunt? quid illic diſcitur, quid videtur? quantum à propoſito ſuo virgo deficit, quando pudica quæ venerat impudica diſcedit? corpore licet Virgo ac mente permaneat; oculis, auribus, lingua minuit illa, quæ habebat.

Pudoris ſcilicet & intactæ caſtimoniæ floſculos, quos eò loci, ac temporis marcescere, ac flacceſcere eſt neceſſe: uti & in comœdiis, ludiſque theatralibus, in quibus dum oculis illuditur, illuditur & animo, tantumque detrahitur virgineo nitori, quantum oculis, auribusque additur voluptatis.

V. Ludis theatralibus.

Hinc ut disertè D. *Cyprianus* quo auctore hîc utor: *Sic frequenter Eccleſia virgines ſuas plangit, ſic ad infames earum ac deteſtabiles fabulas ingemiſcit, quia ſcilicet inſtitus & flos virginum extinguitur, & honor continentiæ, ac pudor cæditur, & gloria omnis ac dignitas profanatur*, ſic nimirum, *ſe expugnator inimicus per artes ſuas inſerit, ſic inſidiis per occulta fallentibus diabolus obrepit, ſic dum liberius evagari virgines volunt, eſſe virgines deſinunt, furtivo dedecore corruptæ, viduæ antequam nuptæ; non mariti, ſed Chriſti adulteræ: quàm fuerant præmiis ingentibus virgines deſtinatæ, tam magna ſupplicia pro amiſsâ virginitate ſenſuræ.* Ne porrò ſentias & ipſa aliquando, & ſeriùs ingemiſcas, in hac quinta virgineæ mentis carniſque cuſtodia, cum D. CATHARINA conſiſte, & ſic ad cæleſtes *Agni* nuptias tibi viam appara. apparabis porrò etiam.

D. Cyprian. ſupra.

Sextâ cuſtodiâ, in qua vigili oculo, animoque diſces, *quod opus Dei & factura ejus ac plaſtica* (qualis es ô Virgo) *adulterari nullo modo debeat, adhibito flavo colore, vel nigro pulvere, vel rubore, aut quolibet denique lineamenta nativo corrumpente medicamine.* Ab hac mentis, carniſque cuſtodia longè diſcedunt Virgines illæ, *quæ oculos circumducto nigrore fucare, & genas mendacio ruboris inficere, & mutare adulterinis coloribus crinem, & expugnare omnem oris & capitis veritatem*, exemplo ſuo *docuerunt*: non docerent certè, ſi in virginea D. CATHARINÆ ſchola, & animas, & corpora excoluiſſent, ſi audiſſent & illud Dei factoris ſui ore D. *Cypriani* expreſſum:

Non metuis oro quæ talis es, ne cùm reſurrectionis dies venerit, artifex tuus te non recognoſcat, & ad ſua præmia & promiſſa venientem removeat, & excludat, increpanſque vigore cenſoris & judicis dicat. Opus hoc meum non eſt, cutem falſo medicamine polluiſti, crinem adultero colore mutaſti: expugnata eſt mendacio facies, figura corrupta eſt, vultus alienus eſt, Deum videre non poteris, quando oculi tibi non ſunt quos Deus fecit, ſed quos diabolus infecit? Illum tu ſectata es, rutilos, atque depictos oculos ſerpentis imitata es, de inimico tuo compta cum illo pariter & arſura. Supra.

Hæc in illa die decretoria juſtus & ſeverus Judex, quem etiamnum tibi loquentem ſi audias, perſtabis in vigili cuſtodia cordis, & ejus quæ tibi ab illo debet eſſe corporis, animique munditia, quæ facilem ſemitam aperiet ad cæleſtes *Agni* nuptias, uti & D. CATHARINÆ aperuit, cui etiam fuit

Secunda præparatio D. Catharinæ ad cæleſtes nuptias per exteriorem pœnitentiam.

HÆc eſt interioris veluti fructus, ad quem olim auditores ſuos hortatus D. *Ioannes Baptiſta*; magnus in eremo, major in ipſa exteriore pœnitētia. D. Bonav. ſupra.

Facite, inquiebat *fructum dignum pœnitentiæ*, ii porrò ſunt, flagellationes, cilicia, jejunia, vigiliæ, eleemoſynæ, orationes, lacrymæ, & his affinia, in quæ ultrò concedit mens ſancta, quæ in ſe judex eſt, & ſimul etiam vindex, quia ad Deum verè converſa. Matth. c.3. A Pœnitentia.

Qui convertitur, iraſcitur ſibi, inquit Auguſtinus: *ſe habeat iratum, ut Deum habeat placatum; ſe habeat judicem, ut Deum habeat defenſorem.*

Et ita ſibi quondam iratæ etiam virgines tenellulæ, licèt innoxiæ; ita ſeipſas judices habuere, & ſeveros quidem: amplius dico (verbo abſit injuria) tortores, & propè carnifices: ſic enim in ſe, & carnem ſuam ſævierunt, ut aut hoſtem dixiſſes, & quidem juratum, aut vile jumentum, ad flagra & labores natum.

Et ita corpus ſuum habuit B. *Margarita* Hungarica, virgo ut animo, ſic & ſanguine regio, ut pote Regis Hungariæ filia, quæ ut ea eſſet, annis omninò ſex ante obitum, cilicium quod induerat, non exuit.

Ita S. *Paula* vidua, licet affecto, ægroque corpore, licet tentata febri vehementiore, in nuda tamen humo etiam ciliciis inſtrata quieſcebat, nec adduci poterat ut in pluma dormiret, & molli anſere: mollia nimirum oderat, & duriora amabat. Bolland in ejus vita 28. Ian c. 2.

Ita (ne abeam ab argumento mihi propoſito) B. CATHARINA corpuſculum ſuum tractandum eſſe duxit, & durioribus exercendum, & hoc ut viam ſibi faceret ad cæleſtes *Agni* nuptias, ad quas admittitur nemo niſi pœnitentiâ probè excultus atque edomitus; nec enim mollis eſt ad aſtra, & ſuperos via, quod fuſiùs probare non eſt hujus loci ac temporis; ſatis erit digito monſtraſſe. Alia supereſt, eaque 26. Ian in ejus vita c. 6.

Tertia præparatio D. Catharinæ ad cæleſtes nuptias per veram patientiam, & malorum tolerantiam.

PRopheta Regius in Pſalmum, qui inſcribitur *pro occultis*, hoc extulit, quod hominum oculis ex vero occultum eſt; extulit, inquam, illud. *Qui exaltas me de portis mortis*, exaltas videlicet unde abjici, unde mergi, unde obrui poſſe, ac debere mortalibus, oculis videbat, ubi enim iſta potiùs, quàm in portis mortis? & tamen in illis, & ab illis exaltas, quod ſcitè expendit D. *Chryſoſtomus*, & ait: D. Bonav. ſupra. Pſal 9. v. 15. A Patientia.

Non dixit qui liberas: ſed qui exaltas; non enim tantùm in ſolvendis malis juſtorum, ſubſiſtit Dei beneficium; ſed facit eos admirabiles, inſignes & clariores.

Clariores

Digitized by Google

Clariores dico, primò generatim in omni virtutum genere, quia ut diſertè Seneca: *Calamitas virtutis occaſio eſt.*

Lib. de providens. c. 4.

Deinde ſpeciatim, in conſtanti erga Deum, ac ſuperos fide; *cùm exuruntur perſecutionis ardore, tunc probamur de fidei timore*, inquit Tertullianus.

Lib. de fuga c. 3.

Tum etiam in notitia ſui: *Opus enim ad notitiam ſui experimento; quod quiſque poſſit niſi tentando non diſcet*, ut pulchrè Seneca.

Suprà.

Tum probatur animi ſortitudo, & conſtantia, *Gaudent* enim *magni viri rebus adverſis, non aliter quàm fortes milites triumphis. Avida quippe eſt periculi virtus, & quò tendat, non quid paſſura ſit, cogitat, quoniam quæ paſſura eſt, gloriæ pars eſt*, ut ille ipſe Seneca.

Tum etiam Dei, ſeu Patris, ſeu Domini in nos amor, & pietas oſtenditur; Deus enim *quos amat, probat, indurat, recognoſcit, exercet.*

Denique per adverſa *digni viſi ſumus Deo, in quibus experiretur quantum natura humana poſſet pati*, & ita expertus eſt in S. CATHARINA, quam exaltavit in ipſis inferi, mortiſque portis, primò ipſius fidem ad tormenta, ceu ad lapidem lydium probando, tum invictam ipſius fortitudinem, atque conſtantiam, quam dum amat, probátque, duris recognoſcit exercétque, carcere ſcilicet ac vinculis, tum etiam flagris ac fuſtibus; tum rotis aculeatis, tum denique ferro, à quo dum capite minuta, in cœlos eſt exaltata, admiſſaque ad cœleſtes *Agni* nuptias. Ecce ut illa cum Davide ad Deum dicere potuit:

Patientiæ probatio.

Qui exaltas me de portis mortis, ut annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion; exultabo proinde in ſalutari tuo, quia infixæ ſunt gentes in interitu, quem fecerunt.

Pſalm. 9. v. 15 16.

Et hæc tua gratia, favor tuus, amorque, ô ſponſe, qui ſponſam exaltas ad vitam, ad beatitatem etiam de portis mortis; hoc eſt de tribulationibus, de tormentis; ipſaque morte.

Quod ſponſæ Chriſti, hoc & D. CATHARINÆ datum eſt; hoc & nobis, hoc & omnibus, quibus exaltatio non erit niſi à patientia, & inſigni quadam malorum tolerantia.

Quæri ſolet ab Interpretibus Scripturæ ſacræ cur *collocavit Dominus ante paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium ad cuſtodiendam viam ligni vitæ?*

Gen. c. 3.

Quæ enim néceſſitas, aut quæ ratio Deum coëgit ad illam Paradiſi cuſtodiam? poterat enim aut lignum vitæ tollere, aut ſola ſua voluntate viam Paradiſi claudere. Cur igitur ab illa arcet gladio, & quidem flammeo? Reſpondet Rupertus in hæc verba: *Fide tenemus, & confitemur, quod per ignem tranſeuntes intraturi ſumus Paradiſum.*

Via in Cœlum.

Ea nimirum ad Paradiſum via, eáque Cœli lex, quæ & naturæ. *Niſi hyems, nec æſtas; niſi certamina, nec bravia*, inquit ore aureo D. Chryſoſtomus, indéque factum autumat, ut D. *Ioannes* in mentis exceſſu viderit beatos omnes palmas in manibus geſtantes: ſed cur, inquies, palmas? cur non potius ſceptra, aut coronas? & hæ, & illa Sanctos decebant quam maximè, utpote in Cœlo Reges. Ratio in oculis eſt, & in manibus quia palma inſigne eſt vincentium: at non ſine ſudore, ſine ſanguine vincitur. Certum ergo nobis ſit ita vincere; ita & æternùm triumphare.

Homil. 4. ad Popul.

Sic nimirum in terris vicerunt ſancti, ſic & modo triumphant in cœlis.

Iuſtum deduxit Dominus per vias rectas, oſtendit illi regnum Dei, honeſtavit illum in laboribus, inquit Sapiens. Græca lectio habet: *Locupletavit eum in ærumnis.* His nimirum parantur cœleſtes divitiæ, his fabricantur & coronæ. indéque benè monet Guerricus Abbas, ut animo non cadamus, non ſuccumbamus in laboribus, in ærumnis, in tormentis, ipſáque morte quam inferre poteſt tyrannus:

Sap. c. 10.

Poterit, inquit, *tentator ille ſævire, ſed hoc erit ſervire, poterit urere, tundere, defricare: ſed hoc erit coronas fabricare.* Has oculis, has animo, ſi ſpectemus; numquam deficiemus, nunquam ſuccumbemus, etſi fractus in nos illabatur orbis.

Serm. 3 de S. Bened.

Et Corona.

Nimirum in hac Orbis, quaſi in nos illabentis ruina, caſuque, aderit ſupremum è cœlis Numen, aderit & CATHARINA Virgo & Martyr longè clementiſſima, opportunóque erit ejus opem imploranti præſidio. Et hoc ſpondet ea, quæ in ejus beata mente in cœlis eſt charitas; hoc & ſpondet, quæ ei in terris erecta Eccleſia, de qua illud extat inuſitatum alias miſerationis, indulgentiæque miraculum.

In quadam Carinthiæ Præpoſitura, cui nomen eſt *Vero*, viſitur Sacellum D. CATHARINÆ Virgini & Martyri ſacrum; quod ſi fortè claudatur, ſemper tamen ſponte nihilominus aperitur, & patet. Et hoc quia ſemper aperiri, ſemper patere vult adyta ſua Diva Virgo CATHARINA, ut ea adeat, ea ſubintret quovis tempore, quavis hora, quovis momento, quiſquis à malis urgetur, & premitur.

Silveſter Petra-ſancta Thaumaſia tom. 3. c. 2.

S. Catharinæ miſeratio.

Dicata ſanctis aliis templa ſtatutis horis interdiu recluduntur, clauduntur aliis: hinc illis conſtituti janitores, obducta clauſtra, ſeræque. At unicum Divæ CATHARINÆ templum ſemper aperitur, & patet: quia ad miſellorum auxilia ſemper aperitur & patet illius divæ Charitas & miſeratio.

Cùm S. *Æmilianus* Martyr eſſet in extrema cum carnifice lucta, hæc illi de cœlo vox appulit:

S. Æmiliani Martyris.

Euge ſerve bone, & fidelis exaudivi te in omnibus, quæ me rogaſti. Ecce orante te aperti ſunt cœli, Chori Angelorum te expectant, parata tibi eſt corona; intra igitur benedicte in æternam requiem. Deinceps miſericors appellaberis, ac plurimos liberabis, eris ſpes navigantibus, refugium oppreſſis, advocatus egentibus, ægris medicus, dæmonibus acerrimus perſecutor.

Bollandus Tom. 2. 2. Feb.

Hæc ut audiit S. Martyr, exultavit totus ſimulque enixè Deum rogavit, ut qui tormentis aliis non ceſſerat, enſe vitam hanc mortalem finire poſſet annuente tandem ipſo Numine.

Annuit votis Deus, & ferro caput ſimul, & vitam amiſit; quodque prodigio fuit, inſignique miraculo, pro ſanguine lac effudit, uti prius D. CATHARINA.

Lac pro ſanguine fundit.

Sed cur, inquies, lac? non naturæ dandum eſt illud; ſed cœli beneficio, quæ candidas illas, & ſimul miſericordes animas, lac è præciſa cervice vult effundere in ſymbolum & virginei candoris, & ſimul effuſæ in afflictos miſerationis, cujus ſanè teſtes illæ ad *S. Æmilianum* voces, quas ego D. CATHARINÆ tacitus in aurem, animumque jactas autumo.

Euge ancilla Chriſti, bona, & fidelis, exaudivi te in omnibus, quæ me rogaſti, ecce orante te aperti ſunt cœli, chori Angelorum te expectant, parata tibi eſt corona. Intra igitur benedicta in æternam requiem. Deinceps miſericors appellaberis, ac plurimos liberabis, eris ſpes navigantibus, refugium oppreſſis, advocata egentibus, ægris pro medico, & dæmonium acerrima perſecutrix.

Has, inquam, aut ſimiles à cœleſti ſponſo voces excepit D. CATHARINA, in ea oratione, quæ illi fuit ultima, & in qua lacteam cervicem ad ferrum excipiendum inflexit, ſimulque Deum rogavit, ut quiſquis ejus auxilium, ſubſidiumque in malis efflagitaſſet, voti compos omnino fieret; quid enim aliud à cœlo peteret CATHARINA, quæ deinceps Deo Iudice *miſericors* & eſſe, & audire debuit, aramque miſericordiæ ponere etiam in ipſo monte *Sinai*, quo & delatum corpus, magnæ mentis exuviæ: futurum miſeris pro aſylo, proque refugio.

Ribadin. in ejus vita.

Ita fuit filio magni Principis. Hic parente vita functo D. CATHARINÆ in paucis addictus erat, cujus argumento fuit iſtud, quod diebus ſingulis itare ſoleret ad ſacellum caſtro ſuo vicinum, D. CATHARINÆ ſacrum, in quo dum ſolito ferventiùs orarct,

Diſcipuli conciones Serm. 44.

oraret, ecce illi ſub oculos veniunt è Cœli regia tres Virgines, & quæ inter illas erat media ſic ad Juvenem: *Elige è tribus, quam vis in Sponſam*; dumque hæret hac, & illa captus, quæ à dextris viſebatur hæc ad illum: *Quæ inter nos eſt media, ea tibi melior ſponſa, eam elige: eſt S. Catharina hujus ſacelli Diva Tutelaris, & Patrona.*

S. Catharinæ cultus. Benè momenti paruit adoleſcens, & D. CATHARINAM in ſponſam ſibi adlegit: admiſit illa juvenem, ceu ſponſum, & in fidem ſponſalium illi corollam obtulit è cœli floribus, è roſis, violiſque miri odoris, imo & capiti impoſuit. Peracta illa amoris ſcena, videri deſierunt Virgines illæ, & adoleſcens, quaſi à ſomno, ectaſive ſibi redditus, corollam capiti ſuo impoſitam ſenſit, amavit, ſervavitque ſeros in annos.

Hi dum labuntur, propinqui, affineſque ſuadent, ut Virginem & forma mirè gratioſam, & genere nobilem ſibi deſponſet. Facit ille, vel immemor ſponſalium cum cœleſti Virgine, vel certè eorum minus retinens; retinens tamen pietatis antiquæ & cultus in eandem Divam obſervantioris; atque ut aliàs ſolebat quotidie illius ſacellum frequentat, & pia vota deponit.

Quod dum ſedulus exequitur, uxor ex ancilla quærit, quo itaret herus in dies ſingulos, & quidem ſummo mane. Cui illa, (ut erat ore maledico) ad filiam, inquit, civis, non ita remoti à proximo cemiterio. Credidit uxor incauta, & fidem ſibi violatam ingemuit, ploravitque, nec marito diſſimulavit; conqueſta enim non ſemel apud illum de non ſervata conjugali fide, deque violato per ſummum nefas toro. Cui maritus ſubridens: Falleris, inquit, ô cariſſima conjux, non eſt filia civis: ſed illa pulchrior, illa nobilior, ad quam ito quotidie, & cras rurſus pergam orto primùm Sole.

Hæc ille liberali joco, & innocentiæ ſuæ probè conſcius, hac ſe dum tuetur, & ſecurum putat, die proximè ſequenti è domo elabitur, & ad D. CATHARINÆ ædiculam feſtinat de more precaturus.

Sed, ô grande malum ancilla maledica, uxorque nimis credula. Hæc rata maritum contra tori conjugalis leges, & pacta in eum admitti extraneam, & concubinam: ſeu dolore, ſeu ira, ſeu etiam amore victa, ſeipſa illico pugiore petit, transfoditque, unáque etiam, quem geſtabat in utero fœtum.

Redit interea de ſacello ſponſus perſoluto jam Divæ penſo, & en illi triſte, horrendúmque ſpectaculum, uxor confoſſa, confoſſus & qui in utero erat fœtus, duplicique funere turbata, turpataque domus omnis.

Hinc ſtupor, hinc horror, hinc lamenta, & lacrymæ, miſerique ejulatus, quibus ubi pluſculum datum eſt, ad Divæ Tutelaris ædiculam recurrit, eamque per quidquid in terris ſacrum, per quidquid in cœlis pium eſt, obteſtatur, ut tanto ſeu dolori, ſeu malo medelam faciat. Et hæc inter gemitus, & lacrymas: quas ut detergat, adeſt è cœlo Diva, adſunt unà cum illa bonæ Virgines, & è ſuperum aula Trias illa Virginea ſe rurſum ei ſiſtit, & ſic ad illum *Catharina*:

Cur datam aliquando fidem infregiſti? cur aliam à me ſponſam admiſiſti? Et hæc eſt violatæ fidei pœna, hæc cœleſtis ultio, cui tamen ut modum ponam, quia pietatis antiquæ memor fuiſti, & apprimè tenax, vade, domum repete, ingredere conclave, & uxorem, unà cum filia, quam gerit utero, & ſibi, & vitæ redditam invenies; imò & filiolam jam luci datam, & huic auræ, quam ex me *Catharinam* appellabis. Verùm, quia & mihi, & Deo parum fidus extitiſti, quia fidem feſelliſti, in pœnam admiſſi criminis, Aſceterium mihi eriges, fundabiſque ære tuo, & illius prima omnium Abbatiſſa, erit filia tua, erit ea quæ ex me, & à me dicetur *Catharina*. Et ex eo fructus.

Nec mora domum repetiit, conjugem ſalvam, & valentem reperit, ſalvam & filiolam, quàm è ſacro fonte *Catharinam* dixit, Aſceterium ædificavit, & à corolla roſacea, quam olim à D. CATHARINA acceperat, *Roſaceum* appellavit.

Tanti refert Divam illam habuiſſe Tutelarem, ac Patronam. Adfuit illa ſponſo, adfuit ſponſæ, adfuit & filiolæ, & ſponſum dolore liberavit, & mœſta orbitate, ſponſam verò à morte æterna, quam certò certius incurriſſet, exemit: & filiolam vitæ reddidit, & ſalutaribus aquis, adeóque gratiæ, ac deinde & gloriæ. Vixit enim in eo Aſceterio quam ſanctiſſimè, imò & Avum è Purgatorii flammis in cœlos extulit.

Ecce quot in uno, beneficia, quot cœli favores, & gratiæ; quot à D. CATHARINA amoris in clientem ſuum argumenta. In eorum partem venire ſi voles, mi Lector, venias & in illius Divæ tutelam, & gratiam.

IN FESTO SANCTI ANDREÆ APOSTOLI.

Serm. 133. DIVUS Chryſologus, ſtylo ut ſolet aureo, S. ANDREAM componit cum D. Petro. Primùm ex eo quòd illum *natura ſimilem*, Secundò quòd *vocatio ſocium*, Tertiò quòd *parem gratia ipſa perfecerit*. Quî autem perfecerit, ex hoc oſtendit, quod *Petrus crucem, arborem conſcendit Andreas*: quæ porro ſit illa, paucis ore præſago explicabit Sapiens, qui ſic etiam de illa:

QUÆSTIO UNICA
MORALIS.
Ad illa verba : *Dixi : Aſcendam in palmam , & apprehendam fructus ejus.* Cant. c. 7. v. 8.

ECQVIS ILLE QVI DIXIT? QVÆ PALMA? Et qui illius fructus ?

Quis ille qui dixit ? DIvi Patres, & Scripturæ ſacræ Interpretes in tres diſcedunt opiniones.

Prima, illam voculam *Dixi*, excipi vult à choro adoleſcentularum , hoc eſt adhuc imperfectarum in fide, quæ Synagogæ jam ad meliora converſæ dicit : *Aſcendam in palmam* , hoc eſt aſcendam pee virtutis imitationem ad perfectionem doctrinæ tuæ, & per contemplationem apprehendam ejus ſublimitatem ; ita tres Anonymi apud Theodoretum.

Secunda , vocem *dixi*, eredit emanare à Chriſto, jam in Crucem aſcenſuro ; dixit enimverò ille Patri Æterno , dixit immortalibus , dixit & mortalibus: *Aſcendam in palmam*, id eſt crucem, & apprehendam fructus ejus , id eſt animas , quæ victricis palmæ , ceu Crucis , fructus ſunt : ſed generoſi , ſed ſuaves, ſed amabiles: & quas Chriſtus apprehendit , ſeu fructus , ſeu exuvias relatæ de inferis victoriæ. Ita S. Gregorius , Beda , Rupertus , aliique.

Huic opinioni ſavet in primis illud quod D. Gregorio Nazianzeno , D. Bernardo, D. Bonaventuræ viſum eſt Chriſtum affixum fuiſſe Cruci jam erectæ, atque in terrâ probè firmatæ, atque in eam per ſcalas aſcendiſſe, quod certè ad majus ſupplicium, graviorem ignominiam , & ad horrorem, terroremque aliis incutiendum magis faciebat. & ſic in cruenta illa Chriſti patientis tragœdia actitatum exiſtimavit,
Lib. 7. Revelat. c. 15. etiam D. *Birgitta* , cui in Calvariæ monte oranti idipſum dicitur Chriſtus revelaſſe.

Quæ palma? At cur, inquies, Crux palma ; ſunt qui velint , quia Crux , magna ſui parte palma fuit , ex quo tritum illud carmen quod citat gloſſa in Clementina de ſumma Trinitate.

Ligna Crucis palma , Cedrus , Cupreſſus , Oliva.
De Cedro eſt truncus , corpus tenet alta cupreſſus ,
Palma manus retinet , titulo lætatur oliva.

Et quia palma manus affixas retinet , ideo jure meritiſſimo dicit , *apprehendam* manibus fructus ejus.

Placet aliis Crucem cum palmâ componi : quod hæc ſymbolum ſit regni , victoriæ, ac triumphi : &
Pſal. 95. v. 9. ea Crux Chriſto fuit ; primùm enim *Regnavit à ligno Deus*, infernaſque poteſtates ſubegit , ac ſuo adjecit imperio etiam orbem univerſum , inferni victor & domitor glorioſus : deinde etiam de mundo, de morte, de inferis triumphavit. *Aſcendiſti Domine in palmam,*
Tractat. de Paſſione. *quia illud Crucis tuæ lignum portendebat triumphum* , inquiebat olim D. Cyprianus.

Et hæc de Chriſti in Crucem aſcenſu , deque ſecundâ authorum, atque interpretum opinione , cui accedit tertia.

Ea verbulum illud *Dixi* refert ad animam amantem virtutis, ac perfectionis. Hæc cum Davide *Aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit*, ut eat de virtute in virtutem , ait Theodoretus.

Hæc cum Paulo ſanctitatis avida, avida & Crucis,
Ad Philipp. c. 3. ac mortificationis, exclamat : *Ego me non arbitror comprehendiſſe , ſequor autem ſi quo modo comprehendam.*

Hæc cum Ambroſio liberè pronuntiat illud, &
Lib. 3 Hexamer, c. 13. ait. *Dixi, aſcendam in palmam , ut omnia inferiora relinquam , & ad ſuperiora contendam , ad bravium Chriſti , ut ſuaves ejus fructus* & carpam , & guſtem.

Hæc denique cum Chryſoſtomo & vocem, & Hom 22. ad popul.
animum explicat in illud *Dixi*. *Aſcendam in palmam ad tenendum ſublimitates ejus , rectitudinem amantem , & mundum habentem cor , & ad cœleſtia bona currentem.*

Huic opinioni in præſentia inſiſterebo, quia & inſtituto meo magis accommoda , omnino conſona vocibus , quas olim in faventes auras emiſi: ANDREAS Apoſtolus, qui animo , vocisque omnibus extulit illud

Dixi , aſcendam in palmam , & apprehendam fructus ejus.

Aſcendam , & hoc primum : *In palmam* , en alterum. Et *apprehendam fructus ejus*, ecce poſtremum. De hoc, & illis pauca.

Dixit enimverò ANDREAS *Aſcendam* : hoc eſt, in- Quis in eam aſcenſus ?
terprete D. Ambroſio, *omnia inferiora relinquam*, ſeu ea eſſe voles, qui datus in terris parens , ſeu quæ nautico operi aptata navis , ſeu quæ capiendis piſcibus opportuna retia, ſeu alia quævis, quæ huic vitæ, mundoque inferiori ſerviunt , ea relinquam omnia, & æternùm quidem, & hoc ut advertit D. Chryſo-
logus , *ad unam vocem Domini* , eam videlicet , *venite* Matth. c. 4.
poſt me : ad hunc quippè , *patrem , patriam , cenſum reliquit* ; & hoc primum : mox daturus alterum ; mox, inquam , ad ſuperiora exemplo Chriſti facturus gradum ; *laboribus , opprobriis , itineribus , contumeliis , vigi-*
liis Chriſto indefeſſè ſe ſocians : Denique *moriendo ad Do-* D. Chryſol. ſerm. 133.
minum æſtuans & anhelans , ac toto virtutis gradu Dominicis incumbens hærere veſtigiis : *Crucem ardenter invadit, ut inde conſcenderet cœlum* ; inde *præmium ſumeret , & coronam.* Sic de illo aureè D. Chryſologus, ex quo diſcis , qui aſcenderit in palmam : videamus qui apprehenderit fructus ejus ? & quinam illi ? ſunt alii,
atque alii. In opuſculo, cui titulum feci , *Via vitæ* Lib. 3. c. 3.
ac mortis , duodecim luci dedi , & benevolo Lectori; eos ſi placet , conſulat ; ego , quod ibi fuſiùs , hîc parciùs.

Primus eſt æterna ac divina prædeſtinatio, atque Qui illius
electio. Teſtem appello Ezechielem , vidit ille in fructus ?
exceſſu mentis vindicem Angalum , qui electos à reprobis diſcerneret : vidit , inquam , & ſimul audiit
à bono genio. *Tranſi per mediam civitatem in medio* Cap. 9.
Hieruſalem & ſigna Thau ſuper frontes gementium & dolentium. Tranſivit omninò , & ſignavit gementes
ac dolentes , id eſt electos , *ſigno Thau* , ſigno Crucis. I. Prædeſtinatio.
Tranſivit & ille Angelus , quem ſic aliquando loquentem audiit D. Ioannes. *Nolite nocere terræ &*
mari , neque arboribus , quoadusque ſignemus ſervos Dei Apoc. c. 7.
noſtri in frontibus eorum. At quo ſigno? non alio quàm Crucis , quo ſignati ſervi Dei , hoc eſt electi, quibus deinde cœlo propitio exurgit , atque enaſcitur fructus alter divinæ vocationis , quem collegit D. ANDREAS in tempore , & hoc quia electus ab æternitate : audivit enim cum fratre illud vocantis
Chriſti , *Venite poſt me* , id eſt me ſequimini ad vigi- Matth. c. 4.
lias , ad labores , ad opprobria , ad cruces , hoc enim eſt Chriſtum ſequi : & porro ſic ſecutus ANDREAS
qui hos hauſit , primùm à palma , ceu cruce , fructus II. Vocatio.
æternæ ſuæ ac divinæ prædeſtinationis , atque electionis ;

electionis; alterum vocationis ad Apoſtolatum, in quo & alium à palma fructum decerpſit: is fuit ſapientia quædam cœleſtis, quâ & Eccleſiæ, & Chriſto ſubjecit tumentes illos, & elati ſupercilii philoſophos, verum enim de Petro, deque ANDREA iſtud D. Ambroſii pronuntiatum: *Scientia piſcatorum, ſtultam fecit ſapientiam philoſophorum.* Quod ut probet Auguſtinus, hanc injicit quæſtionem cur virga *Exod. c. 7.* Aaronis verſa ſit in colubrum? cur non potius in elephantem, in leonem, in tigridem, à quibus diſcerpi poſſet adverſum, rebelléque ſupens caput; Reſpondet *virgam illam Aaronis typum fuiſſe Crucis, colubrum autem ſapientiæ ſymbolum.*

III. Sapientia cœleſtis. Ita nimirum Chriſti Crux, quæ virga fuit, & gentibus ſtultitia, verſa eſt in ſapientiam; & ſicuti devoravit virga Aaronis virgas omnes maleficorum: ſic & ſapientia Crucis omnem mundi ſapientiam abſumpſit. Ut videre fuit in ANDREA, cujus prædicatio omnem mundi, omnemque gentilium ſapientiam confudit, ut teſtis erit Scythia, Epirus, Thracia, Achaia, aliæque regiones, quas amœna illa ſapientiæ ſuæ luce illuſtravit Apoſtolus, diſſipatis idololatriæ, errorúmque tenebris, & hoc beneficio Crucis, ceu palmæ nobilis, è qua ad populum velut è pulpito dixit; & quidem multa de Cruce, déque Crucifixo, tum de Virgine ipſius Matre quàm optima, quàm ſanctiſſima: & quidem (quod in extrema illa concione ames ac mireris) de *Immaculata* illius *Conceptione* multa; primus quod ſciam Virgineæ illius prærogativæ teſtis, ac præco, ut mihi author P. de Barry, & Abdias in ejus vita. Et hic fuit divinioris ſapientiæ fructus, cui acceſſit & alius, ex eo quodammodo ductus, videlicet inſignis de putida carne, de mundo fallaci, de obſtrepentibus in-*IV. Victoria de Mundo & Inferis.* feris victoria.

Contra Maxentium armata manu ibat Conſtantinus, eíim Romam appropinquanti, & de belli eventu plurimum ſollicito, ſerena die, ſacræ Crucis ſignum in cælo monſtratum eſt, cum hac epigraphe.

In hoc ſigno vinces.

Neque vana illi oſtento fides ac religio; Crucis enim virtute ad pontem mylvium victus eſt Maxentius, flumineque hauſtus. Sic Roma, & graviſſima tyrannide liberata, & Religio Chriſtiana, quæ premebatur, erecta.

Ut hujus beneficii memoria iret in poſteros, ſimúlque ipſius Conſtantini in Crucem veneratio. Primò Crucem in galeam extulit, ut dici de illa poſſet *Galea ſalutis in capite ejus.* Deinde æream crucem in foro ſupra columnam erexit, quam ipſe νίκην id eſt victoriam, appellavit.

Senſerat nimirum ſibi datam à Cruce victoriam: verùm quanta quanta ſit illa, at tantùm eſt de homine, deque tyranno; ſed victoria, quam ſibi à Cruce fecit D. ANDREAS, eſt de carne, & potentibus ejus illecebris; eſt de mundo, qui etiam Regibus, etiam Cæſaribus, & coronatis verticibus illudit; eſt de malo dæmone, de inferis poteſtatibus, eſt de animabus, quas cœlo Deoque vicit Apoſtolus, ac de immani inferorum captivitate reduxit triumphator ſemper Auguſtus. Et hoc quidem, non armis, non militum manu, ac robore, non fuſâ in campum acie: ſed unica dumtaxat Cruce. Hac nimirum (ut Chryſoſtomi verbis utar) *militem ſuum Rex cælorum arma-* *Orat. de ador. Crucis.* *vit, non dedit ſcutum, non galeam, non arcum, non thoracem, nec aliud quid de genere armorum; ſed quod his omnibus firmius & valentius eſt, præſidium à Cruce, & ſymbolum victoriæ.* At cujus, inquies? de immortali anima, à qua nobiliſſimum victoriæ genus, quod retulit D. ANDREAS, ut paucis oſtendere eſt animus.

V. Victoria de animabus. In veneris amoribus, lutóque, annis omnino ſexaginta quatuor inſorduerat ſenex unus aliquis, *Nicolaus* nomine, qui cùm forte in lupanar intraſſet geſtans in ſinu Evangelii codicem, meretricula, in cujus amplexum ruere parabat, illicò territa, & quaſi perculſa fulmine, abſceſſit, adjiciens etiam illud:

Mira ſe & prodigioſa vidiſſe, & cœleſtibus myſteriis plena, quibus etiam permotus miſellus ſenex, *Ribad. in ejus vita.* ad D. ANDREÆ pedes accidit, rogavitque ut apud Deum pro ſe ſupplex veniret: venis porrò vir Dei, & poſt dies quinque vocem è cœlis audit: datum ſibi, Deoque peccatorem illum, Ecce nobilem de animulâ peccatrice victoriam, imò & de ipſis inferis, quibus propè jam merſus erat.

Aliam accipe de peccato, quod pejus inferis. Adoleſcentem, nomine *Soſtratum*, ad ſtuprum ſollicitârat mater, cui dum conſtanter abnuit, en tibi aliud etiam à matre ſcelus, accuſatur filius apud Proconſulem, quaſi matrem vi oppreſſiſſet, & à judice tanquam reus damnatur ad extremum, & infame ſupplicium. Quid hîc adoleſcens? matrem accuſet? at prohibet innatus in eam amor. Quid ergo? ſileat? at ex ſilentio, veluti tacito quodam conſenſu, mors ſecutura; parum eſt, inquit, ſatius eſt filio mori, quàm matrem culpando vivere. Quid deinde? Hæc inter ANDREAM rogat adoleſcens, ut pro ſe apud ſuperos orator accedat: accedit. Mirum dictu, viſúque! Terra tremere, mugire tonitrua, turbaríque cœlum omne, emiſſóque inde fulmine & de ſua ſede depelli, dejicíque injuſtus Judex, & mater ipſa percuti, accendi, ac perire: Sic ſceleri infando data eſt pœna, & vita innocenti, mors autem nocenti. Et ecce D. ANDREÆ nobilem victoriam. Aliam habe de malo dæmone, de profanis fanis, de idolis, quorum cultus tota *Achaia* eliminatus nequicquam fremente *Egeo* Proconſule, à quo & ad crucem damnatus. Hæc ut primùm in oculos venit, ſimul in eas voces erupit vir ſanctus. *Salve crux, diu deſiderata, & concupiſcenti animo præparata. Suſcipe diſcipulum ejus, qui pependit in te magiſter meus.* Dixit, & jam propior cruci factus; in ejus amplexus, & oſcula proruit: in ea deinde ſuſpenſus, affixúsque funiculis, vixit duobus diebus, dixitque ad frequentem populum ex ea, velut è ſuggeſtu nobili: Dixit, inquam, ad hominum viginti, & ampliùs millia, quos & in ſui amorem rapuit, & ſimul etiam Chriſtianæ Religionis, & ecce aliam de tot animabus victoriam. Denique cœleſti lumine circumdatus ad horam ampliùs mediam, terris vivere deſiit, & cœlo cœpit: en illi ultimam de morte victoriam; ceu nobilem *palmæ* fructum, en cœleſtem à Cruce gloriam, en triumphum.

Ne mireris, *Amice Lector*, quod in eo mortis gene- *VI. Victoria de morte.*
re, quod mundo quondam infame, gloriam inveniri pronuntiem. Id longè antè pronuntiavit Iſaias, qui de cruce, obitaque in illa morte, extulit magnificum, auguſtumque illud: *Ponam te in ſuperbiam ſæculorum*, *Cap. 60. v. 15.* eſt enimverò mors Crucis, ſuperbia ſæculorum.

Teſtem appello Prudentium, qui de morte D. *Petri* loquens exclamat: *Vidit ſuperba morte laureatum.* Vidit, inquam, Roma, Orbis Domina. Videt etiam modò dum ad loca, in quo fixa olim Crux fuit, ſupplices videt, & Reges, & Cæſares, & coronata capita.

Nunc enim (ut magnificè D. Auguſtinus) *ad* *Serm. 28. de Sanctis.* *memoriam piſcatoris flectuntur genua Imperatoru, ibique radiant diademata, ubi fulgent beneficia piſcatoris.*

Videt Conſtantinopolis, miraturque Imperatores, Regesque ſuos, *magnam* (ut cum D. Chryſo- *Hom. quod Chriſtus ſit Deus.* ſtomo loquar) *ſibi gratiam putare, ſi non propè Apoſtolos; ſed ſi vel extra eorum veſtibula corpora eorum ſepeliantur, fiantque piſcatorum oſtiarii Reges.*

Quod ille de *Petro* Apoſtolorum Principe, déque illius in cruce morte; hæc ego de D. ANDREA, déque fœlici illius in ligno Crucis obitu: à quo ex vero dici poteſt etiam ipſe; *ſuperba morte laureatus*,

eùm

cùm etiam ad ſacrum illius caput, quod Romæ in Eccleſia D. *Petri* religioſè aſſervatur, & ſupplices accidant Reges, & venerabundi Cæſares genua ponant, ſuáque inclinent diademata.

Quod ſi corpori, vel ob id unum quòd aliquando domicilium fuerit magnæ mentis, quòd exuviæ principis animæ, is defertur honos, eáque in terris

VII. Victoria de cœlo.

gloria, quanta in cœlis ut ſit, eſt neceſſe? tanta certè quantam non capit, nec capere poteſt mens humana, licèt vel maximè eſſet oculata. & is honos & gloria, fructus eſt palmæ noſtræ longè ſuaviſſimus, ac præſtantiſſimus; ut proinde mirum videri non debeat ſi in eas illius amantis voces erupit D. ANDREAS: *Aſcendam in palmam, & apprehendam fructus ejus.*

Quæ ad eos carpendos incitamenta?

Ut & tu aliquando tandem in eam aſcendas, *mi Lector*. præter Apoſtoli vota, atque exempla tibi nonnulla ſub oculos ponam ad illud incitamenta.

Primum eſt, quod in fronte geris Chriſtiani nomen: hoc te invitat ad Crucem, hoc te in palmam

Tertull. in Apolog.

evocat: ſunt enim jam inde ab ipſis Eccleſiæ incunabulis Chriſtiani, *Religioſi Crucis* appellati.

Quod ſi ad illam Chriſtiani nominis appellationem addideris Religioſi nomen, gratiámque ac virtutem illi ſtatui, velut adnatam, etiam ex hoc ca-

I. A nomine Chriſtiani & Religioſi.

pite Crucem ames, Crucem quæras eſt neceſſe. Eſt enim uti advertit Climacus, ipſe Religionis ſtatus *perpetua quædam naturæ violentia*, id eſt, Crux perennis: utque in te ſit perennis, attende primò quæ Cruci vis indita: deinde quod illi cœlo judice pretium, quiſve valor, auro utique, gemmiſque omnibus potior.

II. A Crucis virtute.

Vim illi à Deo impreſſam ex hoc agnoſce. Flumen cum puellis ſuis trajicere parabat S. *Brigida* virgo: ſed neque navis erat, neque vector. Quid igitur ſociæ Virgines: ſic illæ ad Brigidam: *Signa*

Bollandus tom 1. Feb. die 1. c. 25.

flumen ſacratiore Crucis ſigno, & innoxiè tranſibimus. Signavit illa, & cum ſociis Virginibus flumen tranſiit. Crederes ipſum aquæ elementum vim Crucis perſenſiſſe, & ſuæ quaſi naturæ oblitum, fuiſſe illis pro ſemita duriore, próque marmore.

Quod illis; hoc tibi *benevole Lector*. ſi hæc vita fluminis inſtar; imò & inſtar ſit oceani; per illam tranſibis innoxiè, non navi, aut rate: ſed vel ſola Cruce vectus; hæc quippe illi vis, & hoc ab illa tibi beneficium erit, erit & præſidium, ut tentationes, ſi fortè incurrant, evites, erit ut pericula declines, & fallas.

Tom. 2. Feb. die 13.

Ut mundum fugeret, mundique illecebras *S. Martinianus Anachoreta*, in rupem evaſerat, & quidem ſitam in maris medio. Sed, ô grande malum dæmonis invidia! puellam è naufragio elapſam in eandem rupem, velut in portum, impulit. Quid hîc Vir ſanctus? rejicere, videbatur immanitatis; admittere periculoſæ plenum opus aleæ: quod ut advertit homo Dei; ſic ad illam: *Igni cum fœno non benè convenit; adeoq; nec tecum mihi.* Dixit, & crucis ſigno monitus ſeſe in mare præcipitem dedit, & ecce! ô amabilem vim Crucis, ô prodigium, ô miraculum Crucis! Delphines duo ex imo maris in ſummum egreſſi eum dorſo excipiunt, atque per undas, ventóſque tumultuantes in littus exportant, ac deponunt. Tanta vel in ſolo Crucis ſigno eſt virtus; tantáque vis, quanta vel in ipſa Cruce, ſi in eam ipſe aſcenderis, ſi ei in omni vita, imò & in morte fueris affixus. ſed fortè longiùs abeo, quàm par ſit, ab inſtituto: ad *Palmam*, hoc eſt ad Crucem, redeo, eò devectus cogitatione, & amore; & illius tibi pretium, valorémque oſtendo: ut in eam venias ipſe, *Amice Lector*, tibi ſub oculos poſitum velim, quod olim *B. Stephanæ de Sancino.*

Hæc die S. ANDREÆ facto, dum intereſt concioni, vidit ſub illam S. Andream Apoſtolum, qui manu præferebat ingentem Crucem, eámque mira luce coruſcam, qui & hæc etiam illi: *Filia mea, hæc eſt ad cœlum via. Crucem ama, & cœlos aliquando ſubibis.*

Dixit, & videri, & loqui deſiit. Quid deinde B. *Stephana*? Annum agebat ætatis duodecimum

Ioannes à S. Maria in ejus vita.

nec ampliùs; cùm ita in Crucis amores exarſit, ut primò ſibi in omnem vitam jejunium indixerit. Deinde aſpero cilicio noctu, diuque carnem edomandam conſuerit ad annos omninò ſeptem, uſque dum computreſceret totum. Tum etiam annis omninò triginta, ſaxo duriore virgineum pectus tundere, ac contundere cœperit, tum & renes accingere fune nodoſo, & tribus ſupra triginta nodis mirum quantum moleſto. Denique quot diebus tertiò corpuſculum flagellis cædere, ac dilacerare.

Et has tenellulæ carnis macerationes conſtanter ſubiit in omni vita, cui alias adjecit JESUS, qui illi fuit ſponſus ſanguinum, è quibus hæc

Prima, ariditatem in oratione per annos quadraginta, eóque ampliùs.

Secunda, tentationes adverſas virgineæ puritati; imò & fidei, quas connivente cœlo ingerebat malus dæmon, & hoc annis ſex ſupra triginta.

Tertia, in exceſſu orationis, cùm à ſe, & ſenſibus abiiſſet, cœleſti revelatione didicit; quod in omnibus ſuis membris eoſdem pateretur doloris aculeos, quos aliquando in ſuis Servator optimus; maximè verò ſingulis diebus Veneris; tum enim potiſſimum eos tolerabat doloris æſtus, quos olim Chriſtus in ſua agonia, flagellatione, coronatione, crucifixione.

Et hæ B. *Stephanæ* à S. ANDREA oblatæ cruces, & à Chriſto, ceu ſponſo, etiam datæ. Venio ad alias, quæ etiam aliis propoſitæ annuente cœlo, & in amoribus habitæ.

Crucem (ſi fortè ullus mortalium) amavit in omni vita, quæſivitque B. *Henricus Suſo* Dominicanæ familiæ decus inſigne; utque amaret ardentiùs, quæreretque ſtudioſiùs; hæc illi quondam objecta ſpecies, & Crucis imago.

III. A Crucis pretio. & amore.

Bollandus in ejus vita c. 5. 25. Ian.

In mentis exceſſu vidit ſibi aperiri pateréque pectus, imò & cor ipſum, amoris ſedem, officinámque caritatis; vidit, inquam, & in corde Crucem auream multis gemmis illuſtrem: in quibus etiam miro decore viſebatur auguſtum, cœleſte, divinúmque JESU nomen. Ecce B. *Suſonis* amores, ecce deliciæ. *Crux, & IESVS*: At cur aurea Crux? quia pretioſa, & auro pretioſior; cur & gemmea? quia gemmis ditior & clarior. Quod ſi aurea, ſi gemmea Crux etiam in hac aurâ mortali, etiam in corde carneo;

Quæ, amabo te, *mi Lector*, quæ erit in cœli regia, auráque immortali, quæ erit in anima, Dei templo, Dei throno? certè longè pretioſior, longè ditior, longè clarior.

Tua appello tempora, tuámque fidem, cœlis addita D. *Euſebia*. Crucis in omni vita fueras amantior, & à Cruce, mortua quoque ſignaberis, docebiſque mortales omnes, quæ repoſita ſit in cœlis à cruce gloria, quæ lux beatitatis: Vix enim vivere

III. A Crucis præmio, & corona.

deſieras, vix ſpiritum Deo reddideras, cùm in ipſo meridie, ſudóque aëre, in cœlo apparuit corona è ſtellis bellè contexta, in cujus medio crux erat. ea porrò crux, ea corona ad ſepulchrum uſque comes etiam individua, nec videri deſiit, niſi cùm terrâ jam tectum, & ſepulchro conditum, virginis

24. Ian. in ejus vita c. 5. 4.

Euſebiæ corpus; tum enim quaſi perfuncta officio, cujus causâ inclaruerat, & conſpici deſiit, & eſſe.

At cur, inquies, ea crux in coronâ, & quidem ſtellatâ? certè non alio fine, quàm ut ſua ſe luce ſignet, luce ſiderum, luce beatitatis, quâ donavit *Euſebiam*, donabitque omnes amantes Crucis. Erit illis in cœli tecto pro corona; imò corona ipſa immortalitatis, corona fælicitatis æternæ, quam tibi

Digitized by Google

dum opto, voveóque, ſimul apprecor amores crucis, & quidem eos, quos *Euſebia* virgo, quos ANDREAS Apoſtolus, quos Sancti omnes, & grandes io terris animæ.

Oleum è D. Andreæ corpore. Sed turſum, inquies, ut crux in cœlis ſit corona; at in terris eſt jugum, & quidem grave: ſed ne illud time, ne reſpue; quale, quale eſt, computreſcere faciet Dominus à facie olei. Hoc ſpondet oleum illud, illéque liquor, qui etiamnum Amalphi effluit è ſacro D. ANDREÆ corpore, eluitque corporum ægritudines, atque etiam animorum: *Silveſter* mollìet ille, lenietque omnem, quæ à cruce eſt duritiem, atque aſperitatem. *Petraſancta Taumaſia tom. 3. c. 18.*

IN FESTO
S. FRANCISCI XAVERII
INDIARUM ET JAPONIÆ
APOSTOLI.

QUÆSTIO UNICA
MORALIS.

Ad illa verba: *Dedi te in lucem Gentium.* Iſai. c. 42. v. 6.

ECQUIS ILLE QUI A DEO DATUS IN lucem Gentium? & quæ etiam? qualisve lux?

Quis ille? HIc unica ferè incidit ouæſtio, Ecquis ille? Sunt qui velint Patriarcham *Iacob*, qui à Deo ter Opt. ter Max. datus eſt, ut ſua ab illo Gentili populo lux eſſet. (I Jacob.)

II. Iſaias. Sunt alii qui ipſummet *Iſaiam*, qui à Deo donatus eſt altiore prophetiæ ſpiritu, veluti luce quadam diviniore, ut ex eâ, ſua quoque Gentibus fidei ac religionis lux affulgeret.

III. Cyrus. Sunt nonnulli qui *Cyrum Regem*: ita, in re aliquo modo controverſâ dividuntur animi, ſenſúſque variè opinantium; in quo tamen certius aſtruitur illud. Eum qui hic cœlo propitio conceſſus terris eſt, eſſe *Chriſtum*, qui datus Judæis *in fœdus*; quia ſcilicet ex pacto quodam, & cœleſti promiſſione: Gentibus autem *in lucem*, non eam, quæ oculis patet, ſed quæ ad animos evadit, eóſque pervadit, perfundítque amœnâ quadam fidei, doctrinæque luce, ceu ſole diviniore: Eſt enim ex vero *Chriſtus*, lux Gentium, & ſol Eccleſiæ, ceu cœli novi, à quo deinde Apoſtoli, viríque Apoſtolici & ipſi lux ſunt, ac veluti ſoles, qui Gentibus in profundâ errorum, ignorantiæque nocte conſtitutis aſſurgant, diémque faciant amœniorem, diem, inquam, fidei, doctrinæque Evangelicæ, quos inter etiam fuit S. FRANCISCUS XAVERIUS, qui Gentibus, hoc eſt, Indis, Japonibus, barbariſque nationibus, hoc ævo datus eſt in lucem, & veluti ſolem alterum: quod paucis oſtendent quæ ſubjicientur pagellæ, in quibus aliquæ ſpargentur lucis qualitates, ac veluti nativæ dotes ex D. *Bonaventura* petitæ, ut oculos, animóſque magis feriant, ſit itaque

Iſay c. 42. v. 6. — IV. Chriſtus. — V Apoſtoli. — VI. S. Xaverius. — *Serm. 1 de S. Ambroſio.*

PRIMA DOS LUCIS.
Lux ſemper, & ubique pura.

LUCEM inter aliáſque qualitates, hoc intereſt, quòd hæ aliarum veluti contagio infici poſſint, contaminari, & quodammodo ſordeſcere; ſic albedo ſi in nigreſcentia corpora incurrat, nigreſcit & ipſa, atque à ſeipsâ deficit: ſic odor ſi in fœtentem cloacam incidat, etſi antè ſuaviſſimus, & gratiſſimus ad nares appelleret; accidit deinde & teterrimus, & ingratiſſimus; & hoc, quia à cloaca, fœdóque odore vitium paſſus. At lux à nullo vitium pati poteſt, à nullo puritatis ſuæ defectionem: ſemper, & ubique pura: In roſas, in lilia, in violas veniat, aut putidam cloacam, nihil intereſt; nulla ab hac ſui diſpendia patitur. Sic & mens pura, mens candida, mens virginea, à nulla re, locóve quantumvis impuro, infici poteſt; *Nec lupanaria infamant caſtitatem: ſed caſtitas etiam loci abolet infamiam*, ut diſertè D. Ambroſius; nec mirum, quia lux eſt, adeóque & lucis æmula; imò & quodammodo *candor lucis æternæ*, hoc eſt, Interprete D. Bonaventura, *Candida inſtar lucis illius æternæ, nihil habens immunditiæ, nihil à luto concupiſcentiæ.* *Lib. 2. de Virg.* *Supra.*

S. Xaverius lux pura à caſtitate. Et ea fuit S. XAVERII anima, ea vel ipſa illius innoxia caro, quæ licèt ut cæteræ è luto compacta eſſet, nihil tamen unquam habuit à concupiſcentiæ luto. Angelum dixiſſes aut è cœlitibus unum aliquem. & certè is dictus vel ipſo Summi Pontificis Gregorii XV. oraculo. *Cœlitibus*, inquam, *ſimilis*, ut in eum caderet etiam illud Davidis: *Minuiſti eum paulò minus ab Angelis*: hi enim ut mole corporis carent; ſic & concupiſcentiâ, quod naturæ eſt, ac fœlicitatis: at ille, licèt ex carne, uti & alii malè coagmentatus eſſet, concupiſcentiam tamen, ſi non extinctam; at planè domitam habuit, quod fuit virtutis, & puritatis; audeo dicere etiam Angelicæ: ut enim D. Ambroſius: *Caſtitas Angelos facit, qui eam ſervavit Angelus eſt*; Igitur & Angelus XAVERIUS, ut qui virgineum animæ, carniſque illibatæ florem ad extremum uſque ſpiritum ſervâit. Nec mirum, quia in eo erat & inſignis caſtimoniæ amor, & acerrimum libidinis odium, cujus indicio ſit illud quod ſubjicio. *Imago 1 ſæc. l. 3 c. 2.* *Pſal. 8.* *Lib. 1 de Virginit.*

Oliſſipone

Hujus argumenta.

Oliſſipone profectionis indictæ diem operienti, fortè nocte intempeſta, dormienti ac ſopito injecta impura quædam ſpecies, & hoc per ſomnii unius imaginem, quam dum non patitur mens pudica, derepentè à ſomno excitatur, & quidem ita commota, ut in corpus ipſum evaſerit ea commotio: nam & è naribus magnam vim ſanguinis profudit, & totus cohorruit. Quî porro cohorruiſſet vigil ſi ſopitus ita cohorruit; quî reſtitiſſet ſibi præſens, ac ſuus; ſi alienus à ſenſibus ita reſtitit: & hoc primum in illo ſervati pudoris indicium.

I. Ab horrore vitii contrarii.

Alterum in eâ, qua ſuit nationum barbararum corruptelâ, vagaque libidine; in qua etſi multus eſſet, etſi ad eas religioni Deoque lucrandas aſſiduus, ab illis tamen nihil adhæſit contagionis, impuritatis omninò nihil: quî enim adhæreret, cùm & ipſe lua eſſet, ubique pura, ubique innoxia? & hoc ſecundum virgineæ caſtitatis indicium.

II. A converſationis puritate.

Tertium ſuit extincti corporis integritas etiam miraculo prodita: nam anno plus integro in vivâ calce depoſitum, & formam tamen, & colorem non ſolùm conſtantem; ſed & vividum, & ſuavem ſervavit, atque etiamnum ſervat; evoluto licèt à morte ſæculo. ut teſtantur oculati teſtes, quos inter R. P. Martinius, Chinenſis procurator, quem Romæ andivi de integritate ſacri illius corporis, non ſine voluptatis ſenſu diſſerentem.

III. Ab incorruptione corporis.

Quartum indicium illabatæ caſtitatis ſuit ipſe lilii candor, quem etiam cœlis additus ea tulit, utpote ſymbolum ſervatæ Virginitatis.

IV. A lilio caſtitatis ſymbolo.

In Calabria oppidum eſt Potamienſe S. FRANCISCI XAVERII, ceu alterius ævi ſui Thaumaturgi miraculis celebre; cenſet enim quadraginta dun ſupra ducenta, inter quæ & illud, quod facit ad meum inſtitutum.

In ſacra miraculorum gratia miraculo 3.

Ioannes Saglimbenius ea eodem oppido civis, diuturno, atque incurabili morbo laborarat: ſtupore ſcilicet corporis dimidiâ parte; & alterâ acutiſſimis doloribus dirè excruciatus, quibus ſopiendis cùm fruſtra adhibita eſſent remedia, eluſaque ars omnis medicorum, adfuit ipſe XAVERIUS, eique ſeſe videndum obtulit eo vultu, habituque, quo ibidem depictus in templo, videlicet in ſtola, ſuperpellicio, & lilio in una manuum: adfuit, inquam, & ita infirmum eſt allocutus. *Inclama meum auxilium, invoca nomen meum, deinde ſignum crucis ſuper collum afflictum efforma, unge te oleo meæ lampadis, & ſanus eris.* Dixit & ſimul loqui, ſimul & videri deſiit. Paruit æger, & illico ſe ſanum ſenſit. Et hoc à S. XAVERIO prodigium; ſed prodigium effuſæ charitatis, quæ etiam ſeſe offert ultro, malisque mederi gaudet, ſimulque oſtentat miti candoris *Lilium*, ſymbolum unique candidæ mentis, & candidi à Virginitate corporis.

Et hæc è multis pauca de illuſtri S. XAVERII caſtimonia, quam ut imiteris *Amice Lector* tibi ſub oculos pone illud Eucherii ad Valerianum. *In ſecretis tuis, quod velis homines neſcire, ne feceris; quod Deum, ne cogitaveris.* In publico nemo facilè minus caſtus: at in ſecreto ſua nimium quàm ſæpe peccandi licentia, ubi peccare licet ſine teſte, ſine cenſore oculo: ideoque etiam hîc opus illo Eucherii ſeu monito, ſeu præcepto: quo primùm actiones jubentur eſſe puræ, atque innoxiæ, deinde & cogitationes.

Actiones quidem, ut nihil feceris, quod homines neſcire velis.

Cogitationes autem, quod Deum ipſum.

Certè nemo adeo impudoratus eſt, ut audeat ea facere in oculis hominum, quæ pudor vetat & fieri, & conſpici: ita nimirum conſpectus ipſe eſt pro fræno, conſpectus dico etiam mortalium: quantò magis ipſius Dei, qui non acta deſpicit ſolum: ſed & cogitata: ut in his quoque tibi pro fræno ſit cæleſtis ille ac divinus oculus, qui etiam ſecreta cordis pervadit, intimosque animi receſſus, cogitationes omnes, deſideria omnia, affectusque parum pudicos, quos profectò non admitteres, ſi ſub oculis Dei eſſe te ſemper, & ubique meminiſſes.

Ita meminit XAVERIUS: ita & meminiſſe te oportet ut ſis aliquando quod ille, à caſtitate lux pura, atque innoxia.

SECUNDA DOS LUCIS,

Lux impaſſiva.

RAtionem hanc reddit Seraphicus Doctor, *quia nunquam corrumpitur actione extranea*, uti corrumpuntur aliæ qualitates, ut calor frigore, & frigus calore. *Supra.*

Et ea quoque fuit quæ in S. XAVERIO fuit lux animi, impaſſiva fuit, & corrumpi neſcia. Teſtes volo, teſtes appello illius labores, aditaque Religionis, Deique causâ pericula.

Suſcipiendum aliquando fuit iter *Travancorienſe* etiam per medios hoſtes: ſuſcepit XAVERIUS & quidem illæſus, non alio clypeo tectus, quàm luce ſua, virtute ſua, atq; imprimis ſingulari in Deum fiducia. *In ejus vita l. 6. c. 9.*

Etiam impaſſivus Xaverius.

Excolendi fuerunt *Mauriça incolæ*, & ipſi feritate inſignes atque timendi: excoluit XAVERIUS, & immanem illam barbarorum rabiem eâ cepit etiam innoxiè.

Eundum fuit in *Iaponiam*, extremam Orientis regionem: ivit porro XAVERIUS, & quidem piratico vectus lembo ſecurus periculorum, quæ ab amiciſſimis, & plurima denuntiabantur, & maxima.

Adeunda etiam vitæ pericula in Iaponicorum fretorum trajectu, in quibus non ſemel barbarorum ſagittis impetitus: & illa intrepidus adiit XAVERIUS, viditque ſuos ad pedes innoxia cecidiſſe tela, Deo omnia, à ſervo ſuo propulſante. In mari Moluccico naufragium faciendum fuit, & tabulæ non ſemel incubandum biduo triduóve: & illud fecit XAVERIUS, & huic incubuit etiam impunè jactatus. Et quomodo?

Penetrandus fuit Sinarum introitus: at non ſine capitis, aut ſervitutis periculo; & illum penetraſſet XAVERIUS, etiam hoc contempto, adeo ſecurus ſui; quia de Dei auxilio ſecutus, quia ſua de luce, hoc eſt virtute & conſtantia, certus. Quàm porrò certus ex eo diſce: ſic enim aliquando ad Præpoſitum Luſitaniæ Provincialem:

Obſtupeſcunt, inquit, ſtudioſi mei omnes, & amici, quod tam longinquum ac periculoſum iter ſuſcipere non verear, multa mihi tempeſtatum, Syrtium, piratarum pericula proponunt. Ego autem & hos terrores, & diſcrimina, & ærumnas, & cruces nihil admodum pertimeſco; nihilque metuo præter ipſum Deum.

Ecce ut Impaſſiva ingens illa, ac cœleſtis XAVERII lux & anima: ecce ut ab elementis, ipſoque irato mari, ut ab hoſtium ſagittis, ut à ſervitute, ut ab ipſa, quæ in oculis erat, mortis imagine, pati neſcia.

Nos humiles animæ, abjectaque pectora: non ab illis modò (quod fortè venia dignum) ſed etiam vel ab eorum umbris, ſolaque cogitatione ita patimur, ut animo concidamus, & ſpiritu; quod certè damnandum eſt quàm maximè, & damnat Propheta dum ſic de nobis: *Sagittæ infantium factæ ſunt plagæ eorum.* *Pſal. 63.*

Ita nimirum ab infantium ſagittis: hoc eſt leviſſima cujuſvis mali incurſione lædimur: non ſic excelſæ mentes, non ſic lucida pectora. *Impaſſiva* ſunt illa, & quibuſvis vel fortunæ, vel malevolentiæ telis impervia. Et cùm ea ſint, à D. *Ambroſio* modò componuntur cum forti & generoſo milite, qui *graviſſimorum caſuum ſuſtinet incurſus, conflictus ſubit*: modò cum *provido gubernatore, qui navem in tempeſtate regere, atque occurrendo inſurgentibus fluctibus magis vitare naufragium novit ſulcando undas quam declinando*: modò cum Athleta forti, qui cum *graviſſimo licèt dolore luctetur, nec ſe miſerabilem præbeat, ſed oſtendat tanquam* *Lib. 1. de Iacob. c. 8.*

quam in lucerna lumen, etiam inter aſperas procellas & graviſſimos fluctus ſuam lucere, nec extingui poſſe animo virtutem: & ea nobis ſit oportet, ſi modò eſſe volimus, qui debemus: hoc eſt, in hac vitæ militia, generoſi milites.

In hoc mundo, ceu procelloſo mari, gubernatores providi. In propoſito nobis cum mundo, cum carne, dæmone certamine; fortes, invictique Athletæ.

Sed audio, reclamat hîc, & obſtrepit unus aliquis, nec ſibi ſaxeum corpus, nec ferreum, quod ſenſus expers ſit ac doloris. Non abnuo: ſed hoc etiam ultro tibi concedo, & corpus eſſe quod pati poſſit, quod ſentire vim doloris: certè nec pati quicquam nec ſentire, eſſet inanitatis in animo, ſtuporis in corpore; nec hunc volo, nec illam amo: ſed unum illud, ut ea ſit in te virtus, ea fortitudo, ea vis animi, quæ etſi mala iſta ſentiat, non cedat tamen, non ſuccumbat: cedere poteſt, & vulneri & morti ſuccumbere corpus hoc mortale: at animus, at virtus iis cedere, aut ſuccumbere nec debet, nec poteſt, ſi ea ſit quæ oportet. Teſtem volo, teſtem appello etiam è Paganis unum aliquem: Is erit *Anaxarchus* Philoſophus, qui cùm immanem in modum à Tyranno torqueretur, ſic ad illum:

Plutarch.

Tunde, tunde Anaxarchi vaſculum; at Anaxarchi conſtantiam non teris, nimirum tundi potuit illud, atque etiam teri: at conſtantia tundi non potuit, nedum teri. Quod ſi etiam in ethnico ea fuerit, quæ eſſe debet in Chriſtiano? ea certè, quæ à nullo tundi poſſit ac teri; uti nec tundi poteſt, nec teri lux ipſa, de qua etiam illud D. *Bonaventura*.

TERTIA DOS LUCIS.

Lux eſt ſui communicativa & diffuſiva.

INter lucem, aliaſque qualitates, hoc eſt diſcrimen: quod hæ ſenſim & lentè diffundantur, nec niſi ad exiguum ſpatium, & quidem etiam ad hoc cum aliquo ſui diſpendio; ſic calor, ſic frigus, ſic etiam odor per aërem ſpargitur, & gliſcit; ſed cum aliqua mora, ſucceſſione, atque ad ſphæram non adeo magnam; & quidem non ſine quadam ſuæ virtutis, atque intenſionis diminutione. At non ſic lux ſolet; ea enim ferè in momento diffunditur ad longiſſimum ſpatium, nec per ſui communicationem diſpendium ullum patitur.

Ut ſui etiam diffuſivus Xaverius.

Vidiſti Solem, magnum illum aſpectabilis orbis oculum, ut ſurgit, ut lucet, ut lumen effundit etiam in inſtanti ab ortu in occaſum, ab orbe uno in orbem alterum. Sic & Apoſtoli, virique Apoſtolici: ſic & S. FRANCISCUS XAVERIUS, quem adinſtar lucis ac ſolis Orientis, primò vidit Gallia, ampliſſimaque Pariſienſis civitas, tum etiam Roma, mundi caput: Tum Venetiæ, tum Bononia, tum Luſitania, tum denique India & Iaponia, aliæque Africæ, atque Aſiæ regiones & Inſulæ: in quibus obeundis, qui viarum longitudines, locorumque diſtantias metiri volet, atque ad calculos revocare, inveniet XAVERIUM decennio, interciſis tamen per commorationum intervalla temporibus, centies mille paſſuum millia devoraſſe devoraſſet etiam plura in Sinarum Regno, aliiſque Regionibus, niſi curſum æterna quies ejus deſiderio præpropera rupiſſet; tantus erat ardor animi, tantus alienæ ſalutis amor & cupiditas. Scytharum legati ſic olim Alexandrum compellaſſe dicuntur. *Si Dii habitum corporis tui, aviditati animi tui parem eſſe voluiſſent, orbis te non caperet, altera manu Orientem, altera Occidentem contingeres.*

Franciſc. Remondi orat. 18 de S. Xaver.

Quæ illi Alexandro ex quadam adulatione & oratoriæ artis licentiâ: hæc ego S. XAVERIO ex veritate dixero: etſi enim illi moles corporis tanta non fuerit, quæ orbem impleret; at animus illi tam ingens fuit, quem nec mundus expleret, & verò non explevit, unà certè manu Occidentem contigit; cùm in Francia, Italia, Luſitania Evangelicæ lucis, amoriſque incendia excitavit. Alterâ Orientem complexus eſt, cùm in Indiam, Iaponiam, & primos Sinarum fines Evangelium, fideique lucem intulit.

Et quomodo.

Eò ille ſolem novum, id eſt Chriſtum, invexit, ibi IESU nomen auguſtiſſimum illud coram gentibus & Regibus portavit, ea ſanctitate ut Angelus, ea celeritate ut fulgur, eo fervore ac zelo divini ſpiritus, ut ignis urens non tam videretur, quàm eſſet. Dictum illi quod olim ab Iſaia Apoſtolis, ceu Dei nuntiis: *Ite Angeli veloces ad gentem convulſam & dilaceratam, ad populum terribilem, poſt quem non eſt alius, ad gentem expectantem & conculcatam.*

Cap. 18.

Verè enim Gens Indica, gens convulſa, & dilacerata mutuis odiis, bellis inteſtinis, & dæmonum furore.

Verè populus terribilis, inhumanitate agreſtis, infamis barbarie.

Verè populus poſt quem non alius, ultimi Iapones, extremique Sinæ, & ipſi cum aliis, hoc eſt Paravis, Malacis, Iavis, Acenis, Mindanais, à mille quingentis, eoque amplius annis expectantes Evangelicæ prædicationis lucem, ſolemque, quem tandem induxit XAVERIUS, admiranda profectò celeritate.

Quâ celeritate.

Dixit aliquando Theodoretus Studita: homo ales, *inſolens Angelus & hominibus ſpectaculum in mundo, & ſupra mundum.* Ex vero inſolens: imò & hactenus inviſum. At nec inſolens, nec inviſus orbi noſtro XAVERIUS, cujus in Evangelii prædicatione curſum omnem ac celeritatem ſi attendas, verè dixeris, quod licet ex natura homo ſit; ex gratia ac virtute, *homo ales*: nec enim in regiones illas advenit, accurritque; ſed advolavit magnâ celeritate ut ales, imò majore, ut ventus ac ſpiritus; imò maximâ ut fulgur, ut ei quoque conveniret iſtud Ezechielis de Geniis cæleſtibus etiam alatis: *Ibant in ſimilitudinem fulguris coruſcantis.* & ſic iviſſe viſus eſt XAVERIUS, ut volaret, ut micaret, ut etiam feriret. volaret celeritate, micaret Evangelica luce, feriret etiam, percelleretque, divini Judicii terrore.

Catech. 91.

Cap. 1.

Et hoc quidem zelo planè inſatiabili, & qui terminum neſciret nec locorum, nec etiam populorum. De hominis animo extat *Senecæ* pronuntiatum ſanè liberum & audax.

Magna & generoſa res eſt humanus animus, nullos ſibi poni niſi communes cum Deo terminos patitur.

Epiſt. 102.

Romanè dictum, & à Philoſopho Romano: ſed magnificentius, quàm verius, dum de homine auguſtiùs, anguſtiùs de hominis authore decernit.

Quam inſatiabili zelo.

Verùm ut ut ſit de illo *Senecæ* pronuntiato, quod pleriſque mortalium convenit, non tam naturâ, quàm aliquo vitio, & inſatiabili cupiditate; at certè nonnullis etiam ex virtute aptari poteſt, dicique quod illis, ex inſigni animarum zelo, ſtudioque promovendæ divinæ gloriæ, nullus ſit terminus, niſi cum Deo communis; & is fuiſſe videtur S. XAVERIO, qui nullum unquam lucrandis cœlo animis terminum ſibi poni paſſus eſt; vix enim unam aliquam regionem Chriſto adjunxerat, cùm ad aliam aſpirabat, & cùm hanc, rurſus ad aliam, & ſic propè in infinitum abibat illius animus, zeluſque.

De Româ Orbis capite, Urbium principe, extulit illud Dionyſius Halicarnaſſæus: *Roma, prima, & ſola ab omnis ævi memoria terminos ſibi potentiæ fecit, Orientem & Occidentem.* Fecit, inquam, ſed ex inſita ſibi regnandi libidine: at viri Apoſtolici; at XAVERIUS, ſi non primus, nec ſolus, quod ambitionis eſſet, at profectò cum Apoſtolis (quod virtutis fuit zelique divinioris) terminos ſibi potentiæ fecit Orientem & Occidentem, feciſſetque & Meridiem & Septemtrionem, ſi vita diutius ſuperſtes; & ſi votis, animoque par corpori robur, par ſuperiorum, à quibus totus pendebat, voluntas fuiſſet; rediiſſet enim

Lib. 1.

ex

ex Oriente, atque ad Meridiem, gelidosque Aquilonas exceſſiſſet; tantus illi erat animus, & cœleſtis gloriæ tantus zelus, nec mirum, quia lux erat, adeoque ſui communicativa ac diffuſiva, etiam per Orbem univerſum; imò & per orbes alios, ſi eos natura, Deusque condidiſſet. Et hinc oculis objicitur alia lucis proprietas, ſimulque alia in XAVERIO virtus, de qua ille ipſe, quo authore utor D. *Bonaventura*.

Supra.

QUARTA DOS LUCIS.

Lux eſt ſpiritualiter generativa & nutritiva.

VIdemus appulſu Solis, ceu lucis, & oculi Orbis univerſi, gigni plantas, ac nutriri: uti & ejuſdem receſſu deficere, atque emori. Quod ſoli, lucique: hoc & Apoſtolis Viriſque Apoſtolicis, ſi accedant illi ad animas, ceu molle, ſubactumque ſolum; gignuntur hæ in ſpiritu, & ſic progenitæ etiam nutriuntur. Et hoc quidem eorum doctrinâ, ſapientiâ, prædicatione, ceu cœleſti quodam lumine: cui aptati poteſt etiam illud Eccleſiaſtici: *Sol illuminans per omnia reſpexit.* Et ita reſpexit, ita illuminavit Gentium Apoſtolus, ac reſpiciendo, illuminandoque eas cœlo, Deoque genuit. Cujus pronunciati non alium teſtem volo, quàm ipſiſſimet, qui ſic olim ad Corinthios, qui & à ſe, & ab Apoſtolis, ceu Patribus abibant, atque ad alios Doctores glorioſos, ceu Pedagogos, deflectebant; ſic, inquam, ad illos:

Cap. 42.

Nam ſi decem millia Pædagogorum habeatis in Chriſto, ſed non multos Patres. nam in Chriſto IESV per Evangelium ego vos genui.

1. Cor. c. 4. v. 15. 16.

Et hæc prima, ac potiſſima Pauli gloria, Corinthios in ſpiritu genuiſſe, non terris, ſed cœlo; non tempori, ſed æternitati; non hominibus, ſed immortali Deo.

Et hoc eſt, quod paternè illis objicit, ceu ſummum annuente cœlo beneficium: & meritò. Si enim huic vitæ mortali genuiſſe magnum videtur puſillis mortalibus; at longè maximum immortali ævo, ac beatitati, quod factum per illam in Chriſto generationem.

Quod aliquando Corinthiis Paulus, hoc Indis, hoc Iaponibus, hoc Orientalibus populis S. XAVERIUS, *in Chriſto IESV per Evangelium ego vos genui*: ita enimverò vos genui: ſed Religioni ac Deo, quod generationis genus longè perfectiſſimum atque optatiſſimum. Et hoc eſt beneficium quod S. XAVERIO ceu communi parenti, debere ſe fatentur toto ferè Oriente ſparſæ nationes.

Ut filios ſpiritualiter generarit Xaverius.

Comorinenſes, oræ piſcariæ, ac Travancoridis incolæ, Tutuchurini, Manarii, Iaphanapatanii, Maranarii, Ceilani, Amboini, Mulucenſes, Malabares, Baſaini, Paravæ, Ternatini; Melindæi; aliique populi, numero propemodum infiniti, quos Chriſto per Evangelium genuit.

Hoc beneficium, quod altè prædicat, quanta quanta eſt Iaponia, continet hæc ſub uno ſummo Imperatore, Reges omninò ſexaginta, è quibus tres ille Religioni Chriſtianæ Deoque adjunxit, & populum ferè innumerabilem, præter alios è primâ nobilitate viros ac matronas, multosque impiorum ſacrorum Antiſtites, quos cœlo peperit magnus ille Gentium Apoſtolus.

Hoc beneficium quod caperti infantuli, & animulæ fari neſciæ, aliique quos ſalutaribus aquis tinxit, & in Chriſto regeneravit ad decies centena millia.

Hoc rurſus beneficium eſt, quod agnoſcunt, extolluntque, vel ipſi mortui, vitæ ab illo redditi & huic luci, numero quinque ſupra viginti; quorum in Chriſto parens dici, & eſſe meritò poteſt XAVERIUS; eos enim ſecundò genuiſſe viſus, cùm à morte, ſepulchróve excitaſſe, vitæque redonaſſe.

Imag. 1 ſæc. lib. 3. c. 22.

Hoc denique beneficium eſt, quod lapſo deinde ſæculo amavere ex India, Japoniaque, cum uxoribus ac liberis optimates, Regésque quamplurimi à S. XAVERII filiis, Religioni noſtræ, Deoque addiri, qui & ipſi S. XAVERIO debent, & debere volunt eam in Chriſto generationem, utpote protoparenti ſuo, atque apud ſuperos, Deúmque Patrono ac mæcenati.

Ii porrò ſunt Rex Supanorum, Bazani, Soloris, Sionis, Labonamæ, Manibanes, Tambæ, è quibus poſtremus, quoties in hoſtem iret in ipſa Galeæ criſta, conſpicuum geſtabat JESU nomen, litteris aureis expreſſum, ab eo uno & ſibi, & ſuo exercitui animos robúrque pollicitus; imò & hoſtibus terrorem ac ſtragem. Præter hos Reges acceſſere & alii veluti poſthuma S. XAVERII ſoboles, videlicet Rex Bungi, Saxumæ, Omuræ, Toſæ, Arimæ, Gotto, Mino, è quibus Saxumanus ſimul atque à ſacro baptiſmo elutus fuit, rectâ perrexit in templum antiquæ impietatis, ibique ſua manu idolum confregit, moxque etiam faces delubro ſubjecit. Rex autem Omuræ quadraginta idolorum templa demolitus eſt, ne quod priſcæ impietatis veſtigium ſupereſſe videretur. Denique Rex Arimæ nomine *Protaſius*, tres ſanguinis regii juvenes, nepotes ſuos ex ultimo Oriente Legatos Romam miſit ad ſummum Pontificem Gregorium XIII. inclytæ recordationis.

Ut hos inter etiam Reges.

Et hi omnes S. XAVERII, ceu communis omnium parentis, in Chriſto filii, ac veluti nepotes, ac pronepotes & haberi, & eſſe voluerunt; ut illis è cœli regia gloriabundus dicere poſſet, *In Chriſto IESV per Evangelium ego vos genui*, per me, perque meos.

Et hoc beneficium quantum, quantum fuit, fuit ab Evangelica luce, quæ ut dixi eſt ſpiritualiter generativa; nec generativa tantùm, ſed & nutritiva.

Philoſophis nutritio eſt velut altera generatio, per eam enim aggenerantur partes, ac toti adduntur, atque animantur.

Ut etiam nutriverit.

Quod naturæ ſenſu, atque ordine; hoc & gratiæ dono conceditur; ubi enim quis alterum genuit in Chriſto per lavacrum regenerationis, nutrire eumdem debet verbo prædicationis, ceu animæ cibo.

Ne mireris, *Amice Lector*, ſi Dei verbum, cibum appellem; revera enim eſt illud animæ, quod hic corpori: teſtem appello, imò & Iudicem Chriſtum, Servatorem optimum, quod ille dæmoni importunè roganti, ut lapides in panem verteret ea qua poterat manu, vique miraculorum; *Non in ſolo pane*, inquit, *vivit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Satis inſinuans & verbo cœleſti vivere hominem; ſicut & pane: & quidem vita meliore, vita altiore, quæ ſcilicet eſt animæ, ac ſpiritus.

Dei Verbo.

Matth. c. 4. v. 4.

Orationi dum impenſiùs vacaret *S. Efrem*, hæc derepentè ad aures ejus vox appulit, *Efrem manduca.* cui ille, ecquid manducabo? ecquis & cibum dabit? tum rurſus audita vox alia: *Vade ad Baſilium, & ille tibi miniſtrabit panem*; ſed cæleſtem, ſed æternum.

Sur. 1. Febr.

Ivit porro, *Baſilium* quæſivit, & de pulpito dicentem invenit, ab illoque Dei verbum, ceu animæ pabulum accepit.

Maneat ergo fixum, ſtatutumque iſtud, Dei verbum animæ cibum eſſe, quo nutriatur, & creſcat. At ſi cibus eſt, quomodo etiam lux, an luce nutrimur & creſcimus? enimverò nutrimur & creſcimus vel ipſa luce, veluti cibo.

Ceu ſpirituali cibo.

D. Baſilium appello, & *S. Efrem* illius auditorem. Vidit hic ſacri illius oratoris linguam & cæleſti luce conſpicuam, & igne luculento ardentiorem, vidit & radios evibrare, & quaſdam veluti ignis ſcintillas ejicere. Lucem utique, & ſcintillas, quas in Auditorum animos immitteret, ut iis veluti cibo ſpirituali & nutrirentur, & creſcerent. Cujus probè conſcius S. XAVERIUS nihil magis ſolemne habuit,

Amphilochius in eſparat Baſilii & Efrem.

quàm

quàm ut Chriſtianos, ceu parvulos, eo cibò paſceret, ac foveret.

Hinc cùm totum diem, ſeu concionibus habendis, ſeu viſitandis ægris, ſeu exomologeſi purgandis animis impendiſſet, quamvis æſtu, & laboribus illis fatigatus, ſub veſperam tamen Catechiſmi partem aliquam pueris inculcabat, ut nulla ætas, à cœleſti illa luce, ceu cibo, vacua eſſet.

Quantus porro vel ab catechiſtica illa inſtructione, vel à ſacris concionibus fructus ad animos emanarit, vel hinc collige, quod in unica Travancoridis
Turſell. in ejus vita l. 2. c. 21. Inſula converterit, baptiſaritque etiam die unica ad decem hominum millia. Quot annis decem, quibus in Iaponia, in India illi muneri incubuit? tot certè, ut non hominis unius labor; ſed totius Ordinis, non decennii, ſed ſæculi opus fuiſse videatur.

Crederes illi à Deo ter opt. ter max. dictum illud
Cap. 5 v. 14. quod olim Ieremiæ vati. *Ecce ego dedi verba mea in ore tuo ignem: & populum iſtum, in ligna, & vorabit eos.*

Verè enim XAVERII verba data in lucem, & ignem; in lucem, quæ intellectum illuſtraret; in ignem autem, qui voluntatem incenderet: & populus Orientalis quantus, quantus erat, datus quaſi in ligna, quæ mox incenderet, devoraretque XAVERIUS, fortunato ſanè divini amoris igne, atque incendio.

Quo ita exarſit Orbis ut *Thomas Bozius* aſtruere audeat S. XAVERIUM, ſolis decem annis plures Chriſto, & Religioni Chriſtianæ addidiſſe, quàm omnes hæretici annis mille quingentis eoque amplius ſuæ ſectæ è Paganis adjunxerint: ſed ne longiùs. Vidimus quî lux noſtra generativa fuerit, & nutritiva, attendamus quî etiam confortativa.

QUINTA DOS LUCIS.

Lux eſt confortativa.

D. Bonaven. ſupra. EST à natura vis quædam amabilis inſita huic luci aſpectabili, quæ ſeſe prodit, & in plantis, & in animalibus, atque etiam in ipſo homine, maximè ſi corpore ſit malè affecto, infirmaque valetudine: cui ut inimica nox; ſic & amica lux, & lucis amœnitas, ac veluti ſuaves quædam influentiæ, quæ etiam ſeſe effundunt in animalia, quibus ſuum robur addit ipſa dies, & ſurgentis lucis aurora, quæ & plantis vigorem adfert, & agris viriditatem, & floribus gratiam conciliat, ac venuſtatem.

Quod huic luci datum eſt ab anthore naturæ: hoc viris Apoſtolicis ab eodem conceſſum eſt gratiæ beneficio ac favore; nec mirum, cùm & ipſi lux ſint
Supra. mundi, & quidem *D. Bonaventura* teſte, *confortativa*; & is fuit olim XAVERIUS.

Ut confortativus Xaverius. Primum ægris, quorum corpora plagis ac vulneribus deformata arctè viſus eſt non ſemel complecti, utque & ſe vinceret, amorisque quo æſtuabat ingentem vim non diſſimularet, ipſa vulnera, quamvis fœda, & putria, & oſculari & lambere, aque ex eorum uro ſtillantem ſaniem ore excipere, atque ex ſugere; victoriæ genere, ut inuſitato, ſic & illuſtri.

I. *Ægris.* Quod ſi in eo caritatis Apoſtolicæ officio ſubinde abalienati animi faſtidium, ſtomachique nauſeam perſentiret; ſic ſuam compellabat, caſtigabatque ſegnitiem.

Tibi, ô eſca vermium, ô ſcaturigo fœdiſſima ſtercorum, horrorem incutiet frater? nonne in paupere iſto Chriſtus eſt? nonne in plagis illis, Chriſti agnoſcis vulnera?

His ille ſibi faciebat animos, omni corporis ſenſu, naturâque majores: & his etiam tibi facies, *Amice Lector.* His excitatus & lectulo ægrorum ſedulus aſſidebis, & tractabis vulnera, & cum XAVERIO
Bulla Canon. n. 2. etiam ſordidiſſima miniſteria perages, & cum illo (uti ſcitè notat Urbanus VIII.) etiam aquam, qua horribilia & incurabilia ulcera laveris, ebibes. ebibit certè non ſemel XAVERIUS, & ſic ſeipſe vicit, vicitque reluctantes naturæ motus, impetuſque: atque ubi viceris, eris ut ille ægris, ac moribundis *Lux confortativa.*

Hujus porrò lucis grana, favorque, etiam ſeſe explicuit erga naufragos, non ſine prodigio. II. *Naufragis.*

In Oceano Indico, quod tempeſtatibus fœdum eſſe ſolet, paſſi erant naufragium, & quidem, ſole jam infra horizontem depoſito deſtituti, cum XAVERIUM implorant, qui & ſolem ipſum reſtituit, atque (ut manifeſtius, & ſtabilius eſſet beneficium) plurium horarum ſpatio in rapidiſſimo licet, & promiſſimo in occaſum lapſu, immobilem ſtitit; ut dum ſua illis eſſet ſolis hujus aſpectabilis uſura, ſua quoque eiſdem eſſet XAVERII *Lux*, & quidem *confortativa*; atque à caritate ignea, cui ſcilicet Deus (qui totus ignis eſt, totus & caritas) id imperii dedit in ſolem, uti & aliis quoque ſanctis ob ſimile quoddam animi votum decuſque quod hîc ſtylo notaſſe juvabit ut ſua illi prodigio apud poſteros ſit fides, dum alio ſimili confirmatum viderint. *Lib. 5 c. 5. Bonartius in Eccleſiaſt.*

Nox erat aſſumptæ Virgini prævia, quam cùm in ornando templo ferè totam impendiſſent virgines Deo ſacræ, profundùm deinde indormierunt ad auroram uſque, & ſolis ortum.

Hinc rubor, pudorque; hinc & mixtæ lacrymis querelæ, quod ſcilicet ad officium ſerius quàm par erat, aſſurrexiſſent, non ſine nota, & aliquo pigritiæ nævo, quem ut detergeret adfuit illicò *B. Oringa Chriſtiana*, & bono animo eſſe juſſit, querelaſque ponere, metumque dati à ſomno ſcandali; adpromiſit enim futurum ut & aurora ſtaret, ſtaret & ſol eodem quaſi veſtigio, uſque dum officium decurriſſent. Et ita factum eſt non ſine amabili ſtupore: Datum enim æris campani ſignum, & matutinæ preces de more perſolutæ, ſole interim immoto, curſumque ſiſtente. Ut & *B. Oringæ* imperio pareret, & piis ſororum votis, ac precibus. *Bolland. in ejus vita 10. Ian. c. 7.*

Quod illi datum eſt etiam miraculo: hoc & *S. Fechini* Abbatis deſiderio, ſole & Deo, velut obediente, voto vel unius hominis. *In ejus vita 20. Ian. c. 4.*

Ad Monaſterium cum ſuis redibat Vir ſanctus, è quo abierat negotiorum causâ; ſed, ô malum! & longa ſupererat via, & debilitatæ fractæque vires, & ſol ad occaſum properans. Quid plura? is cui obedit omnis creatura, ut ſervi ſui voluntati, votiſque pareret, ſolem in gradu ſuo fixit, nec occidere paſſus eſt, uſque dum bono Angelo duce ad Cœnobium cum Monachis rediiſſet.

Magnum illud quidem, & rarum omnino cœlo annuente beneficium; ſed audeo dicere majus aliquid, ad imploratum D. XAVERII auxilium: ad hoc enim Deus ſolem jam amiſſum reſtituit & in eodem gradu defixit nullo XAVERII commodo; ſed ſoli naufragorum bono, atque incolumitati, cui ſcilicet deſervit Viri ſancti *Lux confortativa*, uti & aliis, quorum hic juvabit meminiſſe.

In Chinas tendebat XAVERIUS, cùm ſcaphæ ab ſua oneraria divulſæ, in altumque delatæ propitius adfuit, & periclitantes in eâ ſocius nauticos blandè conſolans, nequicquam contra nitentibus ventis filiam, quam vocabat, rectà deduxit ad matrem, quod non potuit niſi ambulando ſuper pennas ventorum, & præſens in ſcapha, & ſimul tamen in oneraria. III. *Periclitantibus in mari.* *Imago 1. ſæc. l. 5. c. 5.*

Qui porrò factum ſit illud, an divinâ vi reproductus XAVERIUS, an cœleſti manu eò deportatus, hîc non diſputo: hoc tantùm aſtruo, nec perturbatæ mentis ludibrium fuiſſe, nec adumbratum ſolùm XAVERII ſimulacrum: ſed ipſummet XAVERIUM, qui ſocius periclitantibus ubique fuit, quod lux Univerſo, quod etiam experientiâ ſuâ probavit inſtitor. *In ejus vita, l. 5. c. 2.*

Hic cùm Malacam Meliapore cogitaret, ſuo in digreſſu, munuſculum à XAVERIO petiit, dedit ille

petenti

petenti detractam ſibi precatoriam corollam, addiditque ſervaret hanc, non memoriæ tantùm ſuæ: ſed defuturi nunquam auxilii pignus æternum. Jam ſolverat, & proſpera uſus navigatione Malacam propè attigerat, cùm ecce tibi inopinata vis venti, pondusque procellæ validam quamvis navim, in fruſta diſſolvit. In hæc raptim, temereque compacta cum nonnullis ſe mercator immittit. Et en mirum illud, novumque propitii favore XAVERII, abductus à ſenſibus, non navigare jam ſibi, non ſubire naufragium, non mergi; ſed amicè cum XAVERIO colloqui videbatur.

In relat. [illegible] Nec otioſum, bonique vacuum fuiſſe colloquium eventus docuit; quinto enim poſt die quàm ſe jactarat in tabulas, ſibi tandem mercator redditus, ſanum ſe, ſed ſolum, in ipſo unde ſolverat, littore deprehendit, eò ſcilicet ab ipſo XAVERIO deportatus, demerſis aliis omnibus; ita nimirum clientes ſuos periculis eripit XAVERIUS, ita confortat in malis, ut divina lux ſolet, quod & ſenſere & probavere etiam maria cùm ſuas ſenſerunt, probaruntque mutari in melius aquas.

IV Sitibundis. Sinas verſus enavigabat XAVERIUS, unaque cum eo pluſquam quingenti, tam ſaraceni, quàm barbari, cùm deficere cœpit aqua dulcis, ac potabilis, & omnes in præſens vitæ periculum adducere; pereundum ſcilicet erat omnibus, niſi eorum imploratione motus XAVERIUS occurriſſet.

Fuſa igitur ad Deum prece, hauriri jubet è mari, & vaſa repleri, & hauſtum jam erat quantum illa caperent, & vaſa repleta: ſed erat nimirum, & ſentiebatur ab omnibus aqua ſalſa: ergo elevatis in cœlum oculis, impreſſóque Crucis ſigno, juſſi iterum à XAVERIO guſtare, & en mutatio dexteræ excelſi: dulcem illam, & humanis aptam uſibus reperere, approbantibus omnibus, etiam Mahometanis, & nonnullis etiam ſuſcepta Chriſti fide teſtantibus. Ecce ut etiam in aquas ſeſe effundit lux noſtra, & periclitantes confortat, quod & aliis argumentis probari poſſet, quæ omitto, memor propoſitæ mihi in ſcribendo brevitatis, tranſeóque ad aliam lucis noſtræ veluti dotem, eſt illa D. Bonaventuræ judicio

SEXTA DOS LUCIS.

Lux eſt purgativa.

D. Bonav. ſupra. VIDEMUS lucis beneficio ſiccari, purgarique vias & ſemitas quantumvis lutuſas, & hoc æſtu, caloréque, qui in luce eſt (ut Theologi loquuntur) virtualiter, atque eminenter. Cùm in

Ut purgat Xaverius. Indias venit XAVERIUS prima illi cura, labórque fuit, perverſos Chriſtianorum mores mutare in melius, & detergere quidquid illis adhæſerat luti. Hinc ſtatim incubuit in Goam, irruit in Malacam, in Cocinum, in Ternatem, in Armuſiam, aliáſque urbes Chriſtianorum incolarum frequentiâ nobiles;

I. Chriſtianorum mores. at vitiis, ac ſceleribus infames: in his quidquid non caſtum, non pium, non ſanctum erat, proſcripſit, effrænatam licentiam caſtigavit, avaritiam iniquiſſimis lucris inhiantem repreſſit, odia, inimicitias, & ſtrictos in mutuas cervices gladios diſcuſſit, ex ædibus plurimorum pellices exterminavit, intempeſtiva convivia ritu Saracenorum celebrari ſolita, turpitudines Mahometicas, aliáque vinorum monſtra impunè graſſantia penitus abolevit. Contrà verò collapſam pietatem, juſtitiam, ſanctitatémque priſtino vigori reſtituit, & hoc lucis, ardoriſque inde enati (hoc eſt amoris in proximum divini) beneficio, cujus vim etiam beneficam expertus unus aliquis, in ſua improbitate, peccandique licentia pertinaciſſimus, qui apud ſe ſtatuerat nunquam reſipiſcere, nunquam XAVERIO manus dare.

Hunc hominem difficilem adeò, ac repugnantem, nihilominus aggreditur, extráque urbis pomeria deducit, quaſi otii fallendi causâ, eúmque perveniſſent ad ſaltum palmis conſitum, videns ſe locum & occaſionem eſſe nactum rei præclarè gerendæ, omnem animi vim, & contentionem adhibet, hortatur primùm, obſecrátque; dein etiam minas intentat; ſed nil horum obſtinato prodeſt: Quid igitur? corpus nudat, aculeatum flagellum arripit, accenſóque vultu tam crudeliter in ſe deſævit, ut contumax ille eo ſpectaculo perculſus, ad genua *Franciſci* acciderit, erumpentibúsque lacrymis, II. Obſtinator in malo.

Ah parce tibi XAVERI, inquit, ignoſce: Ego ſum qui ſcelus admiſi, ego pœnas commerui, ego plecti, cædique debui. Deſiſte, tuus jam ſum, quidquid voles impera. Sic ex arenâ victor abiit XAVERIUS, & victus ille ſuo bono, atque exomologeſi ritè purgatus, & hoc lucis illius, quâ de agimus beneficium. Mitto alios propè innumerabiles quos à ſcelerum ſuorum luto expurgavit: & ab illis ad te venio, *Amice Lector.* Spectaſti quomodo, dum in vivis eſſet, & adhuc ſub hoc ſole, cœlóque: audiſti, inquam, quî lux fuerit XAVERIUS, vide ut & ipſe lux ſis.

Hæc ſemper, & ubique pura, vide ut & tu ſemper, & ubique ſis purus: & verò quidni ſis? Certè *ubicumque Virgo eſt, Dei templum eſt, nec lupanaria infamant caſtitatem; ſed caſtitas etiam loci abolet infamiam*, ut ſuprà ex D. Ambroſio dixiſſe me memini. *Lib. 2. de Virg.* Quod ſi ubicumque Virgo eſt, Dei templum eſt, profectò & ubique pura, ubique caſta, ubique innoxia, uti & ipſa lux, quæ etiam eſt *impaſſiva*, nec mirum, quia ut disertè Amphilochius.

Virginitas cum Angelis ſimul conſita, ſupernarum virtutum particeps, incorporearum naturarum comes, utq; mundum vincat, conculcet, appetitus refrænet, doloris ſit expers, atque à gemitibus immunis.

Ecce ut *impaſſiva* Virginitas; ſed etiam eſt *communicativa, ſuíque diffuſiva*; Duo ſunt inquit Sapiens quæ latere non poſſunt, *Zelus & Amor*; nec mirum, quia tam hic, quàm ille, ignis & lux eſt: quis autem celaverit ignem? quis & lucem?

Nunquid poteſt homo abſcondere ignem in ſinu ſuo, & veſtimenta non ardent? inquiebat Sapiens: nemo cer- *Proverb. c. 6. v. 27.* tè, nemo unus omnium abſcondere ignem poteſt, nemo & lucem, hoc eſt Zelum, amorémque proximi: in hunc ut effundat ſe, eſt neceſſe, uti & lux aſſolet. Ubi autem ſic ſeſe effuderit, tum erit ut lux ipſa, etiam *generativa*; multos enim filios in Chriſto gignet, multos gratiæ pariet, & vitæ ſpiritali: ubi autem ſic pepererit, tum erit eiſdem quaſi lux *confortativa*, confortabit, ſolabitur, animabit in adverſis, in ægritudine, in periculis, aliiſque vitæ hujus afflictationibus, atque ærumnis.

Quod ſi peccati cœno mergi contigerit, ſi ejuſdem noxæ luto malè deformari; etiam purgabit, & priſtino gratiæ nitori reddet, ubi porrò ei reddiderit, reddet & cœlo, gloriæque ſempiternæ, in quâ etiam & ipſe cum XAVERIO lux eris, quæ lucet, lucebitque in omnem retrò æternitatem.

IN FESTO SANCTI NICOLAI PONTIFICIS.

CÆLUM triennio toto cùm clauſiſſet Elias, ſic ut ne pluviæ gutta in terram incidiſſet, fame jam increſcente, illius tandem miſertus: Primùm aſcendit in verticem Carmeli ad Deum ſupplex orator venturus, concidens enim *pronus in terram poſuit faciem ſuam inter genua ſua*, tum dixit ad puerum ſuum: *Aſpice, & reſpice contra mare.* Aſcendit & curioſiùs contemplatus ait: *Non eſt quicquam.* Cui rurſum Elias: *Revertere ſeptem vicibus.* Paruit ille, & in ſeptimâ vice. *Ecce nubecula parva, quaſi veſtigium hominis aſcendebat de mari.* Fuit illa nubecula indicium aperti jam cœli, & imminentis pluviæ, quæ mox defluxit toto æthere, terráſque imbuit, ac fœcundavit: *Ecce enim cœli contenebrati ſunt, & nubes, & ventus, & facta eſt pluvia grandis.* Et hæc ad litteram: ad mores pauca, pro quibus ritè formandis, ſit

3 Reg. c. 18. v. 4. — *Verſ. 45.*

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa verba: *Ecce nubecula parva quaſi veſtigium hominis aſcendebat de mari.* Lib. 3. Reg. c. 18. v. 44.

QVÆ SIT ILLA NVBECVLA PARVA? Quódve veſtigium hominis?

Serm. 1 de S. Nicolao ſub finem.

DOCTOR SERAPHICOS hæc Scripturæ verba ad mores traducit, & illuſtria magnarum virtutum decora, quæ in S. NICOLAO magno Pontifice eluxerunt: per *nubeculam* enim, quæ aquam terris infundit, intelligi poteſt, inquit, inſignis D. NICOLAI in omnes beneficentia. Per *nubeculam parvam* ejus humilitas deſignari. Per hoc autem, quod *aſcendit de mari*, ejus notari caritas, quæ ſeſe vel maximè expandit, atque effundit in mari tribulationis. Denique per *veſtigium hominis*, id eſt Chriſti, (qui antonomaſticè dicitur, & eſt homo) perfecta ejuſdem imitatio exprimitur.

Nubecula cujus ſymbolum.

Et hæc ſunt illuſtrium virtutum documenta, quæ colligit, & publico donat D. *Bonaventura*, hauſta ex hoc Scripturæ loco, & áptata geſtis D. NICOLAI Pontificis ſanctiſſimi, quæ ego more meo fuſiùs explicabo.

§. I.

Nubecula ſymbolum cæleſtis in D. Nicolaum beneficentiæ.

I. Beneficentiæ in eum divinæ.

FUIT, eritque omne in ævum nubecula ſymbolum divinæ beneficentiæ, nam & ſolem arcet, & æſtus ejus temperat, atque ardores, & terris arenoſis aquas effundit, quæ & ſterilitatem arceant, & fructus doneot uberrimos.

Quod agris, hiantique ſolo nubecula: hoc Divo NICOLAO cœleſtis beneficentia, ea ſeſe explicuit in indole, & anima, quam ſortitus eſt quàm optimam, & jam inde ab infantiâ monſtratam voluit, non ſine prodigio quod proderet quis, quantúſve futurus eſſet adulta jam ætate, qui is erat ab ipſis propè cunis; à quibus ſibi ſolemne quoddam, certúmque jejunium indixit: cùm enim diebus aliis matris ubera frequentiùs (ut infantes ſoleot) exugeret, quartâ tamen, & ſextâ feriâ ad veſperam uſque abſtinebat, & tum, nonniſi ſemel ad ubera veniebat, conteotus modico lacte, quod epotabat, & quo corpuſculum ſuſtentabat.

Surius in ejus vita 6. Decemb.

Quæ ſanè abſtinentia, jejuniique in ea ætatula ratio non poteſt adſcribi naturæ; ſed gratiæ, & divinæ in eum Infantem beneficentiæ; quæ tum io illum illabebatur, ut in terram ſolet effuſa nubes. A quâ hic primus exivit ab illâ animulâ fructus, jejunii ſcilicet, atque abſtineotiæ ſalutaris, qui ruborem injicere debet adultis, & maturâ jam ætate viris, qui toti gulæ ſerviunt, & ventri, infami profectò ſervitute, & quæ à magnis mentibus & cœli, Deíque filiis degeoerat; ut enim aureè D. Chryſologus:

Degener nimis animus, mens tota ſervilis eſt, quæ coquorum afflatus, ſqualores coquinæ, heſterno horrore fœtentia perquirit obſonia, cui jugiter regius deſervit, atque adjacet apparatus. — *Serm. 162.*

Non ſic præcelſis meotibus & cœlo natis; noo ſic

ſic NICOLAO, à quo etiam infante diſcant vici, diſcant adulti, diſcat omnis ætas, quæ abſtinentiæ habenda ratio maximè cùm ad eam imponendam, Eccleſiæ, ſeu providæ matris, authoritas, ac præceptum acceſſerit.

II
Caſtimoniæ

Sed ne longiùs, abeamus è terrâ, & rurſum imminentem D. NICOLAO nubeculam contemplemur; ea in infante, materni lactis ſitim, atque ardorem, ſi non extinxit; at certè temperavit: ſpectemus quomodo in adulta ætate, ipſóque adoleſcentiæ æſtu, etiam libidinis ignes, atque incendia reſtinxerit.

Surius ſupra.

Ut porrò reſtingueret, etiam minimas ab illa ſcintillas excuſſit, hæ ſubinde per oculos, ceu quoſdam animi cuniculos; intrare ſolent, aliàs per verba, & familiaria colloquia; ab his, & illis, ſibi quàm maximè cavit D. NICOLAUS, hinc oculis legem ponere, & cum Jobo fœdus inire, ut *ne cogitarent quidem de virgine*; hinc omnia cum mulieribus colloquia declinare, ratus ab illis multas ad aures, imò & ad animam elabi imagines parum pudicas; quas ut declinaret, & formas oculorum illices declinavit, & mulierum colloquia; nec ea admiſit unquam, niſi cùm neceſſitas impulit: quod utinam hoc quo vivimus ævo uſurparent omnes, audirentque præclarum illud D. *Baſilii* monitum: cenſebat ille, primùm non adeundas mulieres niſi graviſſimâ de causâ, aut neceſſitate: tum addebat & illud. *Ubi nos etiam ipſa neceſſitas ad id adegerit, ab ipſis non ſecus ac ab igne cavere, adeò ut quàm ociſſimè nullâ morâ ab iſtis nos extricemus.*

A colloquiis cum fœminis.

Conſtit. Monaſt. c. 4.

Ab oculorum cuſtodia.

Et hoc magni Præſulis pro muliere viſitandâ documentum, aliud accipe pro ejuſdem aſpectu vitando, & hoc ipſo D. *Virginis Mariæ* ad clientem ſuum, oraculo; Erat hic *Alphonſus Rodriguez* è Societate noſtrâ coadjutor. hic cùm patri per urbem eunti ſocius fuiſſet caſu ſublatis in altum oculis fœminam viderat, & quidem invitus: hanc culpam qualem qualem dum ad examen, & conſcientiæ forum revocat, apparet illi Dei Mater, & hæc tria illi in aurem & animum immittit monita.

Romæ in M. S. l. 1. c. 18.

Quando incedis per viam, non attollas magis oculos quàm ſit neceſſe ad videndum ubi pedes figas: ad neutrum latus convertas oculos, nec caput attollas: ſicut hodie feciſti, quando vidiſti mulierem.

Hactenus Auguſta cœli, terræque Domina; quâ duce, & magiſtra nec attolli debet oculus, nec ad latus converti, nec caput erigi, ne fortè ſic temerè elatum in fœminæ vultum incidat, quod & periculoſum eſt, & alienum ab eo, quem exigit animi corporiſque nitore; quod & intelligi velim, traducique etiam ad maſculorum ora, vultúſque liberaliores, quia ut disertè Tertullianus:

Lib. de cult. fæm. c. 2.

Decor omnis naturâ ſuâ libidinis invitator eſt: ne porrò ſit, audiendus etiam hîc D. *Hieronymus*, ſeverus quidem: ſed tamen æquus morum cenſor; ſic ille, *Semel ſpecies formæ cordi per oculos alligata vix magni luctaminis manu ſolvitur. Intueri ergo non debet quod non debet concupiſci: ut munda mens in cogitatione ſervetur, deprimendi ſunt oculi quaſi quidam raptores ad culpam:*

In cap. 2. Thren.

Et ita depreſſit S. NICOLAUS, ad quem redeo, ut impendentem, imò & illum quaſi cingentem divinæ beneficentiæ nubeculam intuear: ea vel maximè ſeſe effudit in ejus ad Epiſcopatum vocatione; quæ prodigiu non caruit. Nimirum eſt ille ludus æternæ, ac cœleſtis providentiæ, ut quos elegerit etiam miraculo deligat.

III.
Vocationis ad Epiſcopatum.

Natus aliquando in Britannia *Cadocus* Gundlei Regis filius, quo concepto ſingulis noctibus in quatuor domûs angulis viſæ quatuor lampades igneo fulgore conſpicuæ; & quo deinde nato cellaria lacte & melle plena inventa ſunt in ſymbolum piæ liberalitatis, & eleëmoſynarum, in quas deinde effuſus vir Dei. & hoc primum prodigium. aliud accipe de ejus ad Infulas vocatione.

Bollandus in ejus vita c. 3. 24. Ianu.

Apparuit Angelus, & hæc illi de cœlô. E Britanniâ Beneventum eundum eſt tibi, ideóque cras ad locum concionibus tuis celebrem perges, ibi te ſubitò circumcinget nubes lucida, atque operiet, tum ad inſtar aërei currus Beneventum transvehet; paruit ille, ad locum deſignatum venit & mox nube cinctus, eâque veluti cœleſti rhedâ Beneventum tranſportatus. Fortè tum ibi ſepeliebatur Abbas recens vitâ functus, cùm in Monachorum coronâ & nube deſcendens apparuit S. *Cadocus*, & in Abbatem mox electus, ac deinde in Beneventanum Epiſcopum aſcitus, amabili divinæ Providentiæ ludo; & nubeculâ quaſi cœleſtis beneficentiæ ſymbolo, à qua ſcilicet effluunt Infulæ, ceu cœli dona, ceu Dei munera. Quibus etiam ornatus D. NICOLAUS eodem nubeculæ, id eſt divinæ Providentiæ, beneficio.

Vacabat Myrenſis Epiſcopatus, cui de Præſule ſubrogando dum habentur comitia; & Cleri ſuffragia, & populi vota non conſentiebant. Inde ad ſuperos itum, & ſolemnes ad Deum preces, quibus dum vacatur impenſiùs; hæc eorum uni mens cœlitùs injecta, ut is eligeretur in Epiſcopum, qui primus die inſequenti ad templum veniſſet, NICOLAUS nomine. Placuit oraculum, placuit & objecta cœlo favente vilio: cui dum paretur, adeſt ſtatâ horâ NICOLAUS, templi adyta ſubit, & velut à Deo jam deſignatus Epiſcopus acclamatur. Is enim cui data divinitus ea revelatio, vigil cùm ſtaret in veſtibulo, adventantem vidit peregrinum, ex quo quæſivit ecquis eſſet? & quo nomine? Cui ille candidùs: *Nicolaus peccator.* hoc verbulo indicaſſe fuit ſatis, extemplò ducitur ad Epiſcopos, ad Clerum univerſum, inde in mediam templi aream, & communibus ſuffragiis, feſtiváque populi acclamatione in Myrenſis Eccleſiæ Præſulem adſciſcitur.

Surius ſupra.

Crederes è nube lapſum eſſe Epiſcopum: & certè elapſus erat è nube cœleſtis beneficentiæ, quam aperuerat oratio, fuſæque ad Deum preces. Ab his NICOLAUS, magnus Eccleſiæ Præſul, & parva nubecula: nubecula quidem, à profusâ in egenos beneficentiâ (ut infrà videbimus) parva autem ab humili de ſe ſenſu, vocéque, ut qui ſuo calculo non audiat, niſi abjectum illud, ac vile. *Nicolaus peccator.* Ita nimirum ſibi parvus eſt, qui Deo magnus.

§. II.

Nubecula ſymbolum effuſæ beneficentiæ D. Nicolai in egenos & afflictos.

IV.
Beneficentiæ in egenos.

VT nubes ſymbolum fuit largioris beneficentiæ in alicujus opis indigos: ſic & ſymbolum ſanctarum mentium, quæ ea virtute claruerunt.

Bollandus 5. Febr. tom. 1. § 1.

Ita fuit B. *Agatha* in omnes beneficæ, ac liberalis, ſupra cujus altare viſa eſt incumbere nubes, adeò denſa, ut illius conſpectum omnibus eriperet: futura utique ſignum illius in afflictos miſerationis, ac liberalitatis.

4 Feb in ejus vita c. 4.

Ita etiam fuit *Ioanna Valeſia*, Franciæ Reginæ dum viveret in egenos profuſæ, à cujus obitu ſupra templum monialium, in quo jacebat corpus exanime, domicilium magnæ mentis, conſpecta eſt nubecula candida, & mirè conſpicua; index illius in miſellos mortales beneficentiæ.

Quod illis, aliiſque cœlo annuente datum eſt ſymbolum, hoc & D. NICOLAO dari potuit; aptariíque etiam illud, quod pro themate aſſumpſimus. *Ecce nubecula*, tota gravis ab aquis inſignis munificentiæ, tota candida à niveo mentis candore, tota conſpicua à luce bonorum operum; inter quæ eminere viſa eſt ſacra in egenos liberalitas; cujus ſymbolum aliud propono, & quidem D. NICOLAO proprium, ac ſingulare, de quo Eccleſiaſticus,

Cap. 9. v. 8

ceu monitor opportunus, *Omni tempore ſint veſtimenta tua candida, & oleum de capite tuo non deficiat;* veſtimenta erunt candida, ſi animus à virtute, quæ illi veſtis eſt, ſit candidus totus; oleum de capite tuo non deficiet, ſi nunquam deficiat miſeratio; cujus illud eſt ſymbolum.

Hoc Eccleſiaſtici ſeu oraculum, ſeu etiam præceptum audiit in omni vita D. NICOLAUS; imò & à morte audire viſus; nihil enim illi ſolemne magis quàm in egenos afflictóſque miſeratio, quam adinſtar olei effudit in pauperum capita, & vivus & mortuus; ut verè ex illis eſſet de quibus olim Propheta

Pſ. 103. v. 15.

Regius: *ut exhilaret faciem ejus in Oleo;* vidiſſes enim ei exhilarari faciem, explicari vultum: imò & animum in oleo miſerationis, & profuſæ in indigos liberalitatis.

Nimirum Juſtis hæc una lætitiæ gaudiique ſeges eſt, afflictis atque indigentibus ſubvenire; nec mirum, quia ut annotat D. Hieronymus, *Exhilaratur oleo miſericordiæ facies coram Deo.*

In illud Pſ.

Rectè *coram Deo*, non coram hominibus; quia juſtis id commendatum vel maximè, ut eleëmoſynas ſuas faciant Deo uno teſte, & ſine arbitris: Audiunt enim & obſervant illud Eccleſiaſtici: *Conclude eleëmoſynam in ſinu pauperis.* vel ut habet alia verſio: *In corde pauperis.*

Cap. 9. v. 15.

Qui theſaurum ſuum vult eſſe in tuto, illum abſcondit in parte ædium aliis incognita atque impervia, ut omnium manus, imò & oculos fugiat. Eleëmoſyna theſaurus eſt, & quidem ingens, quem ſapiens abſcondi vult, non ſolùm in ſinu pauperis; ſed & in corde, quod nulli pervium. Et ita concluſit, ita abſcondit D. NICOLAUS, juvat illius meminiſſe.

Nobilis unus aliquis, è pinguiore fortuna ad extremam propè egeſtatem redactus, tres filias (quæ illi eſſe debuerant in amoribus, primiſque curis) proſtituere decreverat, ut infami illo, & meretricio quæſtu, & ſibi & patri conſulerent, ac rei familiaris anguſtias explicarent. Id cœlo indice ſubintellexit NICOLAUS, & nocte intempeſta pro foribus tranſiens, per feneſtram, quæ fortè patebat, tantum injecit auri, quantum ſufficeret primæ in matrimonium collocandæ, quod & illicò factum eſt quàm optimè. Id ubi advertit vir Dei, rurſum in rem illam intentus, nocte concubia pertranſiens per eandem feneſtram, & alium auri cumulum injecit, qui eſſet ſatis ut ſecundæ de opportuno connubio provideri poſſet; quod ubi factum, vir ille nobilis, inſcius, quis & qualis eſſet inſignis ille familiæ ſuæ benefactor, invigilare cœpit, ut eum etiam nolentem, etiam fugientem deprehenderet, quod & accidit.

Cùm enim nocte alia, eáque perobſcura ſimilem auri maſſam pro tertia filia nubili immiſiſſet, erupit illicò è domo ſua hoſpes, & fugitantem ſecutus apprehendit, atque ad illius genua accidens, & adjutorem, & ſervatorem ſuum acclamare cœpit: niſi enim adfuiſſes, inquit, & filiabus ſuus periſſet honos, ſuúſque pudor; & mihi vita, ſalúſque æterna, fortéque concidiſſet, unóque caſu tres virgines, miſellæ animulæ, cum parente periiſſent.

V. Humilitatis

Hæc ille abjectus ad pedes, iiſque adhærens vel maximè.

Spectaſti, *Benevole Lector*, illuſtrem D. NICOLAI munificentiam, ſpecta & inſignem in illo animi demiſſionem; rogare enim cœpit, & per quidquid in terris, quidquid in cœlis ſanctum erat, obteſtari, ne cui dum viveret id aperiret, ne publico daret, eam qualem qualem in ſe, filiáſque liberalitatem, adeò in animum altè admiſerat illud Chriſti.

Matth. 6. v. 3.

Te faciente eleëmoſynam neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua. Adeò nimirum in occulto ea fieri debet, ut ſi ſiniſtra manus eſſet oculata, ab ea ſibi cavere deberet dextra; ne in ſiniſtræ oculos veniret eleëmoſyna, quam dextra ſpargit, & fundit.

Et hæc cautela eleëmoſynæ eſt pro coronide; imò & corona. *D. Ioanni Eleëmoſynario* apparuit aliquando eleëmoſyna, amabili Virginis ſpecie, ramis olivarum probè coronata. Quâ enim potiùs? Eleëmoſyna virgo, ut ſit, oportet: erit autem virgo, ſi à vanâ gloriâ, atque oſtentatione minimè fuerit deflorata, ſi minimè vitiata à pravâ intentione: verbo uno, ſi occulta, & quaſi in abſcondito; ut virgo ſolet, quæ amat abſcondi, & fugit videri: & talis fuit D. NICOLAI Eleëmoſyna: virgo fuit, talis & *D. Ioannis*, cui ab eleëmoſyna, nomen *Eleëmoſynarii*. Ut & tua talis ſit, *Amice Lector*, paulò fuſiùs oculis, animóque tuo ſubjiciam oblatam aliquando huic ſpeciem, habitáque hinc & inde ſacratiora colloquia.

Bollandus in ejus vita.

Eleëmoſynæ forma quæ?

Erat Joannes in Cypro Inſula, annorum non ampliùs quindecim, cùm dormienti in amœnâ ſomni imagine apparuit puella, ſpecie, lucéque ſupra ſolem, quæ ſtetit ad lectuli caput & latus dormientis leviter pulſans, excitavit à ſomno; à quo ſibi, vigiliæque redditus *Ioannes*, puellam ex vero exiſtimans, primùm ſigno Crucis munivit frontem, tum petiit ecquæ illa? quorſum? & unde? & cur auſa dormientis arcanum ſubire? propiórque fieri lectulo? Cui illa, ne metue. Ego prima ſum, & princeps Regis Æterni filia, ego cœli hæres ſum, & Cœli hæredes meos alumnos facio; ſi ex iis ſis, ſecurus venies in oculos, conſpectúmque ſupremi Judicis, atque Imperatoris. Dixit & evanuit. Ego verò, inquiebat Joannes, intellexi miſericordiam eſſe, & in egenos liberalem eleëmoſynam, cui proinde data corona ex virentis olivæ foliis, ſymbolo utique miſerationis.

Et hæc ſunt, quæ à propoſita ſibi virginis illius ſpecie hauſit D. *Ioannes Eleëmoſynarius*, & quæ ipſe haurias velim in eleëmoſynas, uti & ille, pronus ac profuſus: ut porrò ſis, recurro ad D. NICOLAUM, cujus in afflictos amabilem providentiam, curámque loquetur omnis ætas: & certè quidni loquatur cùm ea Dei imitatorem fecerit, & alterum propè in terris Deum. *Revera* enim *imago Dei eſt benefaciens homo*, ut ſcitè *Clemens Alexandrinus.* Quid dico imago Dei? Deum ipſum dicere debui, & verò ante me dixit D. *Gregorius Nazianzenus*, qui inde nobis facere voluit animos ad benefaciendum: illum audiamus. Sic inquit ſacer Orator:

VI. Miſerationis.

2. Strom.

Licet tibi nullo labore Deum fieri, noli Divinitatis conſequendo abjicere occaſionem. Hæc ubi dixit, tum exponit quæ ſit illa occaſio; & ait:

Orat. 17.

Fac calamitoſo ſis Deus, Dei miſericordiam imitando. & ita imitatus eſt D. NICOLAUS calamitoſo factus quaſi Deus.

Orat. 16.

Lubet illius meminiſſe temporis. *Ablavius* Conſtantini Imperatoris à Prætorio Præfectus, tres militiæ tribunos in vincula conjecerat: Imò & mortis in eos ſententiam ab Imperatore extorſerat per ſummam injuriam, ſummúmque nefas. Verùm quid agas? ubi malo dolo, ubi vi res agitur; ceſſat ratio, ceſſant conſilia; humana quidem: at non ſic divina. Ad hæc recurrere viſum eſt, cùm illa jam defeciſſent.

Ita recurrit è Tribunis illis unus aliquis, memor ille D. NICOLAI, Myrenſis Epiſcopi, ejúſque in afflictos beneficentiæ, quæ & inſontes aliàs liberarat; cum quà precibus, quà votis, abſentem licèt compellare, atque in auxilium advocare contendit; nec irrita vota, nec vanæ preces: Has enim, loco licèt quàm longiſſimè diſſitus, audivit D. NICOLAUS, & mox Imperatori ſeſe etiam in ſomnis ſtitit, futurus Innocentibus patrocinio ſanè opportuno, dum ſic pro illis. Surge Imperator, & quidem citò, & tres illos exercitus tui Tribunos qui

Exemplum illuſtre:

Primum in afflictos.

carcere

carcere iniquè tenentur, libera, libera & morte, ad quam per injuriam calumniámque damnaſti; ni feceris, grande tibi imminet malum, bellum imminet, atque excidium.

Excitari ſe ſenſit Imperator, & aſtupuit ſeu viri vultus, ſeu liberas illas voces, ſeu etiam atroces minas; quas dum attendit, horretque. Ecquis, inquit, es tu, qui regiam intempeſtâ nocte ingrederis? qui voces illas jacis, & minas? Cui vir Dei: Ego NICOLAUS Myrenſium Epiſcopus. His è ſomno ſtratóque excitus Imperator, aſſurgit, reos ad ſe evocat, audit, cauſam cognoſcit, abſolvit, & innocentes pronuntiat, jubétque adire NICOLAUM Myrenſium Præſulem, Patronum ac liberatorem, cui renunnent fecisse ſe quod juſſerat, abſtineret proinde minis, & Eccleſiæ ſuæ ſacratiora munera admitteret, velut obſtricti ſibi Imperatoris anathemata. Ea autem fuere, Evangelium aureum, vas inſuper aliud auro, gemmiſque dives, atque illuſtre; & duo præterea cereoli aurei, ſacris Altaribus oblata donaria; quibus acceptis, abeunt illi, tonſâ comâ, & animo ſupplici gratias acturi liberatori ſuo, atque defenſori.

Secundum. In naufragos.

Vidiſti NICOLAUM à carcere, à vinculis, à ferro, ipſâque morte vindicem: excipe etiam ventorum ac procellarum, iratique maris veluti dominum; excipe, inquam, ac demirare; dicque illi, quod aliquando Chriſto Servatori ſuo attonita turba: *Quis eſt hic quia venti & mare obediunt ei?*

Jactabantur fœdâ tempeſtate nautæ, & jam in oculis erat infame naufragium; tumultuantibus enim ventis, elatiſque in immenſum fluctibus, defecerat ars nautica; at non ſpes, & concepta in Divum NICOLAUM fiducia; ad hanc, tanquam ad ſacram anchoram confugiunt illi; opémque implorant jam Oceano, undiſque hauriendi. Nec verò defuit pius Præſul abſens licèt corpore, non tamen animo, atque auxilio: viſus enim ab omnibus in navim inſilire, tum auditus dicere: *Ecce me, vocaſtis me, ne metuite: adſum, quippe auxilio vobis futurus ac præſidio.* dixit & clavum mox renuit rexitque fluctuantem navem; tum etiam mare increpans damnánsque, fluctus ſedavit, & ventos. *Quis eſt hic quia venti & mare obediunt ei?* Chriſtus alter eſt, & ſervator alter; alter & Deus, non naturâ, ſed imitatione, per quem ſcilicet divina ad miſeros mortales beneficia derivantur. Et hæc ſunt quæ & ſuſpicit, & altè prædicat S. *Leo* Pontifex maximus, qui ſic ad ejuſmodi in afflictione liberatores, atque defenſores.

Serm. 6. de collectis.

In aliorum indigentia materia vobis data eſt divinæ bonitatis imitandæ, ut per vos etiam in alios beneficia tranſirent divina.

Tertium, In mortuos.

Ita tranſierunt ad captivos, ad naufragos Divi NICOLAI beneficia; imò quod mireris etiam ad mortuos; è multis unius meminit D. *Bonaventura*, quod ut novum, atque inſolens: ſic & ſtupendum magis, atque laudibus omnibus efferendum.

Athenas ſtudiorum ergo tendebant adoleſcentes duo, iique nobiles, prædivites, ac benè nummati, qui D. NICOLAI famâ permoti, eum priùs adire ſtatuerant ſalutationis, & officii cauſa; tum etiam precum, & orationum illius ſuffragia petituri: Myram igitur advenerant. ſed, ô malum ingens avaritia, aurique inſana cupido! hac certè victus eorum hoſpes, ut auro potiretur & nummis, eos fœdè mactavit, & porcorum inſtar in fruſta conciſos, etiam eorum carnes in vaſe ſalierat.

Serm. 1. de S. Nicolao.

Audax, & inſolens facinus, & à ſæculis inauditum, de quo à bono genio monitus pius Præſul, ad hoſpitis ædes advenit, eum admiſſi ſceleris commonuit, arguit, damnavitque: tum ad vas, in quo malè ſalita jacebant fœdè truncata corpora, propiùs acceſſit, ac denique vitæ reddidit, & huic luci; non ſine hoſpitis ſtupore & miraculo beneficentiæ, quam in reliquâ vitâ prædicarunt, laudaruntque illi adoleſcentes; prædicabit, laudabitque poſteritas omnis, quæ in eo prodigio participatam quaſi Dei poteſtatem in D. NICOLAO ſuſpiciet, & ſimul commendabit beneficentiam, quæ etiam poſt fata ſe prodet, atque explicabit.

Verùm enimverò de D. NICOLAO illud Eccleſiaſtici: *Oleum de capite tuo non deficiat.* & ſanè non deficit ne quidem à morte; à quâ tamen humana deficiunt omnia. deficit aurum, deficiunt gazæ opulentiores etiam Regum, etiam Cæſarum, qui etſi in vitâ fecisſent ſubditis quàm optimè, à morte tamen deſinunt benefacere. At non ſic D. NICOLAUS, cujus beneficentiæ metam ponere non potuit ipſa mors, etſi aliorum omnium ipſa ſit meta.

Surius ſup-pra.

Appello ſepulchri fidem, pióſque cineres, ſacráſque corporis illius exuvias, è quibus manat oleum, quaſi fons perennis beneficentiæ illius Divi in egenos afflictóſque mortales, qui è prodigioſo illo Divi NICOLAI oleo, & corporibus & animis curandis remedia quærunt opportuna: non ſine illuſtri tantæ miſerationis prodigio, quod & in aliis proditum voluêre ſuperi.

Oleo miſericordiæ ſymbolo.

Bollandus in ejus vita 3. Ian.

Ad Sanctæ *Genovefæ* virginis ſepulchrum viſebatur olim lampas, quæ oleo ſalutifero adinſtar fontis ſcaturiebat.

2. Ian.

Ad puteum in quem injecta corpora *Martyrum Placentinorum* exiliebat fons olei mirè ſalubris, qui tamen ob inſolentem hominum avaritiam fluere tandem aliquando deſiit.

7. Ian.

Ad ſepulchrum S. *Tillonis* Monachi manabat etiam fons olei miſeris mortalibus medicus & ſalubris.

20. Ian.

Denique (ne omnia ejuſdem generis miracula conſecter) è ſepulchro S. *Euthymii* Abbatis effluebat etiam oleum, quo è corporibus depulſæ ſæpiùs ægritudines. At hoc oleum, uti & alia ejuſdem beneficentiæ prodigia, quæ plerumque oleo notare Deus voluit, tandem exaruerunt, deſierúntque vel hominum vitio, & ingratitudine, vel divina ſic ordinante Providentia.

Verùm D. NICOLAI oleum duravit ad ſæcula, durátque etiam hoc quo vivimus ævo, durabitque ut ſperamus in ævum omne; & hoc quia durat, durabitque pia D. NICOLAI in genus humanum beneficentia, quâ dum frueris, *Amice Lector*, ſimul etiam audire te velim, atque ſequi illud Eccleſiaſtici: *Omni tempore ſint veſtimenta tua candida, & oleum de capite tuo non deficiat.* *Cap 9.*

Ne crede ſapienti curam eſſe de veſtimentis illis, quæ corpus obtegunt, & molem carneam ornant; ea in oculis non habet: ſed alia prorſus, quæ animo exornando deſerviunt, ut ſunt virtutes, ex vero animæ veſtes. has candidas eſſe vult, à niveo candore mentis, ab innocentiâ morum, ab inſigni caſtimonia: his ubi animum veſtieris, his ubi te ipſe ornaris, tum ad proximum curandum elabere, in illum effunde oleum, oleum dico miſericordiæ.

Ad eandem adhortatio.

Matth. 5.

Hoc ſi in egenos effuderis, & ipſe à Deo miſericordiam conſequêris. *Beati enim miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur*, à Deo ſcilicet miſericordiæ parente, ac remuneratore; de quo ſic magnificè Emiſſenus, agens de oratione & eleemoſynâ: *Illa*, inquit, *audientiam Iudicis deprecatur, hæc gratiam promeretur: illa oſtium pulſat, hæc aperit: illa ſupplicat, ſed iſta ſupplicantem commendat:* & ita quidem ut condemnari, ut damnari non ſinat, Auguſtinum audi.

Serm. 1. de init. Quadrag.

50 Hom. hom. 39.

Ante fores gehennæ ſtat miſericordia, & nullum miſericordem permittit in carcerem illum mitti. Ad ipſas terreſtris Paradiſi portas conſtituit olim vindex ſcelerum Deus Cherubim, qui illas cuſtodiret, arceretque omnes etiam flammeo gladio. Et hoc ingens

peccati ſupplicium. At modò è converſo ad inferni januam miſericordiam conſtituit, quæ ingreſſum impediat miſericordi, & quæ (ut ita loquar) ipſi divinæ Juſtitiæ impedimento ſit, ne in pauperes miſericordem eò aliquando demittat.

Et hoc tibi ſtimulo eſſe debet ad eam, de quâ agitur, in egenos miſericordiam, quod illa pro te perorante, *in die mala liberabit te Dominus*, hoc eſt interprete D. Chryſologo, *In die mala illi liberator aſſiſtet, qui à malis pauperem liberarit, in anguſtiis illum Deus clamantem audiet, qui pauperem cùm clamaret audivit, non videbit diem malum, qui diem Iudicii ſine advocatione pauperis non intraverit: ſine cauſa enim accuſant peccata quem pauper excuſat, excuſari autem non poteſt, quem fames pauperis accuſarit.* Quomodo enim excuſetur quem accuſat ipſa miſeratio, quæ una excuſare debuerat: ab hac excuſari ſi voles in extremo, & decretorio illo die, iterum moneo, Mi LECTOR, *oleum de capite tuo non deficiat*: ſic nec deficiet divina in caput tuum miſeratio. Qui enim deficeret, quæ Chriſtum Judicem quaſi conſtrictum tenet atque obligatum?

Serm. 14.

B. *Iordanus*, Prædicatorum olim Magiſter Generalis, cingulum, quod unum ferè ſupererat, pauperi eleëmoſynam petenti dederat, moxque templum ingreſſus, atque ante Crucifixi ſimulacrum de more orans, advertit Crucifixum ſuomet cingulo cinctum eſſe: utique quia eleëmoſynam pauperi factam, ſibi etiam factam probabat Chriſtus, atque eâ ſe quodammodo teneri atque conſtringi nos edocebat.

Bollandus tom. 2. Febr. die 13. in ejus vita c. 3.

§. III.

Veſtigium hominis, eſt Dei hominis, ſive Chriſti imitatio.

Chriſti veſtigium quod?

E Veſtigio dignoſcitur animal; ſit leo, taurus, cervus, lupus, ovis; ſic ex perfectâ Chriſti imitatione, tanquam è veſtigio agnoſcitur Chriſtianus. Et ita agnitus D. NICOLAUS quaſi veſtigium Chriſti, quem ſic ad hunc loquentem inducit Seraphicus Doctor.

Serm. 1.

Præcedat Dominus meus ante ſervum, & ego ſequar paulatim veſtigia ejus.

Gen. c. 32.

Primum Chriſti veſtigium, *humilitatis* fuit. *humiliavit enim ſe formam ſervi accipiens.* Huic inſiſtendum ſibi duxit D. NICOLAUS, cùm & ſibi nomen fecit *peccatoris*, & Epiſcopatum quantum potuit, recuſavit.

Ad Philip.

Secundum fuit *pietatis veſtigium.* Induerat enim Chriſtus viſcera pientiſſimi & indulgentiſſimi patris, ea prodidit in muliere in adulterio deprehensâ, quam nec accuſatam, nec damnatam voluit. Ea in filio prodigo, quem redeuntem paternè excepit. Ea in ſervo, cui condonavit debitum decem millium talentorum.

Hoc Chriſti veſtigium ſecutus D. NICOLAUS cùm & patrimonium ampliſſimum in egenos diſtribuit, & afflictis ſubvenit, & captivos, mortique jam adjudicatos liberavit. Non ſic hodie è Chriſtianis plerique, in quos cadere poteſt illud Davidis:

Ut et inſiſtent D. Nicolaus.

Inſidiantur quaſi leo in ſpelunca ſua ut rapiant pauperem. In hoc certè uno etiam impii, atque immites.

Pſal. 9.

Tertium Chriſti veſtigium fuit *charitatis.* Huic dum ſe inclinavit Deus, *homo factus eſt*, captus, ligatus, cæſus, illuſus, Cruci affixus, lancea transfixus, ut aperto jam ac patenti pectore, pateret peccatori cor Dei hominis, id eſt effuſa in eum charitas; in corde ceu amoris officina, excuſa atque excocta.

Huic Salvatoris ſui veſtigio inſtitit D. NICOLAUS, cujus ſcilicet amore, & mundum valere juſſit, & opulento patrimonio ſe exuit, ut eo Chriſtum in paupere indueret. Et inſuper vincula, & carceres paſſus eſt ſub immani Lyciana perſecutione, paratus cum Apoſtolo *non ſolùm alligari, ſed & mori pro nomine Domini noſtri IESV Chriſti*, quod eximiæ charitatis fuit, & culmen amoris, quo totus in Deum exardeſcebat. *Act. c. 21.*

Quartum veſtigium Chriſti Servatoris fuit *poteſtatis* in opere ſignorum, ac miraculorum. Et per hoc D. NICOLAUS ſibi viam fecit ad innumera, & ſtupenda quæ patravit miracula, quà terra, quà mari, quà cœlo, quà etiam in ipſis inferis, unde & mortuos eruit, ut proinde jure meritiſſimo ei accinat Eccleſia: *Deus qui Beatum* NICOLAUM *innumeris decoraſti miraculis.*

Ab his certè ita orbe toto celebris, ita nominatus, ut in illum quoque verti poſſit iſtud quod olim de Chriſto Iſaias præſago ſpiritu.

Venient ad te, qui detrahebant tibi, & adorabunt veſtigia pedum tuorum. *Cap. 62.*

Et ita Barrium ad S. NICOLAI cineres, magnæque mentis exuvias, ex omnibus propè mundi partibus adveniunt peregrini, & ſupplices ad illius ſepulchrum accidunt, adorántque (ut ita cum Iſaia loquar) veſtigia pedum illius: tantus illi à miraculis honos, tantus amor à beneficiis, tanta à ſanctitate veneratio: in hanc ut venias, *mi Lector*, Divi NICOLAI veſtigia lege, hoc eſt virtutes imitare, & quidem primù humilitatem, animíque demiſſionem, qui ut hominibus, ut Angelis, ut ipſi Deo magnus ſit, at in ſe parvus eſt; ideóque de ſe & humiliter ſentit, & humiliùs loquitur. Ut nos eidem inſiſtere.

Ita ſenſit, ita locutus eſt D. NICOLAUS, qui ut à vita, moribuſque eſſet ſanctiſſimus, nihilominus ſe dixit peccatorem.

Ita etiam S. *Auxentius* Preſbyter Archimandrita, qui miracula quæ patrabat & multa, & magna, Chriſto uni attribuebat, hiſce verbis: *Sanat vos Chriſtus; ego enim ſum homo peccator.* *Bollandus 14. Feb in ejus vita c. 2.*

Ita denique (ne omnes perſequar) B. *Franciſcus Borgias*, è Duce Gandiæ, tertius Societatis JESU Generalis, qui litteris ſuis ſolitus illud ſubſcribere: *Franciſcus peccator.* Et cum teipſe dicas, *Amice Lector*, ex humilis animæ ſenſu, & ſic D. NICOLAI humilitatem imitaberis. Deinde & pietatem in eos, qui aut calumniam patiuntur, aut aliquod vitæ diſcrimen adeunt, dum eos & hoc, & illâ liberabis. *In ejus vita.* I. In humilitate.

Ita liberavit S. *Macarius* ſenior, Ægyptius. Is miſellum hominem, qui ad ſe confugerat & à calumniâ exemit, & à morte. Accuſabatur hic velut homicidii reus, & eo nomine ad ſupplicium, ad furcam depoſcebatur. Quid hîc *Macarius*? eduxit ad defuncti, ad occiſi hominis ſepulchrum, ſublatiſque in cœlum manibus & oculis, mortuum, ac ſepultum obteſtatus eſt, ut eloqueretur, an ab illo occiſus? Et ecce mirum dictu, audituque! E ſepulchro reſpondit mortuus; & ab illo minimè occiſum, ſe dixit. *In vitis Patrum.*

Hîc omnes invaſit ſtupor, timórque, cui ubi aliquid datum eſt, tum rogatus *Macarius*, ut à mortuo expoſceret, Ecquis ergo homicida? renuit *Macarius*, & ait ſibi fuiſſe ſatis innocentem tueri, nocentem prodere nec velle, nec poſſe ex lege caritatis, ac pietatis. Hanc ubi fueris imitatus, tum ad eleëmoſynas, inſignémque in egenos profuſionem deſcendes; etiam, ſi opus ſit vendito, etiam benè diſſipato patrimonio.

Divitibus pleriſque (& fortè tibi, *mi Lector*) auri pondus, argentique maſſa idolum eſt: ſed age S. *Theodorum*, Ducem, & Martyrem præeuntem ſequere. Hic ab Imperatore Licinio Deos, & Deorum ſimulacra aurea & argentea ſuum in intimum conclave deferri petiit, & impetravit, ac deinde intempeſtæ noctis ſilentio confregit, atque in egenos diſtribuit: huic manus, illi pedes, alteri caput. Bonum omninò factum; quod in Diis tuis domeſticis, hoc eſt in auro, argentóque tuo, quod tibi *7. Febr. in ejus vita c. 2.* II. Beneficentia in egenos.

pro

pro idolo eſt, ô avare! imitari ſtude: neque inde tibi malè metue, néve crumenam illicò nummis vacuandam autuma: eſt qui eam repleat Deus, ſi tu illam in pauperes alendos probè ſciveris exhaurire.

Ità replevit B. Guilielmi Zucchii, qui loculos in crumena cùm quotidie deſerret, ut obviis daret quibuſque pauperibus, nunquam tamen iis vacuari, nunquam exinaniri ſenſit, eam continuò replente Deo ter Opt. ter Max. Hinc Alexandriæ in *Liguria*, 10. Feb. in ejus vita. unde ortus vir Dei, in proverbium abiit, cùm ab aliquo, qui pluries eleemoſynam erogarat, rurſus pecunia peteretur: pio, & liberali joco reſpondebatur illud: *Mène B. Guilielmi crumenam, quæ nunquam exhauriatur, habere putas?* Sed longiùs abeo: redeo ad D. Præſulem, cujus memoria, & feſtiva dies hic eſt in oculis, atque amoribus, & teipſe, *mi Lector*, ad imitandam illius patientiam provoco, qui etſi in omnes eſſet beneficus, at maleficos in ſe habuit quamplurimos, unde & vincula, & carceres paſſus; ut & tu ſimilia pati diſcas, memor Crucis & Chriſti, & Sanctorum, cui & ipſe es affigendus.

Chriſtum ardentiùs orabat B. *Margarita de Cortona*, cùm ecce Crux ſuper eam viſa, & auditus ſic 22 Febr in ejus vita c. 5. n. 113. ad illam Chriſtus: cùm enim ab eo petiiſſet. *Domine mi, crucifigar ego?* audiit illicò: *Filia mea; tu eris crucifixa tribulationibus, & non in cruce.* Quod illi III. ad aurem Chriſtus, hoc tibi ad animum. Nondabitur tibi configi ligneæ cruci, non ex illa pendere Patientia in tribulationibus. etiam Chriſti cauſa, & religionis, quod glorioſum eſſet: at dabitur crucifigi tribulationibus, perſecutionibus, calumniis, aliiſque id genus malis, quæ tibi erunt pro cruce, & in qua ſi vivas, ſi moriaris invictâ patientiâ, ac fortitudine; eris in terris quod B. *Margarita*, quod S. NICOLAUS, eris deinde ad extremum quod illi in cœlis, fœlix, ac beatus.

oo**o**o**o**o**o**o**o**o**o**o**o**o**o**o**o**o**

IN FESTO SANCTI THOMÆ APOSTOLI.

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa verba: *Surge, & veni Columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ.* Cant. c. 2. v. 13. 14.

ECQVIS ILLE QVI SIC EVOCAT: Surge & veni? *Quæ deinde Columba? Quæ denique foramina petræ? Quæ caverna maceriæ?*

HIc mihi variæ injiciuntur quæſtiones, ſeu potiùs quæſtionis unius veluti partes quædam, & membra, è quibus hoc primum, ecquis ille qui his evocat; *Surge, & veni?*

Chriſtus eſt animæ ſanctæ ſponſus.

ITA D. *Gregorius Nyſſenus*, qui ait à cœleſti Sponſo excitari ſponſam, id eſt animam, quæ fortè à peccato, ſeu ſomno indormierat, excitari, inquam, Vocatio. hac vocula, *Surge:* ubi portò excitata ſic fuerit; tum audit blandum illud *veni*, hoc eſt in viam virtutis elabere, & ulteriùs progredere. *Oportet* enim, inquit idem S. Præſul, *ſemper ſurgere, & excitari, & per curſum appropinquando nunquam ceſſare.*

At cur, inquies, iteratæ illæ voces, *Surge, & veni.* Serm. 61. in Cant. Reſpondet D. *Bernardus*, eſſe amantis voces, & nimium quantum amantis. *Commendat*, inquit, *ſponſus multam dilectionem ſuam iterando amoris voces; Surge, & veni: Nam iteratio affectionis eſt expreſſio.* Diſcant hinc ſeduli animarum paſtores, non deſerere errabundas oves: diſcant pii animarum venatores, non abjicere fugaces cervos, & feras: diſcant boni animarum aucupes, etiam ſequi evolantes ex Arca, ceu Eccleſia, columbas, hoc eſt à fide aberrantes animas: diſcant, inquam, exemplo cœleſtis ſponſi, qui ſic ad timidam, fugientémque columbam, hoc eſt animam, hoc eſt THOMAM: ad quem ſic internâ voce: *Surge, & veni;* ſurge à ſomno infidelitatis, cui profundiùm indormiſti, & ad me veni, ad me redi, ceu Noëmum columba emiſſa quondam ex Arca; excipieris etiam à me, ut olim excepta eſt illa; excipieris amicâ manu, blandáque voce, & animo miſerente.

Hæc cœleſtis Sponſus ad ſponſam, hæc ad THOMAM Chriſtus, Servator Optimus. Non dixit quod in mundi cunis ille inſelix *Caïn*, ad quem cùm diceret Dominus: *Ubi eſt Abel frater tuus*, reſpondit Gen c. 4. v. 9. inſulsè, durè, mendaciter, impiè: *Num cuſtos fratris mei ſum ego?*

Non dixit quod deinde Principes Sacerdotum ad miſerabilem Domini proditorem Judam: *Quid ad* Matth. c. 27. v. 4. *nos, tu videris.*

Redierat hic ad ſe, & pœnitentiâ ductus retulerat triginta argenteos, venditi Domini pretium: Ad pœnitentiam. imò & ſic ad illos; *Peccavi tradens ſanguinem juſtum.*

Videri poterat illud eſſe pœnitentis animi, cui certè opitulari debuiſſent Sacerdotum Principes, utpote animarum Paſtores, ad quos harum ſalus etiam ſpectabat: at nihil eorum ſpectarunt impii, atque immites; quin etiam addiderunt durum illud, & à ſalute pœnitentiáve, (de qua agebatur) abſonum. *Quid ad nos? tu videris.*

Sic nempe loquuntur, ſic agunt, non paſtores ovium, ſed lupi; non animarum curatores; ſed deſertores, in quos ſic aculeatâ oratione D. Chryſologus: Serm. 84. *Ubi, ubi ſunt, qui ſemel diabolica impulſione collapſos opprimunt, ne ſe erigant? qui languoribus curam, vulneribus crudeli ſpiritu ſubtrahunt negantq́, medicinam?*

Ubi illi, ubi ſunt? non abeundum è Synagogâ; imò fortè nec de Eccleſia, in quâ nonnulli, ſi non voce, at re certè ipſa jactant etiam Judaicum illud ad peccatores pœnitentes? *Quid ad nos, tu videris.*

Jactant,

Jactant, inquam, dum ad ſe Deúmque revertentes peccatores curare negligunt, quaſi ad eos nihil attineret.

Non ſic ad ſuos Chriſtus Salvator optimus, non ſic ad incredulum infidelémque diſcipulũm Magiſter pientiſſimus, ſed potiùs blandum illud ac ſuave ad omnes: *Pax vobis*, dein & medicum iſtud ad Thomam:

Ioan c. 20. v. 27.

Infer digitum tuum huc & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli eſſe incredulus; ſed fidelis.

Ecce, inquit D. Gregorius, *miro modo atque inæſtimabili Redemptor noſter, & incorruptibile poſt reſurrectionem, & palpabile corpus exhibuit, ut monſtrando incorruptibile invitaret ad præmium, & præbendo palpabile firmaret ad fidem.*

Et ita diſcipulum licèt incredulum invitavit, primùm ad fidem, dein ad præmium; & ita peccatores & à fide, Deóque devios illius exemplo invitare nos decet, ſi modò ii ſimus re, qui nomine, Animarum Paſtores; ſed ne longiùs. Inſtitutum proſequamur videamúſque, quæ ſit illa Columba?

Columba ſponſa Chriſti, id eſt anima à Deo electa.

Columba Animæ ſanctæ ſymbolum.

NE me levitatis arguas, *Amice Lector*, ut qui *Columbam* pro ſymbolo ſponſæ Chriſti, ceu electæ ad ardua virtutum animæ, ſtatui velim. Voluit ipſe Cœleſtis ſpiritus, qui ambulat, imò qui evolat ſuper pennas ventorum, ſuper ætheris cœlíque vaſtiſſimos orbes; voluit, inquam, & columbam, mitem illam, atque innoxiam pro eodem ſymbolo, ſacratioréque hieroglyphico poſuit. Imò viros à virtute, à dignitate, à rebus clarè geſtis, aliquando futuros illuſtres, eo ſigno notavit.

Diem ſuum obierat *Bucolus* Smyrnæ Epiſcopus, Præſul notæ virtutis, ac ſanctitatis: dum ei ſucceſſor quæritur, dubiáque vertitur alea: ecce tibi ſortium arbiter ac moderator Deus, cœleſti prodigio dubium ſolvit, aleámque jaci in *Polycarpum* feliciter voluit, & hoc quidem à cœleſti jam edoctos prodigio.

Signum electionis in S. Polycarpo. *Boll. in eius vita 26 Ian. l. 5.*

Fuit autem illud ejuſmodi. Dum in templo, frequenti populo conſidet *Polycarpus*, viſa circum illius caput columba cœleſti lumine conſpicua, indicium utique in Epiſcopum eligi debere *Polycarpum*, qui deinde & Præſul Smyrnenſis Eccleſiæ fuit, & Chriſti causâ martyr invictus.

Ecce ut in eo ſymbolo futuris eventibus præludit amabilis Dei providentia: vis etiam ut in eodem aliis præludat? accipe ut in S. *Fabiano* Pontifice, dein Martyre.

In S. Fabiano.

E Petri ſede fato non immaturo ſublatus erat *Anterotes*, ſummus in ea Pontifex, cùm de alio ei ſubrogando agitantur conſilia, habenturque comitia: in quibus, dubium omne diremit, diſcuſſitque cœleſte prodigium, ſymbolúmque objectum oculis.

Fuit illud *columba* ſubitò è ſublimi devolans, & capiti *Fabiani* mox etiam inſidens, ſignum utique illabentis in eum Spiritus ſancti, cujus etiam inſtinctu ſecretiore commotus populus omnis qui aſtabat, commoti & proceres, Eccleſiæque Principes, uno ore, unâ voce *Fabianum* Pontificem proclamârunt, quem ſcilicet ipſe Deus, *Columba* indicio, ceu muta voce, jam antè proclamarat.

D. Thomas columba.

Maneat ergo fixum illud, ſtatúmque etiam Cœlo judice; *columbam* ſymbolum eſſe electæ ad ardua mentis, adeóque & ipſius D. Thomæ in Apoſtolum, in Martyrem à Chriſto delecti: quo enim ſymbolo meliùs? quo aptiùs?

In S. Thoma.

Eſt *Columba* mitis ingenii, & felle carens, eſtque imprimis fœcunda: & is deinde eſſe debuit Thomas, & inter malevolorum dicteria, petulantes jocos, inſana ludibria manſuetus, ac mitis; & inter ipſa tormenta, crudelémque lanienam, etſi ſumma cum injuria conjunctam, felle tamen iráque vindice carens, ac denique fœcundus à ſpiritali ac numeroſa ſobole, quam per Evangelium Eccleſiæ Deóque genuit fertilitate magna, felicitate pari: fertilitatem ex eo cognoſces, quòd emiſſus in Indiam, ſterilem utique vineam; imò & aridam, atque emortuam, eam nihilominus fertilem reddiderit, ceu ſedulus cultor vineam ſolet. Cujus argumento (veriùs præſagio) fuit illud, quod ſubjicio.

Ratio illius.

Edeſſæ urbe Syriæ, in quam S. Apoſtoli corpus eſt importatum Anno Domini CCXXXVI. uti refert Baronius, viſitur illius ſepulchrum ea frequentia populi, ac celebritate, quâ ferè Romæ SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, ut affirmat D. Chryſoſtomus; ad illud ſicuti admiratione ac veneratione digna ſunt plurima; tum illud vel maximè, quod tum in pervigilio feſti illius, aurâ hyemali, ac rigidâ, poſt exactum penſum veſperarum illius diei, Epiſcopus aperta urna ſepulchrali, aridum vitis palmitem inter manus Apoſtoli collocaſſet, poſtridie ſummo diluculo eundem, non virentem modò cum pampinis: ſed & turgentem cum botris invenerit, ut aſſolet in ubere, maturáque vindemia. Ex his porrò uvis tantum vini exprimi placuit, quantum ſacrificio illius diei ſatis eſſet.

In Annal. 239.

Hom. 26. in epiſt. ad Hebraos.

Silveſter Petra ſancta Taumaſia tom 3 c. 15.

Columba Noemi Olivam.

Et hoc annuente cœlo eò loci ac temporis extitit miraculum, ex quo ad propoſitum meum facit illud. Aridus ille palmes qui ſacris D. Thomæ manibus, ceu fertili, fœcundóque ſolo implantatus, mox & viruit, & pampinos, uváſque extulit, indicat eam ubertatem, quam Indiæ, & Indis omnibus, ceu arido palmiti, dedit: dum iis & primam Chriſtianæ fidei radicem, & amœnam ſpei viriditatem, & amoris divini muſtum, vinúmque fudit; de quo priuſquam (ut illi) Deo, cœlóque litemus, redeamus ad D. Thomam, ceu columbam longè meliorem illâ Noëmi: hæc enim olivam retulit pacis indicem; illa verò turgentes uvas, vinúmque mundo affudit: ſed vinum divini amoris, quod hauſerat è foraminibus petræ, è caverna maceriæ, de quâ etiam movebitur quæſtio, ecquæ ſit illa?

D. Thomas, ceu Columba vitem.

Petra Chriſtus: foramina petræ, manuum, pedumq; hiantia vulnera: caverna maceriæ, apertum illi latus.

INTER columbas agreſtes & domeſticas hoc intereſt; quod hæ in columbariis nidum ſibi, quietémque ponant; illæ verò in foraminibus rupium, & cavernis maceriarum, id eſt ruderum, lapidum aggeſtorum, & murorum dirutorum commorentur. Quod columbis: hoc & mortalium animabus: ex his aliæ urbes amant, & domeſtica tecta, ibique ſedem quietis ſuæ conſtituunt; molles & delicatulæ animulæ: aliæ verò urbes fugiunt, averſantur populi frequentiam, & inſtar columbæ liberæ atque agreſtis ruri habitant, in ruinis ædium, & rupium latebris: exeunt à cognatione ſua, à patriis ſedibus, à vita molliore, & ſolitudinem quærunt, amántque latere, duriſque laboribus aſſueſcere, atque immori.

Et ita amavit D. Thomas, qui adinſtar ſilveſtris columbæ latere voluit, atque abdi *in foraminibus petræ, in caverna maceriæ.* At quæ, inquies, illa? *Iuſto Orgelitano*, caverna maceriæ eſt Scriptura ſacra, exempla, meritáque Sanctorum, quæ ſunt veluti foramina petræ, in quibus ſecura conquieſcit anima.

Foramina petræ quæ ſint?

Aponio, foramina petræ ſunt quatuor Evangelia, caverna maceriæ eſt Apoſtolorum doctrina, in quâ & quieſcit anima, & nidum ſibi ſtatuit, cui placidè indormiſcit.

D. *Ambroſio*,

Digitized by Google

D. *Ambroſio*, foramina petræ ſunt Chriſti geſta, ac veluti propugnacula fidei noſtræ. Caverna maceriæ, ecu muri ſubſidia, verba ſunt Domini.

1. Cor. c. 10. v. 4.

D. *Gregorio*, petra Chriſtus, vel ipſo teſte, indicéque Apoſtolo: *Petra autem erat Chriſtus. Foramina petra manuum pedumq́, vulnera, caverna maceriæ vulnus lateris, quod lanceâ ſactum.*

Chriſti vulnera.

Et huic ſententiæ in præſentia inſiſtam, dicámque D. Thomam, ceu columbam agreſtem, & quæſiviſſe foramina ſacratioris illius petræ, & cavernam maceriæ. Hinc illæ ad condiſcipulos (qui ſe Dominum vidiſſe cum ingenti voluptatis ſenſu jactabant) liberæ voces.

Ioan. c. 20.

Niſi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam.

Serm. 84.

Hîc more ſuo, id eſt aureè D. Chryſologus, *Cur* Thomas *veſtigia fidei ſic requirit? cur tam piè patientem, tam durè diſcutit reſurgentem? cur ea vulnera qua manus infixit impia, devota dextera ſic reſulcat? cur latus quod impii militis lancea patefecit, refodere manus nititur obſequentis? cur dolores perſecutorum renovat immitis? cur tormentis Dominum, cur pœnis Deum, cur cæleſtem Medicum probaturus de vulnere diſcipulus ſic requirit?*

Ubi hanc quæſtionem injecit, tum ad ipſum Thomam propiùs accedit, & ſicillum compellat.

Cur tibi ſolus Thoma, *ſola vulnera præſentari ad indicium fidei nimis callidus explorator expoſtulas? quid ſi iſta cum aliis abolita fuiſſent, quod periculum fidei tua curioſitas iſta peperiſſet? nulla pietatis monumenta, nulla Dominica Reſurrectionis inveniri æſtimas potuiſſe documenta, niſi manibus tuis ſulcares Iudaica crudelitate exarata ſic viſcera?*

Poſtquam ſic ad Thomam Orator aureus, tum ſic ad ſuos olim auditores; ſic etiam modò ad nos:

D. Thomas, Quomodo in foraminibus petræ, in caverna maceriæ?

Quæſivit fratres pietas iſta, exegit iſta devotio, ut reſurrexiſſe Dominum, nec ipſa in poſterum dubitaret impietas. Et hæc prima ratio hujuſce petitionis, votique, quo exarſit Apoſtolus.

Altera eſt quam ſubdit, *Quod* Thomas *non ſolùm cordis ſui, ſed hominum omnium curabat incertum, & prædicaturus hæc in Gentibus quemadmodum tanta fidei aſtrueret Sacramentum executor ſtrenuus perquirebat.*

Has ubi pro D. Thoma rationes & invenit, & protulit, tum pro illo, omni infidelitatis, atque incredulitatis culpâ liberando hoc etiam effert.

Certè prophetia magis quàm cunctatio fuit. & rationem adjicit: *Nam cur talia peteret niſi à Domino ad indicium reſurrectionis ſua ſervata ſola vulnera, prophetali ſpiritu cognoviſſet?* ubi cauſam illam extulit tum ad extremum conficit illud; *Spontè præſtitit cæteris, quod ſibi tardiùs implorat.*

Hæc pro Apoſtolo D. Chryſologus, quo judice, atque interprete hæc pauca deduco in ſacratiora illius encomia.

Primum eſt cùm & videre voluit fixuram clavorum, & digitum immittere in locum clavorum, & manum in latus ejus, non dubitantis culpa fuit: ſed quidam pietatis, & devotionis æſtus.

Secundum etiam charitatis in proximum, ut *omnium hominum curaret incertum*, dubiúmque tolleret.

Tertium fuit *fidei Sacramentum*, quod Gentibus propalaret, & eò quidem ſeu firmitatis, ſeu certitudinis, ut nec *ipſam poſterùm dubitaret impietas.*

Quartum denique *prophetia; non cunctatio*, non dubium, aut incredulitas.

Et hæc mihi ſuggeſſit Præſul Ravennas, ut Divum Thomam omni culpa eximat, & verò exemptum velim ipſe, & velint porrò etiam omnes, ſi modò poſſint: utrùm autem poſſint, vide quæ dixi in Quæſtione ſecunda in Evangelium hoc die ſacro legi ſolitum; ego hîc non repeto, ne actum agere videar.

Blaſius Buiſa Franciſcanus.

Unum addo, quod ita concuſſa deinceps fides Divi Thomæ Apoſtoli fuerit, nec impreſſa modò per Chriſti contactum in tota penitus ejus anima: ſed, quod mireris, & ames, etiam in parietibus domicilii ejus.

Nieremberg. de mirab. nat. c. 26.

Res mira; qui de admirandis Palæſtinæ ſcribunt, affirmant ædes S. Thomæ Apoſtoli etiamnum perſtare, & hoc ingenio eſſe, ut habitatores non ferant niſi fideles, quod ſi qui inibi degere audeant alieni ritus, ii ſtatim experiuntur atroci obitu facinus illud ſuum puniri. Ne verò audeant, jam exempla plurimorum exterrent, qui ſuo id periculo; imò & interitu pertentarunt.

Seveller Petra ſancta Thaumaſia tom. 3. c. 1.

Crederes Apoſtolum etiam in tecto, domóque animâ & ſenſu vacuâ, teſtari velle, quæ fuerit illi fides à contactu pretioſi corporis: crederes etiam in aliis reparari velle ea diſpendia, quæ fortè ab illius quondam infidelitate paſſa fuit primæva in Chriſtum fides: crederes denique etiam in poſteros, ſeráſque ætates protendere velle, & quidem miraculo, eam fidem quam à ſacris Chriſti vulneribus aliquando hauſerat.

Sed à ſacris illis ædibus redeo ad D. Thomam; video enim jam ut columba involat in foramina petræ, in cavernam maceriæ, hoc eſt in Chriſti latus, & vulnera, jam in *fixuram clavorum* digitos immittit, & manum, *in latus*: eo ſcilicet conſilio, *ut effundant toto orbe iterum hæc vulnera fidem, quæ aquam in lavacrum, ſanguinem in omnium pretium jam fuderunt.*

Chryſol. ſupra.

Et hoc univerſo Orbi beneficium à D. Thoma, quo rurſum *aperiente* vulnera Chriſti, & apertà magis Reſurrectionis Dominicæ fides, & per omnes Eccleſias, ætatéſque ſparſa. Audierunt enim illæ, audiúntque modò, audientq́ue in ævum omne illud Apoſtoli effatum & oraculum.

Dominus meus, & Deus meus.

Ecce, inquit D. Chryſologus, *non ſolùm corpus humanum, ſed per pœnales corporis paſſiones Deum & Dominum eſſe Chriſtum vociferante* Thoma, *manifeſtant.*

Et verè Deus qui vivit ex morte, reſurgit ex vulnere, qui talia & tanta cùm ſuſceperit, vivit & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum.

Serm. 61. in Cant.

Bona foramina, inquit Bernardus, *quæ fidem aſtruunt reſurrectionis, & Chriſti divinitatem; ait enim, Dominus meus, & Deus meus.*

Quam bona illa foramina?

At unde hoc reportatum oraculum, niſi ex foraminibus petræ? in his paſſer invenit ſibi domum, & turtur nidum ubi reponat pullos ſuos, in his ſe columba tutatur & circumvolitantem intrepida intuetur accipitrem.

Et hoc alterum eſt beneficium, primum ipſi Divi Thomæ proprium; dein etiam aliis commune. Vagus quodammodo, atque errabundus erat Thomas, ſine domo, ſine tecto, in foraminibus petræ, in caverna maceriæ, hoc eſt in Chriſti vulnere, & domum invenit, & tectum.

Non erat ubi nidum, id eſt quietis locum poneret, non erat ubi pullos ſuos, puta bona deſideria, affectus pios excluderet, reponerétque: *in foraminibus petræ, in caverna maceriæ* repoſuit.

Non erat refugii locus, aſyli ſedes, in quo ſe D. Thomæ anima, ceu timida columba, ab infernali accipitre, tueretur ac defenderet; defendit, ac tutata eſt *in foraminibus petræ, in caverna maceriæ.*

Non erat ſpecula unde ſecura circumvolitantem è ſtyge accipitrem intueretur, ac deſpiceret. *in foraminibus petræ, in caverna maceriæ* ſibi ſpeculam erexit, unde ſine metu, ſine periculo, ſine damno, & intueri poſſet, & deſpicere, & ridere.

Quod D. Thomæ eò loci ac temporis ſingulare: hoc deinde & omnibus commune: nempe à foraminibus

minibus petræ & ſecuritas, & quies; unde enim potiùs? ut enim & verè, & piè Divus Bernardus:

Supra.

Revera ubi tuta firmaq; infirmis ſecuritas & requies, niſi in vulneribus Salvatoris?

Supra.

Tantò in illis ſecurior habito, inquit Bernardus, *quantò ille potentior ad ſalvandum fremit mundus, premit corpus, diabolus inſidiatur, non cado; firmatus enim ſupra firmam petram.*

Sed, inquies, iſta Bernardo; hoc eſt animæ ſanctæ requies, & ſecuritas: non ea erit peccatrici. falleris, enimverò falleris. Bernardum rurſus audi, loquitur ille aſſumptâ quaſi in eam ſcenam peccatoris forma, & ſic cum illo:

Peccavi peccatum grande, turbatur conſcientia. ſed non perturbabitur, quoniam vulnerum Domini recordabor. Et hæc recordatio ad quietem, ac ſecuritatem eſt ſatis, rationem adjicit, quia *patet arcanum cordis per foramina corporis, patet magnum pietatis illius Sacramentum, patent viſcera miſericordiæ Dei noſtri in quibus viſitavit nos oriens ex alto.*

Et ita patuerunt olim D. Thomæ, qui ex iis non ſolatium modò, non quietem, non ſecuritatem à malo dæmone animarum aucupe; ſed & ingens meritum accepit, primùm à Domino, quia, ut ait Bernardus. *Meum meritum miſeratio Domini.*

Deinde & magnum virtutum omnium proventum; *in his enim Chriſti vulneribus & multitudo dulcedinis, & plenitudo gratiæ, perfectioq; virtutum.*

Quæ Dei dona è foraminibus Petræ, è caverna maceriæ?

Teſtes volo, teſtes appello illas Apoſtoli voces, Ingenuámque ac liberam confeſſionem: *Dominus meus, & Deus meus.* Ecce fidem certam, ecce ſpem firmam, ecce accenſam caritatem, qua inflammatus ex illis foraminibus petræ, ceu columba evolavit ad nobilem, & copioſam animarum prædam, inſtructus jam & inſigni divinæ gloriæ zelo, & invicto animi robore, atque conſtantia.

Zelum porrò illum explicuit primùm in condenda ſolemni fidei profeſſione; in qua dum ſinguli Apoſtoli Symbolum conſerunt, ille hunc articulum: *Surrexit à mortuis* inſeruit, futurum & fidei ſuæ teſſeram, & teſtem Dominicæ Reſurrectionis apud omnes omninò nationes etiam remotiſſimas, quas doctrinæ ſuæ luce perfudit; poſtquam enim Jeroſolymam, Judæámque aliquamdiu excoluiſſet, tranſiit in Orientem, ubi *Reges Magos*, qui olim ad Chriſti cunas venerant, de fide in Chriſtum edocuit, baptiſmi lavacro tinxit, ſocioſque aſſumpſit & ſuæ peregrinationis, & prædicationis Evangelicæ.

Ita D. Auguſtinus aliique.

Ita Dorotheus Sophronius, & alii.

Tum etiam *Thadæum* è ſeptuaginta Diſcipulis unum ad *Abagarum* Edeſſæ Regem tranſmiſit, ipſe verò ad Parthos, Medos, Perſas, Hircanos abiit; denique in Indias uſque evolavit, Æthiopas ſacris Baptiſmi aquis eluit, nec tam corporis, quàm animi nigredinem ponere docuit; tum ad Braſilios uſque penetravit, ut ex antiquis eò loci erectis adhuc monumentis, teſtatur *R. P. Nobrega* è Societate JESU in iis Regionibus Præpoſitus Provincialis.

Quomodo inde evolarit?

Ecce quò è foraminibus petræ, è caverna maceriæ evolavit innocens columba, & magna illa D. Thomæ mens & intelligentia; quæ licet orbe propè toto abeſſet ab illis foraminibus petræ, hoc eſt Chriſti vulneribus, abeſſet, inquam, corpore; animo tamen in illis erat, in illis habitabat, in illis conquieſcebat, & ab illis ſibi animos, viréſque faciebat ad audendum, ad patiendum quidlibet Domini ſui causâ. Et certè quidni faceret ejuſdem provocatus vel exemplo, vel etiam verbo: de hoc ita D. Bernardus: *Vult benignus dux devoti militis vultum, & oculos in ſua ſuſtolli vulnera, ut illius ex hoc animum erigat, & exemplo ſui reddat ad tolerandum fortiorem.*

Serm 61. in Cant.

Et ita reddidit Diſcipulum ſuum Magiſter optimus. Hinc in vincula, in carceres, in plagas, in mortem audax & hilaris ivit, & lanceis, teliſque confixus animam per immania vulnera in cœlos emiſit, rediturus ad meliorem, id eſt cœleſtem arcam, ab hujus vitæ mortalis aquis, atque eluvie; rediturus ad veriorem *Noëmum*, id eſt Chriſtum, à quo etiam exceptus, eductúſque in ſinum æternæ quietis, & hoc quidem per vincula, per carceres, per immanem corporis lanienam, per vulnera, per acerbam mortem, quam non ſolùm fortiter, ſed & alacriter obiit. At unde ea vis, ea fortitudo; imò & alacritas in extrema illa vitæ, tormentorúmque ſcena? unde is propè in corpore ſtupor? unde & in animo ſuppliciorum omnium deſpicientia? Utique à *foraminibus petræ, à caverna maceriæ*, in qua & latuit, & quievit anima martyris, ceu innocens columba. Bernardum audi, erit ille inſtar omnium. Sic inquit:

Ad vincula, ad mortem.

Stat martyr tripudians, & triumphans toto licet lacero corpore, & rimante latera ferro, non modò fortiter, ſed & alacriter ſacrum è carne ſua circumſpicit ebullire cruorem.

Supra.

Hæc ubi dixit de invicta martyris conſtantia, de tripudio, ac triumphis etiam in ipſa mortis imagine, tum quærit.

Ubi ergo tunc anima martyris? & reſpondet. *nempe in tuto, in petra, nempe in viſceribus IESU, vulneribus nimirum patentibus ad introëundum. Si in ſuis eſſet viſceribus ſcrutans ea, ferrum profectò ſentiret, dolorem non ferret, ſuccumberet, & negaret. Nunc autem in petra habitans, quid mirum ſi in modum petræ duruerit.*

Mira conſtantia, & fortitudine.

Hæc ubi extulit S. Doctor, tum longiùs elabitur, rationémque reddit illius vel duritiei, vel inſenſibilitatis, vel quod mavelim patientiæ, & quidem inſenſibilitatem ſumit ex eo quòd martyr *exul* quodammodo *fit à corpore*, ideóque *dolores non ſentit corporis.* cauſam addit, & quidem amabilem ac mirandam. *Neque*, inquit, *hoc facit ſtupor, ſed amor: ſubmittitur enim ſenſus, non amittitur: nec deeſt dolor, ſed ſuperatur, ſed contemnitur.* Et hoc quidem amoris beneficio, amoris vi, & ſuavi quadam violentia, à qua ſi non in membris & corpore ſit ſtupor; at in animo vis eſt invicta, invicta fortitudo: ſed unde tam hæc quàm illa? Concludit S. Præſul.

Ergo ex petra martyris fortitudo. Quod ſi ex illa martyris; ſic & tua erit *Amice Lector*; ſi modò cum martyris & cum Apoſtolo adinſtar columbæ reſideas *in foraminibus petræ, in caverna maceriæ.* hoc eſt in ſuaviſſimis Chriſti vulneribus, ſeu ea ſint pedum manuumque, ſeu etiam aperti, ac perfoſſi lateris.

Ita reſedit *B. Margarita de Cortona*, Ordinis Sancti Franciſci Religioſa, Virgo miræ ſanctitatis, reſidet, inquam, ex Chriſti voto, imò & præcepto. Audit enim hæc à Domino: *Vade ad crucem, & ſcrutare plagas meas, intus, & extrà.* Et hoc primum illi à Chriſto beneficium, & quidem magnum: at majus illud cùm etiam ab eodem Servatore quàm optimo juſſa eſt ad vulnus lateris ejus exſugere: ſic enim ad illam indulgens Chriſtus: *Tibi mando quod ſæpe venias ad vulnus lateris, & ſugas inde, & ſentias, quid exivit pro ſalute totius humani generis.* Et hoc majus ab illo beneficium; at longè maximum quod ſubjicio. Cùm ſeſe ei in cruce videndum objeciſſet Chriſtus; ſic etiam ad illam: *Pone palmas ſuper loca clavorum manuum mearum*, cúmque ex reverentia ſubjeciſſet iſtud: *Non Domine mi.* *Tum ſubitò patuit vulnus lateris amantis IESU, & in caverna illa cor ſui eſt intuita Salvatoris*; cor, inquam, quod eſt officina divini amoris, à quo eos hauſit amores, eos ardores; imò ab his, & illis etiam eos dolores, ut ſæpiùs ex oculis ſanguineas lacrymas effunderet, ſeu compaſſionis, ſeu amoris, ſeu etiam doloris, ob immania

Bollandus 22. Feb in ejus vita c. 10.

In eadem vita c. 6. num. 152.

Cap. 2 n. 19.

mortalium

mortalium vitia atque ingratitudinem: quam dum odit ac deteſtatur ſimúlque quà poteſt compenſare ſtudet, audit etiam illud à Chriſto. *Nulli cor tuum filia, præbeas, niſi mihi dilecto tuo.*

Cap. 6 n. 105.

Sanćti in Chriſti vulneribus.

Sed, inquies, paucorum eſt ea gratia, is à Chriſto favor, & fortè nulli ab Apoſtolo datum illud, ut & digitos in loca clavorum, & manum in latus immiſerit. Non abnuo; paucorum enimvero eſt: imò forſitan & unius D. THOMÆ, nec illud ambire te velim: ſed hoc dumtaxat unum, ut amore, ut affectu intimo, ut compaſſione, ut meditatione perenni habites *in foraminibus petræ, in caverna maceriæ:* clariùs eloquor, in ſacris Chriſti vulneribus ſis totus. Ita deinde reliqua vita fuit D. THOMAS.

D. Bernardus.

Ita ſecundùm illum Sancti quamplurimi. Ita D. Bernardus qui hæc de ſeipſo ingenuè:

Supra.

Ego confidenter quod ex me mihi deeſt, uſurpo mihi ex viſceribus Domini, quoniam miſericordiæ effluunt, nec deſunt foramina, per quæ effluant.

S. Elzearius

Ita S. Comes *Elzearius*, qui cùm in monte peſſulano hæreret diutiùs, *Delphino* conjux famulum emiſit, ut moræ illius cauſam cognoſceret, cui ſic ille:

In ejus vita.

Corpore quidem ſanus ſum, & ſoſpes; quod ſi videre me cupis, quære me in vulnere lateris Chriſti; ibi enim habito, ibi me invenies, fruſtrà alibi quæſitura.

Hæc ille, quocum habitare te velim, Amice Lector, non in tectis eburneis, non in domibus laqueatis; hæc quippe vanitatem olent, & luxum oſtentant: ſed in ſacroſanctis Chriſti vulneribus, in quibus cùm ſatis latuiſſet Apoſtolus, ex iis evolavit ad extrema ſupplicia, ipſamq́ue mortem, ac denique in Cœlum, ſinumq́ue beatitatis.

Crux S. Thomæ miraculoſa.

In India cis Gangem ad oram maritimam Orientalem Regni Biſnagæ, civitas eſt *Meliapor*, quam nos Europæi S. THOMÆ appellamus, hîc perantiquus eſt lapis, qui ſculptam præ ſe fert crucem, ante quam ſupplex erat Apoſtolus cùm ab Indis martyrio eſt affectus; cujus indicio etiam illud, quod crux, & lapis adhuc appareant reſperſi ejus cruore: ſolebat autem ea crux anteactis temporibus, ipſo die anniverſario ejus matyrii, quotannis primùm colore nigro tingi, mox exhilarari colore cyaneo, & manabat interim ex ea liquor inſólita & ſalubri perennitate.

Silveſter Petra ſancta Thaumaſia tom. 3. c. 16.

Sed intermiſſa aliquo tempore ea prodigia, anno tandem milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſecundo, cùm jam à Societate noſtra plurimi eſſent Catholicam Religionem poſtlimino in Indiam reducturi, redintegrata ſunt, auguſtiore etiam ſucceſſu: nam eo ipſo die Sacerdote ad aras litante, dum Evangelium decantaretur, cœpta eſt videri nigris notis, iisq́ue nitidiſſimis ea crux interſtingui, deinde copioſo liquore madere, poſtremò etiam purpuraſcere ſplendore quodam ſanguineo; quo imbuta lintea ſunt dum iis humor ille extergitur.

Nierembberg. in vita P. Maſtrilli. c. 16.

Cui prodigio addo etiam alterum quod recentioris eſt memoriæ. Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo ſeptimo, cùm P. *Marcellus Franciſcus Maſtrilli* (inclytus deinde Martyr) Maliaporam veniſſet, perveniſſetq́ue ad Crucem, quam olim ſibi erexerat D. THOMAS Apoſtolus: miro prodigio Crux illa viſa compari Viro Dei: cùm enim quotannis ipſo die Apoſtoli feſto, ſoleret ſudore madere, ac diffluere, ceſſaſſetq́ue ex quo in eas partes veniſſent Hollandi: viſa eſt prodigium priſtinum inſtauraſſe; nam viginti quatuor horis totis ſudore madeſcere, ac fluere: & quod inſolens fuit, ſudor ille ab ima Crucis parte cœpit, atque ad ſummam aſcendit, quod prognoſticum fuit felicis alicujus, ac fortunati ſucceſſus: uti è contra infelicis, & malè fortunati, cùm à ſummo ad imum deſcenderet. Et hæc prodigia vidit, videtq́ue etiamnum India: alterum ſpectavit Europa, ſpectavit etiam Italia.

Sudore perfuſa.

Sacrum illius Caput cœleſti luce inclareſcit,

Ortona oppidum eſt in Samnitum regione, in ea Religiosè aſſervatur caput S. THOMÆ in argentea theca ſtatuaria, ceu ſacrum illius pignus, quod ſuum eſſe probat, ac teſtatur Apoſtolus, apparens identidem inſtar luminis coruſcantis, cujus grandiua quoddam jubar promicat circa faſtigium Ædis primariæ, atque inde progreditur ad alia templa non ſine amabili ſpectantium ſtupore. Et hæc cœli annuentis prodigia, è quibus id haurias, *Amice Lector*.

Primum, ut poſtquam bene latueris in foraminibus petræ, in caverna maceriæ, hoc eſt in ſacroſanctis Chriſti vulneribus, jugi meditatione, amoreq́ue ferventi, ex iis ad Crucem cum Apoſtolo evoles, ad illamq́ue occidere geſtias: ubi enim melius? ad illam nigreſces primò, à luctu, pœnitentiaq́ue ſcelerum tuorum: deinde madebis copioſo lacrymarum imbre, tum ſi cœlum dederit, etiam purpuraſces à fuſo Chriſti cauſâ ſanguine; denique & jubaris inſtar, ac ſolis lucebis, ardebiſq́ue in omnem retro æternitatem, ubi tamen prius luxeris, arſeriſq́ue tum à luce bonorum operum, tum ab ardore divini amoris: quo ubi in terris ſatis arſeris, evolabit è corpore, mens libera, ceu è nidulo columba.

Bollandus tom. 1. Feb. die 3.

Ita evolare viſa eſt anima S. *Blaſii Armentarii* glorioſiſſimi Cæſareæ in Cappadocia Martyris, qui primò crudis nervis dirè cæſus, tum in aqua bulliente ad dies quinque fœdè toſtus, illæſus tamen, eum ſervante cuſtode Angelo: denique morientis ex ore viſa in cœlum exire columba, index utique puræ mentis ad ſuperos abeuntis, & ita (ut ibi finiam, unde cœpi) exivit magna illa D. THOMÆ anima; exivit, inquam, quaſi columba primùm è *caverna maceriæ*, hoc eſt è Chriſti vulneribus, dein è corpore, ceu naturæ nidulo, atque in cœlos evolavit, à ſomno divinæ beatitatis quietem æternam inventura.

IN FESTO SANCTI STEPHANI PROTOMARTYRIS.

DIvus Chryſologus, eloquentiâ ut aſſolet aureâ, in hoc, & illo nomine feliciter ludit, & quidem primùm in eo ſeu pugnæ, ſeu victoriæ epitheto *Protomartyris*; deinde in ipsâ *Stephani*
Serm. 154. appellatione. De illo ſic habet: *Stephanus eſt Martyrum primus, Stephanus purpuratum ducit exercitum, qui pro Domini ſui adhuc calente ſanguine, ſanguinem ſuum avidus bellator effudit*; &quia ſic effudit, meritò in Eccleſiâ *Protomartyr* audit: attende quomodo etiam & STEPHANUS. *quia*, inquit, *cruore proprio tinctam ſibi ipſe purpuram conquiſivit, meritò à Rege ſuo conſecutus eſt poſt coronam, qui jam, cùm naſceretur nomen ſortitus eſt à corona*. De hac in præſentiâ mihi erit quæſtio, in quam abeo libentiùs, quòd in eam me ducat ipſa ejuſdem Divi appellatio, petita jam inde à cunis, non
Serm. 1. de S. Stephano. ſine Numine, & feliciſſimo futuræ virtutis, atque gloriæ præſagio. *Iam coronæ nomen habebat, & ideo palmam martyrii ſuo nomine præferebat*, inquit D. Auguſtinus.

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa verba: *Poſuiſti in capite ejus coronam de lapide pretioſo.* Pſalm. 20. verſ. 4.

ECQUIS ILLE? ECQUÆ ETIAM CORONA?

HÆc quæſtio complectitur duo membra: Primum ecquis ſit ille, cujus capiti Omnipotentis Dei manus coronam impoſuit? Deinde, quæ ſit illa corona? & unde petita?

Ecquis ille?

Ad primum quod attinet; authores in alias, atque alias diſcedunt opiniones.

Una, de *Meſſia* agi cenſet, cui Pater Æternus coronam gloriæ, regníque & terreſtris, & cœleſtis impoſuit. Ita Athanaſius, Euſebius, Origenes, Auguſtinus, & Latini propè omnes.

Altera, de Rege *Ezechia* intelligi credit, de cujus regno, ac coronâ hic Pſaltes Regius. Ita Theodoretus, Nicephorus, Baſilius, aliíque.

Poſtrema, de ipſomet *Davide* hic ſermonem eſſe
Cap. 7. v. 19. exiſtimat: ita Lorinus in Actâ Apoſtolorum, aliíque.

Et hæc opinionum varietas, atque diſſenſio, eſt de ipſo litterali ſenſu; magis convenit inter omnes tropologicè applicari poſſe, ac debere *Martyribus* invictis Chriſti pugilibus, quibus etiam accommodat Eccleſia inter ſacra Miſſarum ſolemnia, divináque officia. & huic interpretationi tropologicæ in præſens inhærebo, & S. STEPHANO coronam illam appendi indicabo, vel ut teſtem virtutis, partæque victoriæ, vel ut regiæ poteſtatis inſigne, decus atque ornamentum, vel ut præmium ſymbolúmque beatitatis, quâ modò fruitur in cœlis, fruetúrque in omnem retrò æternitatem. His ita ex veritate, authorúmque ſenſu compoſitis, ſupereſt pars quæſtionis altera.

Ecquæ corona?

De hac quoque tres ſunt ſententiæ: Prima, coronam eſſe vult idoli *Melchon*, quam tulit David: ſi I. Idoli Melchon.
hæc fuit, difficultas oritur non exigua, an eam capiti ſuo impoſuerit David? an aliam inde ſibi, Regibusque conflarit?

Secunda, credit eſſe coronam devicti Regis *Ammonitarum*; quæ nec capiti Davidis impoſita, nec II. Ammonitarum.
aliorum Regum verticibus, propter immane pondus, (erat enim in ea auri pondo talentum, & gemma pretioſiſſima) ſed è funibus dependens, & quaſi ſuſpenſa, atque imminens regiis capitibus.

Tertia, opinatur fuiſſe coronam interfecti *Saulis*, III. Saulis.
quam Davidi retulit adoleſcens Amalecites.

Et hæc Authorum eſt inter ſe pugna; à qua diſcedo lubens, ut deſcendam ad myſticum, moralémque ſenſum, ex quo corona offerri ſolet Martyribus, vel ut inſigne virtutis, vel ut partæ gloriæ decus, vel ut ſymbolum æternæ felicitatis.

In avia Lybiæ ſolitudine degebat S. *Moyſes* Abbas cum fratribus omninò ſeptem, cùm ecce in Cœnobium valido impete irruunt barbari. Fit ſtrepi- Bollandus 7 Febr. de SS. Moyſe Abbate, & 6 Monachis.
tus, fit timor, horrórque, quo victus unus è fratribus fugâ ſibi conſulere viſus eſt, intra ſepes, ac dumeta abjectus. Abbas autem cum ſex aliis fratribus imperterritus ſtetit, certus pro fide, próque

Deo

Digitized by Google

Deo occumbere: & certè occubuit, ceciditque nobilis Eccleſiæ, Chriſtíque victima; cui illicò cœlo judice decreta eſt, dataque corona. Nam meticuloſus ille, qui inter palmas ſine palma malè latebat, vidit coronas ſeptem è cœlo delabi, atque in ſeptem Sanctorum Martyrum capita illabi: adeò verum inclytos Martyres coronâ prodi, atque ornari. Sed cur, inquies, illa de lapide pretioſo? Hîc mihi quæſtionis ſolvendus eſt nodus.

IV. Martyrum.

Cur D. Stephano corona de lapide pretioſo?

Coronæ Sanctis variæ.

QUamdiu immortalis anima, hoc mortali corpore tegitur, quamdiu hoc luteo vaſe clauditur, eóque quaſi vivente ſepulchro circumducitur, immortalia, cœleſtia, divináque non capit, niſi ea ſub oculos poſueris: hinc amabilis, ſuaviſque Dei providentia, quæ ſeſe nobis & majeſtatem inclinat ſuam, divitiáſque gratiæ, gloriæque ſuæ aperit; eas noſtris ſubjicit oculis, ſenſibuſque, corporeis quibuſdam, ac craſſioribus ſymbolis, quæ tamen homini ſunt in pretio, atque amoribus, ut ſunt regna, coronæ, margaritæ, lapides pretioſi, aliáque ejuſmodi, quæ ſenſus humanos feriunt, rapiúntque. Et ita hîc utitur ſymbolo Coronæ, & quidem è *lapide pretioſo*; uti aliàs, aliis, atque aliis coronis, pro alio, atque alio appulſu, ornatuque gratiæ, ac gloriæ, quo excellere, nitereque debuerant animæ ſanctæ, tum in terris, tum in cœlis in omnem æternitatem.

Bollandus in ejus vita 23. Ian.

Dum in vivis eſſet *D. Ioannes Eleëmoſynarius*, profusâ fuit in pauperes munificentiâ, ac liberalitate, profuſus ac propè prodigus in eleëmoſynas; inde ei in amœnâ noctis & ſomni imagine apparuit eleëmoſyna, virginis ſpecie, formáque, coronata ramis olivarum, quâ ſcilicet, ut ſymbolo miſericordiæ, coronari debuit in terris, & in cœlis conſpici coronatus.

D. Joanni Eleemoſynario ex oliva.

27. Ian.

Altiore in Deum ſpe erectus erat *B. Merulus*, profeſſione Monachus; inde ei hæc oblata ſub noctem viſio: Corona è floribus pulchrè compoſita, in ejus caput è cœlo labi viſa, futura illi & ſpei ſymbolo, & ſimul etiam ornamento.

B. Merulo è floribus.

9. Ian.

Ad ſupplicium raptabatur *S. Iulianus*, Martyr invictus, tum ecce à *Celſo*, Præſidis filio, conſpicitur, circumcinctus multitudine albatorum, cœleſtium utique geniorum, qui ei divitem ex auro puriore coronam imponebant, vel ex eo tantùm, quòd in ſuppliciis, ceu aurum in ſornace, probaretur.

S. Juliano Martyri ex auro.

Exerceri debuerat *D. Birgitta*, & aliis atque aliis afflictionibus, perſecutionibus, injuriis, calumniis affici, atque in illis illuſtrem oſtentare patientiam, indéque debitam virtuti ſuæ coronam adipiſci. Et verò adepta eſt: At quæ, inquies, fuit illa? Ea, quàm è cœleſtibus gazis ei detulit *S. Agnes*, Virgo & Martyr; ſeptem lapidibus pretioſis eleganter exornata, & capiti illius ſuperpoſita, futura vel argumento virtutis, & patientiæ: vel etiam ornamento.

S. Birgittæ è 7. lapidibus pretioſis.

21 Ian. de Reliquiis S. Agnetis.

Ecce ut cœlo judice, Angelis, Beatiſque præſidibus, aliæ atque aliæ parantur coronæ, pro aliâ atque aliâ magnarum virtutum gratiâ, atque præſidio; pro alio, atque alio piorum operum merito, próque paratâ his & illis in Paradiſi Regiâ mercede.

Quod illis, aliiſque: hoc & Beato Protomartyri STEPHANO, cui dari poſſet corona è ramis olivarum, uti deinde *D. Ioanni Eleëmoſynario*, & hoc propter inſignem illius in egenos beneficentiam, liberaléſque eleëmoſynas, quibus ab Apoſtolis vacare juſſus eſt; cùm enim enata eſſet diſſenſio Hebræos inter, & Græcos; eò quòd horum viduæ negligi viderentur, electi ab Apoſtolis viri ſeptem, qui ei miſerationis officio præeſſent, quos inter primus STEPHANUS, qui è pecuniis, boniſque, quæ Chriſtiani ad Apoſtolorum pedes abjecerant, viduis, egeniſque largirentur, quod & providè, & liberaliter fecit STEPHANUS, ex vero magnus naſcentis Eccleſiæ *Eleëmoſynarius*, qui etiam redimiri poſſet coronâ è floſculis bellè contexta.

D. Stephano eæ omnes dari potuerunt.

Sunt floſculi bonæ ſpei ſymbola; fructus enim portendunt, & quidem uberrimos: & qui Divo STEPHANO, etiam vitâ functo dari floſculi, quæ ſparſæ ſacro illius corpori è floribus corollæ, fructus portenderunt; imò & tulerunt feliciſſimos.

Juvat illius meminiſſe temporis, quo ſacræ illius Divi reliquiæ tranſlatæ, non ſine prodigiis, ac miraculis, quibus inſignem ſervi ſui ſanctitatem illuſtrare Deus voluit; inter quæ illud, cujus meminit D. Auguſtinus Libro de Civitate Dei.

Paganus erat, iſque in paganiſmo adeò obduratus, ut nec generi precibus, nec filiæ lacrymis cedere vellet, & in Chriſtianam fidem concedere. Rebus jam deſperatis, deſperatâ etiam illius ſalute, ad D. STEPHANI, ceu bonæ ſpei portum, ceu aſylum confugere placuit, & corollas è floribus, quæ fortè illius corpori ſuperinjectæ fuerant, colligere, atque ad caput hominis pagani adaptare. Dormiebat interim ille altè ſopitus, cùm ſubitò evigilans Epiſcopum inclamare cœpit (is erat Auguſtinus) Presbyterum evocari voluit, baptiſari, & magno animi ſenſu, fuſiſque ubertim lacrymis ad uſque mortem ingeminare illud ipſum D. STEPHANI, ſpei plenum, *Domine IESV, accipe ſpiritum meum*: inſcius licèt, hæc ipſa à D. STEPHANO, eadem olim fide, ſpéque prolata. Ecce bonæ ſpei coronam; quæ aptari poſſet Proto-martyri STEPHANO, qui eam & in vita ipſe tulit, & à morte etiam aliis donare non deſtitit.

Addi poſſet & corona ex auro puriſſimo, uti deinde S. *Iuliano*, fortiſſimo Martyri. Eſt aurum ſymbolum amoris, ſymbolum caritatis, qua totus effulſit STEPHANUS, effuſa in proximum caritate, quam teſtatur ardens in illo animarum zelus, & fuſa illa concio, quam ad Judæos habuit, in quà liberæ illæ voces, ſed ab amore: ſedà caritate aureæ: *Durâ cervice, & incircumciſis cordibus, & auribus, vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis.* qui tamen totus eſt amor, & nexus amoris; & à quo totus in Dei ſui, totus in proximi amore STEPHANUS, cui proinde conveniens corona ex auro puriſſimo, amoris ſymbolo. Verùm ut ea conveniens videri, & eſſe poſſit; magis tamen illa, quæ eſt ex *lapide pretioſo*. Primò, quia ea magis accommoda generi mortis, cui conceſſit STEPHANUS, à Judæis per ſummum nefas, & immanitatem lapidatus. Ita nimirum, ut ſcitè D. Auguſtinus, *ad lapides currebant, duri ad duros, & petra lapidabatur, qui pro petrâ, qui Chriſtus eſt, moriebatur. Lapides undique conjicientium, quaſi coronâ cinctus, ita accepit ut id quod agebatur, quaſi corona, victoria præmium, in manibus adverſariorum nectеretur*, ut appoſitè ad STEPHANI nomen, genúſque martyrii D. Gregorius Nyſſenus, ex quo velim paucula ſtylo notes. Unum, quòd *lapides conjicientium*, eſſent illi quaſi corona, quâ cingebatur. Alterum, quòd illud ipſum, quod eò loci, ac temporis *agebatur*, acciperet ipſe *quaſi coronam, & victoriæ præmium*, quod in ipſis *adverſariorum manibus* nectebatur. Ecce ut ex tunc illi corona de lapidibus pretioſis; quidni enim pretioſos appellem lapides, quibus ea corona conſtruebatur? corona victoriæ, corona præmii cœleſtis? Et certè pretioſos fuiſſe lapides illos, etiam cœlum ipſum, Deúſque teſtari voluit & multis, & inſignibus prodigiis. Refert D. Auguſtinus lapidem, qui STEPHANI cubitum percuſſerat, à viro pio, qui lapidationi interfuerat, Anconam delatum, plurimis deinde inclaruiſſe miraculis, uti & ſanguinem, qui lapides illos imbuerat, & qui deinde in ampullâ vitreâ collectus eſt, & in fugâ Wandalicæ perſecutionis à S. *Gaudioſo* Bithiniæ Epiſcopo Neapolim delatus.

Act. c. 7.

Maximè verò è lapide pretioſo.

I. Ratio.

Serm. 92. de diverſ.

Orat. de S. Stephano.

Serm. 131. de diverſis.

Lapis Stephani claret miraculis.

Latuerat porrò ea ſanguinis phiala quàm diutiſſimè intra aram templi, cùm demum anno milleſimo, quingenteſimo ſexageſimo primo Kalendis Septembris inventa rurſus eſt: ſed ſine ullo tamen indicio. Materia enim erat ſubnigra, dura, & craſſa, cùm eam phialam inter manus piè accipiens Canonicus Neapolitanus, *Lucianus* nomine, qui fortè tum aderat, ſenſit ſe divinitus percelli, ut Sanctum Protomartyrem STEPHANUM imploraret, quod ut faceret, neſcio quo interiore impulſu, pronuntiavit illud: *Video cælos apertos, & IESVM ſtantem à dextris virtutis Dei.*

Silveſter Petra ſancta Thaumaſia Ver. Relig. tom. 3. c. 12.

Cruor S. Stephani miraculosè ebullit.

Res mira, cruor ille ſtatim vividus, & rubicundus miſceri cœpit, atque ebullire, eóque tam evidenti miraculo patefacere, cujuſnam is cruor eſſet. Crederes adhuc perſenſiſſe eas voces, eúmque ardorem, qui olim in venis illius Divi ebullierat. Quod miraculo eò loci, ac temporis datum eſt: hoc & deinceps in S. STEPHANI anniverſario die pariter, atque in ejus inventione ſemper quotannis liqueſcit. Deo teſtante quàm gratus, quàm acceptus ſanguis inter lapides, & ſaxa expreſſus: ut meritò ex illis, quaſi compoſita dicatur illi corona; quæ etiamnum clamat quis, & quantus in cœlo ſit STEPHANUS, cujus laudes, & ſacratiora encomia, ſi homines tacuerint, *lapides clamabunt*. Et verò quidni clament, tanto Chriſtianæ fortitudinis exemplo velut animati, & quaſi vocales facti?

Luc. c. 19.

II. Ratio.

Et hinc mihi ducitur alia ratio, cur D. STEPHANO è lapide pretioſo ſit corona. Ea petitur ex ipſa lapidis natura, ac duritie, à quâ ſymbolum eſt invictæ fortitudinis. Ubi *Ezechielem* ad populum rebellem, & duræ infractæque cervicis emittere voluit Numen; hæc illi: *Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum. Vt adamantem, & ut ſilicem dedi faciem tuam, ne timeas eos, neque metuas à facie eorum.*

Cap. 3. v. 8. 9.

Quod *Ezechieli*: hoc & STEPHANO Deus. ſi Judæis dura facies, dura & frons; at durior STEPHANO, quia illi facies ut adamas, ut ſilex. Quod ſi ut adamas, ut ſilex: quid mirum, ſi ex adamante, & ex ſilice ei texatur corona; utpote conſentanea, atque conſentiens illius duritiei, id eſt infractæ, invictæque in malis fortitudini, quæ vel maximè proditur, atque eminet in adverſis, in perſecutionibus, in periculis, in ſuppliciis, ipſâque morte per vim tormentorum expreſſa; quæ ex eo etiam capite donatur coronâ è lapide pretioſo. Hac donatus eſt STEPHANUS, hac deinde ex illo & poſt illum donati Martyres; quibus ipſe fuit pro coronâ. Liberum, inquies, audaxque pronuntiatum: fateor equidem; ſed ex *Auguſtino* dicam petitum. Illum audi:

III. Ratio.

Quando, inquit, B. STEPHANUS *pro Chriſto primus ſanguinem ſuum fudit, quaſi corona proceſſit è cælo, ut eam ſumerent ſequentes in præmio, qui præcedentis pietatem imitarentur in prælio: impleverunt poſtmodum terram crebra martyria. Quicumque poſtea ſanguinem pro Chriſti confeſſione fuderunt, impoſuerunt coronam illam capiti ſuo, & eam ſecuturis integram ſervaverunt.*

Serm 94. de diverſ.

Hæc D. *Auguſtinus* de S. STEPHANO, non minùs magnificè quàm verè, ex quo digito ſignanda pauca.

Primum illud, quod *quaſi corona proceſſerit de cælo.* quid anguſtius? Secundò, ut *eam ſumerent ſequentes in præmio.* quid utilius? Tertiò, *qui præcedentis pietatem imitarentur in prælio.* Quid fortius? quid generoſius? Quartò, *quicumque poſtea ſanguinem pro Chriſti confeſſione fuderunt, impoſuerunt coronam illam capiti ſuo.* Quid ad D. STEPHANI laudem & commendationem illuſtrius dici, aut excogitari potuit, quàm quod ipſe aliis quodammodo ſit corona, quam fuſo Chriſti & religionis causâ ſanguine, capitibus ſuis imponunt.

Quod ſi D. STEPHANUS aliis corona, quidni & ſibi? corona enimverò; ſed de lapide pretioſo. At quis, inquies, ille? Apoſtolis (quos veluti cœleſtis Hieroſolymæ fundamenta vidit, amavitque Divus *Ioannes Evangeliſta*) gemmas attribuit, & lapides pretioſos, & quidem ſingulos ſingulis.

D. *Petrus* eſt Jaſpis. D. *Andreas* Sapphirus. D. *Iacobus Zebedæi filius* Chalcedonius. D. *Ioannes* Smaragdus. D. *Philippus* Sardonix. D. *Bartholomæus* Sardius. D. *Mathæus* Chryſolithus. D. *Thomas* Beryllus. D. *Iacobus Alphæi* Topazius. D. *Iudas Thadæus* Chryſopraſus. D. *Simon* Hyacinthus. D. *Mathias* Amethyſtus. quod ſi fundamenta cœleſtis Hieroſolymæ ſunt gemmæ, ſunt lapides pretioſi; imò ſi ipſi Apoſtoli quodammodo gemmæ ſint, & lapides pretioſi, quidni & D. STEPHANUS gemma ſit, quidni & lapis pretioſus? quidni & corona de lapide pretioſo? corona certè ex nomine, de lapide pretioſo ex virtute: ſed de quo lapide corona?

Ribera in Apoc. c. 21.

Apoſtoli 12. lapides pretioſi.

Dicere poſſem ex omni lapide pretioſo, quia omnium & colores, & nitorem, & pretium exhibet: ſed vel maximè *Iaſpidis, Sapphiri, & Smaragdi.* Ex his tribus (aliis in præſentia omiſſis) D. STEPHANO cœleſti manu fabricatam eſſe dixero coronam, & quidem primùm

EX JASPIDE.

QUI ut viret, ac lucet, ſic & D. STEPHANI in fide conſtantem viriditatem deſignat; atque inſuper lucem divinioris ſapientiæ quâ illi inclaruit animus.

Ex Jaſpide.

De illius fide extat luculentum teſtimonium etiam ipſo Scripturæ oraculo, & Apoſtolorum ſuffragio. *Elegerunt hi* STEPHANUM *plenum fide*, hoc eſt ſapientiâ Chriſtianâ; quæ eſt à fide, & altiore cœleſtium arcanorum cognitione. Hanc noſſe ſi voles, *Auguſtinum* audi. Sic enim inquit, STEPHANO *Martyri & pulchritudo erat corporis, & flos ætatis, & eloquentia ſermocinantis, & ſapientia ſanctiſſimæ mentis, & operatio Divinitatis.*

Act. cap. 5.

Serm. 6.

Audi & *Nicetam* apud Metaphraſtem; qui ſic de STEPHANO. Erat *inter Apoſtolos Apoſtolus; Propheta inter Prophetas, Doctor inter Doctores.*

Doctor, inquam, qui non verbo tantùm doceret & linguâ (ut plerique ſolent) ſed facto; ſed opere.

Hinc iſtud D. *Auguſtini* de STEPHANO. *Diſcipulus erat ordine; ſed factus eſt Magiſter exemplo.*

Serm. 3. de Sanctis.

Spectavimus fidei lucem, ſpectemus & virorem, eúmque ſibi ſemper conſtantem.

Viruit aliquando *Petri* fides, cùm ſic ad Dominum. *Etiamſi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Sed paulò poſt ad ancillæ vocem, ad leviorem petulantis linguæ afflatum, emarcuit.

Viruit & *Thomæ* in Magiſtrum fides, cùm ſic ad Condiſcipulos, *Eamus & nos, & moriamur cum eo*: ſed & illa, breviore Domini abſentiâ, ceu ſolis aſpectu, emarcuit; auditum enim illud incredulæ mentis: *Niſi videro non credam*, quaſi verò oculis metienda fides, & fidei myſteria ſenſibus eſſent uſurpanda.

Viruit & fides *Diſcipulorum*, cùm unà cum *Petro ſimiliter dixere omnes*: ſi verba audiſſes, credidiſſes omnes pro Magiſtri fide mori paratos; at mox & illa quoque emarcuit; *omnes* enim *relicto eo fugerunt*. Ecce ut infidelitatem prodit, & teſtatur turpis fuga. Ecce ut ad Judæ proditoris aſpectum, ut ad primum militis occurſum, & Domini captivitatem, defloreſcit fides; & amœna illa, conſtanſque ejus viriditas penitus concidit.

Sed non ſic D. STEPHANI. in eum conſpirat cuncta propè Synagoga, *Libertinorum, Cyrenenſium, & Alexandrinorum*, maximè *Libertini, ſervi corruptionis*, ut loquitur D. Petrus. *Omnes in quibus eruditionis, atque ſcientia nonnihil inerat, in ſeſe convertebat, & ex iis,*

Act. c. 6.

Epiſt. 2.

qui

qui cæteris præſtare eruditione videbantur, coïtione, atque conſpiratione factâ, veluti in phalanges quaſdam conſtipati,

Nyſſenus orat. de S. Stephano.

ſic impetum STEPHANI *ſuſtinere nitebantur. At ille omnibus pariter invictus erat, ſive cum multis ſolus, ſive cum paucis congrederetur*, adeò firma, conſtanſque illi in Chriſtum fides: hanc ut labefactent, primò ſubmittunt viros perditæ mentis, & profligatæ con-

Cap. 7. v. 11.

ſcientiæ, *qui dicerent ſe audiviſſe eum dicentem verba blaſphemiæ in Moſen, & Deum*; quod calumniæ telum ut certius, & fortius feriat; *commovent plebem, & ſe-*

Verſ. 12.

niores, & ſcribas; ſed neque his commovetur STEPHANI fides. ubi verba nihil proſunt, veniunt ad

Verſ. 12.

manus, *concutientes rapuerunt eum, & adduxerunt in concilium.* neque vinculis lingua, neque animus eo malignantûm conſeſſu impeditur, aut terretur.

Verſ. 13.

Statuerunt falſos teſtes, qui dicerent: homo iſte non ceſſat loqui verba adverſus locum ſanctum, & legem. Ecce aliud, & quidem ingens, ac horrendum blaſphemiæ telum, quo per calumniam impetitur STEPHANI fides; ſed neque huic cedit: neque timet mens innoxia; ſuâ ſe conſcientiâ involvit, ac tuetur, quod invictæ fidei beneficium fuit.

Eccl. c. 26. v. 5.

Certè ſapiens id aliquando de ſeipſo. *A tribus timuit cor meum, & in quarto facies mea metuit. Delaturam civitatis, & collectionem populi, calumniam mendacem: ſuper mortem omnia gravia.* Verùm ut gravia ſapienti: at levia STEPHANO; quia ea omnia verborum jacula fidei clypeo excipit ac retundit: ſed ecce & alia adjiciuntur accuſationum capita, ſic enim

Verſ. 14.

aiunt: *Audivimus eum dicentem quoniam IESVS Nazarenus deſtruet locum iſtum, & mutabit traditiones, quas tradidit nobis Moyſes.*

Hæc accuſatio *Diaboli oratorum eſt*, inquit, D. *Gre-*

Supra.

gorius Nyſſenus, à quâ concuti, & labeſcere potuit alius quivis, quia illâ non impetebatur STEPHANUS tantùm; ſed & Dei filius, ſed & verbum Patris, ſed & veritas æterna, & quidem per calumniam, & immane mendacium; neque enim ea umquam dixerat Chriſtus, neque à Chriſto STEPHANUS.

Verùm ut ſic impeteretur, commoveri tamen nullo modo potuit, neque à fidei ſtatione dejici; adeò illi firmus in eâ ſtabat animus, ab hoc, in ipſum corpus evaſit auguſtum aliquid, ac cœleſte. *In-*

Verſ. 15.

tuentes enim *in eum omnes, qui ſedebant in concilio, viderunt faciem ejus tanquam faciem Angeli*, hoc eſt, interprete D. Gregorio Nyſſeno, *angelicum decorem, & mutationem faciei in angelicam formam*; Interprete Auguſtino, *faciem illuſtratam ut ſolem*, Interprete Hilario Arelatenſi, *in* STEPHANI *facie ſpeciem reſurgentis.* Dixiſſes *in ipſo* STEPHANO *abundantiam cordis tranſiiſſe in decus corporis, & in exteriori gloriâ candorem interioris exundaſſe, & per abſcondita pectoris ornamenta, ſpeculum frontis irradiaſſe, & cùm haberet in ſe Spiritum Sanctum, os præ ſe geſtaſſe angelicum.* ut diſertè Hilarius.

At unde, inquies, illa faciei lux, unde fulgor ſolis æmulus; imò ſuperior? utique à fide, cœleſtique ſapientia, quâ illi lucebat & radiabat animus; cui proinde corona *de lapide pretioſo*, de virente & lucente Iaſpide, cui alia lux accedet.

EX SAPPHIRO,

E Sapphiro.

SApphirus gemma eſt cœrulei coloris, & aureis punctis collucens: ſymbolum cœleſtis converſationis, & aureæ charitatis, quâ eminere viſus eſt D. STEPHANUS. Illâ in cœlos, Deumque totus aſcendebat, hac autem deſcendebat in terras, & blandâ charitatis inclinatione ad proximum, ejuſque commoda, ſalutemque procurandam ſeſe demittebat, teſtem volo, teſtem appello extremam, quæ illi fuit, vitæ periodum, de quâ illud Scripturæ

Verſ. 55.

oraculum. *Cùm eſſet plenus Spiritu Sancto, intendens in cœlum, vidit gloriam Dei, & IESVM ſtantem à dextris virtutis Dei.*

Hîc ſtylum fige, hîc oculum, *mi Lector*, atque inter hoſtium cuneos. denſaque lapidantium agmina STEPHANUM aſpice: intendit in cœlum, quò enim potius? certè *qui Spiritu Divinitatis afflatur, conculcatis terreſtribus, cœleſtibus inhiat, & æternis.*

Petr. Damian.

Ita inhiavit Divus STEPHANUS, hinc illi in cœlum oculus, quia cor, & amor in cœlo, non deorſum fertur, non declinat ad terrena ſubſidia, aut ſolatia: ſed ſurſum totus rapitur, atque ad cœleſtia aſpirat, utpote totus in cœleſtibus. *Fortitudinis eſt malis obviis obniti, ſurſumque ferri*, inquiebat Plato.

In Cratylo.

Ita ſurſum elatus David, cujus eæ voces. *Levavi oculos meos in cœlum unde auxilium mihi.*

Pſal 120.

Ita & Suſanna, *flens ſuſpexit in cœlum*, à quo invocaret auxilium.

Daniel. c 13.

Ita & STEPHANUS *intendens in cœlum vidit gloriam* Dei.

Hîc moveri poſſunt quæſtiunculæ duæ. Una, unde STEPHANO is cœlo favor, ut & cœlos apertos videret, & gloriam Dei? Potuit ille favor, illa cœli, Deique indulgentia concedi virtuti ſanctiſſimi Proto-martyris, neque abnuo.

At etiam aſtruo illud, concedi potuiſſe; imò & reipſa conceſſum fuiſſe precibus Deiparæ Virginis.

Cùm à Judæis lapidaretur STEPHANUS, Dei mater unà cum Joanne Evangeliſta, aſtabat ad portam Ephraim, quæ nunc S. Stephani Jeroſolymis appellatur, aſtabat, inquam, orabatque ut & D. STEPHANO in illa lucta pateret cœlum, ac deinde etiam SAULO: illud eò loci, ac temporis datum eſt STEPHANO: hoc poſtea SAULO, cùm à converſione ſua in cœlum raptus eſt. Cujus facti memoria etiamnum extat: ut enim notat Lorinus, Cornelius, & poſt illos Maſſutius, uſque in hanc diem viſitur lapis ille memorabilis non procul ab ea, quam dixi, porta, eſtque in honore, & cultu peregrinis, & degentibus Jeroſolymæ Chriſtianis, ubi & Dei mater cum Evangeliſta Joanne juxta torrentem Cedron poſitis genibus Deo ſupplicavit, ut & Stephano tunc aperiretur cœlum, ac deinde etiam Saulo. Utrumque datum Virginis precibus.

Quomodo S Stephano cœlum apertum?

In Acta c 7. v. 58.

In vita S. Pauli, c. 2.

Et hinc primæ quæſtiunculæ ſit ſatis. Secunda erit, quænam illa gloria?

D. Gregorio Nyſſeno eſt *ipſum lumen divinum in lumine Dei.* D. Auguſtino eſt Deus ipſe, Deique eſſentia. Sic nimirum *videbat Deum, qui migrabat ad Deum*, imò *& Trinitatem ipſam, at Divinitatem, ac revelatâ facie Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum.* Hæc illi Patres, qui aperto mentis, atque intelligentiæ oculo, volunt D. STEPHANUM Dei eſſentiam vidiſſe; uti Paulus in ſuo ad tertium cœlum raptu. Quæ opinio ſi vera, quid mirum ſi totus in cœlo STEPHANUS, qui jam totus in Deo, totus, inquam, mentis oculo; imò totus & oculis corporis; vidit enim præterea *IESVM ſtantem à dextris Dei.* Nimirum illi tunc, ſpeciali quodam, & ſupra omnem naturæ vim concurſu, elevati ſunt oculi, ut ad cœlum uſque empyreum penetrarent, JESUMque ſtantem à dextris Dei attingerent.

Orat. de S. Stephano.

Serm. 99.

Quæ gloria Dei?

At cur, inquies, ſtantem? an hic ſitus glorioſi corporis? enimverò is eſt. ſtat tamen quaſi Dux cum STEPHANO milite pugnaturus: *cum ſtante ſtabat, cum bellante bellabat*, inquit B. Petrus Damianus. Et hæc tria miracula, quæ annuente cœlo tunc edita ſuſpicies, *Amice Lector.*

Cur IESVM ſtantem videat?

Primum, vidiſſe STEPHANUM ipſammet Dei eſſentiam. Secundum, ipſum Chriſtum in empyrei cœli Regiâ, & quidem ſolum. *Soli* enim *apparebat, & alii non videbant, ſed invidebant*, dicit Auguſtinus, qui & illud innuit, quod tertium hîc miraculum. vidiſſe Judæos in STEPHANI fronte crucem miri ſplendoris, qui eâ jam ſignatus erat Crucis, & Crucifixi miles; qui ab ipſo Duce Chriſto, donabitur coronâ è lapide pretioſo, è lapide ſapphirino, qui ſuâ ſe luce ſignabit; luce dico divinæ

Serm. 92.

viſionis;

Digitized by Google

viſionis; uti deinde & ardore caritatis, cujus indicio ſunt puncta illa aurea ſapphiro bellè à naturâ impreſſa.

Noſſe vis, quæ illa caritas? attende quæ illi in extremâ vitæ metâ, quis habitus corporis, quæ vox, quæ oratio. Corporis ſitus, & compoſitio, ea eſt, quæ ſupplicis eſſe ſolet; orat enim *poſitis genibus.*

Pro ſe ſtans oraverat, pro lapidatoribus oraturus, genua ponit: quæ cauſa? quia *plus dolebat perſequentium peccata, quàm ſua vulnera*, inquit Auguſtinus, & quia plus illa dolebat, in genua ſeſe abjiciebat, quod dolentis erac, quod miſerentis, quod & amantis, & nimium quantum amantis. Et hoc primum in STEPHANO fuit caritatis indicium. Alterum fuit, eo in articulo validus clamor; *clamavit* enim *voce magnâ*, quod miraculo aſcribi debet; morientis enim vox deficit, & certè defeciſſet STEPHANO, niſi eam ſervaſſet; imò dediſſet vis altior, vis miraculoſa, vis amoris & caritatis, quam aperit, explicatque ingens morientis clamor.

Verſ. 60.

Eò loci, ac temporis alius atque alius erat clamor; alius, atque alius ſtrepitus: *Clamor lapidantium furoris erat, ſtrepitus lapidum crudelitatis. Clamor* STEPHANI *amoris, & pietatis, obruendus ille clamore iſto clamor*, inquiebat Petrus Damianus. Es certè obrutus eſt & clamore illo, & voce magnâ, quæ oris fuit, & linguæ jam deficientis, cui acceſſit & alia vox, vox oculorum, vox lacrymarum, cui ingens apud Deum, ſuperoſque pondus, nam & *lacryma pondera vocis habent*, cui additum & pondus orationis in paucula verba: ſed amoris plena, plena caritatis. *Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum. Putasnè*, inquit Auguſtinus, *verba iſta audivit Paulus? audivit ſubſannans; ſed irriſit.* At non irriſit cœlum: ſed audivit, & quidem quod mireris ad *Sauli* bonum, Sauli ſalutem; quem nec poſtea habuiſſet Eccleſia, nec haberet nunc cœlum, niſi STEPHANUS oraſſet, verum enim illud D. Auguſtini:

Serm. de S. Stephano.

Aug ſer. 99. de diverſ.

Serm. 94. de diverſis.

Si STEPHANUS *non oraſſet, Eccleſia Paulum non haberet, ſed ideò erectus eſt Paulus, quia in terrâ inclinatus, exauditus eſt* STEPHANUS. Sed unde clamor? unde lacrymæ? unde & oratio? utique ab amore, quo pugnavit, quo vicit, quo de hoſtibus triumphavit. Audi quid de illâ S. Fulgentius. STEPHANUS *caritatem pro armis habebat, per caritatem Dei, ſævientibus Iudæis non ceſſit; per caritatem proximi, pro lapidantibus interceſſit; per caritatem arguebat errantes, ut corrigerentur; per caritatem pro lapidantibus orabat, ne punirentur. Caritatis virtute ſubnixus vicit Saülum crudeliter ſævientem, & quem habebat in terrâ perſecutorem, in cœlo meruit habere conſortem.*

Serm. 1. de Sanctis.

Serm. de S. Stephano.

Ita nimirum vicit, triumphavitque, ubi victrix STEPNANI charitas: cui *Saülum* dedit indulgens Deus, uti aliquando revelavit B. *Maria Ogniacenſi*, cognovit hæc aliquando in mentis exceſſu D. STEPHANO oranti, Deum quaſi pro munere dediſse *Saülum*, cui ut in reliquâ vitâ, ſic & in Martyrio adfuit, ejus animam è corpore excedentem excepit, Deoque quaſi depoſitum, quaſi donum reddidit, adjiciens & illud. *Domine, hoc ingenti, & ſingulari munere me donaſti: ego verò multiplici auctum fructu tibi illud reddo.*

Cardinalis Vitriaco in ejus vitâ l. 2. c. 11.

Ecce, ut etiam à morte de *Paulo*, & cum *Paulo* vincit, triumphatque STEPHANI charitas; triumphabitque in cœli Regiâ, in omnem retro æternitatem.

Vis noſſe, qui etiam cœlis additus de Iudæis rebellibus triumphet? Accipe, quæ de illo Cardinalis *Baronius* ex *Severo* Majoricæ Inſulæ Epiſcopo. Narrat hic, illatis Majonam (urbs eſt Majoricæ) D. STEPHANI reliquiis, Iudæos omnes numero quingentos quadraginta, ad Chriſti fidem derepentè converſos.

Anno Chriſti 418.

Occaſio tam ſubitæ, tamque inopinatæ converſionis hæc fuit. Ut Divi Reliquias importari viderunt Iudæi, iiſdem, quibus olim majores animis, eodem furore, impetuque ad ſaxa convolarunt, & quà ſacras STEPHANI exuvias, quà etiam Chriſtianos illis ſuccullantes, aut venerationis ergò comitantes, impetere cœperunt: ſed, ô Divi STEPHANI in ſuos charitas, ô charitatis umbraculum, ô clypeus, ô ſubſidium! innoxia in hos, & illos cecidêre ſaxa: at non abiit innoxia Judæorum immanitas: ſubitò enim cœleſti igne correpta, exarſit eorum Synagoga (quod STEPHANI vindicia videri potuit) at etiam derepente in alios mutati ſunt Judæi, quod STEPHANI amantis, & miſerentis fuit. Ita (ut antè dixiſſe me probè memini:) ubique victrix eſt illius charitas; cui proinde cœlo judice, data corona de lapide pretioſo, de *Sapphiro*: ſed &

EX SMARAGDO.

E Smaragdo.

SMaragdus (ut alia de illius naturâ, colore, pretioque taceam) habet illud ſingulare, ut *eadem quâ ſpecula, ratione ſupini imagines rerum reddat. Hinc Nero princeps, gladiatorum pugnas ſpectabat ſmaragdo.* Ex ea ſimilitudine *Smaragdi*, & ſpeculi factum, ut *Smaragdus* ſymbolum aliquod ſit virginitatis; imò & Sanctiſſimæ Triadis, quæ prima fuit Virgo, genuit enim Æternus Pater Filium ſine Matre, & Pater, ac Filius ſpiravit Spiritum Sanctum, etiam ſine Matre.

Plin. lib. 7. c. 5.

Symbolo Virginitatis.

Hinc Sanctiſſima Trinitas quanta quanta eſt, Virgo eſt, ſimulque creaturarum omnium ſpeculum perfectiſſimum. Et STEPHANUS virgo fuit; à virginitate quaſi Dei ſui, & Sanctiſſimæ Triadis ſpeculum, in quo videretur ipſa quantum mortali oculo fas eſt.

Virginem fuiſſe teſtatur D. Auguſtlnus, & D. Fulgentius; talis nimirum eſſe debuit, qui ei miniſterio præeſſet, qui viduis provideret, qui cum altero ſexu inſtar Angeli verſaretur. Et hunc virginei animi, corporiſque nitorem indicavit conſpecta in Concilio facies ejus ad inſtar Angeli, quia, ut diſertè D. Chryſologus: *Semper eſt Angelis cognata virginitas*, adeòque cognata facies, oriſque decor, & gratia, cui proinde & ſuum ornatum, pretiumque afferet corona de lapide pretioſo, de *Iaſpide, Sapphiro, Smaragdo*, cui coronidem imponet alia

Serm. 1 de Sanctis.

Virgo S. Stephanus.

Serm. 141.

EX ADAMANTE.

Ex Adamante.

ADamas fortitudinis invictæ hieroglyphum: maximè verò Arabicus.

De hoc ita Plinius: *Arabici Adamantes incudibus deprehenduntur, ita reſpuentes ictum, ut ferrum utrimque diſſultet, incudeſque etiam ipſa diſſiliant. quippe duritiâ inenarrabilis eſt, ſimulque ignium victrix natura. Unde & nomen indomita vis Græcâ interpretatione accepit.* ἀδάμας *enim græcè idem eſt quod indomitus, invicta quippe illi vis; ferri, ignisque contemptrix.*

Quod Adamanti natura dedit: hoc virtus, & gratia D. STEPHANO, cui aptari poteſt illud, quod aliquando de D. *Baſilio* magnificè pronuntiavit D. Gregorius Naxianzenus. *Duorum lapidum naturam imitabatur: factus enim erat percutientibus Adamas, diſſidentibus Magnes. Adamas* quidem indomitæ fortitudinis exemplo, atque robore, quo nec minis ceſſit, nec tormentis: *Magnes* autem inſigni, ac generoſâ manſuetudine, quâ etiam diſſidentes à ſe, rapuit, attraxitque.

In Orat. funeb.

Noſſe voles quæ illi vis animi, quàm invicta, quàm indomita? attende, quæ ille in extremâ vitæ ſcenâ cœlo, Deoque teſte exhibuerit, etiam ſub ipſis JESU Chriſti oculis.

Primò in eum inſurgit omnis *Synagoga Libertinorum, Cyrenenſium, & Alexandrinorum*, & uno quaſi impete, petulantiore linguâ, & acriore diſputatione percutit:

Act. c. 6. v. 9.

percutit: & in hac invictus STEPHANUS, *& percutientibus adamas.*

Verſ. 11. Submittunt deinde viros, qui eum incuſarent *blaſphemiæ in Deum, & Moyſem. Venite*, inquiunt, *& percutiamus eum linguâ*; & in hac quoque invictus *Ierem. c. 17.* STEPHANUS, *& percutientibus adamas.*

Verſ. 12. Tum etiam *commovent plebem, & ſeniores, & Scribas*, injectaque in eum violentâ manu rapiunt, & adducunt in Concilium. Et coram hoc invictus STEPHANUS, *& percutientibus adamas.*

Cap 7. v. 54. Tum diſſecantur cordibus ſuis, & dentibus ſtrident in eum. *Super Martyrem* STEPHANUM *dentibus colubrinis ſtridebant, qui quaſi ſerpentem in corde habebant*, inquit Auguſtinus. *Hom. 16. de Sanctis.* Et tamen etiam in hoc dentium ſtridore, morſuque invictus STEPHANUS, *& percutientibus adamas.*

Verſ. 57. Tum denique *impetum faciunt unanimiter in eum, & ejicientes eum extra civitatem* lapidibus impetunt, atque obruunt. Et in hac quoque lapidum, ſaxorumque grandine, quæ undique in ſacrum illius corpus impluit, adhuc invictus STEPHANUS, *& percutientibus adamas*: imo, quod in eo violentæ mortis articulo mireris, & ames, etiam *diſſidentibus magnes*; allicit enim, attrahitque à ſe quàm longiſſimè diſſidentes, dum pro illis flexo genu Deum orat, exoratque, emittitque in cœleſtes auras hæc magnetica verba: *Verſ. 60.* *Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum*; quaſi diceret interprete D. Auguſtino,

Certè ego patior, ego lapidor, in mè ſæviunt, in me fremunt: ſed ne ſtatuas illis hoc peccatum, quia ut hoc dicam tibi à te primò audivi. Ego ſervus tuus patior. Sed multum intereſt inter te, & me. Tu Dominus, ego ſervus; Tu verbum, ego auditor verbi; Tu Magiſter, ego diſcipulus; Tu Creator, ego creatura; Tu Deus, ego homo. Multum intereſt inter peccatum iſtorum, qui lapidant me, & illorum qui crucifixerunt te: quando ergo dixiſti, Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciũt. pro magno peccato petiſti, & me pro minimo petere docuiſti. Ego patior in carne, iſti non pereant in mente. (Condonatio injuriæ in S. Stephano.)

Hæc S. STEPHANUS ex vero *diſſidentibus magnes*, qui patientiâ ſuâ, manſuetudine, indulgentiâ, oratione vel maximè diſſidentes ad ſe, Deumque attrahit. Ita attraxit *Saulum*, ita & alios quà verbo, quà exemplo invictæ indomitæque fortitudinis, atque caritatis.

Orat. de S. Stephano. *Cognoſcant*, inquit Nyſſenus, *Iudæi arma Chriſtianorum, quibus injuriam ulciſcendo magnus* STEPHANUS *uſus, ſui facti exemplo legem vitæ ſanxit.*

Cognoſcant & Chriſtiani, diſcantque cum STEPHANO percutientibus eſſe adamantes, & diſſidentibus magnetes.

Adamantes quidem invictâ in adverſis patientiâ, ac fortitudine; Magnetes autem caritate, atque in hoſtes indulgentiâ. Sic Adamas, ſic Magnes fuit *Lib. 4. n. 74.* ſenex unus aliquis, de quo *Ruffinus* in Vitis Patrum: ab hujus cella Monachus panem etiam ad ſuſtentandam vitam neceſſarium ſuffurari ſolitus erat, non ſine optimi ſenis injuria, gravique damno. Et verò etiam ſuffurantem viderat non ſemel, & tacuerat, cumque ad extrema vitæ deveniſſet intuitus fratrem illum, qui ei panem furtivè auferre ſolebat: ſic ad illum. Accede huc ad me, ſtatim; & apprehendit manum ejus, & oſculatus eſt, adjiciens etiam illud dignum poſteris. (Cœlos aperit.)

Gratias ago manibus iſtis, fratres, quia per eas arbitror me intrare in Regnum cælorum.

Dixit, & animum pupugit ſui illius latrunculi, eaque caritate in melius inflexit; ex eo quippe tempore & facti pœnitens fuit, & vitæ monachalis, ac ſanctioris amantior.

In S. Meletio. Ecce ut Adamas, ut Magnes fuit pius ille ſenex; attende qui etiam S. *Meletius*, cognomento *Magnus*, Epiſcopus Antiochenus, vario jactatus perſecutionum æſtu, quas inter potiſſima fuit exilium, quod tertiò pro fide, ac religione, proque zelo paſtorali ſuſtinuit, invicta ſemper patientia, ac fortitudine. Primum ſub *Conſtantio*, Alterum ſub *Iuliano*, Tertium ſub *Valente* Imperatore; quo ſic Antiochiâ eductus. Civitatis Præſes, homo ut perfidi, ſic & vafri ingenii, eum ſecum in ſuam rhedam extulerat, ut occultiùs, & tutiùs in exilium deportaret: Verùm ut ſemper timidus, ut ſagax eſt amor: ut ferè præſagus impendentis mali, ſubodorati cives quod erat, honoris ſpecie (veriùs dolo, fraudeque Præſidis) in exilium rapi communem civitatis Patrem, ad obvia in compitis, & plateis arma, ad ſaxa, inquam, & lapides confugiunt, & facto impete, grandinis inſtar, & nymbi depluunt in noxium Præſidis caput. *D. Chryſoſt. orat. in laudem S. Meletii.* Quid hîc *Meletius*? an diſſimulet? an prodat infandum caput? an ſaxis obruendum extrudat? minimè gentium. Non is Chriſtiano genius eſt, non ea mens S. Præſuli, non id conſiliū in illis imminentis fati anguſtiis. Alia meditatur, alia molitur omnia; de hoc uno ſollicitus, ut hoſtem ſuum tegat, ac protegat: quod ut faciat probè, veſtem explicat, inimicum caput amplectitur, & quod amabit, prædicabitque omnis ætas, propria chlamyde regit, ac celat, ſicque eripit & civium oculis, & popelli juſtè ruentis armis, & ſaxis impendentibus ſubducit: patientiæ, & manſuetudinis exemplo, quod terra ſuſpiciet, cœlum amabit, inferique perhorreſcent.

Ecce ut Adamas, ut Magnes fuit S. *Meletius*, accipe quomodo S. *Fulgentius*.

Bollandus 1. Ian. in ejus vita c. 11. Vapularat ille ab infami, rebellique presbytero, iterum, iterumque fuſtibus impetitus, & propè contuſus, tum etiam ad ignominiam decalvatus ab eodem, atque denudatus, tum denique ſic ad majus probrum ejectus.

Vulgatum id facinus Carthagine totâ, & ſummos, & infimos ſummo dolore affecit, & quod ſtupeas, etiam Arianos, quos inter Epiſcopus unus aliquis S. *Fulgentio* olim familiaris, atque amicus, de contumaci illo, immitique Presbytero vindictam ſumere parabat: ſi modò injuriâ appetitus tantùm vel leviter queri voluiſſet: ſed noluit pius Præſul: imò & amicis id ſuadentibus, reſpondit illud dignum cœlo: *Non licet in hoc ſæculo vindictam quærere Chriſtiano.* (In S. Fulgentio.) O ſuaves, ô amicas, ô verè Chriſtianas voces! quas utinam & verbo uſurparent omnes, & facto etiam probarent, non ea eſſet in malum, vindictamque proclivitas, non ea ultionis appetentia; quæ & terras inficit, & cœlum ipſum malè afficit: ſed è contrâ vigeret, floreretque caritas, & fructus uberrimos etiam in ipſam æternitatem efferret tam grata ſuperis Deoque injuriarum remiſſio.

At quos, inquies, fructus? eos certè quos D. STEPHANO. At quinam illi? primò mors, ad inſtar ſomni longè ſuaviſſima. *Verſ. 60.* Vix enim in cœlos extulerat illas voces: *Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum*, cùm *obdormivit in Domino. Felix ſomnus cum requie, requies cum voluptate, voluptas cum æternitate*, inquit Damianus. Ecce fructus illius indulgentiæ, requies, voluptas, æternitas, & quidem beata: ad hanc aſpiras, *Amice Lector*, D. STEPHANUM ſedulus imitare; injurias, tibi, tuoque nomini illatas ultrò condona: imò & pro inimicis ora, ſicque & pro illis, & pro teipſo Deum exorabis; & primò, etiam in hac aurâ mortali, requiem invenies bonæ mentis, ac conſcientiæ: tum etiam ex illâ voluptatem, effuſumque geſtientis animæ gaudium: denique & beatam æternitatem; in quâ te decorabit coronâ de lapide pretioſo; eaque compoſita. Primùm ex *Iaſpide* in præmium fidei tuæ, & ſapientiæ altioris. Tum etiam è *Sapphiro*, in decus æternum cœleſtis tuæ in terrâ converſationis, & caritatis planè aureæ. Tum è *Smaragdo*, ad nitorem, & ornamentum illius, quæ in te fuit virginitatis. Denique ex *Adamante* in laudem & gloriam invicti roboris, longævæ patientiæ, atque indomitæ fortitudinis.

Ab his certè magnarum virtutum ornamentis donatus eſt STEPHANUS corona immortalitatis.

Ab his etiam donatus *S. Cornelius Centurio*, Cæſareæ Epiſcopus, qui in extrema vitæ meta hanc à cœlo, Deóque vocem audiit: *Corneli veni ad me. Ecce enim eſt tibi parata corona juſtitiæ.*

Ab his denique donati Sancti omnes quotquot ſuper aſtra vivunt ævo beatiore: atque ab hac quoque doneris oporter, quiſquis cœli, & beatæ æternitatis es candidatus.

IN FESTO
SANCTI IOANNIS
EVANGELISTÆ.

Cornelius Prolog. in Apocal.

QUI D. IOANNIS elogia in unum veluti cumulum congeſſit, pronuntiavit non minus liberè, quàm verè, quod eſſet *Chrubim Dei, Benjamin Chriſti, Deiparæ adoptivus, Evangeliſtarum aquila, Sapientiæ abyſſus, Charitatis incendium, integritatis Smaragdus, Virgo ſine labe, Martyr ſine morte, Amiantus in igne, Sol Eccleſiæ, Deliciæ fidelium, Theologorum vertex, Prophetarum apex, Cœli fulmen, Orbis tonitru, Secretarius Æterni Verbi.* Quæ elogia, ut præclara: ſic & illius dignitati, virtuti, gratiæque quàm maximè conſona. Ex illis ego unicum attingam, quo ſcilicet ſeipſum in Cœli regiâ ſignatum vidit, ac deinde ſcriptis expreſſit; ut quæ tum in exceſſu mentis, aperto veluti intelligentiæ oculo, ſuſpexerat; haberet deinde, ac ſuſpiceret Orbis univerſus; quod, ut & ipſi habeamus, ſuſpiciamusque, ſit

---

QUÆSTIO UNICA
MORALIS.

Ad illa verba: *In conſpectu ſedis tanquam mare vitreum ſimile criſtallo, & in medio ſedis, & in circuitu ſedis quatuor animalia, plena oculis antè, & retrò. Et animal primum ſimile leoni, ſecundum animal ſimile vitulo, & tertium animal habens faciem quaſi hominis, & quartum animal ſimile aquilæ volanti.* Apoc. c. 4. v. 6. 7.

QVÆ SIT ILLA SEDES? QVOD MARE VITREVM? Quæ animalia?

S*Edes* illa, Dei ſedes, Dei eſt thronus: Ita textus Syriacus, qui habet *ante thronum*, & Arabicus, *ante ſedem Dei.*

Mare vitreum, eſt cœlum empyreum, in quo Dei ſedes eſt, ac thronus. *Mare* dicitur ob amplitudinem, ac vaſtitatem; *vitreum* autem, quia cryſtallo non abſimile, puriori tamen, ac cœleſti, quod ſcilicet & Angelos capiat, & Beatos.

Quatuor animalia, ſunt quatuor Evangeliſtæ; vel potiùs quatuor Evangeliſtas exprimunt, referúntque.

Leo D. Marcum exhibet, & conſonat ejus Evangelio, quod incipit à clamore, & rugitu S. JOANNIS in deſerto.

Vitulus S. Lucam oſtentat, cujus ſcilicet Evangelium initium ducit à Sacerdotio Zachariæ, oblatáque cœlo victima.

Homo, repræſentat S. Matthæum, cujus Evangelium ducitur ab humanâ Chriſti genealogiâ.

Denique *Aquila*, in auras, in æthera, in cœlum ipſum effert D. JOANNEM, qui terris ſuperior, & in ipſa Divorum atria, & in ipſum quaſi Divinitatis ſinum evadit, orditúrque Evangelium ab ipsâ Divinitate Verbi: Ita D. Hieronymus, Ambroſius, Gregorius, aliíque Patres, & Scripturæ ſacræ interpretes, quorum opinioni in præſentiâ inſiſtam; & paucis inveſtigabo cur D. JOANNES *Aquila?* & cur etiam (uti vidit Ezechiel) *deſuper ipſorum quatuor?* *Cap. 1. v. 10.*

Ad primum quod attinet, dicitur, & eſt JOANNES velut *Aquila*; quia ut hæc inter volucres omnibus eminet quaſi princeps: ſic & ille inter Evangeliſtas, quos tranſcendit, & longis intervallis poſt ſe relinquit; & hanc quoque rationem attigit Divus Auguſtinus. Sic enim inquit:

Longè à tribus iſtis ſuperius fertur: ita ut ſi hos videas quodammodò in terra converſari: illum autem tranſcendiſſe nebulam, quâ tegitur omnis terra, & perveniſſe ad liquidum cœlum, unde acie mentis acutiſſimâ, atque firmiſſimâ, *Lib. 1. de conſenſu Evang. c. 4.*

ſimâ, videret in principio Verbum apud Deum, per quem facta ſunt omnia.

Hactenus S. Doctor, ex quo videas alios Evangeliſtas terris quodammodo adrepere, atque in terris verſari: D. verò JOANNEM tranſcendiſſe nebulam, quâ terrâ involvitur: nec illam tantùm; ſed & evaſiſſe ad ipſum cœlum, ipſam Empyrei ſedem: hoc eſt ipſiuſmet Dei ſedem, ac thronum, & inſtar cœleſtis *Aquilæ*, acie mentis acutiſſimâ, in ipſam quoque Divinitatem, ipſam Divini Verbi generationem penetraſſe, & quidem acie firmiſſimâ, atque irretorto mentis oculo ſolem illum Æternum, hoc eſt Divinitatem, aſpexiſſe, & hinc D. JOANNES audit *Aquila*; ſed cœleſtis, indèque etiam illius ſupra omnes Evangeliſtas; imò & ſuper omnes Sanctos excellentia, quam ex variis capitibus deducere mihi in præſentiâ eſt animus: ſit itaque

I. EXCELLENTIA D. JOANNIS.

A ſanguine, & natalibus.

CECINIT aliquando Vates. *Et genus, & proavos, & quæ non fecimus ipſi, vix ea noſtra puto*: quod verum eſt quàm maximè, cùm ab iis ducitur omnis laus & commendatio, hoc eſt deforis, & non potiùs domi, atque intrinſecus à virtute, cæteriſque animi ornamentis; quæ ex vero noſtra ſunt.

Certè qui genus jactarit ſuum, qui Proavos longâ ſerie recenſuerit, qui famoſas majorum imagines oſtentarit, & aliud nihil, nihil quod ſuum erat, oſtentaſſe dixero; ſed aliena omnia jactitaſſe. Et hoc apud benè ſenſatos eſt extra controverſiam. Uti & illud, à genere, à proavis, ab avito ſanguine, & majorum gloriâ decus aliquod peti poſſe, non tamen omne: quia potiſſima hominis commendatio duci debet ab iis, quæ verè noſtra ſunt, hoc eſt à præclaris ſeu naturæ, ſeu etiam gratiæ donis: licèt fateamur ab aliis etiam trahi poſſe. Et ita in præſens mihi deducendam exiſtimavi primam D. JOANNIS excellentiam, à ſanguine ſcilicet & natalibus.

At quæ, inquies illa? eadem propè, quæ Chriſti; certè illi proximè juncta. Fuit enim *Zebedæi* filius, & *Salomes*, de quâ ſua inter antiquos lis eſt, quæ fuerit illa?

Sunt quamplurimi, iique non ignobiles, qui contendunt quod *Salomes* D. Annæ filia fuerit, adeóque D. Virginis MARIÆ germana ſoror. Ita S. Chryſoſtomus Act. 1. c. 5. Beda præfatione in Joannem, S. Bernardus de lamentatione Virginis. Hugo de S. Victore, & Gloſſa in c. 1. ad Galatas. Albertus Magnus in cap. 19. Joannis. Abulenſis in cap. 20. Mathæi. Gerſon, & alii, quibus acceſſit S. Birgitta l. 1. Revel. cap. 10. in quo D. JOANNEM appellat ſororium Chriſti, quòd natus ſit ex ſorore Matris Chriſti, & conſequenter B. Virginis fuerit ex ſorore nepos, & Chriſti conſobrinus. Quòd ſi verum eſt, veriſſimum & iſtud inſignem inde B. JOANNI laudem, decus, atque ornamentum accedere illuſtre. Quid enim illuſtrius, quàm ſanguinem ex eodem propè fonte ducere, ex quo & ipſa Dei Mater?

Aliis tamen hæc opinio minùs arridet; cenſent enim *D. Annam*, unicam habuiſſe prolem, videlicet eam virginem, quæ deinde fuit Dei Mater: & hoc, inquiunt, magis decuiſſe & *S. Annæ* gravitatem, & dignitatem, ſeu ipſius Deiparæ Virginis, ſeu etiam Chriſti. Ita Euthymius, Theophilactus, S. Thomas, Janſenius, Caniſius, Baronius, Suarez, aliique, qui tamen fatentur etiam illud, D. JOANNEM & Virginis, & Chriſti conſanguineum fuiſſe, quod facit ad illius decus æviternum.

Enimverò ſi in humanis illud inter illuſtria familiarum ſtemmata reponitur, originem duxiſſe è Principe, è Regio, è Cæſareo ſanguine; quid erit ab eodem unde Dei Mater, unde & Dei filius? Erit certè iſtud, non dico Regium, non Cæſareum: ſed hoc, & illo majus: imò quod in humanis eſſe poteſt, longè maximum: ab illo quippe non Regia, non Cæſarea ducetur majeſtas; ſed altior aliqua, ſed cœleſtis, & propè divina, ut quæ accedat ad communionem, & conſanguinitatem cum ipſâ Verbi Incarnati perſonâ, hoc eſt, cum divina; ipſóque Deo ter Opt. ter Max.

De *S. Genovefa*, virgine ſanctiſſimâ, pronuntiavit illud D. Germanus, in ejus nativitate magni gaudii, & exultationis in cœlo ab Angelis celebratum fuiſſe myſterium; audeo dicere majoris & gaudii, & exultationis celebratum fuiſſe myſterium in nativitate S. JOANNIS, utpote futuri & Chriſto, & ipſi Deo conſanguinei. Et hic primus excellentiæ illius fuit gradus, à quo nobis ad alios facilior erit aſcenſus. *Bollandus 3. Ian. in ejus vita c. 7.*

II. EXCELLENTIA D. JOANNIS.

A ſingularis gratiæ prærogativa, data ſanguini & natalibus.

IN Eccleſiâ (quæ veluti cœlum novum) uſuvenit, quod in cœlo illo aſpectabili. In hoc, aſtra minora, ſeu illius ocelluli, ſeu gemmæ; eò magis, illuſtrantur à ſole, veluti fonte omnis luminis, quò fuerint illi viciniora. Sic & in Eccleſiâ, in quâ Chriſtus quaſi ſol, & origo prima, fonſque omnis lucis, hoc eſt omnis gratiæ, ii qui fuerunt illi à ſanguine, & natalibus viciniores, ab ipſius quoque lumine magis illuſtres.

Ita D. *Virgo*, quia Dei Mater futura, adeóque propinqua, ac vicina quàm maximè, majoribus, & clarioribus cœleſtis gratiæ, id eſt lucis divinæ radiis illuſtrata, quàm ullus umquam vel in terris homo, vel in cœlis Angelus. Ratio in oculis eſt, quia propiùs ad Chriſtum, hoc eſt ad ſolem, acceſſit, quàm ullus vel hominum, vel Angelorum.

Ita *S. Ioſeph* præ omnibus illius ævi ſanctis, à gratiâ major, atque illuſtrior fuit, vel ex hoc uno, quod Chriſti, hoc eſt Dei, nutritius, & quaſi pater electus, adeóque vicinus magis.

Ita D. *Anna*, auguſta Virginis Mater, quia inde Chriſti avia, & D. *Ioachim*, quia ejuſdem avus, à gratiâ quoque, & ſanctitate cæteris illius ſæculi majores, quia illi viciniores.

Ita D. *Ioannes Bapt.* quia & ipſe illi cognatus, quia & Paranymphus; major & ipſe inter natos mulierum, quia & ſanguine propinquior.

Quod illis: hoc & D. *Ioanni Evangeliſtæ*, utpote Chriſti conſanguineo, adeóque & ſanguine propinquo, datum eſt, ut à Chriſto, ſeu ſole plus hauriret divinæ lucis, ac ſplendoris, qui eſt à gratiâ, ac ſanctitate, quàm cæteri ab eodem remotiores. His certè data tantùm aliqua lucis illius portio: at Divo JOANNI quaſi ſe totam infudit gratiæ plenitudo; & quæ in aliis ſparſit cœleſtium donorum chariſmata, in hoc uno collegit; ut videre erit ex

III. EXCELLENTIA D. JOANNIS.

Ab omnibus Sanctorum titulis.

E quibus primus erit à nomine illi à parentibus indito, qui boni ominis fuit: audit enim JOANNES, Hebraicè *Iochanan*, id eſt gratia Dei, aut Deo gratioſus; ut jam inde portenderet illud, quod de ſeipſo deinde extulit; *Diſcipulus, quem diligebat IESVS.* *I. Ioannes.*

Et hoc illi quodammodo à naturâ nomen: aliud à Chriſti voce, gratiaque: ab hac dictus *Boanerges*, hoc eſt *filius tonitrui*. *Clangat tuba, filius tonitrui*, inquiebat D. Hieronymus. *Verè tonitrui filius per propriam ſuam grandiloquentiam, velut ex quibuſdam nubibus à ſapientiæ ænigmatibus, piam nobis de filio intelligen-* *II. Boanerges.* *Epiſt. 13 ad Evagrium.*

Hæreſ. 73. *tiam perſuadens*, aiebat D. Epiphanius.

Silveſter Petraſancta Thaumaſia tom. 1. c. 30.

Verè tonitrui filius, ut qui Evangelium ſuum nonniſi præviis tonitruis, & fulguribus in auras eduxerit. Crederes alterum fuiſſe Moyſen qui legem à Deo accipit, non ſine tonitruo, & fulmine. Et verò ſi Legi antiquæ prænuntia quaſi tonitrua, & fulgura: quidni & novæ? quam educit, eructatque *tonitrui filius*, vel ex ipſo ſinu Æterni Patris, à quo & illud: *In principio erat Verbum*: ab hoc Evangelio, quod ſcripſit Anno à Chriſti Nativitate nonageſimo-nono, audiit

III. Evangeliſta.

Evangeliſta, non quales alii: ſed altior longè, ac ſuperior, ut qui tantum ab aliis diſtet ſua luce, quantum ſol ab alio quovis minore ſidere.

Ab illo certè exceſſu divinæ quodammodo lucis; D. Dionyſius Areopagita in epiſtola, quam etiam illimet inſcripſit; *ſolem Evangelii* appellat.

IV. Apoſtolus.

Fuit deinde & *Apoſtolus*, & quidem jure ſuo præcipuus, à Petro primus; imò & Petri ſocius, ac ſurgentis Eccleſiæ, ceu ædificii ſpiritualis, columna princeps.

Cap. 2. v. 9.

Et talem profectò ſuſpexit, pronuntiavitque D. Paulus, dum ſic de illo ad Galatas: *Iacobus Cephas, & Ioannes, qui videbantur columnæ eſſe, dexteras dederunt mihi, & Barnabæ.*

V. Theologus.

Hom. 2. in diverſis.

Fuit etiam *Theologus*, ut liquet ex Apocalypſi, quæ Græcè inſcribitur: *Apocalypſis S. Ioannis Theologi*, quem etiam, etſi cætera taceant, loquuntur, & proclamant, quæ terris reliquit ſcripta. quibus, ut ait Origenes, *quaſi intima Theologiæ penna, ſupervolat non ſolum, quæ intelligi, ac dici poſſunt; verùm etiam, quæ ſuperant omnem intellectum, ut qui ſcilicet extra, & ſupra omnia, ineffabili mentis volatu in arcana unius omnium principii, ſit exaltatus.*

Ab hac porrò exaltatione, ubi ad ſe, ſuóſque rediit, ſummorum Theologorum fuit magiſter, atque imprimis *S. Gregorii Thaumaturgi*, de quo Divus Gregorius Nyſſenus hæc in ejus vitâ.

VI. Doctor hominum.

Fuerat ille magni Origenis primò diſcipulus; deinde & Neocæſareæ Epiſcopus, quo munere dum fungitur, neſcio quæ ab Origeniſtis ſparguntur errorum, & hæreſeos ſemina, maximè verò Arianiſmi; quæ dum ex Epiſcopali ſolio, veluti ſpecula, deſpicit *Gregorius*, animi certè dubius, anxiúſque Deum orat, Deique Matrem, ut lucem afferat doctrinæ ſanctioris. Nec vana fuit oratio, boníque vacua; adfuit enim in amœnâ ſomni unius imagine *Diva Virgo*. adfuit & illi comes S. JOANNES, qui illico Gregorio datus eſt à Virgine magiſter, à quo & mox accepit fidei ſymbolum, quod deinde celebravit quinta Synodus œcumenica, & tota Orientalis Eccleſia: quo in ſymbolo ille ipſe cœleſtis Magiſter & pleraque Evangelii ſui myſteria aperit, explicátque, & ea maximè, quæ de Verbo Patri Homouſio aliquando protulerat.

In ejus vita

Et hic primus è Theologis D. JOANNIS diſcipulus: alter ab illo fuit *D. Ioannes Chryſoſtomus*, cui in Monaſterio adhuc degenti apparuit *D. Petrus*, Apoſtolorum princeps, & D. JOANNES Theologorum apex: ille clavem porrexit; hic autem Evangelii librum: itaque *Chryſoſtomus* à *D. Petro* Pontifex, & à D. JOANNE Doctor eſt creatus, longè alius ab illis, qui in ſcholis, qui in Academiis & pileo donantur, & doctorali epomide.

Et Angelorum.

Præfat. in Evan. Ioan.

Et hi quidem D. JOANNIS diſcipuli: ſed in terris, & obſcuro, ignaróque ſolo: meliores, altioréſque illi, quia etiam è cœlo; cœleſtes utpote genii, quorum etiam vivus, ac ſpirans Magiſter fuit JOANNES, de quo ſic aureè Chryſoſtomus: *Tonitrui filius eſt, Chriſto dilectiſſimus, columna omnium, quæ in orbe ſunt Eccleſiarum, qui cœli claves habet, qui Chriſti calicem bibit, qui ſupra pectus Domini multâ cum fiduciâ recubuit, non fabulas effingit, non perſonatus incedit, non orcheſtram ſupplodit, non aureo ornatur veſtimento, ſed ſtolâ puriſſimâ, veritatis decore intexta & diſtincta amictus progreditur, cui proſcenium eſt univerſum cælum, theatrum Orbis terræ, ſpectatores, auditoreſq́; omnes Angeli, & quicumque homines Angeli ſunt, aut fieri deſiderant. Hi duntaxat ejus harmoniam audire poſſunt. Ipſi enim Angeli, Cherubim, & Seraphim nobiſcum per* JOANNIS *vocem didicerunt, quæ cognovimus.*

Ad Epheſ. c. 3. v. 10.

Ac, ne ab illo hæc dicta crederes licentiâ quâdam artis oratoriæ, ipſum è cœli regiâ teſtem *Paulum* evocat, ſic adhuc in terris, in ſcriptis loquentem: *Ut innoteſcat Principatibus, & Poteſtatibus in cœleſtibus per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei. Huic enim Apoſtolo ſuperna adfuere virtutes.*

Ecce, ut Apoſtolo teſte, & *Virtutes*, & *Principatus*, & *Poteſtates*: imò & judice Chryſoſtomo etiam *Cherubin*, & *Seraphin*, id eſt ſupremæ cœlorum Intelligentiæ magiſtrum habuere D. JOANNEM, utpote Theologorum & in terris, & in cœlis facilè principem; quem æſtu quodam ſeu amoris, ſeu ſtuporis excitus, ſic alloquitur *B. Laurentius Iuſtinianus*, ſimulque ante dictorum rationem reddit; dum ita ad JOANNEM:

Lib. de agone Chriſti. c. 9.

Sapientiæ arcana contemplando rimaris, curris per Angelos, diſcurris per Archangelos, cæteraſq́; ſpirituum legiones conſiderationis pennâ percurrendo rimaris, tibi nunc panduntur indicibiles ſapientiæ theſauri, tibi reſerantur revelationum ſacra myſteria, Divinitatis altitudo, Æterna Verbi generatio, & cœleſtis gloriæ triumphale regnum.

Quòd ſi & hoc, & illa ei referantur; quid adeò mirum ſi ab his, & illis fuiſſe dicatur etiam cœleſtium Intelligentiarum Magiſter, & Doctor?

VII. Propheta.

Lib. 9. in Iſai.

Fuit & *Propheta*. Prophetias loquitur, atque aperit Apocalypſis, in quâ, ut ait S. Hieronymus, *Medullata Eccleſiæ Sacramenta contexuntur, in quâ arcana, ac myſtica viſio dilecti diſcipuli*, ut annotat Divus Dionyſius Areopagita.

In hac D. JOANNES & terris, & ſeipſo ſuperior, modò ſedet cum Agno, cum Angelis, & viginti quatuor ſenioribus ante thronum Dei, & Agni, modò verſatur cum duodecim millibus ſignatorum ex qualibet Iſraëlitica Tribu, cum turbâ magnâ gentium, cum palmatis martyribus, & virginibus liliatis, modò cum muliere amictâ ſole, ornatâ ſtellis duodecim, & lunam ſub pedibus premente: modò cum Henoh, & Elia; cum ſanctis ſtantibus ſupra mare vitreum, modò ſupra fulgura, & tonitrua, in cœlo novo, & terrâ novâ, in Hieruſalem novâ de cœlo deſcendente, modò guſtat melioris vitæ lignum, ducitque ad ipſos vitæ fontes, ut ex iis beatarum mentium delitias liceat prægustare, utque omnia paucis complectar, in cœleſti throno reſidentem Agnum videt, ejúſque majeſtatem adorat, ac veneratur: Angelorum, ac Beatorum venerationem edocet, prædeſtinatorum ſignationem, Martyrum, & Virginum gloriam, futuráſque Eccleſiæ perſecutiones exponit, atque ab iis palmas, ac triumphos educit ad uſque Antichriſti tempora, totiúſque Univerſi excidium. Ecce nobiles, ecce deductas per longa ſæcula vaticinationes, à quibus jure meritiſſimo inter Prophetas reponitur; imò & Prophetarum omnium princeps, ac coryphæus nominatur: ſed hæc, inquies, omnia & amori ſunt, & ſtupori. Demus alia, quæ imitationi ſerviant, & moribus ex virtute formandis, hæc inter primum erit illud, quod etiam *Virgo* fuerit.

VIII. Virgo.

Virginem fuiſſe, etiam ad ultimam uſque vitæ metam teſtantur antiquiores propè omnes.

Lib. 3. c. 4.

D. Auguſtinus contra Fauſtum de JOANNE loquens, *inexpertem veneris appellat.*

Lib. 1.

D. Hieronymus contra Jovinianum etiam Virginem proclamat, ac tuetur.

Tuetur & Tertullianus libro de Monogamiâ. Neque hic objici poteſt illud D. Auguſtini. *Ioannem*

D ominus

Præfat. in Ioan.

Dominus de fluctivaga nuptiarum tempeſtate vocavit, quaſi is fuiſſet, qui ſponſus in nuptiis Canæ Galileæ. Enimverò nec ibi ſponſus fuit, nec ûnquam aliàs ſponſus, nec eum Dominus evocavit de fluctivaga tempeſtate nuptiarum jam initarum; ſed potiùs ineundarum: quod majoris beneficii fuit in Domino, & in JOANNE majoris puritatis: ut qui nuptiis nunquam fuerit illigatus, nedum contaminatus.

Et hinc factum ut Chriſto fuerit in amoribus, primiſque curis, utpote *Virgo*. Hinc factum ut cæteris Dominum non agnoſcentibus, agnoverit ipſe primus, extuleritque illud ad condiſcipulos, *Dominus eſt*.

Ioan. c. 21. v. 7.

Nimirum ut rectè D. Hieronymus: *Prior virginitas virginale corpus agnoſcit*; ſive quòd virgini purior ſit oculorum acies, ac defœcatior, ſive quòd Virgini Dominus amet priſtinam ſpeciem objicere, unde & agnoſci poſſit à Virgine, ignotus cæteris. Hinc denique factum, ut etiam moriens, è cruce JOANNI Matrem commendarit, utpote Virginem Virgini. *Pura puro commiſſa eſt*, inquit Theophilactus, *ne quis ſcilicet eam convitio temeratæ integritatis aſpergeret*, ut annotat Ambroſius, quaſi diceret (ut explicat paraphraſis) *Mulier*, hoc eſt, *amans virginitatis Mater, ecce Virginem filium, & vice verſa diſcipulo virginitatis ſtudioſo, ecce Virgo parens tua abſque partu*. Et hæ, emorientis filii, poſtremæ ad Matrem voces, ut JOANNI deinceps cohabitaret.

Epiſt. ad Pamachium

Lib. de inſt. Virgin. c. 8

Quo cum enim potiùs *Virgo habitare debebat, quàm cum eo, quem filii hæredem, integritatis ſciret eſſe cuſtodem?* ut advertit, explicatque D. Ambroſius.

Supra c. 7.

Et hæc D. JOANNEM, Virginem fuiſſe ſatis ſuperque probant; imò & virginitatis tuendæ patrocinium exhibent, atque oſtendunt. Et ita exhibitus aliquando *S. Coletæ*, virgini ſanctiſſimæ: ut erat illa virginitatis amantior, D. JOANNEM pudoris ſui, illibatæque caſtitatis tutorem, ac defenſorem elegit, nec in caſſum. Ei quippe ſeſe viſendum dedit, eámque annulo aureo quaſi ſponſam ſibi deſpondit, Virgo ſcilicet virginem. Ut ei & ipſe deſpondi poſſis, jungíque nexu caſti, virgineíque amoris, paucis accipe, quæ aliquando *S. Eduardo* D. JOANNES; & quæ D. JOANNI *S. Eduardus*. Voverat hic nulli negare eleëmoſynam, qui eam petiiſſet Divi JOANNIS nomine. Placuit ſuperis votum, placuit & eleëmoſyna ex voto concepta, datáque liberaliùs; quod liquidò oſtendet illud, quod ſubjicio.

Surius in ejus vita c. 20 die 6. Martii.

S Coletæ Virgini annulum dedit D. Joannes.

Aberat ab *Eduardo* Rege Camerarius, cùm fortè peregrinus, annis gravis, atque ab extremâ, ut videbatur, paupertate gravior, ſtipem petiit, idque D. JOANNIS nomine. Quid hîc Rex pius? negare, videbatur nefas; dare, importunum, atque intempeſtivum: nihil enim erat ad manum quod daretur: at erat in manu Regius annulus, auro pretioſus, & gemmâ. Hunc illicò digito exerit, & pauperi donat; abit ille dono lætus, ac dives: ſed etiam eleëmoſynæ memor, & gratus probè; nimirum in cœlis reponitur, quod in terris dederis. Et ita hic repoſitum. Labitur interea tempus non modicum, cùm duo Angli peregrinationis ergo ad Domini ſepulchrum Hieroſolymam veniunt, & quia viarum ignari erant, declinant à viâ, aberrantque quàm longiſſimè.

Surius 5. Ian.

Rex Eduardus pauperi donat annulum.

Errantes nox occupat, & cum nocte timor, horrórque: & anxia ſollicitudo, quam illicò deterſit, qui ſe ſpectandum obtulit ſenex, vultu, & canitie venerandus, qui & in viam reduxit, ad urbem adduxit, & hoſpitio lautius excepit, & lectulo, in quo nox abiit in alta, ſecuráque quiete, placidóque ſomno, quem ut oriente ſole excuſſere peregrini, ecce iterum adfuit illicò ſenex, & hæc illis.

Ite, redite læti, patriámque reviſite, iter proſperum habituri me duce, me defenſore, ac patrono. Quis porrò ſim ſi quæritis? paucis accipite. Ego ſum JOANNES, Chriſti Apoſtolus, qui Regem veſtrum ob virgineum animi, corporiſque nitorem amo, redamóque. Hunc ergo annulum, quem mihi aliquando in habitu peregrino quaſi mendico dedit, reportate, eíque reddite: & hæc ex me illi edicite. Inſtare ei mortis diem, lucémque non ingratam, quæ ubi poſt menſes ſex illuxerit, adero & ipſi, animámque è corpore abeuntem excipiam, ducámque in amœna Paradiſi, ut mecum *Agnum* ſequatur, virginem virgo. Dixit, atque ex oculis evanuit, ſimúlque nobis exemplum reliquit caritatis, atque caſtitatis, & tam hujus, quàm illius in cœli regiâ præmium.

Remittitur illi à S. Joanne.

Hoc ſi ambis, *Amice Lector*, illud imiteris eſt neceſſe, virgo ſis, caſtus ſis, & eris qui fuit JOANNES, Chriſto, Virginique in amoribus.

Fuit & D. JOANNES Martyr. Etſi enim cervices ferro non dederit, ut *Paulus*, etſi ſanguinem cum vitâ non effuderit; martyrium tamen ſubiit, & diuturnum, & permoleſtum: tum ad pedes, & ima crucis cum Virgine Dei Matre; tum in Inſulâ Pathmos à Domitiano eò relegatus, non ſine ingentibus exilii longioris moleſtiis; tum denique Romæ ante Portam Latinam ejuſdem Domitiani juſſu, in ferventis olei dolium immiſſus, è quo non tam evaſit miraculo, quàm à morte quaſi redivivus ſurrexit.

IX. Martyr.

Vidi Romæ ejus martyrii locum Sacello jam inſignem, in cujus pariete eminet ipſe in dolio olei bullientis, adjectâ hac epigraphe:

Ioannes Chriſti Apoſtolus, Evangeliſta, Propheta, & Martyr, è dolio ferventis olei vegetior exivit.

In averſo autem pariete leguntur hi verſus, & ſuâ ſimplicitate, & antiquitate venerabiles:

Martyrii calicem bibit hic Athleta IOANNES,
Principii verbum cernere qui meruit.
Verberat hunc fuſte Proconſul, forfice tondet,
Quem fervens oleum lædere non valuit.
Conditur hic oleum, dolium, cruor, atque capilli,
Quæ conſecrantur inclyta Roma tibi.

Hæc Vates antiquus, ex quo habes S. JOANNEM primò fuſte percuſſum ad pœnam, deinde etiam attonſum ad ignominiam; tum relegatum in Pathmos, exilii locum, denique in dolium ebullientis olei validâ carnificum manu injectum ad extremi ſupplicii horrorem, & pondus: quod dum æquâ lance expendit Tertullianus, ſic Urbi gratulatur, & congaudet:

Felix Roma, qui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt: ubi Petrus paſſioni Dominicæ adæquatur, ubi Paulus Ioannis Baptiſtæ exitu coronatur, ubi Apoſtolus Ioannes poſtquam in oleum igneum demiſſus, nihil paſſus eſt, in Inſulam relegatur. Et hæc de martyrio, ut ita dicam ſanguinis; de martyrio ſeu amoris, ſeu doloris. Ita S. Bernardus in lamentatione B. Virginis, ubi de JOANNE, deque Deiparâ ad Chriſti crucem:

Lib. de Præſcript. c. 36.

Tacebant ambo illi Martyres, & præ nimio dolore loqui non poterant. Iſti duo Virgines audiebant Chriſtum voce raucâ, & ſemivivâ loquentem, ipſum videbant paulatim morientem. Amabant flere, & flebant amarè. Amarè flebant, quia amarè dolebant. Nam gladius mortis Chriſti, animas utrorumque tranſibat. Tranſibat ſævus, ſævus perimebat utrumque: & peremiſſet omnino, niſi vis amor adhuc vitæ reſervaſſet. Reſervavit autem, ut is eſſet, qui à Chriſto audiit *Boanerges*, hoc eſt *filius tonitrui*. Tonitrui quidem à zelo, quem induit, & ſacro horrore, quem malis incuſſit: fulguris autem, ab exemplo vitæ ſanctioris, ut de eo jure potiori dici poſſet illud, quod deinde de S. Baſilio extulit D. Gregorius Nazianzenus: *Tonitruum erat oratio, quia vita fulgur.*

Orat. de S. Baſilio.

Vis audire tonitruum, quod aliquando contra Samaritanos in Chriſtum injurios concepit? audi quod in illos expreſſit: *Domine vis dicimus, ut ignis deſcendat de cœlo, & conſumat illos?*

Luc c. 9.

Vis ſpectare fulgur, quod ex eodem tonitruo vibratur, & micat? ſpecta vitam omnem, ſpecta virtutes cœlo dignas, imprimiſque arduam in proximos caritatem. Specta parata ab illo auxilia etiam de ſuperum domo.

Theodoret. l. 5. c. 24.

In campum venire debuerat *Theodoſius*, pius Imperator, ſignaque collaturus cum *Eugenio* Tyranno.

Reſerat ardua, & periculoſæ plenum opus aleæ, dum ea jacitur, ad D. IOANNIS, ceu Tutelaris opem, auxiliumque confugere viſum, nec fruſtrà: adfuit enim dimicanti D. IOANNES cum D. *Philippo*, veſte nitenti, & candidâ, equoque portatus albo, per medias excurrens acies atque etiam in hoſtes ſua tela retorſit; cumque terrorem injecit, ut terga verterit: verè *Tonitruum*, verè *fulgur*, qui & terreret, & fugaret.

Ut is aliquando eſſe poſſis, *Amice Lector*, vide ut ſis, qui IOANNES, ſit vita tua fulgur ab exemplo vitæ ſanctioris, quod oculos feriat, & *tonitruum* erit oratio tua.

IV. EXCELLENTIA D. JOANNIS.

A ſingulari Chriſti in eum amore, cujus indicio eſt illud, quod in cœnâ recubuit ſuper pectus ejus.

CUM ſibi nomen facere voluit JOANNES, non aliud extulit, quàm iſtud. *Diſcipulus quem diligebat IESVS, qui & in cœnâ recubuit ſuper pectus ejus.* Fuit nimirum indicium illud eximii in eum amoris, ac propenſionis: quæ JOANNI conceſſa privilegio prorſus ſingulari; quod quantum ſit agnoſces.

Ioan. c. 21.

Ad Coloſſ. c. 21.

Primùm in eo, quod ut Filius eſt in ſinu Patris, ſic & JOANNES ſit in ſinu Filii, in quo, ut ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei: ſic & illos inde hauſit JOANNES, velut rivulos de fonte, vel ut radios de ſole.

Antiquis illud habitum eſt in primis honoribus, in Regum, Cæſarúmque throno conſidere potuiſſe: & eò quidem ut apud Perſas, & Romanos crimen eſſet læſæ Majeſtatis, non expiandum niſi morte, ſi quis non acceptâ veniâ in eo reſediſſet. Nimirum hoc crimini datum eſt: ut illud honori, ac gratiæ, etiam ſingularis, ſi cui facta eſſet facultas in eo ſedendi, ut refert Joannes Sariſterenſis, Divi Thomæ Cantuarienſis olim ſecretarius.

Quod ſi favoris, amoriſque regii id fuit, quanti erit in ipſo Servatoris, id eſt Dei hominis; ſinu recubuiſſe? ecquid enim aut Regis, aut Cæſaris thronus ad Dei ter Opt. ter Max. ſinum? ſit ille è polito marmore, ſit ex ebore indico, ſit ex auro puriſſimo, ſit è gemmis, ac margaritis ſi voles; ecquid illa? animâ certè vacua ſunt, vacua & ſenſu, & ipſo homine longè inferiora, nec ab illis ad animum aut ornamenti, aut gratiæ, aut dignitatis, aut ſanctitatis quicquam accedere poteſt. At Dei hominis ſinus, & animâ plenus eſt, & Divinitate, adeóque theſauris omnibus ſapientiæ, & ſcientiæ Dei; imò & ſanctitatis. Quid ergo erit, & quantum in eo recubuiſſe? erit certè ſummum quod eſſe poteſt divini ſeu favoris, ſeu amoris, ſeu gratiæ.

Apud Hebræos Pontifici ſummo honori fuit in Sancta Sanctorum vel ſemel tantùm in anno ſubingredi, pedibúſque atterere ſacrarius ſolum.

Magno *Bapt. Ioanni* gratiæ fuit Domini caput vel leviter aquis intingendo, tangere.

Magdalenæ ſacros Chriſti pedes eluere lacrymis, atque exoſculari.

Hemoroiſſa vel ſolam veſtimenti fimbriam attingere. At quid iſthæc omnia ad illud, in Chriſti ſinu recubuiſſe? omninò aut nihil, aut perparum. Hæc nimirum JOANNI ſervata gratia, hic favor, amórque Salvatoris, à quo illi ſummum decus, & ſummum propè bonum accedere neceſſe fuit: certè omninò ſingulare & nulli vel mortalium, vel etiam immortalium conceſſum. Quid autem inde ſecutum boni? exponit D. Hieronymus in Ezechielem.

Cap. 1.

JOANNES *recubuit in pectore ejus, ut hauriret fluenta ſapientiæ, ut poſſet dicere: In principio erat Verbum, quia enim in pectore Chriſti ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi: meritò ſuper pectus ejus recumbit, quem majore cæteris ſapientiæ, & ſcientiæ munere donat.*

Addo ego & amoris, quem uti in hac mortali vita teſtatum voluit JESUS; ſic & in immortali.

Anno 1599.

Argumento erit oblata B. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, in exceſſu mentis amœna viſio. Dies erat D. *Stephano* Protomartyri ſacer, cùm à ſe diſceſſit, & in ipſam cœli regiam exceſſit dicta Virgo, viditque Chriſtum ita ſibi complacere, & delectari in una D. IOANNIS anima, quaſi unica fuiſſet illa: & cauſam deinde ſubintellexit hanc fuiſſe, quia hujus dum viveret finis, & ſcopus erat eximia in Chriſtum caritas, & ſecundum illum etiam in proximum.

Lancicius Opuſc XVII. l. 2. c. 1.

V. EXCELLENTIA D. JOANNIS.

Expreſſa his Chriſti morientis vocibus:
Fili ecce mater tua.

Ioan c. 19. v. 27.

SI quo umquam loco, aut tempore ſeſe prodit, explicátque cujuſquam amor, & propenſa in aliquem inclinatio, maximè in ultimâ vitæ periodo, cùm mors imminet, & anima jam abituriens eſt in extremis labris.

Nimirum vita noſtra non abſimilis eſt faci, aut lucernæ, quæ dum propè extinguitur, flammam aperit, ejicitque vehementiùs, quaſi in poſtremâ cùm tenebris impendentibus, hoc eſt cùm illius occaſu, ceu morte, lucta. Quod vita: hoc & teſtatoris animus, ut proinde rectè dixerit Quintilianus: *Teſtamenta ſunt, quibus omnem animi fatemur affectum*; crederes cor, amoris affectúſque ſedem catenus clauſam, tum primùm aperiri, ac pateſcere.

In Declam.

Et certè aperitur, ac pateſcit per ultimas teſtamenti tabulas, quas Juriſconſulti appellant, *teſtationem mentis*, quaſi tum per illam mens loquatur, & mutâ quadam voce affectum latentem pandat. Hinc Plinius appoſitâ ſanè, atque eleganti ſimilitudine *Teſtamentum* vocat *ſpeculum animi*: in quo & luceat, & videatur animi facies, hoc eſt amor, & benevolentia ex eo nata.

In Epiſt.

Quod ſi apud puſillos mortales, quibus tamen minus eſt animi, minus & affectus, id uſu venit; multò magis apud Deum noſtri causâ mortalem; imò & morientem. Teſtamentum eò loci, ac temporis condidit; in quo bona omnia ſuis legavit. Militi quidem tunicam, peccatori veniam, latroni paradiſum, pœnitenti crucem, Patri Æterno ſpiritum, ſepulchro corpus, Joanni matrem: Ecce nobiliſſima teſtamenti portio, Dei ſcilicet Mater illi relicta: nemini profectò (ſi Patrem Æternum exceperis) melius, aut dignius quicquam eſt conceſſum.

Gaudeat latro de Paradiſo ſibi dato ultimis Chriſti tabulis, vocéque ultima, gratuletur ſibi ſepulchrum de ſacroſancto illius corpore, & ſpiritum ſibi redditum amet Æternus Pater. Tu IOANNES de relictâ tibi Dei Matre & gaudebis, & gratulaberis, & triumphabis. Habes enim in illâ quod terris ſanctius, quod cœlis gratius, quod Chriſto carius, quod Deo pretioſius ab ipſo Deo: habes & in hoc & arrham divini in te amoris, ex quâ emittas in ſæcula, & in omnem retro æternitatem, hoc tibi ab illa partum nomen. *Diſcipulus quem diligebat IESVS.*

VI. EXCEL-

VI. EXCELLENTIA D. JOANNIS,

Ioan. c. 19. v. 27.

Hiſce verbis notata: Mulier ecce filius tuus.

ALIÆ, atque aliæ ſunt appellationes, quibus notari, gaudereque ſolent excelſæ in terris animæ.

Virginis Deiparæ ſervum ſe dixit B. *Walterus de Birbeke*. Propugnatorem ejuſdem Virginis appellari ſe voluit *S. Cyrillus.* Sacellanum *S. Ildefonſus.* Clientem B. *Albericus*, & totus Ordo Ciſtercienſis, qui ab illâ clientelâ etiam viſus ſub ſacro MARIÆ paludamento. Procuratricem vocavit, atque ſibi elegit pupillus apud *S. Ioannem Eleemoſynarium. Beatus Petrus Damianus* mancipium ſe eſſe voluit. Alii aliud, ex alio, atque alio virginei amoris impulſu. At quid iſthæc omnia ad Virginis filium, quo nomine audiit D. JOANNES etiam ipſo Primæ Veritatis oraculo, etiam ultimâ Chriſti morientis voce: dum hæc audiit ad Matrem dici: *Mulier ecce filius tuus.* Quid ſanctius? quid auguſtius? quid divinius, quàm eſſe Deiparæ filium: & Dei hominis ex eo etiam fratrem? Certè ſi filii dignitas petitur à Matre, cùm Deiparæ Matris dignitas ad infinitatem quodammodo accedat (ut cenſet D. Thomas) neceſſe eſt dignitatem ex illâ petitam eſſe quodammodo infinitam.

Verùm, inquiet unus aliquis, etiam MARIA fidelium omnium mater eſt, & ipſi fideles etiam filii.

Lib. 4. Rev. c. 138.

Non abnuo. Et ita D. *Birgitta* revelavit ipſa Dei Mater, & ſe fidelium matrem nominavit. Et ita filium ſe nominarunt devotæ Virgini Animæ.

Ita cæteros inter *Alfonſus Rodriguez* è Societate JESU Coadjutor notæ ſanctitatis, cui etiam cum Virgine certamen fuit; ſed amoris: cùm enim ei ſeſe viſendam dediſſet Dei Mater, ſic ad illam Alfonſus: *O bona Mater plus te amo, quàm tu me.* Cui Virgo: Falleris enimverò, *Alfonſe*, falleris. Nemo unquam me ſuperavit amando niſi JESUS, filius meus.

Eccli. c. 24.

Maneat ergo quod Virgo fidelium Mater ſit, & *Mater pulchra dilectionis*: at mater eſt favore, & gratia. Non ſic JOANNI; huic enim mater eſt, etiam ipſo adoptionis jure, etiam ipſis teſtamenti tabulis; imò & donatione inter vivos omninò irrevocabili, facta à Chriſto moriente extremis vocibus, & ipſo ejuſdem ſanguine ſignata, & deinde morte firmata. Et cujus probè conſcius D. JOANNES,

Ioan. c. 19.

ex illa hora accepit eam in ſua. id eſt inter ea, quæ jure quodammodo poſſidebat ut ſua. Quid ditius? quid illuſtrius? quid divinius à Deo dari potuit? quid & melius, ac firmius à JOANNE poſſideri, quàm illud, quod omni jure ſuum.

Gaude ergo, & triumpha JOANNES, hac una donatione, terris dives, & cœlo beatus. Sed & gaude, ac triumpha, ô fidelis Anime, quod & tibi ſecundùm Joannem MARIA ſit Mater, & tu filius. Et certè quidni ſic gaudeas, ſic & triumphes, cùm

Epiſt. 174.

Matrem habeas quam ex vero D. Bernardus appellat *inventricem gratiæ, mediatricem ſalutis, reſtauratricem ſæculorum*, ad cujus pedes dum ſupplex accides, ſimul & humili animo, humili voce dices illud: *Monſtra te eſſe Matrem*, & illa monſtrabit & in hoc ævo mortali, & in altero etiam in omnem retro æternitatem.

Vis clara tam hujus, quàm illius teſtimonia, paucis accipe.

Philibertus Monetus in Literis annuis 1613. Colleg. Soc. IESV Provincia Aragonia.

In Gandia, urbe Hiſpaniæ nobili, vir impius matronæ in paucis caſtæ per ſummum nefas objecerat, quod omnes proles ex adulterio ſuſcepiſſet & ſibi, & conjugi injuria. Jacta calumnia fortè ad mariti aures appulit, qui nimium credulus, uxori licet cœlo teſte innoxiæ, extrema meditari cœpit; imò & ad illa venit. Uxorem enim dormientem è lectulo in ſubjectum hortum extraxit, injectóque in collum laqueo ex arbore appendit. Sed adfuit opportunè Dei Mater, quam pridie ut matrem invocarat illa, & quaſi manu allevans, ac ſuſtinens periculo præſenti eripuit fune etiam reſciſſo. Debuerat illud mariti animum emollire, & flectere; at exacerbavit magis; mox enim in vicini montis ſupercilium eduxit, ut ex eo præcipitem deturbaret, ſed & hìc in promptu fuit Virginis favor, amórque: ab hoc certè quaſi immobilis ſtetit, nec ulla vi, ullo mariti impulſu, moveri loco potuit, nedum è montis vertice dejici. Et verò qui dejiceretur illa, quam retinet Dei Mater, imò & illius mater quaſi manu prenſat, & ſiſtit. Potuit hìc, imò & debuit in melius ſua mutare conſilia crudelis conjux: ſed contra mutavit in pejus; reduxit enim de monte in ſuas ædes, imperavitque ut lecto ſe redderet, paruit illa; quaſi ovicula ad victimam, quæ indubiè cecidiſſet, niſi eam retinuiſſet Dei Mater etiam adverſus iteratos efferati conjugis conatus. hic certè ſclopetum onerat probè, improbéque, tum ad uxoris pectus etiam nudum admovet, atque exonerat; ſed fruſtrà, ignem non concipit etiam primo, etiam ſecundo, & tertio conatu. Ratus vitium eſſe in ipſa illius ſclopeti machina, aliud furibundus arripit, onerátque & pulvere nitrato, & plumbea glande: tum exonerat in conjugis pectus, ipſámque cordis ſedem. Mirum dictu, viſúque! nec igne tangi, adurive potuit, nec glande lædi; cecidit hæc innoxia ad pedes innocentis animulæ, nec auſa lædere eam, quam nec culpa læſerat, nec rupta tori conjugalis fides. Hanc certè etiam miraculo, etiam præſidio virginali probatam voluit & Dei, & illius Mater, quam calumniis impetita ſic invocarat: *Monſtra te eſſe matrem.* Habes ab hac ſubſidium in mundo hoc aſpectabili, accipe etiam in altero mortalibus omnibus inviſibili.

Refert *Petrus* Cardinalis *Damianus* Burgundum civem, nomine *Baſſum* letalis noxæ reum occubuiſſe dum fortè rediret è ſuſcepta ad Virginis ædem peregrinatione. Vix è corpore exceſſerat anima, cùm eam ſuſceperunt Angeli quaſi ſuam peregrini titulo, juréque: ſed & dæmones repetiêre jure etiam ſuo, ex debito ſcilicet peccati mortalis. Sic lucta fuit bonos inter, malóſque genios, quam illicò diremit Dei, & illius indulgens Mater, quæ animam in corpus redire juſſit, peccatáque ſacra exomologeſi expiare, ac deinde è corpore, ceu hoſpitio repetito, rurſum egredi, ac mori, victuram in omnem æternitatem. Lib. 2. Ep. Epiſt. 14.

Ecce quanti intereſſet puſillo homini habere Dei Matrem etiam ſuam: ut illam ipſe habeas, *Amice Lector*, age, eſto primùm illi filius amore, obſequióque uti JOANNES, eſto deinde ut ille virgineus totus ab animi, corporiſque munditia atque candore; ſic erit illa tibi, quæ JOANNI fuit nimium quàm bona Mater. Mater dico, quæ præſtet omnibus, & terræ gazis, & cœli etiam ſi voles: ideóque his, & illis omninò præferenda.

Seneca teſte, Lex olim fuit, *ut major frater patrimonium divideret, minor eligeret. Quidam cùm haberet legitimum filium, alium ex ancillâ ſuſtulit, & deceſſit. Major frater ſic diviſit, ut totum patrimonium ex unâ parte poneret, ex alterâ Nothi matrem. Minor elegit matrem.* Controverſ. l. 6. contr. 3. Orta hinc controverſia: an minor natu fratrem accuſare poſſet circumſcriptionis, in quâ ſic major ad minorem: *Ego nihil aliud quàm diviſi; circumſcriptio non in diviſione eſt, ſed in electione. Habes matrem, quam quidam toto redemerunt bonis, habes gloriam, quam per ignes quidam, multi per arma quæſierunt.* Hactenus ille, nec malè. Mater enim filio pro bonis omnibus, & pro gloriâ eſt: quærenda eſt illa filio etiam per ignem, etiam per arma. Quod ſi ſic quærenda eſt mater, quæ filiolum terris genuit, & miſeræ

huis

huic auræ mortali: quantò magis MARIA, quæ nos cœlo genuit, vitæque immortali, ac beatæ.

VII. EXCELLENTIA D. JOANNIS.

Singularis in proximum caritas.

DISCIPULUM Chriſti ſe dixit JOANNES; ſed Diſcipulum, *quem diligebat IESVS.* At unde, inquies, *Diſcipulum*, & quidem antonomaſticè? Utique ab effuſa, & ſingulari in proximum amore, qui unica fuit Diſcipuli nota, character unicus, in quo id nominis videri, legíque potuit. Teſtes amo, appellóque Chriſti voces; veriùs oracula, quæ ſic edidit.

Ioan 6. 13. *In hoc cognoſcent omnes, quod diſcipuli mei eſtis ſi dilectionem habueritis ad invicem.*

Sed, ô Servator optime, an non erat alia diſciplinæ tuæ teſſera? quidni fides, quæ montes transferret imperio, quæ ventos ſedaret, & maria? quidni donum miraculorum? quidni vaticinia, & de futuris rebus editæ prophetiæ? & hæ profectò, & illa pro Diſcipuli nota eſſe videbantur illis, qui in extremo judicio dicent: *Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo ejecimus dæmonia, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?* Ita eſt enimverò, & prophetaſtis, & dæmonia è corporibus velut ex uſurpatis malè hoſpitiis ejeciſtis, & miracula multa patraſtis, & quidem in Chriſti nomine. Ecquid ergo? an inde *Diſcipuli?* Minimè gentium. Chriſtum audiamus, quid ille ad hæc omnia? quid ad illos Prophetas? quid ad iſtos Taumaturgos? hoc unum: *Nunquam novi vos.* Cur ita? quia defuit illis in proximum amor, & caritas, defuit *dilectio ad invicem*, quæ ſola eſt *Diſcipuli* nota.

Et hanc animo excepit, hanc operibus exhibuit D. JOANNES, & quidem primò in levandis proximi anguſtiis, etiam iis, quæ corpus malè afficiunt, ut eſt egeſtas, & rerum omnium indigentia, quo in genere illuſtre eſt illud quod ſubjicio.

Metaphraſtes in ejus vita. A D. JOANNE ſtipem petebat unus aliquis, cúmque nihil eſſet ad manum, nihil in paupere vacuáque nummis crumena; herbam è vicino agro ſuccreſcentem prenſare juſſit, quantum ambæ manus caperent. Paruit ille, herbam excidit, collegitque inſcius quid deinde ex illa: tum Apoſtolo tradidit. Mirum ſanè dictu, viſúque! Brevi oratione, & ſigno Crucis herba illa quanta quanta erat in aurum abiit; & hoc illicò pauperem habere juſſit, indéque etiam opportunum paupertati levandæ ſubſidium.

Bollandus in ejus vita 8. VIII. Ian. Dicuntur olim auri grana in oſſibus *S. Frodoberti* Abbatis apparuiſſe; dixiſſes oſſa in aurum mutata: & verò mutata erant ab aurea illius dum viveret caritate. Et herbæ in D. JOANNIS manibus in aurum vertuntur puriſſimum, ab aurea etiam illius in egenum caritate: hac certè impulſus aurum ſibi non retinet, nec in marſupio recondit; ſed in pauperculi manus, ſinúmque projicit, futurus poſteris omnibus exemplo, ac documento, ut & ipſi, idem quod ille, faciant. fecit certè *S. Marcella*, cujus hoc effatum dignum cedro. *Malle ſe aurum in*

Bollandus in ejus vita. *ventribus egenorum recondere, quàm in avaro, tenaceq; marſupio.*

Sed corpori levando datum ſatis, demus etiam quod animo: major certè in hunc caritas, quàm in illud; & quantum inter hæc intereſt, tantum inter hujus, illiúsque amorem neceſſe eſt intereſſe.

Cùm è Pathmo Inſula, in qua diu exularat & ſibi, & ſuis redditus eſſet D. JOANNES, nihil illi magis curæ fuit, quàm animas fidei Deóque acquirere. Has inter fuit Adoleſcens eximiæ indolis, præclarique ingenii, quem ubi ſacris aquis intinxit, docuitque probè, commendavit illius loci Epiſcopo, qui cum in ſuam familiam adſcivit, habuitque in primis curis, atque amoribus, utpote ſacrum, ac nobile depoſitum ſibi ab Apoſtolo relictum. Res initio benè ceſſit ex adoleſcentis bono, & Epiſcopi voto. Verùm ut mutabile eſt illius ætatis ingenium, utque ad malum proclive, à malis ſociis, ceu laqueis quibuſdam irretitus, in alium abiit; abiit enim à ſeipſo, à probis moribus, à virtute, à Deo, atque in vitia totus abiit, factus ipſe prædo, imò prædonum princeps. Labuntur interea anni aliquot, cùm ad illius loci Præſulem redit D. JOANNES, quæritque ex illo ecquid cum adoleſcente, quid agat? ubi degat? Obticuit Epiſcopus, vocémque tenuit, non tamen lacrymas, & gemitus, quos ut perſenſit Apoſtolus, & malum aliquod ſubeſſe perſentiens, ſic ad illum.

Age, depoſitum nobis redde, quod ego & Chriſtus Eccleſia teſte apud te depoſuimus.

Obſtupuit Epiſcopus, ratus pecuniam apud ſe depoſitam repeti, cùm nulla tamen, imò nec aliud ejuſmodi depoſitum animo occurreret. Tum Apoſtolus rem omnem clariùs evolvens. Adoleſcentem, inquit, repeto, & fratris animam tuæ curæ, fideique concreditam. Cui Epiſcopus, mortuus eſt, inquit. Urget D. JOANNES, ubi, quando, & quomodo mortuus? Deo, inquit Epiſcopus; mortuus enimverò eſt à peccato, & latrocinus, quibus immerſus eſt totus. Tum Apoſtolus altùm ſuſpirans, atque ingemiſcens, ait, ô præclarum ſanè fratris tui cuſtodem, ô ſacri depoſiti malè retinentem. At ubi, ubi inquit, eſt meus ille adoleſcens? ubi ſua exercet latrocinia? ubi prædas facit? cúmque intellexiſſet in vicino colle; tum equum expediri jubet, atque accerſiri viæ ducem, moxque admotis calcaribus, laxatisque habenis elabitur, & præcipiti curſu in montem aſcendit, ſtatimque in prædones incurrit ipſe, nihil omninò veritus, nec eorum manus fugiens, nec vincula detrectans, *Ecce*, inquit, *ecce me, ad hoc veni, agite, agite ad ducem veſtrum educite.* Parent illi, rati cum eo mox agendum eſſe quàm peſſimè: at ubi in ducis oculos, conſpectúmque venit, ab eo mox agnitus. Quid hîc ille? an verbo laceſſat Juvenis ſenem? an manus injiciat? an ſpoliet & veſte, & vitâ? Minimè gentium; oculos primùm ab optimi Parentis vultu detorquet eum non ſuſtinens: tum elabitur præcipiti fuga, fugientem ſequitur Apoſtolus, atque inclamat. Ecquid armatus inermem fugis? juvenis ſenem? filius parentem? ſiſte, ſiſte gradum; & te parenti, tibique redde. Hac voce, ceu tonitru percuſſus, ſiſtit, & hæret quaſi attonitus, tum oculos in terram abjicit, tum arma ponit, tum dextram tot latrociniis infamem, tot cædibus cruentatam occultat improbè, ratus indignam quæ Parenti quàm optimo porrigatur, tum denique funditur in lacrymas, abit in gemitus, ruitque in amplexus, vocéque miſerabili vix exprimit, extorquétque verbulum, quo culpam deprecetur, & veniam. Hæc dum oculis uſurpat bonus ſenex, & pius parens, ſimul etiam animos juveni facit, veniam pollicetur, ſéque apud ſuperos, Deúmque ſponſorem facit. Et unà etiam Eccleſiæ, Chriſtóque, ceu ſummo Paſtori, errantem oviculam reducit, redditque; reddendam deinde etiam cœlo, ac beatitati. Ecce pronus, ecce præceps Apoſtoli in perditam oviculam amor, ecce effuſa caritas, ecce provida ſalutis alienæ cura; in qua ſic excelluit, ut nemo magis. Utque eam factis expreſſit, ſic & verbis commendavit quàm maximè. Cùm enim jam ſenio gravis, & laboribus confectus nec ad Eccleſiam ire poſſet, nec vocem jam ab ætate grandævâ languidulam in longiores conciones expedire: deferri ſe curabat in ſacram ædem, & cygneâ voce, hoc unum duntaxat & thematis, & concionis loco. *Filioli diligite alterutrum:* cúmque per ſingulos propè dies, repetitæ

voces,

voces, ſeu ſtuporem, ſeu nauſeam Diſcipulis creare viderentur; ſic ad Magiſtrum illi: *Quid idem ſemper loqueris, ô Pater?* quibus ille: *quia Domini præceptum eſt, quod ſi fiat, ſufficit.* Digna Apoſtolo, digna JOANNE reſponſio, digna & Diſcipulo, *quem diligebat IESVS*, digna quæ ceris melioribus, quæ Divorum atriis inſcribatur: ſed digna magis quæ omnium imprimatur animis, & piâ quâdam æmulatione etiam factis exprimatur.

VIII. D. JOANNIS EXCELLENTIA.

Mors adinſtar ſomni placidiſſima; adinſtar & raptus.

EST ſua inter Anthores lis, & controverſia, ſitne D. JOANNES mortuus, néene? ſunt qui hanc, ſunt qui illam amplectuntur opinionem.

S. Hippolytus, Epiſcopus, & Martyr, qui ex Arabia olim Romam venit ad ſacra Apoſtolorum limina, ſub *Severo* Imperatore, & *Calliſto* Papa, à quo ob ſingularem planè doctrinam, ac vitæ, morúmque ſanctimoniam detentus, & creatus Epiſcopus Portuenſis, ut in ea dignitate, velut è ſpeculâ quadam conſpicuus, Eccleſiæ, mundóque univerſo illuceſceret. Et certè illuxit, quà virtutum gratia, quà doctrinæ luce; multa enim, eáque præclara ſcripſit, ac inter hæc etiam Canonem temporis, qui etiamnum extat exciſus in ſtatua ejus marmorea, & inſigni, & ingenti, illi erecta in bibliotheca vaticana, futura monumentum æviternum ingenii illius, ac ſcriptorum. Is, inquam, *Hyppolytus* (qui deinde ſub Ulpiano Juriſconſulto, acri Chriſtianorum hoſte, capitis damnatus, glorioſum ſubiit martyrium) cenſet D. JOANNEM cum *Henoch* & *Elia* in extremo judicii die venturum, & cum Antichriſto decertaturum, ab eóque tandem morte afficiendum.

Lib. de conſum. ſæculi.

S. Hippolytum ſequuntur è recentioribus, *Catharinus*, *Salmeron*, *Barradius*, qui etiam addunt D. IOANNEM, etſi necdum mortuum, divinâ tamen diſpenſatione Deum videre, Deóque frui, ut Beati ſolent.

In eam ſententiam veniunt primùm ex illo Chriſti ad Petrum de JOANNE: *Sic eum volo manere donec veniam.*

Joan. c. 21. v. 23.

Deinde ex hoc, quod ipſe JOANNES à Chriſto hæc audiit: *Oportet te iterum prophetare gentibus.* Si iterum. Ecquando? niſi ſub extremum judicii diem. Et iſta quidem pro illa opinione.

Deſcendunt alii in eam ſententiam, ut omninò velint eſſe mortuum. Ita *D. Hieronymus*, *Euſebius*, aliique communius, & is videtur ipſius Eccleſiæ ſenſus; cui conſentio, deſcendóque ad felicem illius è vivis exceſſum; qui ſomno, qui raptui ſimilis fuit, non morti, hanc nempe aut infert ignis, & ferrum, & violenta tyranni alicujus manus; aut ægritudines, & morbi, afflicto jam corpuſculo, è quo animam veriùs exprimunt, expellúntque vi quadam, quàm molliter educant. At non ſic Divo JOANNI accidit, exceſſit ille, abiitque è vitâ, non depulſus ex eâ, vi, impetúque tyrannico, non morbi moleſtiis, non agone, luctáve, quæ in extremis eſſe ſolet corpus inter & animam, vitam & mortem: ſed quaſi placido ſopore, aut veriùs raptu. cùm enim inſtaret decreta à cœlo dies ultima, cum Diſcipulis ſuis in vicinum urbi montem aſcendit, tum juſſit expediri ligonem, & ſarculum, & altè terram erui, ſibique ſepulchri locum parari. Ubi paratus ille, defoſſáque profundè terra; tum ſeſe ſigno Crucis communiens hæc in cœlum emiſit. *Et tu mecum eſto Domine IESV.* Deinde hæc ad circumſtantes: *Pax vobis fratres.* denique demiſſo molliter in foveam pallio, & ipſe in foveam deſcendit, ſimulque luce quadam, ceu nube cinctus, & oculis ereptus eſt, & cœlis additus.

Metaphraſtes in ejus vita.

Mors, & velut raptus S. Joannis.

Hic omnes invaſit ſtupor, dolórque, hìc fuſæ Parentis optimi manibus lacrymæ: hìc dati gemitus, quibus ubi datum eſt ſatis, in urbem, è quâ exceſſerant, rediêre, diéque proximè ſequenti iterum ad ſepulchrum, verius ad inanem, vacuámque foveam, in quam dum curioſiùs introſpiciunt, pallium aſpiciunt & crepidas, velut exuvias, reliquiáſque illius, qui & corpore, & animo in cœlos exceſſerat. Et hic exitus fuit, hic obitus Divi JOANNIS, cui ſimilem nulla vidit, nulla videbit ætas: quî enim videret, cùm ſupra omnem ſit mundi curſum, ſupráque omnes naturæ leges, non aliâ vi illatus, quàm cœleſti, ac divina; à quâ & illud manavit in ſæcula.

Ex ea fovea, in quam pallium demiſit Apoſtolus, oritur, atque emanat pulvis minutulus, maximè autem die illi feſto; in quo quantumvis numeroſus confluat populus, ex eóque pulvere hauriat; non tamen unquam exhauritur: ſed eò abundat magis, quò plus ex illo accipitur; crederes eſſe inexhauſtum quemdam theſaurum, qui ſeipſo ſemper uberior, ſempérque ditior, omnes etiam ex eo, ſi non divites, certè ſanos facit, pulſa è corporibus, quæ attigerit, etiam omni ægritudine.

Pulvis è ſepulchro S. Joannis.

Barcinone pulverem ſepulchri *S. Raymundi*, aiunt ſemper ſuccreſcere; etſi frequentiſſimè, magnáque copia illum eruant, & ſecum exportent religionis cauſa, qui illuc commeant.

S. Raymundi.

Silveſter Petra ſancta tom 3 Tamaſia c. 2.

Pulvis pavimenti, quod eſt circa ſepulchrum *S. Remigii*, ſerpentes fugat, nec ad illi dicatas ædes unquam accedunt colubri; aut ſi obrepant aliunde, illicò pereunt.

Flodvard. lib. 1. hiſt. Rhemenſis.

Nimirum, annuente cœlo, datum illud viris illis à virtute illuſtribus, ut etiam à ſepulchri pulvere florerent gratia, gloriáque miraculorum. Et hoc, quia ſepulchro ubi conditum corpus affuſa quodammodo ſanctitas, viſque etiam prodigioſa: ſed audeo dicere, major aliqua illi pulveri, qui è D. JOANNIS fovea dimanat; hæc enim non aliis exuviis dives fuit quàm pallio, aut crepidis: & tamen adhuc ab illa effluit prodigioſus cinis; qui & corporibus medelam afferat, & animis.

S. Remigii.

Et hæc è cæteris non minima eſt D. JOANNIS prærogativa, quam dum ſuſpicis, *Amice Lector*, ſimul ſuſpice præclara magnæ illius mentis decora, & virtutes cœlo dignas, imprimiſque virgineam caſtitatem, quam à cunis eduxit ad tumulum, tum invictam in tormentis, ignéque conſtantiam, tum effuſam, ardentémque in proximos caritatem, tum etiam ſingularem in Deiparam amorem, qualis ſcilicet eſſe poteſt filii, & viciſſim Deiparæ in JOANNEM, qualis & matris eſſe ſolet.

Denique teipſum ut ille ad extrema compara; tibique ſepulchrum etiam vivo defodi cura, atque in illud, ſi minus corpore, at ſaltem animo, deſcende, memor ultimæ lucis, ac ſepulchri. In hoc certè etiam corpore deſcendit *S. Severus* Epiſcopus Ravennas, deſcendit, inquam, in ſepulchrum, in quo conjux ſepulta unà cum filiâ conquieſcebat, ibique ſe medium collocavit, atque in pace obdormivit; ſomno veriùs quàm morte.

Animo deſcendit *S. Ioannes Eleëmoſynatius*, qui ſibi in aurem quotidie illud ingeri curabat: *Pater jube tibi perfici ſepulchrum*; eo conſilio, ut ſemper in oculis, ſemper in animo eſſet mortis, ac ſepulchri memoria. Ut tibi quoque perennis ea ſit, age & D. JOANNEM, & Chriſtianos illos Heroas imitare, ut poſtquam ſupparem illis virtutem in terris fueris adeptus; ſupparem quoque illis gloriam in cœlis aſſequaris.

IN
CONVERSIONE D. PAVLI.

ECCLESIA, ceu provida Mater, ſolemni cultu celebrat Sanctorum feſta, & quidem eo præſerrim die, quo terris erepti ſunt, & cœlis additi: & hanc lucem Sanctorum veluti natalem appellat, quod in ea naſcantur cœlis, & terris occidant: ſubinde tamen etiam natalem in terris colit, ut DIVÆ MATRIS, & S. Ioannis Baptiſtæ. Nullius tamen, quod ſciam ad meliora converſionem, præterquam D. PAVLI. quæ cauſa?

Una eſſe poteſt, quod miraculo facta: & non via Divinæ providentiæ ordinaria. Altera, quod per eam *Sauli* ad ſaniora conſilia mutationem conquieverit ingens illa perſecutionis tempeſtas, quâ cõcuſſa fuerat eò loci ac temporis enaſcens Eccleſia. Poſtrema, ut peccatori etiam graviſſimo addantur animi, nec concidant umquam à ſcelere quantumvis immani; ſi enim ab hoc, *Saulo* data venia; imò & gratiæ decus, ipſiúſque Apoſtolici culminis gloria: quidni & aliis dabitur?

Mitto alias inſtiruti illius feſti rationes, ut veniam ad modum, quo ſpectante cœlo; plaudentéque terra peracta eſt ea Converſionis ſcena: pro qua ſit

---

QUÆSTIO UNICA
MORALIS.
Ad illa verba: *Vicit Leo de tribu Iuda.* Apocal. c. 5. v. 5.

QVIS ILLE LEO? DE QVO VICTORIA?
Et quibus armis parta?

Leo Chriſtus. SATIS convenit inter Authores Leonem illum, de quo hîc Evangeliſta, eſſe Chriſtum, Servatorem optimum; qui dicitur Leo ex aliis, atque aliis analogiis.

Prima, quia ortus è Tribu Juda, cujus inſigne fuit Leo.

Secunda, propter eximiam fortitudinem, quâ Poteſtates Inferni, mortémque vicit: & mortis *Ad Coloſſ. c. 2. v. 15.* cauſam peccatum, *Expolians Principatus, & Poteſtates, & triumphans illos in ſemetipſo*, ut ait Apoſtolus.

Tertia, ob regiam dignitatem: ut enim Leo Rex eſt animalium: ſic & Chriſtus Rex mundi.

Hilari. in Pſal. 132. Quarta, quia ut Leo cæteris animantibus eſt terrori, & *terror omnium vigilans*: ſic & Chriſtus inferis.

Quinta, quia ut Leo apertis oculis dormit: ideoque ſymbolum eſt vigilantiæ: ſic & Chriſtus ſemper, & ubique vigil, aperto ſcilicet mentis oculo per beatificam viſionem, & ſcientiam infuſam.

Epiphan. in Phyſiol. Sexta, quia ut *Leo in monte oberrat, & venatorem odoratur, ſuáque veſtigia caudâ obtegit, ne illis inſiſtentes venatores luſtrum inveniant, ipſumq́; capiant; ſic & Chriſtus veſtigia ſua, hoc eſt Divinitatem ſuam, cooperuit objecta humanitate.*

Pauſanias in Bœoticis. Septima denique, quia ut olim apud Thebanos virorum fortium ſepulchris inſculpebatur Leo; ſic & Chriſti ſepulchro inſculpi, appingíque potuit, ac debuit: quia verè vicit Chriſtus ut Leo: at quem inquies hoſtem?

Illi victoria de mundo & tyrannis. Mundum vicit, mundíque principatus, atque inferni poteſtates, vicit & mortem, vicit & peccatum ipſâ morte gravius: ſed & deinde SAULUM vicit. Et certè Alcazar hîc opinatur ab Evangeliſta alludi ad ipſam SAULI converſionem, quam feciſſe Chriſtum narrat fusè *S. Lucas*. Et hæc profectò fuit inſignis victoria Leonis noſtri, id eſt, Chriſti, qui aliter, atque aliter vincit adverſos ſibi, atque rebelles; ſubinde molliter blandiendo, ſubinde terrendo ſuo quaſi rugitu.

S. Siſinium ſibi in judicium præſentari voluit Laodicius Præfectus, ad extrema utique ſupplicia fidei causâ damnandum. Præſentavit Apronianus Commentarienſis, & ipſe idolorum cultor, & Chriſtianorum perſecutor acerrimus, at mox è cœlo viſa lux ingens, & è nube audita vox blanda: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum paratum vobis à conſtitutione mundi.* Et hæc vox fuit *Leonis* noſtri; ſed abblandientis, quam ut audiit Apronianus, mox ad *Siſinii* pedes accidit, manus dedit, & ſupplex ſacris aquis intingi voluit. Et hæc fuit inſignis *Leonis* noſtri victoria; ſed ut dixi abblandientis, atque allicientis paratâ cœleſtis regni mercede, atque coronâ. Vis aliam terrentis, atque minitantis, accipe de *ſancto Athanaſio Commentarienſi.* *Bollandus 20. Ian. in S. Siſinii vita c. 2.*

Spectabat ille *S. Soſynium* Eremitam præciſis primùm auribus fœdè cruentum, dein in lebetem liquaro plumbo horribilem, collo tenus immerſum; *3. Ian.* ſpectabat; inquam, cùm ecce in theatrum erupit Leo rugitu terribilis, & inter rugitus etiam humanâ voce terribilior, nam & hæc miraculo data, cùm ille

naturæ:

naturæ: Multa hîc Leo auditus loqui, multa de Leone altero, id eſt Chriſto, bonis amabili, malis autem formidabili, quæ ut auribus, ut animo excepit *Athanaſius*, à *S. Soſyno* jam à tormentis, vinculiſque libero, & de Chriſtianâ fide probè edoctus, & baptiſatus eſt. Et ecce altera *Leonis* noſtri, id eſt, *Chriſti*, victoria. Vis tertiam de SAULO, accipe ab Evangeliſta; ſic inquit: *Saulus ſpirans minarum, & cædis in Diſcipulos Domini.*

De Saulo.
Act. c. 9.

SAULUS nomen fuit mali ominis, ſive Hebræam, ſive Græcam illius etymologiam attendas. *Saul* enim Hebraicè quaſi *Schaul*, id eſt poſtulatus, *quòd ad vexandam Eccleſiam fuiſſet à diabolo poſtulatus*, ut annotat D. Hieronymus, cui interpretationi conſonat & illa, quâ Hebraicè *Saul* alludit ad *Scheol*, id eſt, infernus, quòd ſemper poſtulet, & nunquam ſatietur. Infernus inſatiabiliter *cava guttura pandit*, ut canit ex antiquis nonnemo. Et is quoque fuit SAULUS, quaſi ſemper hians ad ſanguinem, & fidelium cædem. Et iſta ab Hebræa etymo à *Saulo* portendebantur mala; nec minora à Græca: *Saulus* enim quaſi à Σάλος dictus, id eſt inquietus, omnia agitans, omnia quatiens, ut ſolet agitatum ventis, ac fluctibus mare, quod Latinè ſalum dicimus.

In Epiſt. ad Philem.

Denique *Saulus* à Σαῦλος, id eſt vitioſus, fluxus, delicatus, levis. Ecce quæ in uno nomine, mali nominis omina; nec omina tantùm, ſed & res ipſæ quàm peſſimæ. Minæ ſcilicet atroces, & cædes cruentæ in Diſcipulos Domini.

At unde minæ? unde & cædes? utique à *Saulo*, ceu ferociente lupo in Domini gregem, in quem cadit illud Jacobi de Benjamino vaticinium: *Benjamin lupus rapax mane comedet prædam.* Et certè mane, hoc eſt primò comedit prædam, divitem ſanè, & cœlo caram, hoc eſt fideles, quos ad vincula, ad ferrum, ad ignes, ad mortem rapere parabat. Et re etiam ipsâ rapuiſſet, niſi opportunè obvius adfuiſſet *Leo de Tribu Iuda*, qui lupum ſtitiſſet, ac debellaſſet, & ex lupo etiam ovem feciſſet, quæ mutatio fuit: ſed *Leonis* noſtri. At quî facta eſt illa? &

Gen. c. 49.

Quibus armis de eo parta victoria?

Quibus armis?
I. Luce:

PRimò cœleſti quadam, ac propè divina luce. *Subitò enim circumfulſit eum lux de cœlo.* Eſt Deus Lux Æterna, lux Divina: eſt Princeps, & Author lucis illius quam ſpectamus, & eâ pro armis utitur ad debellandos ſibi, cœlóque rebelles.

Ita debellavit ipſos carnifices, qui jam *S. Martinæ* jugulo imminebant; ſubitò enim eos circumcinxit lux de cœlo adinſtar fulguris, è quo etiam hæc vox erupit: *Niſi pro vobis oraſſet famula mea Martina, jam dudum periiſſetis.* Perculit ea vox octo carnificum aures, & animos, perculit & oculos cœleſte lumen, atque ad fidei lucem adduxit, inde etiam ad martyrii ardores, & victrices palmas.

Bollandus 1. Ian. in actis S. Martinæ c. 2.

Ita debellavit milites omninò viginti, qui *S. Iulianum*, ejúſque Socios martyres in vincula, obſcuróſque carceres intruſerant, dum illicò hos vident, & ſuperno lumine nitere, atque illuſtrari, & inſuper ſuaviſſimo odore compleri. Dum, inquam, hæc vident, à nocte carceris ad fidei diem acceſſerunt; Deo pro *S. Iuliano*, ſociiſque non aliis armis pugnante, quàm cœleſti luce. Nimirum victrix eſt illa, & quidem victrix tenebrarum, ſeu eas ſtygis eſſe velis, ſeu peccati, ſeu etiam peccatoris.

9. Ian. in actis S. Iuliani c. 8.

Et ita victrix fuit *Pauli* in Chriſtianos ſævientis, adeò verum illud *Habacuc* Prophetæ: *In luce ſagittarum tuarum ibunt, in ſplendore fulgurantis haſtæ tuæ.*

Cap. 3. v. 11.

Ibunt enimverò peccatores; ſed *in luce ſagittarum tuarum*, ô Deus, ibunt & *in ſplendore fulgurantis haſtæ tuæ*, ibunt, inquam, ad te, luce tuâ, ceu ſagittâ ſaucii, ceu haſtâ percuſſi, non ad mortem; ſed ad vitam, vitam dico gratiæ, ac miſerationis.

Et certè quidni irent ab illa luce, illóque ſplendore? non erat illa ſolis hujus, non cœli, non ſiderum lux erat: ſed ab alio ſole, Chriſto, inquam, è cujus corpore glorioſo manabat illa lux, omni ſolis luce major, atque adinſtar fulguris, ac coruſcationis, quæ & terreret ſimul, & ſterneret: & ita *Saulum* terruit, ac ſtravit; mox enim in terram concidit; quaſi perculſus, ac ſideratus: habet enim vim illam fulmen, & fulgur; homines ſternit; imò & animalia, & arbores, & domos, & templa.

Ita fulmine everſum idolum orante *S. Martina*, ſcilicet arma cœli ſunt fulmina: quod ſi cœli, etiam & Chriſti. His certè proſtratus eſt *Saulus*, qui cadens in terram etiam audivit hanc vocem: *Saule, Saule, quid me perſequeris?* Et ecce tibi alia Salvatoris arma, quibus in *Saulum* pugnat, expugnátque. Vox ſcilicet, eáque cœleſtis, ac divina, vox Chriſti. Eſt ille cœli ludus, ut voce ſola & pugnet, & vincat etiam armatos.

II. Voce.

S. Secundina, Virgo, & Martyr inclyta, primùm à Valeriano Præfecto capta: dein palmis crudeliter cæſa à miniſtris immanis illius lanienæ, qui & manus, & validos lacertos explicabant, ut tenellulam virginem fœdum in modum lacerarent. At mox voce de cœlo lapſa, & ſævire deſtiterunt, & ad *Secundinæ* pedes acciderunt. Hac ſola voce conterriti: *Vos oratione Secundinæ vivitis: aliàs non victuri.*

Bollandus in ejus vita 15. Ian.

Vix enim ea vox ad aures appulerat, cùm etiam appulit ad animos, & in alios abire fecit lictores octo ſupra viginti, qui & à *S. Secundinâ* in fide primùm edocti, dein etiam ſacro baptiſmate eluti, teſtes futuri, ac præcones illius fortitudinis, quæ in ſancta Virgine elucebat, cùm pro ſanguine lac puriſſimum è lacero corpore effunderet, & animam Deo redderet inter illas accinentium Angelorum voces: *Veni Sponſa Chriſti, accipe coronam, quam tibi Dominus præparavit in æternum.*

Quod poſtea lictoribus illis, ac carnificibus, hoc prius *Saulo*, cujus aures, animúmque ferit illud tonitru divinæ vocis: *Saule, Saule, quid me perſequeris?* Non ſine Numine facta eſt ea geminatio vocis, tum ut index eſſet profundiſſimi illius ſoporis, quo in peccatis indormierat *Saulus*; tum ut illius amoris, ac commiſerationis, quo totus in eum ferebatur Chriſtus, qui & ſubjicit illud conquerentis, atque expoſtulantis: *Quid me perſequeris?*

O verè inæſtimabilis divinæ dignatio pietatis: *Illuſtrat cœleſti fulgore vel aforis, intus adhuc luminis incapacem; qui necdum infundi poterat, divina circumfunditur claritate. Et vox facta eſt. Lucis, & vocis teſtimonia credibilia facta ſunt nimis*, inquit Divus Bernardus.

Serm. 1. in Converſ. S. Pauli.

Sed quid iſtud. *Me perſequeris*, qui enim Chriſtum perſequatur, qui in cœlo eſt, & extra teli jactum? *Membris adhuc poſitis in terra, caput clamabat in cœlo, & non dicebat, quid perſequeris fideles meos; ſed quid me perſequeris?* Cur ita? Reſpondet D. Auguſtinus: *Perſecutorem ſuum vocavit Perſecutorem membrorum ſuorum.* Verè enim etiam ipſum caput perſequitur, qui membra perſequitur, unum quippe videri poſſunt, caput, & membra. Hinc illud Auguſtini ad SAULUM: *Non expaveſcis vocem capitis de cœlo clamantem pro membris ſuis?*

Aug ſerm. 14. de Sanctis.
In Epiſt. S. Ioan. tract. 10.
Suprà.

Expaveſcit profectò, & ait: *Quis es Domine?* an aliquis è cœlo genius? an Deus ipſe? ut ut ſit, Dominum vocat, & ei quaſi ſervum ſe ſubmittit. Cui Chriſtus: *Ego ſum IESVS.* Non dicit: Ego, Dominus, ego Deus, ego Dei filius, ſed *ego IESVS*, hoc eſt Salvator, qui ſcilicet ſalvare *Saulum* venerat; non perdere: quaſi illi in cordis aurem diceret: *Humilitatis meæ inſignia ſuſcipe, & tuæ ſuperbiæ ſquammas depone.* Et certè quidni deponas; *durum enim eſt tibi contra ſtimulum calcitrare.*

Beda ex S. Gregor.

Adagium ſumit à bobus cervicoſis, qui cùm ab aratoribus, vel aurigis ſtimulo punguntur, recalcitrant. Et ita recalcitrare antea viſus eſt *Saulus*. Sed quis ille ſtimulus? alius eſſe potuit, atque alius. Stimulus *Saulo* fuerat & *Stephani* ſanctitas, & exhortatio ſuis aculeis plena. Stimulus fuerat ipſa

Lib 5. Inſtit

Sauli conſcientia, quæ ut deinde dixit Quintilianus: *Durus animo eſt accuſator, judex, carnifex, & vermis remordens.* Stimulus fuerat ipſa vis miraculorum, quæ viderat *Saulus*. Et jam ſtimulus erat aliis omnibus validior, ipſa Chriſti vox, *Quid me perſequeris?*

Eccl. c. 12. v. 11.

Si enim verum illud quod *verba ſapientium ſint ſicut ſtimuli, & quaſi clavi in altum defixi.* Quid erunt ipſa Chriſti verba? erunt certè ſtimuli, & quidem aculeati, ac potentes; & ii fuere *Saulo*. Audio enim, *tremens, ac ſtupens* exclamat: *Domine quid me vis facere?*

Sed unde tremor? unde & ſtupor? utique à Chriſti luce, vocéque, ab inſita illi potentia, ac majeſtate, ad quam ſequatur tremor eſt neceſſe, ſequatur & ſtupor.

Daniel c. 10.

Si enim *Danieli* ab unius Angeli conſpectu tantus incuſſus timor, ut *diſſolutæ ſint compages illius, & nihil in eo virium remanſerit?*

Cap. 12.

Si *Ezechiel* à viſâ Dei gloriâ cecidit in faciem ſuam? ſi *Manue Sampſonis* pater conſpecto Angelo, Dei

Iudic. c. 13.

utique vicario, exclamavit: *Moriemur, quia vidimus Deum.* Quid *Saulus*, viſo, imò & audito ipſomet Chriſto? Videamus, imò & audiamus; exclamat enim: *Domine, quid me vis facere?* jámque (ut an-

Serm. 14. de Sanctis.

notat D. Auguſtinus) *parat ſe ad obediendum, qui prius ſæviebat ad perſequendum. Iam formatur ex perſecutore prædicator, ex lupo ovis, ex hoſte miles.*

O mira vis divinæ lucis, ô mira vis & vocis!

Aug. l. 1. ad ſimplic. q. 2.

Erat in *Saulo rabida voluntas*, erat *furioſa*, erat & *cæca*. Et ecce mox ad pauculas voces, & mitescit illa, & furias ponit, & cœcitatem exuit, & à morte, cui profundùm indormierat, redit ad vitam.

Aſtupuit aliquando Judæa cùm illud à te audiit, ô Chriſte! *Lazare veni foras:* ſed & aſtupuit magis, cùm à morte ad vitam, à ſepulchri ſqualore, ac tenebris ad lucem rediiſſe vidit: at illud aſtupeſcat magis eſt neceſſe, cùm ex *Saulo Paulum*, ex perſecutore Apoſtolum, ex lupo ovem, ex hoſte militem, ex mortuo viventem viderit; *Mortuum*, inquam, *mente*, ac deinde vivum & mente. Ma-

Lib. 3. Dialog. c. 17.

jus certè hoc illo miraculum eſt. *Lazarum* quippe *carne Dominus ſuſcitavit, Saulum mente*, uti advertit D. Gregorius. At quâ ratione, quibùsve armis? Luce primùm, dein & voce, tum etiam cœcitate:

Verſ. 8.

Surgens enim Saulus de terrâ, apertiſque oculis, nihil videbat; lux enim, quæ oculos ejus adinſtar fulguris perſtrinxerat, ei etiam viſum ademerat, non humorem criſtallinum exſiccando, aut tunicas oculares

III. Cœcitate.

lædendo: ſed pelliculas quaſi ſquammas eis obducendo. Ita Dominus, qui priùs luce pugnavit, & voce; pugnat inducta corpori cœcitate, ut dum extrinſecùs quaſi clauduntur oculi corporis, intrinſecùs aperiantur oculi mentis, & per cœcitatem corporis, ſanetur ea, quæ in illo fuerat cœcitas mentis. Hinc Bernardo judice *felix* PAULO *cœcitas*,

Serm. 1. de Converſ. S. Pauli.

felix & aliis. quâ ſcilicet *malè quondam illuminati in prævaricatione, tandem in converſione ſalubriter excœcantur.*

Cujus felicitatis probè conſcii viri primæ notæ, ac ſanctitatis, cœcitatem corporis & adamarunt, & à Domino impetrarunt.

Surius 19. Octob.

Ita *S. Aquilinus* Epiſcopus, etſi cœcos ipſe etiam miraculo benè oculatos faceret, à Deo tamen cœcitatem ſibi petiit, & accepit.

Ita *S. Audomarus* & ipſe cœcus, cùm ſacræ *D. Vedaſti* reliquiæ Attrebatum deportarentur, à Deo vi-

6. Febr.

ſum ſibi reddi petiit, & impetravit, ut ſacra illius Divi Lipſana oculis uſurpare poſſet: & mox ad cœcitatem redire voluit, ſi modò ea ſaluti, animæque curandæ utilior eſſet ipſi viſu; voluit, inquam, atque à Deo, beneficii loco, accepit, reliquâ vitâ cœcus corpore: at mente oculatus.

Ita *S. Lutgardis* Ciſtercienſis Ordinis Religioſa, undecim ante obitum annis cœca, longè plura, atque majora, quàm altàs unquam à Deo lumina *16. Iunii.* hauſit: adeò felix illi, ac fortunata cœcitas, uti prius & *Saulo*: felix, inquam, illi primùm; dein & Orbi univerſo: ut enim præclarè D. Chryſoſtomus: *Pauli cœcitas totius Orbis illuminatio effecta eſt*, *Hom. 4. de laud. Pauli.* pugnante ſcilicet Deo, & per cœcitatem vincente, non *Saulum* tantùm, ſed & Orbem univerſum: cujus victoriæ ſocium, & velut adjutorem habere voluit *Ananiam*, ad quem & *Saulum* tranſmiſit, novo *IV.* ſanè, ac mirabili, vincendi, pugnandique modo: *Ananiæ præceptionibus.* *Ananias* enim *interpretatur ovis. Ecce lupus rapax adducitur ad ovem ſequendam, non rapiendam, & ne rapientem ovis expaveſceret lupum, ipſe Paſtor de cœlo, qui omnia faciebat, nuntiavit lupum venturum ovi: ſed non* *Serm. 14. de Sanctis.* *ſæviturum; & tamen tam immanis fama lupum illum præceſſerat, ut non poſſet ovis audito ejus nomine non conturbari:* ſed & conturbationem excuſſit ille ipſe ſupremus Paſtor, qui mittebat; quia & ab illo *lupo ſævitia interdicitur, & lupus captivus ad ovem ducitur, & ab Agno pro ovibus mortuo, fit ovis ſecura de lupo*, ut ſcitè D. Auguſtinus. Et certè quidni eſſet ſecura, cùm & ipſe lupus deinceps ſit futurus ovium cuſtos?

Non minus jucundum illud, ac mirabile, quod *Surius in ejus vita c. 37.* datum aliquando *Norberti* nomini, ac ſanctimoniæ. Ex ejus Monaſterio puer unus aliquis in agros emittebatur, ut oves paſceret, & quidem ſolus ſine fido ovium cuſtode, cane: ideóque anxius: *Quid me fiet*, inquit, *quid ovibus?* ſi fortè incurrat lupus, ovem rapiat, efferátque? cui pio joco reſponſum: *Lupo præcipe, & hoc Magiſtri tui Norberti nomine, juſſuque, ne ovem abripiat, néve devoret.* Paruit puer, incurrit in gregem lupus, ovem arripit, ac fugit, cui ille: *Siſte prædo, ſiſte raptor, & ovem redde:* Paret lupus, curſum ſiſtit, ovémque reſtituit: imò quod mireris, abſente puero, ceu paſtore, fit deinceps ipſe gregis cuſtos fideliſſimus. Quod illi poſtea: hoc prius Eccleſiæ, ceu Chriſti gregi, à *Saulo*, qui ex lupo factus & ipſe ovium cuſtos, ac paſtor.

Et hæc tua, ô Chriſte victoria; hi de *Saulo* triumphi, hæc ſpolia erepta mundo, hæc erecta cœlo trophæa. PAULUS ſcilicet ex *Saulo*, ex perſecutore Apoſtolus, ex lupo ovis, imò ovium cuſtos, ex vaſe iræ, ac contumeliæ, vas in gratiam & honorem; *Vas electionis*: audio enim, ſic ais ad *Ananiam:*

Vas electionis eſt mihi iſte. Vas, inquit, hoc eſt inſtru- *Verſ. 15.* mentum: Hebræi enim *Keli*, id eſt *Vas*, vocant quodlibet inſtrumentum. Sic *Vaſa cantici* ſunt inſtrumenta muſica. *Vaſa belli* ſunt arma, & armati, quibus bellum agitur. *Vaſa mortis* ſunt gladii, & tela, quibus infertur mors. Vas igitur fuit PAULUS, hoc eſt electum Dei inſtrumentum, quod eſſet in ejus, ceu ſupremi artificis, manu. Vel ut vertit Tigurina: *Organum electum*, in quo reſonaret ipſe Dei ſpiritus, ejus quaſi afflatu animatus. *Organum electum*, quod ſuavem, ac cœleſtem quandam ederet harmoniam, quæ homines quantumvis efferos ad ſe raperet.

Amphionem ſtulta jactet antiquitas, qui movit la- *Virgilius.* pides canendo. Jactet & *Orpheum mulcentem tygres, & agentem carmine quercus.* PAULUM ex vero jactabit Eccleſia, velut omnipotentis inſtrumentum, velut organum Divini ſpiritus. *Inſtrumentum*, quod ab illo, ceu ſummo artifice, moveatur. *Organum*, quod non reſonet niſi ex Dei afflatu, nutu, ac voluntate. Teſtes habeo, teſtes appello primas illius organi voces: *Domine quid me vis facere?* quas dum *Serm. 1. in Converſ. S. Pauli.* audit D. Bernardus exclamat illico:

Hæc planè Fratres perfecta converſionis eſt forma, & ver-

bum

Digitized by Google

bum breve, ſed plenum, ſed vivum, ſed efficax, ſed dignum omni acceptione.

Hæc ubi ſtylo notavit, extulitque pius Præſul, tum ad nos, noſtrámque hanc ætatem converſâ oratione ſic queritur, ſic expoſtulat:

Quàm pauci inveniuntur in hac perfecta obedientia formâ, qui ſuam ita abjecerint voluntatem, ut ne ipſum quidem cor proprium habeant, ut non quid ipſi, ſed quid Dominus velit, omni horâ requirant, dicentes ſine intermiſſione: Domine quid me vis facere? Hæc ubi dixit, tum deplorat hujus ævi vitium; & ait: *Heu plures habemus Evangelici illius cæci, quàm novi Apoſtoli imitatores.* Cur ita? quia quod illi; hoc & nobis: *Quid vis* (ait Dominus *ad cæcum illum*) *ut faciam tibi?* Hanc Domini indulgentiam ut audivit, ſtupuitque Bernardus: ſic ad illum: *Quanta eſt miſeratio tua Domine, quanta dignatio tua? Siccine Dominus quærit, ut ſervi faciat voluntatem? Verè cæcus ille, quia non conſideravit, non expavit, non exclamavit. Abſit hoc Domine, tu magis dic quid me facere velis. Sic enim decet, ſic omnino dignum eſt, non meam à te: ſed à me tuam quæri, & fieri voluntatem.*

Et ita quæſivit, ita fecit PAULUS, vel in ipſo limine ſuæ ad Chriſtum converſionis; at non ſic hodie, non ſic mortalium plerique; ut enim ille ipſe Bernardus: *Multorum uſque hodie puſillanimitas, & perverſitas exigit, ut ab eis quæri oporteat. Quid vis ut faciam tibi? non ipſi quærant. Domine quid me vis facere? Nimirum conſiderare neceſſe habent Miniſtri, & Vicarii Chriſti, quid ſibi præcipi velint; non ipſi conſiderant, quæ voluntas ſit præceptoris.*

Quid facias? homines ſunt, & abjectæ in terras animulæ: non ſic Apoſtolus, non ſic. Unum ille jactavit, unum extulit: *Domine quid me vis facere?* Et illud unum jactemus, atque efferamus ipſi: ſi ut ille ad Dominum verè converti velimus. Et certè quidni velimus ejus & exemplo, & bono noſtro tum in hac mortali vitâ, tum etiam in alterâ immortali. In illâ quidem propriam voluntatem ſanando à ſerpentis venenati, hoc eſt dæmonis, morſu: in hac autem conſecutione beatitatis, quæ fructus eſt, & præmium abnegatæ propriæ voluntatis.

Lib. 3. c. 28. Dialog. Tradit ex Fazelo *Alanus Copus*, eos qui Melitæ naſcuntur in feſto Converſionis S. PAULI, innoxiè tractare ſerpentes, & venenatis morſibus ſuâ ſalivâ mederi. Et hæc gratia, favórque Apoſtoli cœpit ex eo quo Inſula Melitenſis à viroſis animantibus immunis eſſe cœpit, hoc eſt, ex quo ibi S. PAULO haud nocuit viperæ morſus; ex eo, inquam, tempore ad alios quoque id beneficii emanavit; uti & illud. Ex eo ſpecu, in quo S. PAULUS menſes tres exegit, eruunt, non modò incolæ, ſed & advenæ, terram candidam, ut uſui ſit pro amuleto adverſus venena omnia: ſed eruunt inſuper innatos lapillos ſubrubeos, ſummique lævoris inſtar linguæ colubrum, & quæ ad oram extremam appareant denticulis quibuſdam aſperati. Monumentum verò ii lapilli ſunt miraculi ante dicti & præſentiſſimam opem conferunt contra viruſ, & peſtiferas febres. Quæ res ita probata experimentis ſuperiorum ætatum, ut terra ex eo antro eruta paſſim nominetur, *Gratia ſancti* PAULI. Silveſter Petra ſancta Thaumaſia lom 3. c. 25.

Quæ certè gratia ſi ad corpora emanat, multò magis ad animos, ut & hi immunes ſint à viperæ morſu, hoc eſt à mali dæmonis ſuggeſtionibus, *innoxièq; tractent ſerpentes*, hoc eſt peccatores, quibuſcum agant, & verſentur etiam innoxiè; imò *ſaliva*, hoc eſt verbo Dei, & lingua ſacratiore venenis medeantur: id eſt peccatis, quæ ex vero animæ venena ſunt, ac veluti peſtiferæ quædam febres, contra quas præſentiſſimum remedium afferat ipſa *D. Pauli gratia*, favor, ac patrocinium, à quo, ut dixi ſecuri vivemus, ac deinde ſecuri excedemus è vita. Sic exceſſit *S. Poppo*, Abbas Stabulenſis, qui ſub ultimam vitæ metam à Deo ſupplex petiit, ut ſibi liceret ipſo Converſionis S. PAULI die, è terris excedere: & hoc in argumentum abſolutiſſimæ ad Deum converſionis. Supplici annuit pium Numen, eo quippe die, cilicio ad extremam cum morte luctam accinctus, ſub noctis medium & oculos, & manus in cœlum extulit, & primo mane animam efflavit, & D. PAULO olim converſo, jam in cœli regiâ beato, conſmiſit, acclamante totâ, quæ circumſtabat Monachorum coronâ. *Ecce, ò B. Poppo, hæc hora ſanctitatis tuæ indicio eſt omnibus*, indicio & beatitatis: ad hanc ſi aſpiras, *Amice Lector*, & cum Apoſtolo ad JESUM perfectè convertere; & cum *S. Poppone* etiam ad PAULUM oculos, animúmque converte: Sic enim, illo ſeu duce, ſeu adjutore, ibis in cœli tecta, ibis in ſinum æternæ felicitatis. Bollandus in ejus vita 25. Ian. c. 14.

IN FESTO SANCTI MATHIÆ APOSTOLI.

EST vocatio noſtra, & vitæ ineundæ ſtatus quaſi via, & ſtadium, in quo rectà decurrimus ad metam, ut bravium cœleſtis gloriæ, ac beatitatis tandem aliquando aſſequamur. Benè habet ſi quis in eo rectè currit, nec aberrat, nec deflectit in avia, & invia vitiorum.

Rectà cucurrêre Apoſtoli numero undecim, in cœpto vitæ inſtituto conſtantes, ac firmi: ſed ab eo deflexit unus, iſque proditor *Iudas*, *ut abiret in locum ſuum*, locum utique devium. Ecquis ille ſi quæris? Oecumenio hîc, eſt *laqueus*, quem ſibi nexuit: *D. Bernardo* eſt *aër*, in quo ſuſpenſus creparet *aërearum collega poteſtatum*. Ubi enim potius? certè Domini proditorem nec cœlum recipere poterat, nec terra ſuſtinere. Aliis locus ille *Iudæ* In Pſal 90.

proprius,

propitius, erat *infernus*, cui cùm immerſus eſſet, in ejus locum ſuffectus eſt D. MATHIAS, de cujus in Apoſtolatum electione mihi in præſens erit diſceptatio, ad quam priuſquam delabar, unius te monitum velim, Amice Lector, *ut qui ſe* *1. Cor. c. 10.* *exiſtimat ſtare, videat ne cadat.* Et hoc Apoſtoli ad Corinthios oraculum fuit; hoc D. Bernardi ad ſuos præceptum; quos neque à loco ſanctiore, neque à vitâ religioſè prius actâ ſecuros eſſe voluit. Certè ut in Clara-Valle tot eſſent eò temporis ſancti, quot Monachi: neque tamen inde de ſalute, de æternitate tutos eſſe paſſus eſt: ſic enim aliquando ad illos pius Præſul: *Nuſquam eſt ſecuritas, Fratres, neque* *Serm. de diverſis de tri plici genere cogitationum.* *in Cœlo, neque in Paradiſo, multo minus in mundo: in Cœlo enim cecidit Angelus ſub præſentia Divinitatis: Adam in Paradiſo, de loco voluptatis: Iudas in mundo in ſchola Salvatoris.* Hæc ubi altius extulit Orator ſacer: tum ſubjicit: *Hæc idcirco dixe-* *Serm. de tri gne, ſæno & ſtipula.* *rim, ne quis ſibi de illo blandiatur, quia dicitur locus iſte ſanctus eſt: quia non locus homines, ſed homines locum ſanctificant.* Sed ne longiùs, ſit

QUÆSTIO UNICA
MORALIS.
Ad illa verba: *Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus.* Cant. cap. 5. v. 19.

§. I.

Ecquis ille dilectus, & cui?

PRIMA, quæ hic incurrit quæſtio, eſt, quæ ſit illa, quæ loquitur de *Dilecto?* tum quis ille *Dilectus?* Interpretes in tres dividuntur ſententias.

Una, vult ſponſam, cujus hîc auditur vox, eſſe *Eccleſiam*;

Altera, eſſe *Animam*. Poſtrema, *Deiparam Virginem*. Sponſum verò eſſe Chriſtum. Et hic communis eſt Interpretum ſenſus, à quo paululùm diſcedit *D. Bonaventura*, ut à littera tranſeat ad accommodatitium; ex quo illi *dilectus* ſit S. MATHIAS, ad quem ſic *Eccleſia*, ceu Sponſa. *Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus.* Ego in præ- *Serm. de S. Mathia.* ſentia D. *Bonaventuram* ſequar, & D. MATHIAM pronuntiabo Eccleſiæ unicè dilectum, electum ex millibus, candidum, & rubicundum: tum his ita conſtitutis, quæram quomodo electus? quomodo & candidus, & rubicundus?

§. II.

Quomodo S. Mathias *electus ex millibus?*

Electus. SI Patriam ſpectes, & natale ſolum, *electus* certè è millibus, utpote è *Bethleem*, è quâ & ipſe Chriſtus, reparator Univerſi. Si Tribum, è qua prognatus, & ab hac *electus*: regia quippe fuit, & *Tribus Iuda*, de qua prodiit & ipſe Chriſtus, ut in his, & illo cum eo conſentiret.

Bollandus 24. Febr. in Actis S. Mathia, c. 1. Si Parentes, & ab iis quoque cœlo propitio *electus*; fuerunt enim illi ut genere, & proſapia, ſic & virtute illuſtres, in qua ferè vera nobilitas. Si magiſtrum à quo jam inde à tenens annis in bonis artibus, & in avitâ lege, ac cæremoniis edoctus probè, & ab hoc etiam *electus*: fuit enim ille *S. Simeon*, Sacerdos ſummus, qui & Chriſtum ulnis excepit, & in cygneas illas voces erupit. *Nunc dimittis ſervum tuum, Domine, ſecundùm verbum tuum in pace.* *Simeon* dico, vir ea ætate nulli ſecundus, de quo ſic Lazius, antiquus auctor: *O beatum virum, qui ſub umbrâ poſitus opera lucis exercebat, qui Legi ſubditus virum gratiæ præferebat.*

Si deinde Vocationem: & ab hac quoque *electus*, primùm à Chriſto in ſortem, ac numerum ſeptuaginta duorum Diſcipulorum: Tum etiam à Petro, & cæteris Apoſtolis in locum Judæ proditoris, in Apoſtolici culminis dignitatem, à qua verè *electus ex millibus*. At quomodo electus? ſorte, ut Scriptura teſtatur: *Dederunt enim ſortes eis, & cecidit ſors ſuper* MATHIAM; & hoc in confeſſo eſt apud omnes: ſed illud in dubio, quæ fuerit illa ſors. *Act. c. 1. v. 26.*

Gagneius, Salmeron, & Sanchez, opinantur ſortem illam non aliud fuiſſe, quàm ſcrutinium ſuffragiorum, quibus electus in Apoſtolum MATHIAS. Cui ſententiæ favet, quod ab illâ ſorte dicitur *annumeratus eſt*, Græcè *communibus calculis cooptatus eſt.* *Vatablus*, & *Pagninus*, ſuffragiis additus eſt undecim Apoſtolis, fuere igitur ſuffragia, & iis cooptatus in Apoſtolum MATHIAS. *Sorte.*

Lorinus, Mariana, Cornelius, aliique electum ſorte propriè dicta, ut ipſa verba ſonant; ſic videlicet ut uni chartulæ inſcriptum fuerit *Ioſephi* nomen; alteri autem MATHIÆ, tum ſorte eductum è duobus unum, quod MATHIÆ fuit, Domino ſic ſortes attemperante. *An vera ſors?*

Quo autem ſortiendi modo, quâve ratione non conſtat? conſtat illud apud Antiquos aliam, atque aliam fuiſſe ſortiendi rationem.

Apud alios enim in ſinum conjiciebantur chartulæ, aut globuli. Apud *Homerum* in galeam. Apud *Plautum* in ſitulam. Apud *Ciceronem* in hydriam. Apud *Virgilium* in urnam. Quid apud Apoſtolos eò loci, ac temporis, non liquet. Hoc certè liquet in electione ad Eccleſiaſticas dignitates, & Inſulas, in uſu fuiſſe ſortes.

Vacabat Archiepiſcopatus Bituricenſis, cùm illi Præſulem eligi placuit: ſed etiam ſorte, pro quâ mittendâ ſic conventum, ut ex Ordine Ciſtercienſi, cujus in Eccleſia tum florebat eximia ſanctitas, ex Abbatum numero deligeretur unus aliquis; ſed miſsâ ſorte. Ventum igitur ad ſacram Divæ Virginis ædem: & ſub auguſtum Miſſæ ſacrificium, inſcripta ſcedulis Abbatum nomina, & ſub altaris pallâ repoſita. tum eo peracto, à Sacerdote educta eſt una, & quidem ſorte, ac fortuitò, in eâque inventum nomen *S. Gulielmi Abbatis* Caroli-loci, & *Bollandus 10. Ian. in ejus vita c. 1.*

hic

hic illicò proclamatus eſt Archiepiſcopus, & totius Aquitaniæ Primas. Maneat igitur etiam eâ ætate uſum fuiſſe ſortis, cujus & in naſcente Eccleſiâ uſus fuerat; & fortaſſis etiam fuit in ipsâ D. MATHIÆ ad Apoſtolatum electione; etſi non deſint authores, & doctrinâ, & ſanctitate conſpicui, qui ſecùs omninò ſentiant, velintque aſcitum in eam dignitatem cœleſti prodigio, quæ illi ſors fuit, & quidem fortunata.

Eccl. Hier. c. 5.

Certè D. *Dionyſius Areopagita*, cenſet fuiſſe cœleſte quoddam, ac propè divinum ſignum, quod Scriptura *ſortem* appellavit: ipſe verò *quiddam divini, & præcipui muneris.*

An Lux?

1. Parte tit. 6. c. 2.

S. Antoninus exiſtimat fuiſſe radium è cœlo in MATHIÆ caput emiſſum.

An Columba?

Dionyſius Carthuſianus opinatur fuiſſe columbam cœlitùs in eum delapſam.

Ita nimirum ſubinde fieri ſolet amabili Dei providentiâ, à quâ ſi quis ad Inſulas deſtinatur, ſimili aliquo prodigio demonſtratur.

Bollandus tom 1. Feb. die 1 in ejus vita c. 2.

Ravennæ, Præſule mortuo vacabat ſedes Epiſcopalis, cùm ecce de altero ſubſtituendo cogitat Clerus, populúſque. Operi textrino intentus vacabat *B. Severus*, qui ſic ad uxorem: *Vadam, & videbo viſionem mirabilem, quomodo divinitus è cœlo columba veniat, & ſuper caput electi conſideat.* Vadit enimverò, & quia pannoſus erat totus, atque in ſpeciem abjectus, ad templi valvas ſeſe abſcondit: ſed mox cœli indicio panditur; expletâ quippe ad ſuperos oratione, ecce candicans columba ſupernè devolat, atque in *B. Severi* caput illabitur, conſidétque. Quid hîc Vir Dei? columbam iterum, iterúmque à capite ſuo removet, abigítque quà poteſt: ſed pertinaci volatu, lapſúque redit illa, & dilectum ſibi caput reviſit, eique inſiſtit. Quod ut advertit Clerus omnis, populúſque, *B. Severum* in Epiſcopum ſibi depoſcit, eligitque. Quod illi columbæ indicio; hoc aliis cœleſtis luminis appulſu. Ita ſupernæ lucis radio demonſtratus fuit Pontifex *D. Gregorius*, cognomento, & re etiam ipsâ, *Magnus*. Quod ſi adoleſcente jam Eccleſiâ illi ſic in Præſules adlecti, quídni & in naſcente D. MATHIAS eadem quoque ratione in Apoſtolum ſit aſſumptus?

Lambertus Monach. Trevir. in M. S. c. 1.

Certè Treviris in Monaſterio, (cui à D. MATHIA nomen eſt, & fama) ubi de ſacris illius reliquiis ex profundâ ſepulchri nocte eruendis actum eſt; non tam deſtinato hominum conſilio, quàm mirabili Dei providentiâ factum, ut eæ proditæ ſint indicio ſtellæ, quæ ſuboriens & Civitatem Trevirenſem, & totam, quà longè, latéque patebat, provinciam, ſuâ luce perfundere videbatur. Crederes, non ſtellam fuiſſe; ſed ipſum ſolis jubar, adeò lucebat, ardebátque tota. Quod ſi ſic oſtenſæ exuviæ magnæ illius animæ, quídni ſimili aliquo lumine, ad Apoſtolicæ dignitatis lucem dicatur ipſe tum electus, atque evectus? Verùm ut ut ſit, ſorte ſit electus, an prodigio, quod pro ſorte fuerit, non multum intereſt: hoc autem plurimum, quod cœleſti, divináque ſorte, à quâ profectò venit ad Apoſtolici gradus faſtigium, ad regium in animas imperium, ſacrámque majeſtatem, ad Chriſtiani ducis officium, ad cœli claves, & ſupremi poſt Deum Judicis miniſterium.

Extollant Syracuſani ſuum olim Jovis Sacerdotem in annos ſingulos ſortitò electum.

Sortem ſuam prædicet Dionyſius Syracuſanus, vel ex eo, quòd ex littera M, quæ illi ſorte obtigerat, augurium cœperit ſuæ deinde Monarchiæ, ac majeſtatis.

Judices ſuos jactet Areopagum litteris in urnam conjectis, & fortuitò eductis ad id muneris aſcitos. Reges ſuos oſtentent Hebræi, & Saulem prædicent, alióſque fortunatâ ſorte ad coronam evectos.

Suas & Græci Colonias ſortibus deducant, ſuas & alii, quibus *funes ceciderunt in præclaris.* Tuam ego (ô Divos inter longè maxime) tuam inquam, ô MATHIA, extollam ſortem, ab eâ quippe & ſummus es in Dei templo Sacerdos, & Regibus potentior, & Judicibus formidabilior, obtento ſcilicet in animas imperio, extenſóque, non ad unicam dumtaxat monarchiam, ſed ad Orbem univerſum; nec hunc tantùm, quem pedibus terimus, ſed & illum quem oculis, quem animo ſuſpicimus, cœlum dico, cœleſtémque monarchiam, in quâ tibi cum cæteris Apoſtolis commune eſt imperium, communiſque dominatus, felici ſanè, ac fortunatâ ſorte, ipſis etiam Cœlitibus invidendâ.

Bonum omninò factum, in cujus aliquam partem ſi venis (ô Chriſtiane) & ſanè quidni venias à Deo vocatus in partem ſortis Sanctorum? *Cognoſce* in eo divinæ vocationis beneficio *juſtitias, & judicia Dei*, qui te è millibus; imò & propè innumeris elegit, & *ſta in ſorte propoſitionis*; ſta, inquam, & conſtanter perſevera in propoſitâ tibi ſorte, hoc eſt, in vocatione tuâ; atque *in partes vade ſæculi ſancti*, id eſt per bona opera ſic profice, ut tibi tandem aliquando obtingat pars aliqua ſæculi ſancti, pars gloriæ, ac beatæ æternitatis. *Eccl. c. 17.*

Ita certè cognovit, & amavit juſtitias, & judicia Dei, ille ipſe, qui in oculis eſt S. MATHIAS, ita ſtetit in propoſitâ ſibi Apoſtolici muneris ſorte, atque ita *venit in partes ſæculi ſancti*, & nunquam interituræ æternitatis. Et hoc quia à Deo electus ex millibus.

At quî, inquies, electus? ſi Latinam vocem attendas, ea eſt in aperto: at ſi Hebræam, occulta, ac ſecreta explicat myſteria, quæ ſub unâ latitant voculâ. Hebraicè enim eſt *Dagul*, id eſt, *Antiſtans, princeps excellens*, atque adinſtar vexilli cæteris eminens: verbo uno *vexillatus*. Hinc Vatablus vertit. *Vexillatus* in decem millibus; hoc eſt eodem interprete, *gerens vexillum crucis inter omnes Chriſtianos.*

Ecce quæ D. MATHIÆ encomia continet, aperítque vel unica vocula. Ex illâ quippe anteſtat omnibus, eminet omnibus, ut in acie explicari, eminerέque ſolet vexillum. Et certè Chriſtianas inter acies eminere viſus eſt D. MATHIAS, quà niuore candidæ mentis, quà rubore fuſi pro Chriſto ſanguinis, ut poſtea videbimus.

§. III.

Cur D. Mathias *candidus? & unde candor?*

PUlchritudinem corporis, quæ animæ eſt veſtis urbana, in duobus repoſuit *Plato*. Primò in ſuavitate coloris, deinde in ipsâ membrorum harmoniâ. Eſt autem ille color candidus rubore mixtus, & vermiculatus, hoc eſt roſeus. Qualem *Adonidi*, Juvenum pulcherrimo dedere *Poëtæ*, quos inter *Statius*, qui ſic de illo: *Unde candidus?*

Niveo natat ignis in ore purpureus.

Et hinc factum exiſtimo, ut ſponſa, ſponſi ſui venuſtatem petierit à colore, eóque candido, & rubicundo; quem etiam (ut non abeam à propoſitâ mihi in præſens quæſtione) *Eccleſia*, ceu ſponſa in D. MATHIA, ceu ſponſo ſuo, commendat. Fuit ille longè ſpecioſiſſimus, quia *candidus & rubicundus*. At quis, inquies, ille candor? quis & rubor? ne crede eum fuiſſe qui corpori, qui faciei inſidet (hic enim ad ſponſi pulchritudinem, & caſtos ſponſæ amores, aut parum, aut nihil attinet) ſed multum ab illo diverſum, eum ſcilicet, qui evadit ad animum, ejúſque in cœleſtis ſponſæ oculis decorem mirè commendat. At quis iterum ille? eſt candor niveus puræ mentis, eſt vitæ, morúmque innocentia tota candida.

De Chriſto, qui ex vero ſponſus eſt, & quidem cœleſtis,

Digitized by Google

cœleſtis, ac divinus, extulit iſtud ſymbolum Nicænum: *Quod candor ſit lucis æternæ, & ſpeculum ſine maculâ.* Et juſtus omnis, & ſanctus omnis, *candor* eſt, & *candor lucis* ab æternâ illâ participatæ. Eſt & *ſpeculum ſine maculâ.* Et is fuit S. MATHIAS: quod primò probat vel ipſum nomen; omen, & præſagium ſututæ in illo ſanctitatis: dein & vita omnis. Et quidem ad nomen quod attinet, MATHIAS fuit, quod alias, atque alias patitur etymologias, atque interpretationes.

Venerabili Bedæ MATHIAS idem eſt, quod *Dei donum*, vel *donatus à Deo*, ut vel in ipſo nomine omen eſſet, donandum à Deo in Apoſtolum Eccleſiæ.

Mathias, id eſt, Parvus Dei.

Alia MATHIAS idem eſt quod *parvus Dei.* parvus, inquam, ab humilitate, inſigníque demiſſione, qualis eſſe ſolet in pueris, & parvulis, quibus ut innoxiæ, ut puræ ſunt animulæ; ſic & humiles, & ſui deſpicientes in paucis.

Tu Deus.

Aliis denique MATHIAS idem eſt quod illud: *Quid tu Deus?* quia conflatum credunt ex Hebræo *Maatta ia*, id eſt, *quid tu Deus?* quaſi vel ipſo nomine ſibi diceret MATHIAS. *Quid tu Deus?* quid ego? tu abyſſus omnis entis, omniſque boni; ego abyſſus nihili, & omnis mali. Qui profectò ſenſus eſt humilis, & abjecti in ſeipſo animi. Ecce quæ in uno nomine magnarum virtutum decora, atque ornamenta; candor puerilis, & inſignis morum innocentia, cui germana ſoror, & comes humilitas, comes & nivea puráque caſtitas, à quibus meritò dicitur, & eſt S. MATHIAS totus *candidus*, & quia is eſt, etiam jure meritiſſimo audit & *donum Dei*, & *donatus à Deo.*

Donum Dei.

Sed hactenus nomini datum ſatis, demus etiam vitæ, illi maximè, quæ fuit in Apoſtolici culminis dignitate: quæ porrò fuerit illa, vel ex eo liquet, quòd etiam ante adeptum illud ſacræ majeſtatis faſtigium fuerit innocentiſſima, & longè ſanctiſſima. Argumento ſit illud, quod cœleſti, divináque ſorte ſit electus; & præpoſitus ipſi *Ioſeph*, qui *vocabatur Barſabas, & cognominatus eſt juſtus.* Cùm enim ageretur de ſubſtituendo aliquo in locum, ſedémque *Iudæ* proditoris: Apoſtoli, cæteríque fideles ex omnibus duos duntaxat elegerunt: quaſi Apoſtolatus candidatos, ut ſuper eos mitteretur ſors, & videretur ſuper quem ea caderet. At quales illi, quantíque viri?

Act. c. 1. v. 23.

Primus fuit *Ioſeph Barſabas*, *Iacobi* Minoris & *Iudæ*, ac *Simonis*, Apoſtolorum, frater, indéque etiam ipſi Chriſto proximè ſanguine junctus; eóque nomine, ut videbatur eligendus. Maximè cùm ad illam cum Chriſto, Deóque cognationem, accederet illuſtris vitæ morúmque ſanctimonia, à quâ cognomen hoc accepit *Iuſtus.* Pulchrum omninò nomen, quod ne vacuum fuiſſe putes illius, quam præferebat laudis, paucis accipe, quid deinde illo factum ſit.

Creatus primò *Eleutheropolis* in Paleſtinâ Epiſcopus, quo in munere divini verbi prædicationi vacavit impenſiùs; tum etiam fidei causâ multa à Judæis paſſus eſt, propinatúmque ſibi venenum etiam bibit, exhauſitque innoxius; ad extremum in Judæâ glorioſo fine quievit, atque inter Sanctos relatus eſt, colitúrque etiam modò Beatos inter, ac Dei electos. Et tamen ut is eſſet, non eſt in Apoſtolum aſcitus, nec ſanguini datum illud, nec juſtitiæ illius, ac ſanctitati; ut meritò dari poterat, & humano calculo etiam debebat: ſed in MATHIAM ſors incidit, non humana, ſed divina; ut ex illa noſces quis, quantúsve cœlo judice eſſet ille. Quod ſi is ante acceptam à Deo Apoſtolici muneris dignitatem, quis, amabo te, *mi Lector*, illam adeptus? collige ex incenſo in Deum amore, & zelo ardentiore animarum. Hunc explicuit primùm in Judæâ, quæ illi obtigit, deinde in Æthyopiâ, vaſtiſſimâ illâ, incultáque regione, quam ſic pervaſit, ſic excoluit: ut miros inde fecerit animarum proventus, non tamen ſine labore, ſine ſudore multo, quem fudit in magnâ illâ, & periculosâ peregrinatione barbaras inter nationes, per avia, & invia locorum ſparſas; in quibus candida illa anima ſic verſabatur, ut nihil inde maculæ, nihil animo ſuis contraheret. Nimirum illi uſu veniebat, quod puriſſimo ſolis radio, qui ſive in flores, cultáſque ac nitentes areolas incidat, ſive in putidam, fœtentémque cloacam, ſemper innoxius incidit. Et ita ſemper incidit S. MATHIAS, eóque à cœleſti ſponsâ dilectus, quia totus *candidus*: ſed & totus *rubicundus*, ut jam oſtendemus.

Martyrol. Rom. 20. Iulii.

§. IV.

Cur D. Mathias *rubicundus? & unde ille rubor?*

IN promptu eſt reſponſio, quia Chriſti Martyr. Martyres vocavit author unus aliquis modò *candidatos Æternitatis*, modò *Heroës purpuratos.* *Candidatos* quidem, non ſolùm à niveâ vitæ innocentiâ, ac puritate: ſed etiam à cœleſti quodam candore lucis, qui in illorum ore, vultúque emicabat, eóſque à reliquo hominum cœtu diſcriminabat.

Silveſter Petra ſancta in Thaumaſia ver. hel. tom 2. c. 66.

Certè Maximianum Principem ferunt, id credidiſſe de *S. Luciano* Martyre, & fuiſſe admonitum etiam periculum fore, ne Chriſtianus evaderet, ſi eum contueretur. Quod cauſæ fuit, cur nonniſi velo interjecto alloquii copiam fecerit, quando eum juſſit adduci.

Ex Simeone Metaphraſt.

Quod *D. Luciano* Martyri, hoc & S. MATHIÆ evenit: ille enim ipſe lucis radius, qui ei pro ſorte fuit, indicióque claro divinæ electionis, etiam fuit pro candore: imò & ardore mentis, quo niteret, quo micaret totus, ex vero *candidatus Æternitatis*, ſed & *Heros purpuratus*: at quâ, inquies, purpurâ? & quo murice? non alio quàm affuſo ſanguine.

Hunc porrò in Martyribus candorem, hunc & ruborem oſtendit aliquando Deus etiam miraculo.

Unum volo, unum amo in Apoſtolo *Paulo*, de quo ſic Baronius: *Ex communi traditione habetur tres fonticulos ſcatere cœpiſſe dulcis aquæ, ubi* Paulo *caput exciſum tribus ſaltibus, vi quadam divini ſpiritus agitari viſum eſt, quorum primus dulcis lactis ſaporem reddit aliquâ ex parte. Cæteri haud longè à primo diſtant, cujus rei ea ratio afferri ſolet, quòd ipſo primo fluxu lac venæ dederint, & inde ſanguinem*: ut inde noſſes *Paulum* & *Cæli candidatum* à lacte, & *Heroëm purparatum* à ſanguine.

Anno Chriſti 69.

Sed paululum abeo à propoſita mihi quæſtione, ad illam redeo, & inde ad D. MATHIAM, quem appellavi, probavíque *Æternitatis candidatum*; modò appellabo, probabóque etiam *Heroëm purpuratum.*

Judæis pariter, ac Gentilibus Dei verbum, ceu cœleſte ſemen, copiosâ manu ſparſerat Apoſtolus; cùm & ab his; & ab illis impeti ſe ſenſit, primò verbis acrioribus, ceu linguæ jaculis; deinde etiam ſaxis, ac lapidibus, conſueto Judæis ſupplicio, denique etiam ferro, quo illi præciſum caput, ut ex immani illo vulnere, ceu patente portâ, exiret animus *candidus & rubicundus*; exiret, inquam, & Chriſto redderetur, ac Deo: terris occidens, & cœlis naſcens. Quî autem factum illud paulò fuſiùs accipe. Chriſtum ut Meſſiam Judæis annuntiabat Apoſtolus, non tulerunt illud rebellia cœlo capita: ad Judicis tribunal, ad Pontificem illicò rapuerunt; qui cùm liberas illas de Chriſto voces non ferret, ut blaſphemum lapidibus ex more legéque obruendum popello tradidit.

Rubicũdus à ſanguine.

Ducitur ergo, atque ex urbe educitur in *Bethlaskila*, hoc eſt *Domum lapidatorum.* Hic teſtes duo ſecundùm legis mandatum illius capiti, ceu mortis victimæ, manus imponunt; tum primi in illum lapidem ſinguli mittunt, vibrantque valido impete, & hos lapides ſibi conſepeliri voluit, petiitque

Ex M. S. Trevir. c. 3.

Apoſtolus,

Apoſtolus, futuros utique teſtimonio invictæ mentis, ac veluti glorioſi martyrii inſtrumenta; quæ etiam irent ad poſteros omnes; denique (ut aliquid etiam in hoc Romano præſidi delatum videretur) ſecuri Romano more percuſſus eſt, & ſic per immania ſaxa, per ferrum, per vulnera, per mortem è corporis ergaſtulo in libertatem filiorum Dei, in cœli regiam ſinúmque Divinitatis evolavit magna illa meos, & cœli novi, hoc eſt Eccleſiæ Intelligentia; ſicque mortalibus occidit, & immortalibus nata eſt.

Carolus V. die S. Mathiæ natus, Imperator, victor.

Beatus omninò qui ſic occidit, ſic & naſcitur. *Carolum* Imperatorem, hujus nominis quintum, audivimus de tribus gloriari ſolitum. Primò, quod ipſo D. MATHIÆ ſacro die natus eſſet. Secundò, quod eodem adeptus imperium. Tertiò, quod eodem inſignem de hoſtibus ſuis victoriam conſecutus. Nec certè tanto Cæſari defuit occaſio, cauſáque ſic gloriandi: ſed audeo dicere, major illi, qui ex vero gaudere, gloriarique poterit, eo ſe die cœlo per gratiam renatum; eo ſe die inſignem de ſe, ſuiſque paſſionibus, ceu domeſticis hoſtibus, victoriam reportaſſe; eo denique ſe die conſecutum, non terræ imperium, ſed cœli regnum. Ut porrò ſic & gaudere, ſic & gloriari poſſis, *mi Lector*, age, eſto ut ille Eccleſiæ, ceu ſponſæ tuæ *dilectus*, eſto *electus ex millibus*, ut ſis, eſto etiam *candidus* à virgineâ puritate, & innocentiâ vitæ: eſto & *rubicundus* à fuſo Chriſti causâ ſanguine; ſin minus reipſa (quod paucis omninò conceditur) at ſaltem voto, & imitatione, quod offertur omnibus. Eſto denique D. MATHIÆ cultor eximius; ſic enim uberem ab illo gratiam excipies, ſeu cœli rorem, ſeu cœleſtium chariſmatum fontem, ſeu denique oleum divinæ miſerationis, quod in te per illius manus, ac patrocinium effluet. Certè, & hæc, & illa adpromittunt, viſa ad illius reliquias olim prodigia.

Ex eodem M.S. c. 8.

Cùm piæ illius Divi exuviæ adhuc laterent in altâ defoſſæ humo, civis unus aliquis ad illius ſepulchrum excubans, oránſque concubiâ nocte, ſibi conſpicere viſus eſt D. MATHIAM jacentem, & quaſi placidè ſopitum, ſub quo manabat, fluebátque fons uberrimus, è quo hi ſe abluere, illi bibere, alii corporis tabem, morbóſque diluere videbantur, adeò medicus erat fons ille. Et hoc primum annuente cœlo prodigium, aliud accipe.

Cùm ſacra illius oſſa educerentur è terrâ, in quâ diutiſſimè jacuerant; primùm ex illis emanavit odor ſuaviſſimus, tum Sacerdos in paucis illi devotus, qui ipſius reliquias erueterat ipſe, tractarátque; hoc deinceps ab eodem Apoſtolo beneficium accepit, ut quoties de illius cultu, ac veneratione ageret; illicò ex ejus dextera ſtillaret oleum; index utique Apoſtolicæ caritatis, ac miſerationis, quod & in illum, & in alios omnes ejuſdem cultores effluet quàm uberrimè: utque in te effluat, opto, voveoque, *benevole Lector.*

IN FESTO

SANCTI IOSEPHI VIRGINIS SPONSI.

SCRIPTORES Antiqui ut Virorum illuſtrium encomia in lucem efferrent, eos inter ſe, & cum aliis componere ſoliti.

Ita Plutarchus Græcos Romanis comparat, unumquemque ſuo ſimili: Theſeum cum Romulo. Hannibalem cum Scipione Africano. Alexandrum Magnum cum Iulio Cæſare. Demoſthenem cum Cicerone. Ageſilaum cum Pompeio. Themiſtoclem cùm Camillo. Ariſtidem cum Catone. Pirrhum cum Caio Mario. Periclem cum Fabio Maximo. Licurgum cum Numa Pompilio. Solonem cum Publicola. Lyſandrum cum Sylla; & ita alios cum aliis. Et hoc, quia ſic compoſiti lucem aliquam, commendationémque ſibi mutuò, affundunt: ut ſolent inter ſe juncta in cœlis minora ſidera.

Quod Plutarchus deinde: hoc longè ante Eccleſiaſticus; qui *Ioſephum* componit cum *Enoch*, *Sem* cum *Seth*, *Adamum* denique cum cæteris hominibus. Ego in præſens aliis omiſſis Eccleſiaſtici veſtigia legam, & S. IOSEPHI, Virginis Sponſi encomia deducam, utarque illis ipſis vocibus, quibus olim ille: *Nemo natus eſt in terrâ qualis IOSEPH*; tum quæram quis ille IOSEPH? denique cur nemo natus qualis ille? Eccl. c. 49. v. 10.

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa verba : *Nemo natus eſt in terrâ qualis Ioſeph.* Eccleſiaſtici c. 49. v. 17.

QVIS ILLE IOSEPH?
Et cur nemo natus in terrâ qualis ille ?

DUos Orbi ſub oculos ponit Eccleſiaſticus, quibus nemo mortales inter par fuit.

Unus eſt *Enoch*, primo mundi ſæculo ante diluvium nulli ſecundus.

Verſ. 17. Alter eſt JOSEPH, poſteriore poſt diluvium ſæculo & ipſe nulli ſecundus. Cujus rationem ſi voles, haoc effert; *Qui natus eſt homo, princeps fratrum, firmamentum gentis, rector fratrum, ſtabilimentum populi.* Et hæc JOSEPHI encomia quaſi in compendium conjecta; è quibus illud, uni primum, ſic & ſingulare: *Qui natus eſt homo*, Græcè ἀνὴρ, id eſt *vir*, quia jam inde à puero virilem ſapientiam, gravitatem, virturémque præ ſe tulit: cùm alii contrà, nec homines naſcantur, nedum viri, quia in eâ ætatulâ, illis infaotilia, puerilia ſuot omnia, virile nihil.

Ad hoc in JOSEPHO viri nomen, decúſque, accedit quòd ideò natus ſit, ut eſſet *Princeps fratrum, firmamentum gentis ſuæ, & populi ſtabilimentum.* Et hæc de Patriarcha JOSEPH dicta ſunto; cui JOSEPHUM Virginis ſponſum comparare, mihi eſt animus: ſed in hoc tantùm, quòd *nemo natus ſit in terrâ qualis* JOSEPH. Hoc enim ut de illo verum: ſic etiam de hoc longè veriſſimum.

I. *Ex ipſo nomine, quod ex vero* Joſeph.

MIRUM profectò, quæ apud Antiquos omnes boni nominis cura, quæ obſervantia, quævè religio; ex hoc enata, quod crederetor in eo multum eſſe boni ominis, multúmque momenti ad lætiores in vitâ ſucceſſus. Quæ opinio apud omnes propè invaluit ſeu in togâ, ſeu io ſago; ſeu etiam in Eccleſiâ.

Ex antiquiore diſciplinâ militari, ducibus id curæ fuit, ut in primo agmine, primiſque ordinibus, ſtatuerentur ii, quibus boni augurii nomen eſſet; quale vel Cæſaris, vel Alexandri, vel Scipiadæ, vel aliorum, qui ſpectabantur ut fulmina belli.

In re politicâ illud etiam lege cautum, ut in publico foro proſtarent venalia nomina, eaque ſpecioſa, & fortunata, quæ parentes filiis ſuis coëmerent, atque imponerent.

Melius, & ſanius in Eccleſiâ, in quâ Theodoreto teſte Parentibus illud commendatum imprimis, ut filiis ſuis ea deligerent nomina, quæ à Chriſtiano robore, ac fortitudine magis eſſent commendata, qualia rebantur eſſe illuſtrium in Eccleſiâ Martyrum.

Ratio ſi petitur, eam olim extulit *D. Cyprianus*, *Lib. de oper. Chriſt.* quod *nomina magnarum rerum indicia ſint*, vel etiam omina. Quod ſi ea ſint, multò magis ſacratiora JESU, MARIÆ, ac JOSEPHI nomina, de quibus pronuntiavit illud aliquando Virpius: *Hæc tria nomina, bona ſunt omina, & mundi lumina, & cœli limina.*

Omina quidem, quia boni aliquid portendunt. JESUS enim ſalutem promittit vel ipſo ſolo nomine. MARIA verò Dominium oſtentat univerſi; ut enim aureè D. Chryſologus: *MARIA Hebræo ſermone, Latinè Domina nuncupatur, ut Dominatoris Genitricem trepidatio deſerat ſervitutis, quam naſci, & vocari Dominam, ipſa ſui germinis fecit, & impetravit authoritas.* *Serm. 142.*

JOSEPH denique incrementum pollicetur; idem enim eſt quod *accreſcens*, ſibi primùm: deio & aliis. Ut enim diſertè Caſſianus; JOSEPH *vir juſtus erat ex lege, juſtus ex fide, juſtus ex moribus.* *Joſeph. id eſt, Accreſcens.* *Lib. 2. de Virg. Maria cap. 1.*

Ecce ut incrementum illi vel ipſo oomine. Accipe ut etiam aliis. JOSEPH, inquit, *nomen augmenti ſibi congruum magiſq; myſterio; quoniam omnia erant augmentanda per gratiam; & mundi detrimenta, jam ad incrementa revolvebantur.*

Seneſcens Orbis per tot ſæcula ingentia paſſus erat *detrimenta*, detrimenta dico rationis; facti enim erant homines ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus: *detrimenta* fidei; quot enim univerſo ſparſi infideles? quot idololatræ? notus in Judæa (hoc eſt in uno mundi angulo) Deus, ignotus cæteris. *Detrimenta* denique gratiæ ab immani illâ ſcelerum omnium eluvie, quæ terram occupabat, mergebátque, à JOSEPHO, qui felici omine *accreſcens* appellatur, *ad incrementa revolvitur*, incremeota dico rationis, fidei, gratiæ, ac ſalutis.

Ecce, quæ in uno nomine bona ſunt *omina*, ex quibus certè *nemo natus in terrâ qualis* JOSEPH, etiam

II. *Ex ipsâ nativitate.*

DE antiquiore illo JOSEPHO dixit Eccleſiaſticus: *Qui natus eſt homo*, Græcè ἀνὴρ, id eſt *vir*. Et de Virgine MARIA pronuntiavit Evangeliſta: *Deſponſatam viro, cui nomen erat* JOSEPH. At cur, inquies, *Viro?* quid in hoc myſterii? quid gratiæ? quid virtutis? quid ornamenti? *I. Quia natus homo ſive Vir.*

D. Athanaſius opinatur cœleſti conſilio, cœleſtique oraculo dictum ab Angelo, *Virginem deſponſatam viro, primùm ut oſtenderet MARIAM verè hominem eſſe.* *Epiſt. ad Epictetum.* Ea quippe ejus dignitas, ea erat excellentia, ut niſi fides cohiberet, non dixiſſes hominem: ſed quiddam humano majus, & propè divinum; propéque Numen alterum. Ut ergo hominem proderet Angelus, adjecit illud *Deſponſatam viro*: quia non deſponſatur Viro niſi homo, niſi fœmina. Deinde dicitur *Viro*, quia de JOSEPHO verè dici potuit: *Hic Vir, hic eſt.*

Alii, qui naſcuntur ex communi mortalium lege, communique ſorte, in qoa nihil naturâ majus, nihil expers corruptionis, & nativæ labis, maculæque originalis; ii, inquam, ſic naſcuotur, ut & rationis expertes ſint, & gratiæ, & quod inde conſeqoens eſt, animales toti; imò & toti cœlis, ac ſuperis inviſi; Deique (quod propè ſummum eſt malum) inimici.

At non ſic S. JOSEPH: *natus is eſt homo*, imò & homine quid majus, quia natus in gratia, quam vel ex ipſo matris utero hauſit, privilegio planè ſingulari; de quo ſic Gerſon Cancellarius Pariſieoſis: *Sicut decuit ut Virgo ſummâ puritate niteret: ſic decuit ut haberet ſuo modo parem ſponſum puriſſimum.* *Serm. de Nat. Virg.*

Sed uode ſuo modo par? è duobus maximè, primum, quia uterque ſanctificationem in utero recipiens.

Alterum,

II. *Quia ſanctificatus in utero.* Alterum, quia cum perpetuâ Virgine virgo permanſit. Et certè ea jam inde ex utero hauſta ſanctitas, JOSEPHUM omninò decebat; ut Virginis ſponſum, ut Christi nutritium; imò ut Patrem.

Sed hoc, inquies, non videtur JOSEPHO ſingulare, quia etiam aliis, & quidem plurimis id privilegii conceſſum exiſtimant Authores non infimæ notæ.

De Jeremiâ certè id cenſet D. Antoninus.

De Patriarchâ Jacob S. Ambroſius.

De Moyſe S. Ephrem. De Sampſone alii.

De S. Jacobo Minore Egeſippus, & Euſebius Cæſarienſis.

Ad Galat. c. 1. De S. Paulo idem ſentiunt nonnulli ex illo ipſius de ſe teſtimonio. *Cùm autem placuit ei, qui me ſegregavit ex utero.*

3 Part ſum. tit. 14. c. 5. 2. De S. Nicolao qui natus ſtetit rectus, & de beato Dominico, qui jam in cunis, egrediens lectum; jacebat in terra, idem opinatur D. Antoninus. Non igitur in eo ſingularis D JOSEPHI nativitas? enimverò ſingularis: etſi enim ex eo capite non eſſet ſingularis, quod nonnullis aliis etiam id commune, uti jam inſinuavimus; aliunde tamen aliquid ſibi uni proprium, ac peculiare vindicare potuit; & quidem primò ex copiâ infuſæ tunc gratiæ, collatæque ſanctitatis, quam ex eo hautio, quòd Gerſon JOSEPHI in utero ſanctificationem componat & jungat cum eâ ipsâ Virginis in utero ſanctificatione, quam uberrimam, & longè maximam fuiſſe conſtat vel ex eo, quòd Dei Mater eſſet aliquando futura; quidni etiam in JOSEPHO, vel ex hoc quòd Dei Pater & ipſe futurus eſſet. addo quòd & Virginis cuſtos, ac ſponſus.

1. Reg. c. 7. De *Abinadab* Eleazari filio, habetur illud in libris Regum, quod *ſanctificaverunt eum*, vel ut Chaldæa verſio exponit: *Præparaverunt, ut cuſtodiret arcam Domini.*

Ecquid, amabo te, *mi Lector*, erat *Arca Domini?* lignum erat, & ut pretioſum eſſe, ac videri poſſet: attamen lignum erat, & quidem aridum, atque exſuccum, quo claudebatur manna, ceu ros quidam cœleſtis; & tamen ut ea tantùm eſſet *Arca*, qui illam cuſtodire debuit, præparari & ipſe debuit, ſanctificari debuit. Et non debebit S. JOSEPH, qui verioris, nobilioris; imò & propè cœleſtis *Arcæ*, id eſt Virginis cuſtos eſſe debuit fideliſſimus? debebit enimverò; at quæ præparatio? quæ ſanctificatio? ea certè, quæ viventis illius, ac cœlo ſpirantis arcæ cuſtodem decebat; illius, inquam, arcæ, quæ non manna clauderet, ſed Verbum Patris, ſed Dei Filium, ſed Deum ipſum. Et hæc prima ratio, propter quam *nemo natus in terra qualis* JOSEPH: cui accedit etiam altera, quia natus eſt *princeps fratrum, firmamentum gentis, ſtabilimentum populi.* Natus dico, non factus. Mirum illud in JOSEPHO Patriarcha, qui ut inter fratres minor eſſet natu; factus tamen eſt eorum princeps; non naturæ, aut natalium vi, & privilegio: ſed cœleſti gratiâ, ac divinâ prædeſtinatione, quæ illum ſic naſci voluit, ſic à primo nativitatis inſtanti deſtinavit, ut eſſet aliquando *Princeps fratrum, firmamentum gentis ſuæ, ſtabilimentum populi*, uti re ipsà fuit, cùm ad Ægyptiaci Imperii culmen evectus eſt. Quod JOSEPHO Patriarchæ, hoc & JOSEPHO Virginis Sponſo; qui *natus princeps fratrum, firmamentum gentis ſuæ, & ſtabilimentum populi*, ut ex dicendis magis patebit: uti & illud, quod *nemo natus in terrâ qualis* JOSEPH, etiam ex hoc

III. *Quòd Virginis Sponſus.*

Sponſus Virginis. CUM JOSEPHUM, dico Virginis Sponſum, ſimilem dico, & propè parem: hoc enim exigunt ſponſalium leges, & pacta, ſive naturæ dona ſpectes, ſive fortunæ, ſive etiam gratiæ.

In prima hujus Univerſi molitione, poſtquam è limo meliore formatus Adam, ne ſolus eſſet ſine teſte, ſine comite, ſine conjuge, vitæ ſocia, dixit conditor omnium Deus: *Faciamus adjutorium ſimile ſibi.* *Gen. 2. 2.* Conjugem vocat *adjutorium* viri, & vult illud eſſe *ſimile*; ſimile, inquam, à naturâ, ſimile & à gratiâ. Quod primis in orbe nuptiis, primiſque conjugibus datum eſt, etiam cœlo judice; hoc & ſecundis, hoc & poſtremis, hoc & omnibus dari debet, ſi fortunatas ac felices velis eſſe nuptias, ac beata conjugia: ſimiles ſint, & quantum natura, gratiáque patitur, ſimiles ſint conjuges, & per omnia quà licet pares, etiam in ipſis fortunæ bonis, ex illo Poetæ etiam profani:

Si qua voles aptè nubere, nube pari.

Quod ſi receptum illud ex hominum ſenſu, & calculo: quidni etiam ex cœleſti, ac divino? ſi Rabbinis habenda fides, Aſſenetta Ægyptii Pontificis filia ſe ipſam in arctiore turri, ceu carcere, clauſerat, certa mori Virgo, & nulli nubere niſi Deo. Fortè in oculos incurrit Patriarcha JOSEPH, & ſimul incurrit in animum, amoreſque, ac deinde etiam in Sponſum venit, utque veniret, in dotem illi ab Ægypti Rege numerati ſex ſcutorum milliones: ingens omninò ſumma, & digna Pharaone, digna & Virgine dos fuit. Si à profanis ad ſacra tranſire mihi liceat: dicam ego, quod templo ſeſe arctè incluſerat MARIA, certa vivere, & mori Virgo, nec umquam eſſe Mater, niſi Dei, & quidem Virginitate ſemper ſalvâ; quærendus ad hoc fuit Sponſus, & quidem ſimilis, ac propè par; ſponſus, qui & ipſe Virgo; & ecce cœleſti prodigio offertur JOSEPH.

De Virgine nuptui tradendâ deliberabant inter ſe *Miraculo deſignatus.* Sacerdotes, dubii, & anxii cui traderetur; ſed dubium mox ſuſtulit audita cœlo vox, verius oraculum; quo ſignificabatur eum Virgini dandum eſſe ſponſum, cujus virga floruiſſet, & cujus capiti advolans columba inſediſſet. grata fuit ea vox, & gratum oraculum, cui illicò reſpondit eventus, nam & JOSEPHI virga mox germinavit in flores, & à virgâ columba devolans, in JOSEPHI caput involavit, eique inſedit.

Hujus porrò ſeu oraculi, ſeu prodigii teſtes habeo Authores probæ notæ, & ſanctos Patres, quos inter *S. Euſtachius* in ſuo Exameron. Sic ille de JOSEPHO: *Simulatque à Sacerdote virgam accepit, ex eâ columba volans capiti* JOSEPH *inſedit, quare princeps Sacerdotum, Sacerdoteſque omnes, qui convenerant rem admirati, pari voto* MARIAM *illi deſponderunt.*

Hoc porrò miraculum ſæculis longè conſequentibus confirmatum etiam novo miraculo.

B. Margareta; JESU, MARIÆ, ac JOSEPHI, *Anton. de la Penna in ejus vita.* ut erat amantior, ſic eos cordi ſuo altè impreſſerat, imò & voce ſæpiùs expreſſerat, dum ſic ſæpè ſæpiùs ad ſocias Virgines: *Ò ſi ſciretis vos, quod ego in corde meo geſto, & retineo.*

Hæ porrò voces ſæpiùs ab illâ auditæ, fecerunt, ut mox à morte corpus aperiri placuerit, & ecce novum, atque à ſæculis inauditum prodigium. Ubi exenteratum corpus, eductum, diffiſſúmque cor, in eo repertæ tres veluti gemmæ: in quarum unâ viſebatur Virgo miri decoris, in alterâ infantulus, quem cingebant oves innoxiæ; in poſtremâ Vir, aſpectu, ſpeciéque venerabilis, in cujus caput involabat columba. Et hæ quidem non è mari indico petitæ gemmæ; ſed cordi ſanctiſſimæ Virginis adnatæ, apprimè referebant caſtos illius amores, JESUM, MARIAM, & JOSEPHUM, quorum imagines impreſſerat ipſa Dei Omnipotentis manus. Sed ne longiùs: ad JOSEPHUM redeo Virginis Sponſum, etiam miraculo deſignatum.

At quis? & quantus ille? quantus certè Virginis ſponſus, hoc eſt ſponſæ ſimilis. Is enim eſſe

debuit ſi ſponſus, & hoc cœleſti conſilio, cœleſtique gratiâ. Ubi enim aliquem elegerit Deus cuicumque demum muneri, cuicumque & dignitati, eum & huic, & illi parat, additis ad hoc è cœli gazis, melioribus donis: ita cùm Apoſtolos elegit, *idoneos fecit Miniſtros Novi Teſtamenti*; idoneos dico, à doctrinâ, inditâque divinitùs ſapientiâ; à quâ, cæteroquin rudes, ignarique piſcatores, & Platonem ſapientiâ, & Ariſtotelem ſubtilitate, & Demoſthenem ſuperarent eloquentiâ, à quâ veriſſimum illud, quod extulit aliquando D. Ambroſius: *Scientia piſcatorum ſtultam fecit ſapientiam philoſophorum.* Quod ſi in Apoſtolis id uſuvenit, non eveniet in Virginis ſponſo, in Dei ipſius Patre, ac nutritio? eveniet enimverò, fiet ille idoneus virginali conjugio, fiet omninò dignus Virgine ſponsâ, Dei Matre: adeóque illi perſimilis, illi propè par; audeo dicere, illi quodammodo ſuperior. Si enim Apoſtolo teſte *Vir eſt caput mulieris*, & JOSEPH MARIÆ, ceu ſponſæ, caput fuit.

Ad Cor. l. ſ. c. 2.

Ad Epheſ. c. 5.

Et hinc ſumma JOSEPHI dignitas, laus, & commendatio; quòd Virginis, quòd MARIÆ ſponſus, quod dum dico, omnia dico.

D. Gregorius Nazianzenus oratione funebri habita in laudem ſororis ſui, *D. Gorgoniæ* ſororis ſuæ mariti, cùm omnia, quæ de illo jactari poterant, brevi compendio; imò verbulo uno complecti vellet, pro eâ quâ erat eloquentiæ vi: *Vultis*, inquit, *uno verbo virum deſcribam? Vir erat Gorgoniæ; nec enim ſcio quid amplius neceſſe ſit dicere.*

Quod Sacer Orator de illo dixit; hoc Evangeliſta de JOSEPHO, de quo ubi ſermo incidit, *Virum* appellat MARIÆ, & hoc ad laudem ſatis. Ecquid enim cùm *virum* dicit, ſponſum dicit; coronam dicit, coronam gratiæ, coronam ſanctitatis, coronam gloriæ, ac beatitatis. Ut enim Apoſtolus: *Mulier eſt corona Viri.*

Matth. c. 1.

Vir Mariæ.

2. Cor. c. 7.

Philonis uxor cùm ex patriæ more ritúque renuiſſet capiti ſuo auream coronam imponere; exprobranti ſibi, ſcitè & prudenter reſpondit, non aliam ſe velle coronam præter mariti virtutem: hæc enim, inquiebat, mihi pro coronâ eſt, & omni capitis ornamento. Quod illa fortaſſis ex nimia amoris inclinatione pronuntiavit, hoc ex veritate S. JOSEPH, cui non aurea, non gemmea, non ſtelligera ſi voles corona erit pro nobili capitis ornamento: ſed uxor, ſed ſponſa, ſed Virgo MARIA. Hæc certè erit pro corona, pro diademate: uti enim mulieri Vir eſt ſubinde pro coronâ: & *Mulier diligens corona viro ſuo*, ut rectè Sapiens. Multò magis MARIA ſuo Viro erit pro coronâ; quam quia capite circumgeſtat, meritò de illo dixerim: *Nemo natus in terrâ qualis* JOSEPH, quia nemo natus *Vir MARIÆ, MARIÆ ſponſus.* Et hinc delabor ad aliud gloriæ caput, & hoc quidem excelſum, cœleſte, ac propè divinum. Hoc nempe

Virginis corona.

Prov. c. 12.

IV. *Quòd Chriſti Pater.*

NE crede à ſola generatione quemquam eſſe, & dici poſſe Patrem. Sunt enimverò alii, atque alii tituli, aliáque nomina, quæ Patrem faciant, & notent, è quibus is eſt

Primus, jure veri, & legitimi matrimonii: qui enim uxorem ducit, ejus filii pater eſt, etſi eum mundo, & carni non genuerit: quia ex vero maritus eſt, & illa ex vero uxor; adeóque, ut hæc mater, ſic & ille pater: Ut enim verum matrimonium eſſe poteſt ſine copulâ carnali: ſic & verè filius ſine illâ: & hoc ex ipſius connubii lege. Ubi Adamum inter, & Evam ineundæ nuptiæ, dixit ad illos Deus: *Erunt duo in carne unâ*, quod ſi duo in carne unâ, conſequens eſt ut unius fœtus cenſeri poſſit fœtus alterius, & hoc jure tranſlati dominii corporum, quod fit per matrimonium, in quo *mulier corporis ſui poteſtatem non habet, ſed vir.*

Res patebit in ſimili. Sit tibi ager, ſit hortus, cujus verè ſis Dominus, quidquid in eo creſcit, tuum eſt: etſi tuis ipſe manibus nec ſeveris, nec plantaris: ratio in oculis eſt, quia quod ſuccreſcit in fundo, accreſcit Domino fundi, & omni jure illius eſt. JOSEPHUS uti ſponſus: ſic & Dominus virginei corporis, è quo proinde, quod naſcebatur, JOSEPHO quodammodo naſcebatur, & JOSEPHI erat ut Domini, ut Patris. Et hic primus, ac potiſſimus titulus ex ipſius connubii lege, ac naturâ petitus.

Alter erat ex communi hominum ſenſu, quo JOSEPHUS Chriſti Pater erat *Putativus*; opinione hauſtâ ex matrimonio, quod JOSEPHUM inter, & Virginem intercedebat.

Alius denique Patris titulus à S. JOSEPHI merito, ac ſanctitate quæſitus. Fiunt alii à naturâ Patres, dum eo jure, quod matrimonii lex admittit, ac parit, utuntur: eo dum cedit JOSEPHUS, & Virginem ſponſam relinquit, & amat; eo jure Virginis filii Pater eſt, jure dico gratiæ, ac meriti. Virgo, Dei Mater ut eſſet, commeruit illibata Virginitate. *Sit MARIA Mater Chriſti: virginitate ſervata*, inquiebat Auguſtinus, atque etiam *ſis & tu* JOSEPH, *Pater Chriſti, curâ caſtitatis, & honorificentiâ virginitatis.*

Serm. 14. de temp.

Prima quippe tibi cura fuit, primúſque honor Virginem ſervare, quam Virginem acceperas, dúmque ſervas commeruiſti quod Virgo: illa Dei Mater ut eſſet, virginitate ſuâ promeruit; & tu ejuſdem virginitatis cuſtodiâ, curâque, Dei hominis Pater ut ſis promereberis, quod quantum ſit, & quàm excelſum, novit is, qui novit quàm excelſus Deus; quo cum veluti partitor Patris nomen: ille quippe Filii Pater eſt in cœlis, hic autem ejuſdem Pater in terris.

Jactet Romanus Orator, indéque ſe magnum æſtimet, quòd *Pater Patriæ ſit appellatus.*

Jactet Auguſtus, quòd Senatorii Ordinis Pater.

Alius quòd Pater populi, Abraham quòd Pater multarum gentium: iſta, inquam, jactent puſilli mortales. Tu ſanctiſſime Patriarcha, hoc unum in fronte oſtenta, quod Chriſti ſis Pater, & hoc ad laudem ſatis.

Sabellio teſte antiquus orator dum Philippo Macedoni panegyticam orationem contexit, pro coronide adjicit illud: *Hoc unum dixiſſe ſufficiat, Philippe, filium te genuiſſe Alexandrum.* Alexandrum dico belli fulmen, & Orbis domitorem. At quid, & quantum illud? quantum Alexander, hoc eſt, quantum homo luteus, quantum mortalis, quantum urna pulveris, quantum bulla, quantum vanitas. *Vanitas* enim *omnis homo.*

Melius, ô melius de te ipſo hoc unum dixiſſe ſufficiat, ô JOSEPH, Filium te habere Chriſtum, in quo, omnia dixi; dixique & illud quod in quæſtione eſt. *Nemo natus in terrâ qualis* JOSEPH.

V. *Quia Chriſti Nutritius, & illi familiaris in paucis.*

NON eſt in poſtremis reponendum illud, quod JOSEPH Chriſti *Nutritius* fuerit, hoc eſt illius, qui nutrit orbem. De Eccleſiâ extulit aliquando magnificum illud Iſaias: *Erunt Reges nutritii tui, & Reginæ nutrices tuæ.* Fuit nimirum illa laus, illa commendatio, illud decus naſcentis Eccleſiæ, quod illi fuerint *Nutritii Reges, & Reginæ nutrices.*

Cap. 49.

Dicam, & verè dicam de parvulo JESU, quod de Eccleſia Vates: *Erunt Reges nutritii tui, & Reginæ nutrices tuæ.*

At quæ Regina? qui Reges? ne multos quære, néve multas. Plus ſatis unus, plus ſatis & una. Regina eſt Virgo, Chriſti Mater, hæc Infantulum nutrit, & lacte potat. Rex eſt S. JOSEPH, qui Chriſtum alit, ac ſuſtentat, non ut

Reges

Reges ſolent petitâ è gazis opulentioribus annonâ, ſine curâ, ſine labore, ſine ſudore: ſed arte ſuâ, eáque fabrili, atque in paucis laborioſâ; ſed opere manuum ſuarum; ſed in ſudore vultus ſui; quod ut operoſum eſt, ita longè maximum.

Gen. c. 3. Primo homini, id eſt Adamo, in peccati pœnam dictum illud: *In ſudore vultus tui veſceris pane.*

Et ſecundo Adæ, hoc eſt Chriſto, & dictum illud; imò & factum. In ſudore vultus optimi Patris tui veſceris pane: quod JOSEPHO quàm glorioſum, quàm magnificum fuerit, nemo non videt; qui modò videt quid ſit ſudor, & quid veſci pane in ſudore vultus? Hoc enim omni annonâ, omni munificentiâ, omni liberalitate pretioſius: qui enim ſic nutrit, quaſi de ſeipſo, déque ſuâ ſubſtantiâ nutrit; ecquid enim eſt ſudor, niſi expreſſa quædam liquidioris ſanguinis portio? ex quâ qui alium nutrit, & ſanguine ſuo quodammodo nutrire dicendus eſt; adeóque ſi JOSEPH Chriſtum nutrivit labore ſuo, ſudore ſuo; & ſanguine quoque ſuo nutriviſſe dicendus erit: quod ut Infanti Deo gratiſſimum, ſic & JOSEPHO glorioſiſſimum.

Ad hoc amabile, ac ſuave *Nutritii* nomen acceſſit ſingularis quædam cum Chriſto familiaritas, qualis parenti cum filio, infantulo cum nutritio eſſe ſolet: ea ſeſe explicuit multis, & clariſſimis beneficentiæ divinæ argumentis; è quibus

Primum fuit, quod JOSEPHO ſeſe viſendum tot annis dederit, ut qui continuò eſſet in oculis, eſſet etiam in amoribus.

In Regula Monach. Tit. de Caſtitate. De S. Joanne Bapt. dixit aliquando D. Hieronymus: *Vivebat in eremo, & oculis deſiderantibus Chriſtum, nihil aliud dignabatur aſpicere.* Et nihil aliud etiam JOSEPH; quid enim aſpicere deſideret, qui Chriſtum aſpicit? Aſpiciebat autem JOSEPH, non ſolùm ut alii, ſpeciem illam, vultúmque, & ora infantuli: ſed longè penitiùs, etiam ipſam, quæ corpore tegebatur animæ gloriam, natáſque ex ea dotes glorioſi corporis; imò & ipſam Dei ter Opt. ter Max. eſſentiam.

De illa mihi author, & ſponſor erit Bernardinus de Buſtis, qui ſic aliquando:

Serm. 12. de deſponſatione Mariæ. *O Sanctiſſime* JOSEPH, *ſi Petrus ſemel tantùm videns gloriam, & pulchritudinem* IESV *transfigurati, dixit: Domine bonum eſt nos hic eſſe. Quid tu dicere debebas, cui non ſemel, ſed ſæpiùs ut piè creditur, ſe benedictus* IESVS *transfiguratum in corpore glorioſo oſtendit*; dúmque ſic oſtendit, & in ſe rapuit æſtu quodam ſuaviore vel amoris, vel voluptatis; ſed tum maximè, cùm etiam aperto mentis illius oculo, divinam eſſentiam viſendam obtulit; ut obtuliſſe credunt Viri pii & Novarinus l. 4. Electorum excurſu 516, n. 1081. docti, qui opinantur & Virginem Matrem, & JOSEPHUM Patrem eò evectum eſſe, ut Dei eſſentiam, ſub Chriſti corpuſculo latentem clarè, atque apertè, ut eſt in ſeipſâ viderit, videndóque amarit quàm ardentiſſimè.

Quî autem factum illud, ex Theologorum placitis ediſce. Cenſent illi hominem etiam in hac via mortalis vitæ, privilegio ſingulari elevari poſſe ad claram apertámque Dei viſionem, & hoc modo duplici.

Primùm, concurſu Dei extraordinario, & ſupra omnes naturæ vires, ordinémque: quo ſic attollitur, ac roboratur intellectus, ut Deum ipſum; divinámque eſſentiam clarè attingat, penetrétque quantum mortali fas eſt, & hoc tantùm per tranſennam.

Secundò per lumen aliquod humanæ menti infuſum, quale ferè in beatis eſt lumen gloriæ: hoc inſtructus, atque elevatus intellectus in arcana Dei, divinámque eſſentiam evadit, eámque quà licet obtutu claro ſibi objicit, & hoc, ut dixi, tranſeunter: ut enim tranſiens eſt lumen illud; ita & tranſiens viſio. Et talis videtur fuiſſe in ſancto JOSEPHO, etiam dum in vivis ageret.

Ab illo porrò divinæ eſſentiæ aſpectu, dum ſibi redditur; redditur & humanitati Chriſti de vicino contemplandæ, familiaritate vel ipſis Angelis invidendâ. Hujus beneficio, modò Infantem JESUM brachiis geſtat, pectorique ſuo apprimit, modò oſcula legit, & caſti amoris oſcula; modò in ipſius ſinu recumbit, quieſcitque ſuaviſſimè, ex eóque haurit & altioris ſapientiæ fluenta, & divini amoris incendia deducit, ſicque totus & lucet, & ardet. Lucet ab effuſo cœleſtis ſapientiæ lumine, ardet autem ab incenſo in JESUM amore, atque ab hoc, illóve virtutum omnium in ſe rivulos derivat quàm copioſiſſimè. Quidni enim derivet?

Si verum illud, quod qui ramulum illius plantæ, quæ dicitur *Agnus caſtus*, vel ſolâ manu prenſarit, geſtaritque; fieri in paucis caſtum. Quid ni & totus virgo ſit JOSEPH, totus & caſtus, qui Agnum caſtum, Agnum Dei ſuis ulnis geſtarit, qui pectori ſuo appreſſerit, qui oſcula infixerit; imò qui in ejus ſinu quaſi conquieverit? *Leonides* magni *Origenis* pater, ac deinde Martyr invictus; cùm filiolum in cunis placidè dormientem aſpiceret, dicitur quàm ſæpiſſimè & oſcula illius pectori dediſſe, & lacrymas unà cum oſculis infudiſſe, ex hoc, quod Deo revelante didiciſſet, quantum aliquando in eo ſcientiæ eſſet recondendum.

Quæ *Leonidi* deinde in Origenem ſuum inclinatio, ea priùs JOSEPHI in JESUM Infantulum, in cujus ſacro pectore, *abſconditi erant theſauri omnes ſapientiæ, & ſcientiæ Dei*, quos ut hauri liberaliùs; ita etiam in ſibi devotos clientes effundit liberaliſſimè, ſi modò ii ſint, qui eſſe debent. Ut porrò ii ſint, ſit Coloſſ. c. 2.

CORONIS HUJUS DISCURSUS PANEGYRICI.

Nonnulla ſeu pietatis, ſeu venerationis in D. Joſephum *officia.*

PRIMUM erit eximia quædam illius veneratio. Eſt Trinitas in cœlis: *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus.* Eſt & Trinitas in terris. JESUS, MARIA, JOSEPH: quibus ſecunda poſt Auguſtiſſimam Triadem debetur veneratio. Hanc aliquando reddidit Hiſpanus mercator, de quo S. Vincentius Ferrarienſis, reddidit, inquam, non tam voce, quam re ipsâ. Solebat ille die natali Domini tres pauperculos domi ſuæ lautiore menſâ excipere: nempe fœminam, ſenem, & puerum; & hoc in memoriam illius Triadis, JESU, MARIÆ, JOSEPH, quæ olim viſa in ſtabulo Bethleëmitico. Serm. de Natali Domini.

Placuit ſuperis ea devoti animi veneratio: cùm enim ad extrema veniſſet mercator, jámque anima abituriens eſſet in extremis labris; adfuit, & oculis ſeſe ſpectandum dedit JESUS, MARIA, JOSEPH, & hæc illi in aurem: *Quia nos & domi tuæ, intimiſq; penetralibus ſæpius excepiſti. Veni modò, corpus hoc mortale exue, & terras deſere, & cœlis gaude, epuloq; cœleſti. Et hoc pro terreſtri caſa, proq; epulo terreſtri quod nobis apparaſti; & quo nos olim excepiſti.* Dixit, & illius animam excepit, utique deportandam in ſinum ipſius Sanctiſſimæ Triadis, in ſinum æternæ beatitatis. Tantum intereſt, qui IESUM, MARIAM, IOSEPHUM colueris in terris, & hoc primum ſit bonæ mentis in D. JOSEPHUM, ceu Tutelarem, officium: cui ſua merces, eſt mors bona, mors fortunata. Et hanc jam inde in terria cùm adhuc viveret, IosePHO adpromiſit JESUS, ut devotus parenti filius, ſic enim ad illum Iſolano teſte: *Ero auxiliator omni homini in Eccleſiâ Iuſtorum, qui in die memoriæ tuæ, ô IOSEPH, Deo ſacrificia obtulerit, & qui meditabitur in vitâ tuâ, & laboribus tuis.*

Hactenus IOSEPHO IESUS; qui ſtylo notat duo

duo eximiæ pietatis obſequia. Primum eſt oblatum Deo ſacrificium inter ipſa Miſſarum ſolemnia. Alterum accurata meditatio in vita, ac labotibus ſanctiſſimi illius Patriarchæ; cui addo tertium, impoſitionem nominis illius, quæ ſanè eſt boni ominis.

Hanc aliquando accepit *B. Hermannus*, Canonicus Regularis; lubet illius paucis meminiſſe.

Nox erat media cùm ſolitis precibus in choro vacaret *Hermannus*, cui oblata hæc ſpecies.

In chori medio ſpectabatur Virgo miri decoris, miri & ſplendoris; cui à dextrâ, lævâque aſſiſtebant Iuvenes duo, & ipſi formâ mirum quàm decori, quos Angelos eſſe intellexit, ad tantæ Virginis, ac Dominæ obſequia paratiſſimos; quos oculo dum luſtrat, ac demiratur, ſimul etiam ex eorum

Sur. 7. April. uno audit: *Cuinam deſponſabimus hanc Virginem?* ad quæ alter: *Cui? niſi fratri hic præſenti?* tum ille. *Adſit igitur.* Adfuit tremulus, ac pavens; tum ruſſus ille. Oportet hanc Virginem tibi in præſentiâ deſponderi.

Quid ad hæc *Hermannus?* primò animum occupavit timor, tum etiam pudor, tum ſui conſcia demiſſio, abjectáque humilitas, ex cujus ſenſu indignum cùm ſe dicit eo Virginis connubio; Angelus dexteram illius prenſat, & Virginis dextræ copulat: adjiciens & illud paranymphi; *Hanc ego Virginem tibi trado ſponſam.* utque tibi impoſterum ſit ſponſa, & nomen ſponſi pariter accipe: dixit, & deinceps JOSEPH vocitari voluit: ſic qui *Hermannus* priùs audierat, deinde JOSEPH ſemper audiit; nomine certè felici, ac fortunato, quo velim gaudere quàm plurimos, ut ſimul & ſponſâ Virgine gaudeant, & JOSEPHI nomen dum induunt, induant & caſtos tam hujus, quàm illius amores.

Ita induit *S. Sebaldus* Moldaviæ Regis filius. Is matrimonii vinculis illigatus, primo nuptiarum die

Faſti Mariani. id conſilii adinvenit, ut & ſibi, & ſponſæ virginitatem perpetuam ſuaderet, non tam verbo, quàm exemplo; illi ſub oculos poſuit tabellam, in qua pictor docta manu, peritóque penicillo Virginis, & Joſephi ſponſalia expreſſerat. Illa ut vidit *Sebaldus*, ut vidit & ſponſa, illicò Virginitatis amore exarſit, ac ſimul tam Virginis, quàm Ioſephi amores admiſit, ſervavitque ſeros in annos, & ad ultima vitæ confinia: uti & R. P. *Alexis Salo* Capucinus, cui pro- *Hiſtor. Capuc.*
inde morienti adſuit MARIA, adfuit & JOSEPH, & illius animam apertis quaſi ulnis admiſit, deportandam utique in ſinum æternæ beatitatis. Ut & tuam ſic deportet, *Amice Lector*, ſit tibi MARIA, ſit & JOSEPHUS in amoribus: ſit & virginea tam hujus quàm illius caſtitas vel ipſius etiam JOSEPHI exemplo.

Viſus ille aliquando *Ioannæ de Loudun* ſiniſtrâ *Li-* *Anno 1637.*
lium prætendens; dextrâ verò cor accenſum, & flammeum, in cujus medio legebatur auguſtum MARIÆ nomen: at cur *Lilium?* cur & *Cor* flammeum? In oculis eſt reſponſio. *Lilium*, ut caſtitatis ſymbolum. *Cor* autem igneum, ut ſymbolum amoris MARIANI, ut vel exemplo ſuo te doceret, & virginitatis amores, & MARIANOS ignes, quibus totus ardeas. Ubi porrò ſic arſeris, & igne MARIANO, & caſtis D. JOSEPHI amoribus: ab his, & ab illo ſua tibi merces erit primùm in hac vita, à candida, ac nitenti gratiæ veſte. Et ita fuit *D. Tereſiæ*, quæ ſic de ſeipsâ. Dies erat Aſſumptæ in cœlum Virginis, cùm mihi viſa eſt aſtare Diva Virgo; aſtare & illius ſponſus D. IOSEPH; & tam hic, quàm illa mihi aptare veſtem miri candoris, miri & ſplendoris: illius qui nivem vinceret, huius autem qui etiam ſolem. Et hic mihi primus à Virgine favor, cui mox acceſſit etiam alter: me quippe manu prenſans, gratias egit, quod zelo, affectúque altiore in JOSEPHI ſponſi ſui cultum ac venerationem ſedula incubuiſſem: tum adjecit & aliud, peterem quidquid luberet, indubiè me obtenturam, in cujus promiſſi arrham torquem aureum collo injecit, unà cum Cruce gemmis, & unionibus divite. Ecce quæ in terris merces, videlicet lux gratiæ, & ſplendor caritatis, à qua manet alia in cœlis, felix ſcilicet ac beata æternitas.

IN FESTO SS. APOSTOLORUM PHILIPPI ET JACOBI.

Apoſtolorum ſpecioſa nomina. MULTA ſunt eaque ſpecioſa nomina, quibus Apoſtolos deſcripſerunt aut ſacræ paginæ, aut Divi Patres.

Scientiæ altioris *lumina* appellavit S. Hilarius, ex illo etiam

Matth c. 5. primæ Veritatis ad eos oraculo: *Vos eſtis lux mundi.* Eadem

In cap. 45. Iſai. appellatione uſus S. Cyrillus, eos eſſe dixit *Oecumenica lumina.* S. Dionyſius ab Areopago *Soles* eſſe, & dici voluit: & ſic

Epiſt. 10. etiam D. Ioannem Evangeliſtam *Evangelii Solem* nominavit.

Arnobius *Cœlos* eſſe credidit, in quibus & juſtitiæ Sol, & illuſtria Stellarum

In Pſal 18. merita. *Cœli*, inquit, *facti ſunt Apoſtoli, habentes in ſe Solem juſtitiæ, & merita in modum Stellarum pro varietate diverſo ſplendore radiantia*, quibus ab Eccleſia ſublatis eveniret, quod Cœlo ſubductis Sole, Luna, ac Stellis, ut diſertè notavit D. Ambroſius: *Ipſum Cœlum ſine Sole non habet decorem ſuum. Triſtes ſine Sole*

Lib de Noë, c. 7. *dies ducimus; noctes ſine Luna non placent: ipſi enim ſunt quidam mundi oculi. Detrahe Stellarum lumina, & quædam eſt in Cœlo ipſo cæcitatis deformitas:* ſic & in Eccleſia ſi Apoſtolos detrahas.

Hinc

Hinc etiam ab aliis appellantur *Orbis oculi*, quos, ut eleganter Tertullianus ait, *Chriſtum in agnitionem veritatis oculaviſſe*, ut homines, quos fraus, & impietas exocularat, quodammodo ocularent Apoſtoli, quod quia fecerunt probè, dicti ſunt ex vero *Mundi oculi.* Et ita Magnum Athanaſium D. Gregorius Nazianzenus vocavit *Sanctiſſimum Orbis oculum.* Orat. 21.

Alii Apoſtolos tanquam *Lucernas* oſtendunt in ipſo Eccleſiæ candelabro, ut qui in Eccleſia oleum lætitiæ effunderent, denſaſque ſeu ignorantiæ, ſeu errorum tenebras diſſipatent. Ita D. Auguſtinum Nolæ Antiſtes, Paulinus, appellavit, dum ſic in illius admiratione obſtupefactus exclamat: *O lucerna dignè ſuper candelabrum* Epiſt. 41. *Eccleſiæ poſita, quæ latè Catholicis urbibus de ſeptiformi lychno paſtum, oleo letitiæ lumen effundens, denſas licet hæreticorum tenebras diſcutis, & lucem virtutis à confuſione tenebrarum ſplendore clarifici luminis enubilas.*

Ego in præſens aliis appellationibus, & multis, & ſanè magnificis, prætermiſſis, huic uni inhærebo, & magnos illos Apoſtolos PHILIPPVM & IACOBVM componam cum *Oliva*, quæ Lucernæ oleum ſubminiſtrat, & ab hoc lucem etiam, & ignem in ipſo naſcentis Eccleſiæ candelabro, quod ut aliquo rerum dicendarum ordine, ac momento faciam, ſit

QUÆSTIO UNICA
MORALIS.
Ad illa verba: *Hi ſunt duæ Olivæ, & duo candelabra in conſpectu Domini, terra ſtantes.* Apoc. c. 11. v. 4.

QVI SINT ISTÆ DVÆ OLIVÆ?
Et qui duo candelabra?

Cap. 4. v. 11. ZACHARIAS Propheta, in exceſſu mentis vidit duas olivas ad dextram candelabri, & ad ſiniſtram ejus: audiitque ab Angelo: *Iſti ſunt duo filii* Verſ. 14. *olei, qui aſſiſtunt Dominatori univerſæ terræ.* At quinam illi? Lyranus, aliique multi, cenſent eſſe *Zorobabelem* Principem populi, & JESUM filium Joſedec Pontificis, qui duo reſtituent Iudæis principatum, & Sacerdotium reſtaurabunt, perficientque & urbem Jeruſalem, & templi fabricam.

Victorinus, Aretas, Cornelius, aliique exiſtimant eſſe *Eliam & Henoch*, qui Eccleſiam, ceu candelabrum ſuſtentabunt, Chriſtique fidem tuebuntur adverſus immanem Antichriſti vim, ac tyrannidem, & favet huic opinioni D. Joannes Evangeliſta, qui eum locum explicat de *Elia & Henoch*, qui Angelo interprete ſunt *filii olei*, id eſt pinguedinis, hoc eſt à bonis operibus pingues, & fertiles, vel ut Aquila vertit, *filii ſplendoris.* Quia luce doctrinæ ſanctioris Judæis omnibus prælucebunt. Et hic ſenſus favet litteræ: ille, quem ſubjicio, favebit ritè formandis moribus, referetque magnos illos Apoſtolos, PHILIPPUM & JACOBUM, qui verè ſunt *filii olei*, hoc eſt à gratiâ virtuteque pingues: *filii* Apoc. c. 11. *ſplendoris*, à doctrinæ luce, ab igne caritatis illuſtres, verè *duæ olivæ*, & *duo candelabra in conſpectu Domini terræ ſtantes.* Ut ex dicendis clariùs apparebit.

Oliva, ſymbolum ſanctitatis, & Sanctorum.

Sancti ſunt Olivæ. IAM inde à primis ſæculis *oliva* hieroglificum fuit eximiæ ſanctitatis; imò & ipſi ſancti dicti ſunt *olivæ*, appellatione plena gloriæ, ac majeſtatis. Eccleſiam, uti Chriſti ſponſam: ſic & mirè ſanctam vocavit Deus *olivam*; ſic enim ad illam Jeremiæ voce: *Olivam uberem, pulchram, fructiferam, ſpecioſam vocavit Dominus nomen tuum.* Cap. 11. v. 16.

Joannem & Paulum, invictos Chriſti Martyres, qui & *Conſtantiam* Conſtantini Magni filiam in ſervandæ virginitatis propoſito firmarunt, & gallicanum exercitus cæſarei ducem Chriſto adjunxerunt, ac tandem ſub Juliano Apoſtata cervices ferro dederunt; Eccleſia *olivas* appellat; ſic enim die illis feſtivo accinit: *Iſti ſunt duæ olivæ, & duo candelabra lucentia ante Dominum.* SS Joannes & Paulus duæ Olivæ.

Eximios ævi ſui Doctores *Thomam Aquinatem*, & *Bonaventuram* in ſolemni Canoniſmo SIXTUS V. *olivas nominavit.* Sic enim de illis: *Hi ſunt duæ olivæ, & duo candelabra in domo Dei lucentia, qui & charitatis pinguedine, & ſcientiæ luce totam Eccleſiam colluſtrant.* SS Thomas, & Bonaventura duæ Olivæ.

Ita, & Dei ipſius ter Opt. ter Max. voce, atque oraculo, & Eccleſiæ calculo, & ſummorum Pontificum litteris, ac diplomatibus, ſancti *olivæ* dicuntur, atque etiam ſunt.

Quod ſi & hi, & illi *olivæ*, quidni PHILIPPUS, & JACOBUS, Apoſtolica lumina, etiam *olivæ* audiant, & *candelabra* in Eccleſia, ceu Dei domo, *collucentia? Olivæ* quidem, quia ut hæ pingues ſunt; ſic & illi pinguedine quadam divini ſpiritus, ac cœleſtis gratiæ delibuti. SS Apoſtoli Philippus & Jacobus duæ olivæ.

Candelabra verò à luce bonorum operum, exemplisque vitæ ſanctioris, ab hac D. JACOBUS *Iuſti* nomen ſortitus eſt, vel ut ex eo præferret juſtitiam, hoc eſt conſummatam vitæ ſanctitatem. Et certè quidni præferret, cùm *Hegeſippo* teſte jam inde à matris utero ſanctificatus, cùm ad ultimam uſque vitæ metam caſtus, & virgo, ut aſſerit Epiphanius.

Hæc porrò ſanctitatis opinio ſic abiit in vulgus, ſic apud omnes invaluit, ut ipſi Judæi, licèt Chriſtiani nominis hoſtes acerrimi, certatim accurrerent; imò

imò advolatent, ut vel ipſius veſtimenti fimbriam aut manu tangere, aut labiis, oſculóve ſuaviari poſſent, tanta apud omnes erat fama ſanctitatis. Ab hac autem etiam illi conceſſum, quod nulli alteri, ut in *Sancta Sanctorum* intrare poſſet: utpote Sanctus ipſe, & Sanctus Sanctorum, hoc eſt inter Sanctos Sanctiſſimus.

Et hæc D. JACOBI ſanctitatem generatim oſtendunt, & probant; iſta etiam D. PHILIPPI, quod præ reliquis Apoſtolis & ipſe admiſſus ad *Sancta Sanctorum*, hoc eſt ad aliquam cum Chriſto ſupra cæteros familiaritatem.

E quinque panibus alenda erant hominum quinque millia, petit à PHILIPPO Chriſtus, *unde ememus panes ut manducent hi?*

Suſcitato Lazaro, adveniunt è Gentilibus non pauci, Chriſti videndi causâ, quis eos admittat? quis inducat in *Sancta Sanctorum?* hoc eſt in Chriſti oculos, conſpectúmque? utique PHILIPPUS, illi familiaris in paucis. Habita à Chriſto fuit extrema concio, veluti quidam traditæ priùs doctrinæ epilogus, in quâ multa de Æterno Patre; nemo unus omnium ſermonem excipit, nemo loquitur, nemo quicquam ex Chriſto quærit, unus PHILIPPUS aſpirans præ cæteris ad *Sancta Sanctorum*, ad ſinum Æterni Patris, ad fontem ſanctitatis. *Domine*, inquit, *oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis*: & hoc conſummatæ ſanctitatis indicium eſt, deſiderare conſpectum Æterni Patris, divinæque eſſentiæ viſionem, & cætera omnia faſtidire; quia ſcilicet illa ſufficit, illa bonæ menti plus ſatis

Oliva ſymbolum miſericordiæ.

JUSTOS inter, & impios hoc intereſt, quod his ſaxum ſit pectus, & caucaſo durius, illis autem contrà cerâ mollius; ſolvitur enim ſimul atque ad ignem admoveris: *Novit juſtus jumentorum ſuorum animas, viſcera autem impiorum crudelia*, inquiebat Sapiens. Laboret jumentum, & ſub onere ſuccumbat, novit juſtus levare, novit mederi, & hoc quia illi cara eſt etiam jumenti anima, cara & vita: contrà verò *viſcera impiorum crudelia*, quæ nec moveri, nec tangi ſolent etiam maximis aliorum miſeriis. Non ſic juſti, non ſic ſancti; & tanguntur hi, & moventur aliorum miſeriis, & dum miſericordiâ moventur illis remedium quærunt: ex vero *Viri miſericordia, filiiq; olei*, hoc eſt in paucis miſericordes, & pii: quorum ſcilicet ſymbolum eſt *oleum*; quod etiam miraculo Deus compenſatum voluit.

Prov. c. 12. v. 10.

Apoſtoli filii Olei.

Ad fines Regnorum duorum, Catalauniæ, Aragoniæque, juxta oppidum *Fraga*, Cœnobium eſt Sanctiſſimæ Trinitatis, in quo doliolum eſt manans oleo perenni, atque unum eſſe perhibetur ex vaſculis Viduæ, cui Eliſæus Vates olei ubertate, hoſpitii gratiam compenſavit: adeò ſuperis, Deóque grata eſt hoſpitalitas, Germana miſerationis filia. Quod de vaſculo illius Viduæ: hoc & de vaſculo olei *S. Weſredi* Abbatis, quod nunquam deficit, aut decreſcit in Helvetiorum oppido *Stein*. Et hoc quia illius Divi in egenos miſeratio, dum viveret, nunquam defecit.

Silveſter Petraſancta tom 9 Tau maſia c 20

Stettus in Helvetia ſacra.

Quod vaſculis illis datum eſt, etiam miraculo: hoc & corporibus Sanctorum, qui imprimis in alios miſericordes fuerunt, & pii; ex eorum enim oſſibus viſum eſt ſcaturire oleum, ut annotat Philippus Epiſcopus Eyſtettenſis in vita *S. Wilibaldi*. Ita ex S. Nicolai, S. Catharinæ, S. Walburgæ ſacris oſſibus emanat oleum, velut inſigne pietatis, ac miſericordiæ: ut qui hanc, & illam dum in vivis eſſent, exercuerunt; etiam exerceant mortui, & cœlis additi, oleo illo prodigioſo miſeros, ægróſque ſanando: verè *Viri miſericordia, quorum juſtitiæ finem non invenerunt.*

Quia miſericordes.

Quia Viri miſericordiæ.

Ex his fuere invicti Eccleſiæ pugiles, Apoſtoli Domini, PHILIPPUS & JACOBUS, quorum in proximos miſericordiam noſſe ſi vules, attende illorum miſeriam, quam levarunt.

D. Chryſoſtomus, ore ut aſſolet aureo, ſpiritualem eleëmoſynam cum corporali componit. Sit, inquit, unus aliquis, qui in mendiculum decem millia talenta effuderit, magnum aliquid tibi videbitur effudiſſe, & meritò: at longè majus, qui animæ à gratiâ nudæ, ac pauperculæ, vel unicam gratiæ guttulam affuderit. Rationem hanc adjicit: *Qui dederit pauperi, famem ſolvit: qui correxit peccatorem, impietatem extinxit, ille corpus liberavit à dolore, hic animam eripuit à gehenna*: adeóque quantum corpus inter & animam, quantúmque inter hujus illiúsve miſerias intereſt; tantum neceſſe eſt intereſſe inter miſericordiam, quæ has, & illas levat, aut tollit.

Tom 5. orat. Adv. Iudæos.

Corporum miſerias aut levarunt, aut ſuſtulerunt alii: at animarum miſerias & levarunt, & ſuſtulerunt Apoſtoli.

Hieropolim, Phrygiæ urbem nobiliſſimam, venerat PHILIPPUS, cùm ecce incurrit in oculos fanum arte & materiâ nobile, in quo viſebatur ingens vipera, quam colebat inſana multitudo, oblatis illi ut Deo ſacrificiis: ſenſit Apoſtolus ſe hìc tangi miſeratione, & tantæ in populo cœcitatis, & ſimul irâ, zelóque tantæ in malo dæmone immanitatis, à quâ hi viperæ præda fiebant, ab illa dentibus, oréque hianti abſumpti; illi adultus aras fœdè mactari, velut infelices victimæ, cadebant. Ita nimirum in ſuos ſævit cacodæmon, ita humanum ſitit, exſugítque ſanguinem. Ne porrò diutiùs exſugeret, in genua provolutus Apoſtolus Deum ſupplex oravit; & quà lacrymis, quà etiam gemitibus exoravit: nam & vipera illicò extincta concidit, & ab illius dente, morſúque Phrygiæ plebs omnis libera, & ab immani diaboli ſervitute immunis fuit.

Vidiſti quæ in populo illo, urbéque miſeria, vidiſti quæ etiam in D. PHILIPPO miſericordia, attende quæ etiam in D. JACOBO; nam & hic vir eſt, & *Vir miſericordiæ*; & *ſicut oliva fructifera in domo Dei.* Vis noſſe quis fructus? utique olivæ, id eſt miſerationis; ad hanc unctus in Pontificem Eccleſiæ Jeroſolymitanæ à magnis Apoſtolis, *Petro, Iacobo, & Ioanne*, ut jam inde ab ipſis Eccleſiæ cunis daretur poſteris exemplum, & præſcriberetur ritus, quo inungi ſolerent, ac deberent Epiſcopi, tribus ſcilicet Epiſcopis ſacrationibus illis cæremoniis aſſiſtentibus: Ita ritè inunctus D. JACOBUS, totus effundi cœpit in opera miſericordiæ, totus in animarum lucra incumbere, probè conſcius quantæ pietatis eſſet, quantæ & miſerationis animulas à gratiâ nudas veſtire ſtolâ novâ, ſtolâ caritatis, & ſimul etiam famelicos paſcere verbo, hoc eſt cibo Evangelicæ prædicationis, à quâ exemplum petas oportet, *Amice Lector*, petas & ipſe, qui à Deo vocatus es ſacer Eccleſiaſtes, ne in te aliquando cadat illud immiſericordis animi, & antiquæ illæ Jeremiæ Vatis querelæ: *Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.* Certè ſi animi eſt parum humani, imò & crudelis, inediâ faméque laboranti corpuſculo negare panem; multò magis erit eum animæ denegaſſe: negat autem, qui prædicationis verbum cùm poſſit, negat.

Thren. c. 6. v. 4.

Oliva ſymbolum pacis.

DEUM inter & homines grave interceſſerat bellum, eóque malorum res venerat, ut aquis merſum eſſet genus omne mortalium, ſi pauculas animas excepiſſes, *Noëmum* ſcilicet cum filiis, ac filiabus; qui cùm aliquamdiu immensâ illâ aquarum eluvie jactati fuiſſent, tandem pace orbi reddita, advolavit columba, index concordiæ cœlum inter, ac terram, de qua ne dubium ſupereſſet, ramum etiam virentis *oliva* Noëmo detulit; cujus enim

potiùs?

Lib 8. c.103. potiùs? Eſt *oliva* ſymbolum pacis, indiciúmque optatæ tranquillitatis. Plinio teſte oleum ita tranquillum eſt, ut etiam ipſum mare, ſæviſſimum urique elementum, tranquillet; atque ob id urinantes, aiunt, oleum ore ſpargere, eò quòd mitiget elementi naturam aſperam, lucémque deportet. Quod ſi à naturâ tale eſt oleum, talis & ejus mater *oliva*: quid mirum ſi pacis hieroglificum exiſtat. At cui cedet ea pax? cui dabitur & *oliva*? an fortè amicis? an iis qui tibi fecerint benè? qui te favoribus, ac gratiis complerint? minimè gentium. Dabitur enimverò inimicis, dabitur iis qui te malefactis, injuriis, calumniis impetierint, obruerintque; imò & illis, qui te vel ferro perdiderint, vel fuſtibus contuderint, vel etiam in malam crucem egerint: quibus enim meliùs? quibus potiùs ex virtutis

Matth. c. 5. v. 46. 47. genio, ex cœli voto? *Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quàm mercedem habebitis? Nónne & publicani hoc faciunt? & ſi ſalutaveritis fratres veſtros tantùm; quid ampliùs facitis? nónne & Ethnici hoc faciunt?* Quod ſi & Publicani id faciunt, faciunt etiam Ethnici: quid amplius vos, qui à Chriſto Chriſtiani dici, & eſſe vultis? amplius certè. At, ecquid illud? Hoc profectò, diligetis eos, qui vos oderunt; ſalutabitis etiam extraneos, etiam inimicos. Et hoc

Apoſtoli Principes pacis. Chriſtianum eſt, hoc Apoſtolicum. Teſtès appello, teſtes amo præcelſos Apoſtolós, PHILIPPUM & JACOBUM.

Hieropoleos accolas, civéſque liberarat PHILIPPUS ab immani unius viperæ lanienâ, ab infami mali dæmonis jugo, illuſtri ſanè beneficio, pro quo gratiæ, amor, favórque rependi debuerant: at benefacta malis compenſant impii.

Primùm enim PHILIPPUM vinculis onerant, dein in obſcurum trahunt carcerem, tum flagris lacerant, tum etiam in crucem agunt, in eúmque, tanquam in ſcopum, ſaxa, lapidéſque jaciunt. Quid hæc inter PHILIPPUS? quid cœlum ipſum? quid vindex ſcelerum Deus? ſentio commoveri, concutique terram, quaſi impatiens eſſet tantæ, & tam diræ immanitatis, ſuccutiuntur ædes, labant ædificia, & inſanæ ſubſtructionum moles undequaque concidunt, & ſuos incolas involvunt, ſepeliuntque in ipſis ruinis.

Hæc omnia irati cœli flagella, è cruce, ceu ſpeculâ, videt PHILIPPUS, & tangi ſe ſentit miſeratione, Deúmque pro inimicis orat, exorátque; & ſimul pacem impetrat, ac tranquillitatem. Ecce puros, ecce ſuaves, ecce amabiles *olivæ* fructus, pax inimicis alta, optatáque tranquillitas; hanc nimirum etiam inimicis amat, impetrátque Chriſtiana caritas, à quâ abfuere quàm longiſſimè Ethnici, apud quos vulgare fuit, amicos diligere, & illis facere benè; inimicos autem odio habere, & iis facere quàm peſſimè. Hinc illud Publii Syllæ ut publicum, ſic & infame pronuntiatum: *Amicos ſe ſuperare beneficiis: inimicos vero maleficiis.* Non ſic PHILIPPUS, non ſic & JACOBUS, apud quos ſolemne id fuit etiam inimicos ſuperare beneficiis. Et ita ſuperavit D. JACOBUS, qui è pinnaculo templi à Judæis in præceps actus, immemor injuriæ, memor clementiæ, & genua ſemifracta ad preces inflexit,

Injurias cōdonant. & animum in has cum Domino ſuo voces explicuit: *Domine, ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.* Et hæc illi extrema fuere verba: ſed pacis verba, pacis & oſcula; à quibus inter immanes hoſtium clamores, ac verbera, placidè obdormivit, grandémque ac præcelſam animam Deo Creatori ſuo reddidit.

Præcelſam dico animam; quid enim excelſius eſt quàm in ipſa cruentæ mortis imagine etiam injuriarum oblviſci, & caritatis, pacis, ac veniæ ſolius meminiſſe: in quo habent, quod ſuſpiciant Chriſtiani, habent & quod imitentur, & ament.

Quod ſi ex eo Apoſtolicæ caritatis exemplo, ac prodigio, non hauriant quod ſequantur, hauriant etiam ab Ethnicis, atque erubeſcant.

Hauriant, inquam, à *Phocione*, qui damnatus ad mortem, jam jámque occidendus, rogatus ab amicis, num quid filio nuntiatum vellet? reſpondit: *Volo ut illatæ mihi ab Athenienſibus injuriæ obliviſcatur.* *Injuriarum condonat o in Phocione.*

Hauriant à *Lycurgo* Lacedæmonum Rege, qui à juvene quodam petulantiore orbatus oculis, illum *Lycurgo.* à populo captivum accepit, ut quo liberet modo, puniret. Ille eum optimè inſtituit, & jam probis moribus inſtructum, in theatrum produxit, populóque oſtendit, adjecitque etiam illud dignum Lycurgo: *En quem à vobis injurium, ac violentum accepi, jam frugi, & popularem vobis reſtituo.* *Plut in Lycurgo.*

Regiæ profectò voces, regius & animus, quem utinam induant Chriſtiani; & certè niſi induant, *Primis Chriſtianis.* ut Chriſtiani eſſe deſinant, eſt neceſſe: ſunt enim Chriſtiani olim dicti *Sacerdotes pacis*, quia illis pro unico, ac ſolemni ſacrificio pax erat: hanc quippe cœlo, Deóque offerebant quaſi nobilem victimam: ex imitatione ſummi Sacerdotis, id eſt Chriſti, qui eam in arâ crucis Æterno Patri obtulit, cùm pro inimicis oravit, atque exoravit.

Jam ſtylum è membranâ ſubducere parabam, cùm in oculos, animúmque incurrit illud, cujus meminit Curopalates.

Diogenes Romanus, Imperator Conſtantinopolitanus captus à Turcis, recuſata non ſemel pace cum *Aſam* Sultano; ab eodem nihilominus habitus eſt humaniſſimè, menſæque etiam adhibitus, ſub *Baron. anno Chriſt. 1071. n. 4.* quâ hoc etiam ingeſſit *Sultanus.* Si captivus in tuas incidiſſem manus, ſicuti tu in meas, quid me actum voluiſſes? ille, non minus liberè, quàm imprudenter, imò & impudenter, reſpondit.

Ego te fuſtibus tundi, contundíque tamdiu voluiſſem, donec ſub illis emortuus concidiſſes. cui *Sultanus*: Ego verò tuam illam inclementiam, atque *Sultanus.* immanitatem non imitabor; audivi enim Meſſiam veſtrum illud imprimis aſſeclis ſuis mandaſſe, ut in alta viverent pace, & injurias ſibi illatas obliviſcerentur. Cujus dicto, atque imperio, ego in præſens obſequi velim. Dixit, & verò etiam fecit: nam & pacem cum *Diogene* inivit; ſanctéque adpromiſit illud, nunquam ſe vivo bellum cum illo inſtaurandum, atque inſuper liberùm cum ſuis omnibus dimiſit: rarò ſanè in Turcica, hoc eſt barbara natione, exemplo; quod utinam ſequerentur Chriſtiani.

Oliva ſymbolum certaminis, & victoriæ.

POETÆ antiquiores in docta commenta faciles ac fœcundi, Minervam *Olivæ* inventricem fecêre; quæ enim potiùs? Eſt Minerva Præſes, ac Dea belli, cui proinde percommoda eſſet *oliva*, quæ ſcilicet oleum funderet, quo pugiles, atque athletæ certaturi ſeſe inungerent. Et hinc oleum certaminis ſymbolum fuit, & ſignum imminentis cum hoſte luctæ, imò & victoriæ; quo factum ut in triumphis miniſtri triumphantium oleaginis coronis ornarentur, in ſignum partæ de hoſtibus victoriæ.

Quod pugilum, athletarúmque corporibus datum eſt: hoc Apoſtolorum, Martyrúmque animis: illis corpora inungebantur, his autem animi: quod dum advertit Tertullianus, ſic ad Martyres: *Chriſtus IESVS vos ſpiritu unxit, & ad hoc ſcamma perduxit, voluit vos ante diem agonis ad duriorem tractationem à liberiore conditione ſeponere, ut vires corroborarentur in vobis. Nempe enim & Athletæ ſegregantur ad ſtrictiorem* *Cap 3.* *diſciplinam, ut robori ædificando vacent, continentur à luxuriâ, à cibis lætioribus, à potu jucundiore. Coguntur, cruciantur, fatigantur, quantò plus in exercitationibus laboraverunt, tantò plus de victoriâ ſperant. Et illi, inquit Apoſtolus, ut coronam corruptibilem accipiant; nos æternam conſecuturi,*

conſecuturi, carcerem nobis pro palæſtra interpretemur, ut ad ſtadium tribunalis benè exercitati incommodis omnibus prodeamus. Quia virtus duritiâ extruitur, mollitiâ verò deſtruitur.

Hactenus ſtylo altiore Tertullianus ad Martyras, quæ ego ad Apoſtolos. Illos *Epiſtates Chriſtus ſpiritu unxit*, ſpiritu gratiæ, unctione miſericordiæ, & ante diem agonis ad duriorem tractationem ſepoſuit, ut in iis vires corroborarentur.

S. Philippi certamen, & victoria.

Vis noſſe quæ fuerit illa durior tractatio? attende quid Divis PHILIPPO & JACOBO.

In Scythia excolenda totis viginti annis laborarat PHILIPPUS, non ſine ſudore multo, cùm *Hieropolim* venit, ubi illi primùm cum immani viperâ certamen fuit, dein cum malo dæmone, ejúſque miniſtris idolorum ſacrificulis, à quibus in carcerem tractus eſt. *Domus diaboli eſt carcer*, inquit Tertullianus. *Sed Vos*, ô Apoſtoli, *ideò in carcerem perveniſtis, ut illum etiam in domo ſua conculcetis.* Et ita conculcavit ſanctus PHILIPPUS. *Etſi enim tenebras haberet ille carcer, at illi lumen erat ipſe. Etſi ſua haberet vincula: at ſolutus erat Deo. Etſi triſte illic expiraret: ſed ille odor erat ſuavitatis.* Et hæc prima pars victoriæ, à quâ tamen rurſum ad certamen evocatur, nam & vinculis oneratur, & flagellis cæditur, & toto lacer corpore in ſuo quaſi ſanguine natat. *Heros purpuratus.* Sed *nihil crus ſentit in nervo, cùm animus in cælo eſt*, uti reipſa erat S. PHILIPPI animus, & in carcere liber, ac ſuus, & in atroci illâ corporis lanienâ hilaris, ac lætus. & hæc altera pars victoriæ, à quâ rurſus ad luctam, ad certamen, ad crucem educitur, quæ tyranno quidem infamis erat ſupplicii ſedes, crudeléque mortis inſtrumentum.

Supra cap 1.

Cap 2.

Cap 3.

At S. PHILIPPO & gloriæ theatrum, & cathedra veritatis; ex illâ enim velut è pulpito multa de Chriſto, multa de Chriſtianâ Religione ad ſubjectum populum jactare, atque in tormentis, ipſáque mortis imagine exultare. Et hæc etiam potiſſima pars victoriæ: à qua iterum ad nova vocatur certamina, nam & lapidibus à petulantiore plebecula impetitur, & propè obruitur: ſed quot illi in caput, in corpus impinguntur ſaxa, tot illius coronæ adjiciuntur margaritæ. Ita ſimul & pugnatur, & vincitur: ſed tum vel maximè ubi terra, velut impatiens tanti ſceleris, horribilem in modum concuti, ac contremiſcere cœpit, & omnia circumquaque ædificia evertere, ſuáque mole, ac ruinis involvere adverſa cœlo, adverſa Apoſtolis capita; tum enim & de infidelibus triumphavit S. PHILIPPUS, & de fidelibus. De his quidem, dum illos in ſuſcepta jam fide confirmavit: de illis autem, dum ad eam attraxit quà timore, quà horrore impendentis mali. Et hæc glorioſa fuit D. PHILIPPI victoria, hæc erecta cœlis trophæa, hæc ſpolia de tartareo hoſte relata; animarum ſcilicet lucra, quæ dedit è cruce, ceu doloris, ceu amoris lectulo.

Lectulum appello Crucem, in quâ ita molliter quievit *Apoſtolus*, ut ex ea deponi ſe non ſit paſſus; tantus amor, tantus ardor fuit in Cruce moriendi.

S. Jacobi certamen, & victoria.

Venio ad D. JACOBI & certamina, & victorias, cùm plurimos quà concionibus ſuis, quà etiam exemplo vitæ ſanctioris à Judaiſmo, ad Chriſti fidem traduxiſſet: in Sacerdotum, ac Levitarum invidiam, odiúmque incurrit; maximè verò *Adam* Principis Sacerdotum; qui ut erat Chriſtianorum hoſtis acerrimus, ſimulque etiam ſubdolus; Apoſtolum rogavit, ut quoniam in Templo, imò & in Sancto Sanctorum erat aſſiduus, vellet de templi veneratione, déque obſervantia antiquæ legis, ad populum dicere ipſo die Paſchatis, die ſolemni, die benè ominato. Audiit Apoſtolus, & lucem illam concioni ſuæ addixit; ſtatóque die, ac horâ ad frequentiſſimum populum ſermonem habuit: ſed de Chriſto cruci affixo, déque illius cultu, ac novâ, id eſt Chriſtianâ lege: excepta concio à fidelibus grata, ſuavique admurmuratione: ſed à Levitis, ac Sacerdotibus cum irâ, tumultu, clamoribuſque inſulſis, ac propè rugitu: Leones dixiſſes, non homines, ita fremebant toti, ita rugiebant. A rugitu illo, fremituque ventum ad manus; nam & lapidibus impetitus Apoſtolus, & deinde ex eminente templi loco ad ima dejectus, quo in caſu & luxatum corpus, & fracta propè membra; at non fractus animus, nec fracta illi vox, & hanc & illum explicuit in eaſdem cum Chriſto, ceu Magiſtro, voces: *Domine ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.* Ecce certamen, ecce victoriam: victoriam de ſeipſo, & innatâ homini inclinatione, quæ malè vult eſſe malis: victoriam de inimicis, de mundo, carne, dæmone, à quibus quid reſtat niſi victrix in cœlis *oliva*, victrices palmæ. & ab his æterna beatitas: hanc adeptus anno ſeptimo *Neronis*, cùm Eccleſiam, ceu bonus Paſtor, rexiſſet annis omninò triginta, ut opinatur D. Hieronymus.

Oliva ſymbolum beatæ æternitatis.

OLiva lignum eſt imprimis firmum ac ſolidum; nec cariem ſentit, nec ventos, aut vetuſtatem. Et hinc ab Antiquis *ſempiterna* dicitur, eſtque ſymbolum Æternitatis, ex quo manavit illud Ciceronis: *Sempiternam oleam in arce tenere potuerunt Athenæ.* *Lib. 2. de Legibus.*

Quod ſi ea *Oliva*, quid mirum ſi ſymbolum ſit & ipſa Sanctorum; quos Tertullianus appellat *Candidatos Æternitatis*, quales fuêre Divi Apoſtoli, PHILIPPUS & JACOBUS. At unde illis beata Æternitas? unde & *olivæ* preſſura; hæc dum premitur, dum teritur, dum frangitur in torculari, oleum fundit; ceu vitam, ceu ſanguinem. Et beati Apoſtoli, invicti Chriſti pugiles dum preſſuris, ac tunſionibus tyrannorum, ceu torculari premuntur, atque conteruntur, & ſanguinem, & vitam effundunt morte ſanè pretioſâ: *Pretioſa enim eſt in conſpectu Domini mors juſtorum ejus.* Pretioſa enimverò, utpote *quæ emit immortalitatem pretio ſui ſanguinis, quæ accepit coronam de conſummatione virtutis.*

Apoſtoli Candidati Æternitatis

Pſal. 115.

Cyprian. Ep. 9 ad Martyres.

Et ita immortalitatem emerunt Apoſtoli, ita coronam acceperunt, & ita emant, accipiántque Chriſtiani eſt neceſſe, proindéque ut D. Cypriani verbis utar, *Si vos acies vocaverit, ſi certaminis veſtri dies venerit, militate fortiter, dimicate conſtanter, ſcientes vos ſub oculis præſentis Domini dimicare, confeſſione nominis ejus, ad ipſius gloriam pervenire, qui non ſic eſt ut ſervos ſuos tantùm ſpectet. ſed & ipſe luctatur in nobis, ipſe congreditur, ipſe in certamine agonis noſtri & coronat pariter, & coronatur.* *Supra.*

Ideóque eſte ô Chriſtiani, eſte *ſicut eſſe oportet in divinis caſtris milites Chriſti, ut incorruptam fidei firmitatem non blanditiæ decipiant, non minæ terreant, non cruciatus ac tormenta devincant, quia major eſt, qui in nobis eſt, quàm qui in hoc mundo, nec plus ad deficiendum poteſt terrena pœna, quàm ad erigendum tutela divina.* Ac ne verbis tantùm ſit fides, *probata res eſt certamine fratrum glorioſo, certamine* dico & Apoſtolorum, *qui ad tormenta vincenda cæteris duces facti, exemplum virtutis, ac fidei præbuerunt, congreſſi in acie, donec acies ſuccumberet victa. Toleraverunt enim uſque ad conſummationem gloriæ duriſſimam quæſtionem, nec ceſſerunt ſuppliciis, ſed potiùs ipſis ſupplicia ceſſerunt, & finem dolorum, quem tormenta non dabant, corona dederunt.* At quæ, inquies, coronæ? Cyprianum audi: *Vel de opere candida, vel de paſſione purpurea; in cœleſtibus enim caſtris pax & acies habent flores ſuos, habent & coronas, quibus miles Chriſti ob gloriam coronetur.* Pax quidem, à virginitate, & bono opere candidas; acies autem, à paſſione, martyriúmque cruore, purpureas: ſi fortè, has terra, cœlúmque tibi non dederit: at illas tibi dabit, ſi modò is ſis qui eſſe potes, ac debes, à bona conſcientia, à bonis operibus candidus totus.

IN

IN FESTO SANCTI IOANNIS BAPTISTÆ.

PRIMA Orbis ætas, utpote innoxia, plerumque prolibus nomen fecit ab aliquo inſigni Dei beneficio, quòd eâ appellatione & veniret ſæpiùs in animum, & in poſteros quoque transferretur, non ſine gratâ ac ſuavi admurmuratione.

Ita filius *Agar* dictus eſt *Iſmaël*, hoc eſt *exauditio Dei*, quòd Deus (qui miſellis adeſſe ſolet, eorúmque preces exaudire) etiam *Agaris* vocem exaudiſſet.

Ita magni Legiſlatoris, id eſt *Moyſis*, filius, appellatus *Eliezer*, quaſi *Dei adjutorium* in durâ illâ Ægypti ſervitute, à qua tandem Dei beneficio liber.

Ita denique (ne antiqua omnia conſectter) *Anna*, & ipſa ab ætate, naturáque ſterilis, filiolum appellavit *Samuelem*, id eſt *à Deo poſtulatum*, *& datum*.

Ita nimirum, ut doctè advertit Lippomanus: *Sancti beneficiorum Dei memoriam perennem inſtituunt ſibi nominibus filiorum, ut quandocumque liberos aſpicerent, vel vocarent, divinorum beneficiorum recordarentur ex nomine.*

Quod olim illis, hoc & in præſentiâ magno *Baptiſtæ*: cui inditum Angelo duce, IOANNIS nomen, benè ominatum, quod *Gratiam* ſonat, ut quoties ad aures, animúmque appuliſſet id nomen; appelleret quoque *gratia* copioſiſſima, & illi & parentibus à Deo quàm uberrimè collata; ut ſequens pagella docebit.

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa verba: *Ioannes eſt nomen ejus.* Luc. c. 1.

POTVITNE DARI VEL APTIVS, vel ſpecioſius nomen?

DIVI Patres æſtu quodam vel amoris, vel ſtuporis abrepti, & plurima, & ſanè magnifica congerunt nomina, quibus magni BAPTISTÆ vel animum explicent, vel collata illi Numine propitio beneficia propalent.

D. Chryſologus, eloquentiâ ut aſſolet aureâ, ea velut in cumulum cogit. Audiamus etiamnum vi-
Serm. 127. ventem, ac ſpirantem in ſcriptis: JOANNES, inquit, *virtutum ſchola, magiſterium vitæ, ſanctitatis for-*
S Joannis Bapt. Elogia. *ma, norma juſtitiæ, virginitatis ſpeculum, pudicitiæ titulus, caſtitatis exemplum, pœnitentiæ via, peccatorum venia, fidei diſciplina, major homine, par Angelis, legis ſumma, Evangelii ſanctio, Apoſtolorum vox, ſilentium Prophetarum, lucerna mundi, præco judicis, præcurſor Chriſti, metator Domini, Dei teſtis, totius medius Trinitatis.*

Hactenus Præſul Ravennas, cui diu ante præluxit D. Auguſtinus, & ipſe in S. JOANNIS nomina
De S. Ioan. Bapt. ſer. 3. ſœcundus in paucis, & facundus: ſic enim aliquando de illo vivæ vocis oraculo; ſic etiam modò cultiore calamo, ſtylóque: *Naſcitur major homine, par Angelis, tuba cæli, præco Chriſti, arcanum Patris, Filii nuntius, ſignifer ſuperni Regis, peccatorum venia, Iudæorum correctio, vocatio Gentium, & ut propriè dicam: Legis, & gratiæ fibula.*

Auguſtinum proximè ſequitur Guarricus Abbas, & ipſe D. JOANNIS præcq magnificus; cui, ille dicitur: *Columna cæli, gloria generis humani, miraculum mundi.* Mitto alios in ejuſdem Divi nominibus ingenioſè pios, & piè facundos. Mitto etiam auguſta illa nomina, longámque titulorum ſeriem, quibus eum ornarunt Divi Patres, hæreóque in uno JOANNIS nomine, in quo clauditur quidquid auguſtum habet terra, quidquid cœleſte oſtentat polus; propè dixi, quidquid divinum habet Deus, quod Deus non ſit. Ecquid enim eſt JOANNES? gratia eſt, quod ubi dixi, omnia dixi, quia ut doctè D. Thomas: *Bonum unius gratiæ majus eſt bono na-* Joannes to-
turæ totius univerſi. At tale eſt D. JOANNIS, vel ex tus eſt gra-
hoc uno, quod ſit JOANNES, id eſt gratia. tia.

Vnde Joannes *gratia? A Parentibus.* I.

SI parentes attendas, non ſunt illi niſi à cœli fa- Quod à ta-
vore & gratiâ. De his ita ſacer Hiſtoricus: libus parentibus.

Google

Fuit in diebus Herodis Regis Iudææ Sacerdos quidam nomine Zacharias, & uxor ejus de filiabus Aaron, & nomen ejus Eliſabeth.

Regis impii nomen aſcribitur, ut ſimul aſcribatur & gratia, quæ eſt à *Zacharia*: Ut enim ſcitè

Serm. 86.

D. Chryſologus. *Dum dicitur ſub quo Rege quis Sacerdos ſit, temperantur mala, adeſt ſemper in mœrore ſolatium, nec conſolator deeſt, cui imminet perſecutor. Uſque ad Herodem Iudaicæ Genti Sacerdotalis ſanctitas, ſenum gravitas, patrum pietas præſidebat, jus erat lex divina, ambitio nil ibi, nil temeritas, præſumptio nil valebat, quia gerebatur totum divino ordine, non humano. Sed Herodes veniens ex gente alienâ invaſit regnum, violavit Sacerdotium, confudit ordinem, mutavit mores, ſprevit ſenes, infecit juvenes, tribus miſcuit, delevit ſtemmata, corrupit genus, tulit quidquid erat & divina, & humanæ funditus diſciplina.*

Vidiſti quantum ab Herode malum: attende quantum à *Zacharia* bonum, quantúmque ſpiritalis gratiæ. *Uſque ad ipſum*, inquit ille ipſe D. Chryſologus, *ab abavis, avis, patribus transfuſum genus mansit Sacerdotii, tempus legis, ſacrificii omnis ſervata eſt diſciplina, eò quòd impietatem regis, iniquitatem temporis, ambitionis rabiem, temeritatis furorem, Sacerdotis & meritum ſuperavit & vita.* Ecce quæ orbi Judaico à *Zacharia* gratia; quæ & JOANNI à parente quàm optimo; quæ deinde ab eodem etiam Eccleſiæ, audiamus.

Factum eſt, inquit Evangeliſta, *ut incenſum poneret ingreſſus in templum Domini, & omnis multitudo populi orabat foris in hora incenſi.*

Rectè, inquit Chryſologus, *in horâ incenſi, quia jam ſol Iudaico occumbebat in templo, ut in Eccleſiâ matutinus exurgeret: & Iudaica doctrinæ inſtabat veſper, quia Evangelii imminebat aurora, legis obſcurabatur dies, ut totus reluceret in gratiâ. Hinc eſt quod Zacharias in horâ incenſi, hoc eſt, in extremo tempore legalium cæremoniarum prophetali ſpiritu incenſum infert, offert preces, deſiderio ingerit, vota commendat, tempus admonet, promiſſa repetit, exigit Chriſtum.* Ecce quæ Eccleſiæ à *Zacharia* gratia: noſſe vis, quæ etiam populo? Chryſologum audi, pergit ille, ea quâ ſolet facundæ mentis eloquentia: *Multitudo* (ut advertit) *orabat foris; ut ergo populus, qui ſtabat foris intromitteretur, exorat: quia quos lex adducit ad januam, gratia intromittit in templum*, & certè quidni intromitteret, qui jam erat ingreſſus in templum Domini; imò, qui & ipſe templum erat Domini, ut piè, atque ingenioſè annotat D. Chryſologus.

Serm. 87.

Benè dixit ingreſſus in templum, non ingreſſus templum, quia ipſe erat Dei familiaris templum, portans in ſui pectoris puritate tota legis arcana, & apponens non tam thuris; quàm puræ ſupplicationis incenſum, quod Deo longè gratius; ut enim ille ipſe D. Chryſologus: *Gratius Deus in ſuo, quàm in hominis opere requieſcit, & non tam libenter odoratur arabicæ arboris guttam, quàm ſinceri pectoris, & cordis ſanctitatem.*

Vidimus quæ Synagogæ à *Zachariâ* gratia, quæ deinde Eccleſiæ, quæ etiam omni populo; imò quæ & ipſi *Zachariæ*, cui affuſa de cœlo ſanctitas, & gratia, ut ab illo filius JOANNES audiret, id eſt, *gratia*. Spectemus modò, quæ etiam ab ejus uxore.

Erat, inquit Evangeliſta, *uxor ejus de filiabus Aaron.* Rectè de filiabus Aaron, quia *Aaron primus Pontifex*

Serm. 88.

in lege, fuit Sacerdotii origo, propterea meritò prætermiſſis omnibus ejus filia dicitur, cujus in ſe memoriâ prætulit ſanctitatem, quam tanti generis pia cuſtos glorioſiſſimè transfudit in filium. Ecce ut illi à matre gratia; ecce ut ab illâ meritò etiam JOANNES, id eſt *gratia*; attendamus quæ deinde ab utroque. De his ita textus ſacer.

Erant juſti ambo ante Deum: non ſine Numine id dictum, non ſine myſterio id ſcriptum; quia ut diſertè Chryſologus: *Placere judiciis humanis, coram hominibus eſſe juſtum, eſt virtutis humanæ, maximi eſt & laboris: ante Deum, qui ſcrutatur corda, cogitationes diſcutit, videt mentium motus, eſſe juſtum, humani laboris non eſt, muneris eſt divini. Et ſi magnus eſt, qui non peccat in carne, quantus eſt, qui corde non peccat? JOANNES ergo ſupra carnem eſt natus de iſtis, qui ante Deum, nec corde, nec corpore peccarunt*, adeóque ex illis meritò audit JOANNES, id eſt *gratia*, & quidni ſic ab illis audiat, qui ſunt *incedentes in omnibus mandatis, & juſtificationibus Domini ſine querela?*

Benè *incedentes*, quia *incedit, qui non ſtat in triviis peccatorum, qui peregrinum ſe hoc ſentit in ſæculo, qui aſperas virtutum intrat intrepidus manſiones, qui montes juſtificationum, mandatorúmque colles indefeſſus viator aſcendit.* Et ita aſcenderunt DIVI BAPTISTÆ parentes quàm optimi. Et hoc quidem *ſine querela?* quod alterum ſanctitatis, & gratiæ caput. Quis enim in hoc mundo vivit, nec unde queratur, habet? *Quis fumi neſcius cupiditatum tranſit incendia? Quis vitæ lubricum nunquam lapſus evadit? per vitiorum gurgites quis impollutus incedit? carnis negotia, vitæ cauſas, actus mundi quis peragit, & non erit in querelâ, cùm naſci ipſum plenum ſit lacrymis, & querelis? jámque parturiens queritur ex dolore, & natus in lacrymas queritur ex natura; ſed in Zacharia & Elizabeth reatus occidit, periit querela, omnis eſt amputata cauſatio; quia in illis parabatur, unde tota ſanctitas naſceretur.* Quod ſi tota ſanctitas, tota & *gratia*, hoc eſt JOANNES; qui gratiam ſuo nomini conſonam etiam accipit ab *Eliſabetha*, vel ex eo quòd eſſet ſterilis, *ſterilis dico corpore, ſed fœcunda virtutibus,* Serm. 91.
tarda ſoboli, ſed non tarda Deo, non germini clauſa, ſed tempori, non negata pignori, ſed ſervata myſterio. Erat

II. Quod à matre ſterili, & Patre longævo.

enim *ſterilitas iſta non maledicta, ſed myſtica, in qua partus non ablatus, ſed dilatus.* Ita nimirum *colebatur tempore, virtute ſerebatur, maturabatur ætate, ſenectute creſcebat, ut in filio ſingulari tota fœcunditas penſaretur, quando in uno naſcebatur numeroſitas congeſta virtutum.* Quod ſi numeroſitas congeſta virtutum, certè & *gratia*: quæ etiam ex alio fonte defluxit; nempe

Ab Angelo nuntio.

IS ſe Zachariæ ſpectandum, audiendúmque dedit. Serm. 86.
Apparuit enim illi Angelus ſtans a dextris altaris incenſi, meritò à dextris, ut *eſſe in ſanctis Angelis intelligas nil ſiniſtrum.*

III. Quod ab Angelo nomen acceperit.

Apparuit, inquam, & ait, *exaudita eſt deprecatio tua*, qua ſcilicet pro ſolo pignore ſupplicaſti, ut ſcilicet illud Deus *daret univerſitati, largiretur ſæculis, populis condonaret, & fieret Sacramenti filius inter ſacraria delatus, inter Sacramenta conceſſus.* Et verò conceſſus; addit enim *& uxor tua Eliſabeth pariet tibi filium. Sic* Serm. 88.
Angelus ore Angeli ſancta dilatatus in viſcera, quod profectò gratiæ fuit ſingularis: uti & illud quod ſubjicit. *Et vocabis nomen ejus* JOANNEM. *Ecce ut angelico* Serm. 91.
præconio JOANNIS *profertur gloria, virtus inſonat, laus collaudatur*, etiam ex eo quod ſubjicitur. *Et multi in nativitate ejus gaudebunt.* Ita nimirum *non eſt unigenitus, qui eſt cunctorum creatus ad gaudium*, cujus cauſam intelligere ſi voles, hanc adjicit: *Erit enim magnus coram Domino. Qui coram Deo magnus eſt, quantus ſit penes homines quis probabit?* Enimverò nemo unus omnium. At unde magnus? utique à virtute, à gratia magnus; hæc enim unica coram Deo magnum facit: cætera, ut hominibus magna videantur, non tamen ſunt, nec magnum faciunt. Hinc ut JOANNES jam inde à conceptione magnus audiret:

IV. Quod commune fuerit mundi gaudium. Serm. 88.

V. Magnus coram Domino.

Hæc de illo cœli genius, iſque cæteros inter facilè princeps Gabriel. *Et Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero Matris ſuæ*, quod quantum ſit expendit D. Chryſologus: *Videtis*, inquit, *quemadmodum*

VI. Quod ſanctificatus in utero.

JOAN-

Serm. 91. JOANNES *ante pervenit ad cœlum, quàm tangeret terram: ante accepit divinum Spiritum, quàm haberet humanum: ante ſuſcepit divina munera, quàm corporis membra: ante cœpit Deo vivere, quàm ſibi.*

Et inde etiam Chryſologo judice beatus: *Beatus* enimverò, *qui ante Dei Spiritu meruit intonare, quàm hominis vagiret in fletu, qui ante divina poſſidere meruit, quàm ſortiretur humana: Beatus qui ante meruit cœlum ſcire, quàm terram: Beatus qui ante Deum capere, quàm ſuo ipſe caperetur à corpore: Beatus, qui antequam ſaperet quærere, meritum conquiſivit: Beatus* denique, *qui non pervenit ad gratiam per laborem: ſed ad labores ipſius gratiæ dignatione deſcendit:* ad quos autem labores inſtà oſtendemus, ubi priùs oſtenderimus etiam & alterum, quod JOANNI datum eſt à gratia ſingulari; videlicet & in utero Matris exultaſſe, & Chriſtum, Servatorem ſuum, ac Dominum in Virginis utero & agnoviſſe, & ſalutaſſe; imò & nuntiaſſe.

VII. Quod in matris utero exultans.

Felix nuntius, inquit D. Chryſologus, *qui ante geſtivit nuntiare, quàm vivere, impatiens dux, qui antequam perveniret ad corpus, pervenit ad Regem: ante rapuit arma, quàm membra: ante aciem petiit, quàm lucem, & ut vinceret mundum, vicit ante naturam:* qui porrò vicerit, paucis accipe: *Ipſe ſine viſceribus viſcera matris exſuſcitat, & quia tardabat corpus ſolo ſpiritu implet Evangeliſantis officium;* imò & nuntiantis jam in Virginis utero perfectam Divini Verbi Incarnationem: quod ut faceret JOANNES, *antequam Chriſtum præcederet ſe præceſſit: & Patris, Matris, Filii corda, unus, atque idem implevit Spiritus, ut uno ſanctitatis organo reſonaret Nativitatis Dominicæ cantilena.*

Serm. 91.

VIII. Quod Incarnationẽ nuntians.

Et ita à D. JOANNE reſonavit, non ſine inuſitato gratiæ miraculo: quod & auctum ex eo quòd Parenti à ſuâ culpâ, & incredulitate muto vocem reddiderit, & loquelam. Dixerat illi Angelus: *Uxor tua Eliſabeth pariet tibi filium.* Sed, ô malum! *non credit Dei promiſſa, ſed diſcutit, & opera divina non fide percipit, ſed humana ratione diſquirit, & mox infidelitatis culpam longa ſilentii condemnatione perſolvit.* Cùm enim objeciſſet frigidum illud, atque incredulum, *Unde hoc ſciam? ego enim ſum ſenex, & uxor mea proceſſit in diebus ſuis.* Statim ab Angelo vindice audiit illud: *Et ecce eris tacens, & non poteris loqui.* Bonum factum, & verè bonus, ac *magnus Dominus, qui infirmantem curat de vulnere, nutantem de ultione confirmat, de ſupplicio fidei perficit Sacramentum.* Et ſanè perfecit: cùm enim jam et natus eſſet Infans, & JOANNEM adhuc mutus inſcripſit, & mox vocem recuperavit. *Ita dat verbum fides, negat infidelitas verbum.* Sed unde fides? unde & verbum? utique à JOANNE, id eſt gratia, unde enim potiùs? *Editus* JOANNES *Zachariæ ſolvit ſilentium: abſurdum enim erat voce Verbi progreſſa Patrem manere elinguem*, ut disertè D. Gregorius Nazianzenus, à quo redeo ad JOANNEM, qui etiam gratia.

IX. Quod Patri muto vocẽ reddens.

Serm. 90.

A vita, rebúsque geſtis.

X. Quod procul à vitiis juventutis.

DE his, & illa, ſic ad Zachariam cœleſtis nuntius. *Vinum, & ſiceram non bibet;* in quo duo notat vitia, quæ ab illis, ceu fonte quodam emanare ſolent: videlicet ebrietatem, & luxuriam, quæ juventutem vel maximè inficere ſolent, atque devenuſtare; & quæ à D. JOANNE procul erant abfutura: quod & gratiæ fuit ſingularis; & meritò. *Qui enim natus eſt ſancto de corpore Sacerdotis, & ſummâ ſenectute ab omnibus vitiis defæcato, atque exempto juventutis incendiis, vinum neſcit, ignorat ſiceram, quæ pariunt luxus ebrietatis, & vitia, & tota diſſipant morum decora, ornamenta virtutum.* Ne porrò diſſiparent in JOANNE, tempeſtivè de cœlo cautum, & hoc peculiari gratiæ privilegio: quod & inde incrementum accepit non modicum; quod Chriſtum præcurſurus eſſet: ſed *in ſpiritu, & virtute Eliæ, quem* videlicet *ſpiritum per divinam gratiam accepit, non quem carnis eſt conſecutus ad vitam, & per virtutem, quam de ſupernis habuit, non quam propter corporis adeptus eſt firmitatem.* JOANNES *ergo Eliæ venit in ſpiritu, & in ejus virtute graditur, qui totum victu, veſtitu, caſtitate, abſtinentiâ, & omnibus Eliam virtutibus repræſentabat*, quod, ut inſinuavi, gratiæ fuit, non naturæ; uti & illud, quod ſubjicit ille ipſe de cœlo nuntius. *Et convertet corda Patrum in Filios*, & ita è Judæis plurimos convertit, quà concionibus, quà exemplo vitæ ſeverioris, ita etiam è Chriſtianis, quos inter fuit *S. Onuphrius* Ægyptius, qui auditâ *Eliæ*, & Sancti JOANNIS BAPTISTÆ vitâ, mox è Cœnobio exivit, atque in profundam eremum ſeſe abdidit, ubi ſexaginta totis annis hominem nullum vidit.

Serm. 88.

XI. Quod in ſpiritu Eliæ.

XII. Quod multos convertit.

Tantum apud illum valuit vel unicum tanti Præcurſoris exemplum; quod JOANNIS, id eſt gratiæ fuit; uti & illius ad Jordanem conciones; ad quas dum elabor, veniam mihi dabis, *Amice Lector*, ab ejus nativitate (cujus tamen hodie feſta recolimus) abeundi; id enim facio, ut per omnia demonſtrem iſtud, quod initio mihi propoſui, D. JOANNEM, non tantùm in conceptione, & nativitate eſſe JOANNEM, id eſt gratiam: ſed & in omni vitâ; imò & in morte pro caſtitate, próque Deo feliciter obitâ. Igitur ut ſtylum promoveam; primùm ad profunda deſerti ingredior, deinde & ad ipſas Jordanis ripas, ac fluenta deſcendo: & quid in his, & illis actum ſit oſtendo etiam ex D. Chryſologo, quo ferè auctore hîc utor. De geſtis in deſerto ſic ille:

Poſteaquam legis vomere, & jugi cultu exinanita Judaïci ceſpitis eſt ubertas, beatus JOANNES *gentium convolans ad deſertum, ſentes criminum ſpiritus igne ſuccendens, infructuoſas arbores excidens ultionis ſecuri, complanans aſperos ſuperbiæ colles, humilitatis convalles erigens exæquando, & planitiem terræ totam (gramine perdito) nutricibus fluentis ſubmittens irrigua Jordanis, ac ſic Evangelico ſemini novalia diffuſa præparat, fœcunda componit.* Serm. 137.

Ubi hæc JOANNES in deſerto, venit ad Jordanem, ut *qui fuerat vox clamantis in deſerto, vox etiam eſſet Domini ſuper aquas.*

Venit, inquam, ad Jordanem, interprete Divo Chryſologo duas ob cauſas: *Una quia Judaïcas ſordes non poterat hydria jam lavare, ſed flumen.*

Altera, ut *pœnitentes potaret aquâ, non vino.* Vinum quippe luxuriæ ſervit, & aqua pœnitentiæ. Ut in hanc trahat etiam cœlo, Deóque rebelles, ſic ad illos *in ſpiritu Eliæ*, ſpiritu & gratia; quo enim alio diceret, qui vel ex nomine JOANNES, id eſt, *gratia?*

Progenies, inquit, *viperarum. Exemplo corripit, comparatione notat, figurâ prodit: ut jam non mores ſolùm, ſed ipſam naturam poſſit veneni germinis immutare.* Et certè quidni mutaret in melius, quod ipſi jam mutarant in pejus. *Quos enim Deus creaverat homines, malitia peperit, & convertit in viperas, & quos conditos cœleſtis dulcedine pietatis infuderat, hos impietas amara fecit letales vomitus, ſerpentium virus effundere, & infando crudelitatis auſpicio de morte patris concipi, matris de morte generari.* Verè *progenies viperarum, & ſoboles ingrata naturæ, cujus ortus eſt genitoris exitium, cujus vita eſt mors parentis.* Verè *progenies viperarum.*

Vipera enim conceptus ſui tempore intra os ſuum receptum caput conjugis refertur abſcindere, ut per cruenta oſcula non fœtum concipiat illa, ſed crimen: ac ſic carnifices ſceleris ſui pariat filios, vindictæ ordine, non naturæ. Nam genimina patris concepta de cæde, ſanguinis, antequam lactis exigunt nutrimentum, & ultionem petunt matris: namque uterum viperæ dicuntur exſcindere, & ſceleſtum conceptus ſui domicilium adhuc immaturis viſceribus maturo furore confringere: ut hoc ſit illis vivere, matrem ſuam, matrem, quæ illos tales genuit, non videre.

Ubi hæc altiore ſpiritu dixit JOANNES, ubi Synagogam, ejúſque filios tales fuiſſe demonſtravit, *utpote ad quam Chriſtus affectu conjugu cùm veniſſet, ut ad ſponſam ſponſus, inter amplexus, & oſcula Judæ, Chriſti caput eſt expetitum, & ore petitum, cùm dictum infandum illud, Crucifige, Crucifige:* Ubi hæc, inquam, dixit, tum ad illos eodem ſpiritu: *Quis oſtendit vobis fugere à venturâ irâ?* Rectè ventura ira: hæc enim timenda vel maximè, at quænam illa? *Illa, quæ non habet finem, quæ hominem non abſolvit morte; ſed colligat, nec jam veniæ ſpem habere permittit, quem ſemel tartari deputavit ad pœnam.*

Audiſti, *Amice Lector*, quæ in ſpiritu JOANNES, accipe quæ ab illo in auditores effluxerit gratia; quid enim aliud effluat à JOANNE, hoc eſt à gratia?

Quid faciemus, inquiunt, *ut ſalvemur?* Quibus ille: *Qui habet duas tunicas det non habenti, & qui habet eſcas ſimiliter faciat.*

Non petit gemmam, ſed tunicam: non aurum, ſed panem. Hunc, & illam ſi pauperi dederis, ſalvaberis; ſi negaris, reus eris: reus quippe eſt, *qui ad hoc veſtes ſuas carcerat, & panem claudit, ut pauper fame pereat, frigore conſumatur. Ille veſtes ſepelit, non reponit: non credit diligentiæ, ſed ſepulchris, qui quod negat pauperi, dat tineis.* Ille, inquam, reus eſt.

Ubi hæc ad Judæos JOANNES; alia deinde ad Publicanos: nam & hi venerunt dicentes. *Quid faciemus?* Quibus ille: *Nihil amplius, quàm conſtitutum eſt vobis, petatis*, quia *qui plus petit, fraudis exactor eſt, non tributi.* Ubi hæc illis, tum ad milites convertitur; nam & hi quoque advenerunt dicentes: *Et nos quid faciemus?* Quibus ille: *Neminem concutiatis, neque calumniemini, contenti eſtote ſtipendiis veſtris.* Et rectè. *Verus enim miles eſt, qui non concutit, ſed defendit; qui calumniam non ingerit, ſed repellit; qui currit ad Regis ſtipendia, non civis currit ad prædam.* Et ita currere docuit JOANNES, qui poſtquam Judæos, Publicanos, militéſque cœleſti inſtruxit ſpiritu, inſtruxit & Herodem, dum ſic ad illum liberâ voce, animo liberiore. *Non licet tibi habere uxorem fratris tui.* Audiit Herodes; ſed & audiit filia Herodiadis, & infremuit, ſcelúſque exinde meditari cœpit; quod ut pareret, opportunum illi patrando tempus elegit; quo ſcilicet *Herodes natalis ſui cœnam fecit. Benè cœnam, quia non luci, ſed tenebris addictus eſt hic natalis, in quo noctis filius natus eſt, non diei.* *Chryſoſt ſerm. 174.*

Hanc cœnam fecit *Principibus, Tribunis, & primis Galileæ, ut non tam multos convivii ſui ſocios, quàm innumeros criminis ſui teſtes aſſumeret, & tot haberet facinoris ſui arbitros, quot habebat præſides diſciplinæ.* Hos inter pedem ſubintulit Herodiadis filia, *criminis filia, non naturæ.* *Serm. 173.* Intravit, ſaltavit, placuitque Herodi, cujus *caro oppreſſa crapulis, ebrietate captiva, titillante luxuria, & non tam ludente, quàm illudente laſcivia, promitteret quidquid turpitudo peteret.* *Serm. 174.* Et verò promiſit; ſic enim ad illam: *Pete à me quod vis, & dabo tibi, & juravit illi. Iurat miſer, & quidquid honeſtatis eſt, & virtutis abjurat*, dum addit illud. *Pete à me quod vis. Quid peteret luxuria, niſi caſtitatis interitum, pudicitiæ necem, mortem ſibi ſemper contrariæ ſanctitatis?* Hanc certè petiit; mox enim à matre malè docta filia, *Volo*, inquit, *ut des mihi caput* JOANNIS *in diſco. Sed cur in diſco? cur pretiosè geſtas quem viliter occidis, niſi quia pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum ejus?* Pretioſa enimverò, quia coronis vitæ, coroniſque gratiæ, quam ut à vita, ſic & à morte prætulit JOANNES, oſtentavitque univerſo: occidi terris potuit, cœlo non potuit.

XIII. Quod pro virtute, Deoque mortuus.

XIV. Quod ab ipſa morte vivus.

Vox enim occidi non poteſt, ſed magis clamat anguſtiis corporis abſoluta. Sic vox Abel in ſuo jam effuſa ſanguine magis ſonat, magis penetrat; magis pertendit ad cœlum. Sic nunc JOANNES *toto orbe clamat, totis ſæculis facinus veſtrum cunctis refert, & oſtentat in gentibus*, ſimulque etiam illud, quod *juſtus omnis tunc inchoat vivere, cùm pro Chriſto meretur occidi; transfertur enim iſta morte vita martyris, non aufertur, & morte magis claret, qui ob hoc mortuus eſt, ut æternùm viveret.* Et ita mortuus JOANNES; qui enim aliter moreretur, qui vel ex ipſo nomine uti vitam, ſic & mortem plenam gratiæ, plenámque meriti promittebat; imò (quod ames, ac mireris) etiam à morte, crudelique cæde miſeris mortalibus præſens auxilium, & gratiam etiam.

A Miraculis.

XV. Quod afflictis auxilio.

INter alias Eccleſiæ Orthodoxæ notas, hæc non minima, quod miracula recenſeat, & quidem etiam perennia, ut in poſteros eat, ævumque omne virtus miraculorum etiam in ipſis Sanctorum exuviis; imò & cineribus: quo in genere mirum illud, ac ſolemne, quod vidit, ſtupuitque non ſemel Genua, urbs Italiæ, ut opulentiſſima, ſic & nobiliſſima; cùm adverſus maris fluctus flabris lybicis tumeſcentes, ac ſeſe portui ſuperfundentes, navigiis in ipsâ ſtatione perituris, unicum eſſe præſidium, ac veluti propugnaculum, exportare è templi ſacrario, cum ſupplicatione Cleri, Senatus, populique Genuenſis ſacros DIVI JOANNIS BAPTISTÆ cineres, atque iis objectis, non tamen injectis (ne fiat cœleſtis illius theſauri jactura) compeſcere vim omnem undarum, fremitúmque, atque impetum ventorum. *Silveſter Petra ſancta tom. 3. Thaumaſia c. 12.*

Eſt qui opinetur: imò etiam ſcribat, quando Deus Univerſi conditor, legem ponebat aquis ne tranſirent fines ſuos, ex littore accepiſſe pugillum arenæ, quam dum ſpargeret quaſi inambulans pro imperio dixiſſe, Hic terminus eſto; *Hic confringes tumentes fluctus tuos.* *Philo Iudæus.* Ingenioſa interpretatio, veráne, hîc non diſputo. Certè ut vera eſſet, non adeò admiranda, quia omnipotens Dei manus etiam vel uno arenæ grano, & irata maria compeſcere, & tumentes fluctus infringere, & limites iis ponere poteſt, objecto quaſi propugnaculo: ſed mirabilius illud etiam id moliri ab ipſis Sanctorum cineribus, & quidem (quod ad meum inſtitutum facit) magni BAPTISTÆ cineribus, ſacriſque exuviis: experimento erit illud, quod noſtra ſpectavit ætas.

Anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo, ipſo Paſchatis die, oppugnata fuit Genua vehementiſſima maris, ac lybicorum ventorum conſpiratione, jactis in altum aquarum molibus, dixerim, ac montibus; quibus dum oppleri, obruique portus ipſe videretur, remedium fuere unicum illi ipſi magni BAPTISTÆ cineres, quos dum objicit Dei Sacerdos; & mari indignanti terminum præſcripſiſſe viſus eſt, & illius iram omninò fregiſſe, victoriâ ſanè memorabili, de invicto aliàs elemento, & quæ etiam illuſtrata fuit Senatus decretis, & gratiis palam perſolutis, atque inſuper libello precum in eum finem typis excuſo, authoritate Eminentiſſimi *Duratii* S. R. E. Cardinalis, atque Archiepiſcopi Genuenſis, in quo ſigillatim hæc leges.

Pro gratiarum actione ob innumera beneficia à Deo Opt. Max. Civitati Genuenſi ipſius Sancti Præcurſoris patrocinio collata, præcipuè ob maris ſæviſſimam tempeſtatem mirabiliter ſedatam in die Paſchatis Anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo. Et hoc eſt beneficium, quod Genua, urbs Regia totius Liguriæ, debet, & debere ſe fatetur ſacris JOANNIS BAPTISTÆ cineribus, aliud etiam quod Eccleſia ejus ſanguini, quod ſcilicet fidei orthodoxæ ſit quaſi pro firmamento, & tacito quodam teſtimonio, in paucis tamen efficaci. Eſt autem illud ejuſmodi. *Silveſter ſuprà.*

XVI. Quod fidei firmamentum.

Neapoli viſitur D. JOANNIS BAPTISTÆ ſanguis, qui intra vas perſpicuum liqueſcit Sacerdote aris perlitante ad memoriam ac venerationem ejuſdem ſancti Præcurſoris.

Viſitur autem ille ſanguis primò concretus in

Silveſter ſuprà c. 15.

ampullâ vitreâ eo ſitu ut ſupernè ſit, & intra locus pateat, in quem utique vacuum defluere guttarim poſſit cùm ſolvitur, & liquatur. Deinde poſt ſacrificii exordia, oblationémque & preces conſuetas, ubi ventum eſt ad Canonis verba ſacratiora, & panis ac vini immolationem, converſionémque in Corpus ac Sanguinem Domini, plerumque hoc illud momentum eſt, iu quo ſanguis intra phialam purpuraſcere, colliquefieri, defluere inimam vitri regionem, ac fervere videtur; & tamdiu reſolutus manet, quamdiu eſt in arâ ſacrificium. Crederes ſanctum illum Chriſti Præcurſorem in ſanguine ſuo rurſum vivere, loqui, & ingeminare illud. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Et verè, nam & hic Agnus eſt in ſacratiore Miſſæ Sacrificio. Et hoc ab illo ſanguine prodigium, ſervit, ut dixi, firmandæ fidei. De illo ita luſit *Clemens Merlinus* teſtis oculatus, & Romanæ Curiæ auditor, & caput graviſſimi, atque integerrimi illius Senatus, Decanum vocant. Ita inquam de illo ſanguine luſit:

XVII. Quod clarus miraculis.

Hic dum perſpicuâ delubro clauditur urnâ,
Frigore duratus deſiit eſſe liquor.
Iam tamen aut glacies, aut gemma gelata, ruborem
Sanguinis in ſolido ſervat, amátque globo.
Quin ſimul attiguâ divina litatur in arâ
Victima (res oculis teſtibus acta meis.)
Liquitur in ſubitum nova per miracula rorem
Et natat in nitido deſtuus orbe cruor.
Ebullitque recens, & geſtit, & urget, & inſtat,
Et quacumque licet quærere quærit iter.
Carceris impatiens nexus niſi vitreus arctet,
Cernis in amplexus Chriſte ſubire tuos,
Scilicet in Matris quod pridem conditus alvo,
Sanguis idem in vitreo carcere clauſus agit
Exultatq; iterum, atque iterum præcurrere certat,
Nuncius in Domini ſanguine, ſanguis adeſt.

Et iſta hactenus ille; à quo diſcedo ut abeam ad aliud ejuſdem ſanguinis prodigium: ſervatur ille in ampullâ vitreâ in Sacello privato *Marci Antonii ab Auriâ*, Viri Illuſtriſſimi; & ipſo decollationis ejus die liqueſcit totus; imò ſunt qui ſcribant totu id octiduo anniverſariæ ejus celebrationis contingere; ut illuſtrius ſit miraculum, quo diuturnius. Crederes ideò liqueſcere, ideò ebullire ſanguinem, ut Herodem rurſum arguat, dicátque mutâ voce; ſed voce ſanguinis etiam illud *Non licet tibi habere uxorem fratris tui.* Crederes rurſum ideò liqueſcere, ac ſolvi, ut *qui* olim *arguit adulterum, exponat, & damnet homicidam; & qui piè vivens inceſtum vocarat ad pœnitentiam, reſervaverat ad veniam, homicidium etiam damnaret occiſus.*

Chryſolog. ſerm. 174.

Crederes denique ideò ſacrum illum ebullire, ac velut ſpirare cruorem: ut vel illo æſtu oſtendat, quis magni illius Præcurſoris in terra amoris divini fuerit æſtus, & quis modò ſit etiam in cœlis, & quis ſpiritus, & quæ vita. Loquetur illa etiamnum Herodi, dicétque ore aureo D. Chryſologi:

Suprà.

Ecce JOANNES *Chriſti capite gloriatur, qui capite putabatur addictus. Ecce eo die quo tu finiſti tuum, ille ſibi natalem cœlitus comquiſivit: quia quando tuus ortus merſit in finem, tunc illius finis ortus eſt in natalem. Ecce tu jaces in morte:* JOANNES *vivit occiſus. Tu fucatam matrice purpuram perdidiſti,* JOANNES *cruore ſuo fulgente purpurâ ſemper gloriatur indutus.*

Tui convivæ nunc participes efficiuntur in pœnis, JOANNES *cœleſti menſa cum choris veſcitur Angelorum. Ille audit cœleſtem jugiter Symphoniam, tu audis inferni ſemper gemitum, & ſtridorem. Ille meretricis tuæ, ſaltatricis tuæ addictus in pretium, nunc regno, nunc præmiis cœleſtibus honoratur; tu mercedem ſententiæ tuæ cum tua filia in tartaro percepiſti.*

Et hæc JOANNES ore Chryſologi; qui inde duo etiam deducit præclara formandis moribus documenta.

Primum eſt quod JOANNES *non ſolùm adulteras arguit: ſed & licita mulierum conſortia virginitatis amore calcavit.*

Secundum, *etſi* JOANNES *tantus,* JOANNES *talis, tanta eremo ſeparatus à fœminis, fœminarum pericula non evaſit, quid eſt, qui inter fœminas vivens, evaſurum ſe ſine maximo labore, maxima ſine cautione confidas?* Nemo certè, nemo unus omnium; ſed nè longiùs, redeo ad illam quam dixi mortalibus dari vel in vitâ, vel etiam in morte gratiam à D. JOANNE; qui totus eſt *gratia.* Et quidem pro vita teſtabitur illud, quod ejus beneficio expertus eſt *D. Brigittæ* filius. Hic fortè D. JOANNEM ex eo graviter offenderat, quod in vigilia feſti illius jejunium non ſervaſſet; quod ubi reſcivit pia Mater, enimverò vehementiſſimè indoluit, flevitque quàm uberrimè: ſed & dolorem, & lacrymas excuſſit, deterſitque indulgens & Matri, & Filio Domini Præcurſor: Apparuit enim, & hæc illi, ſtylo ſimplici, & candido.

Surius tom. 4 pag. 140.

Quandoquidem plorasti; quòd Filius tuus offendit me, non jejunans in vigilia feſti mei, malleq; eum ſervire mihi, quam regni dignitate excellere, ego illum adjuvabo, & armis meis communiam. Dixit, & evanuit, relicto tamen illi cœleſti præſidio, armiſque in omnem vitam, quibus ſe tegere, ac tueri poſſet adverſus mali dæmonis inſidias, aut vim inſolentiorem.

Spectaſti in vitâ magni illius Divi auxilium; ſpecta & in morte ſolatium.

S. Hildegundis Ciſtercienſis Ordinis Virgo ſanctiſſima, ut D. JOANNEN amarat impenſiſſimè; ſic & ab illo viciſſim amari meruit, atque in extremâ vitæ metâ juvari; adfuit enim morienti, & ſeſe viſendum obtulit vel ad præſidium in illâ vitæ cum morte luctâ, vel ad ſolatium in illis, ut aſſolet, anguſtiis, vel denique ad gaudium proxima jam, atque imminente beata æternitate, in cujus poſſeſſionem dum totis votis abit, etiam hunc Domini Præcurſorem, ductorem meruit obtinere.

Menologium Ciſtercien. 5. Aug.

Ut & illum obtineas aliquando, pauca tibi ſub oculos ponam, *Amice Lector.* Primum, ut Divi illius ſolitudinem ac ſeceſſum imiteris, quantum tuæ vitæ ratio patietur, hominum conſortia fuge; maximè verò fœminarum, ne ab illis aliqua tibi aſpergatur macula.

Concluſio & fructus.

A *B. Ægidio,* Patris Seraphici ſocio, petiit aliquando unus aliquis, cur JOANNES BAPTISTA etiam puer eremum petiiſſet, eàque ibidem abſtinentiâ, cibi, potúſque parſimoniâ victitaſſet? Quid enim illa opus, aiebat, puellulo eâ vitæ innocentiâ, & gratiâ, & ſanctificatione jam inde ex matris utero? cui ille: *Eccur,* inquit, *ſale aſpergitur caro recens mactati bovis?* cui alius, *ut à putredine ſervetur.* tum illi Vir Dei: *Sic &* JOANNES *ſale pœnitentia condiri debuit, ut ejus gratia, ſanctitaſque & diutiùs, & meliùs ſervaretur.* Hæc ille appoſitâ profectò ſimilitudine.

Surius in ejus vita Tom. 7.

Alterum, ut advertas quàm facilè, & pronum ſit à vino & epulis, à menſa & poculis, hauſtáque ab illis ebrietate, ad alia vitia delabi; uti delapſus olim Herodes impius, qui ut meretriculæ illecebris ſerviret, & leviuſculæ ſaltatrici, ad venerem, & luxuriam ſeſe turpiter inclinavit, ad illicitos concubitus deſcendit, & ab his etiam ad effundendum innocentis ſanguinem etiam per ſummam immanitatem atque perfidiam: in hanc certè venit ad pauculas unius ſaltatricis voculas. *Volo,* inquiebat, *ut mihi des caput* JOANNIS *in diſco.*

Rogavit aliquando Alexandri Magni parens, nimium procax, & effera, ut hominis cæteroquin innoxii caput, vitámque ſibi daret, & hoc mercedis loco. Cui ille: *Aliam parens optima poſce mercedem; hominis enim ſalus nullo beneficio penſatur.* Et rectè Quid enim humanæ vitæ dabis æquale? potuiſſet, imò & debuiſſet furenti ſaltatriculæ id objicere, id obtrudere Herodes, ſiſteréque furioſos impetus.

At

Digitized by Google

At nec hoc, nec illud fecit. Annuit illicò, & *præcepit afferri caput in diſco.* Hoc nimirum ebrietati, hoc luxuriæ, hoc immanitati ferculum debebatur, ut in illo videas, quæ ſcelerum monſtra, quæ portenta criminum pariat ebrietas; ea certè, quæ omnis damnet, & damnabit ætas.

D. Hieronymus in caput decimum quartum Matthæi, ad illa verba: *Et allatum eſt caput ejus in diſco.* Legimus, inquit, in Hiſtoriâ Romanâ, Flaminium, Ducem Romanum, quod accumbenti juxta meretriculæ latus, quæ nunquam ſe vidiſſe diceret hominem decollatum, aſſenſus eſſet, ut reus quidam capitalis criminis in convivio truncaretur, à Cenſoribus Curiâ pulſum, vel ex eo, quòd epulas ſanguini miſcuiſſet, & mortem, noxii licet hominis, in alterius delitias præſtitiſſet.

Quod ſi judice Romana curia, & reus habitus eſt Flaminios, & exilio damnatus, quòd libidinem pariter, & homicidium miſcuiſſet hominis cæteroquin rei; quantò magis terra, cœlóque judice, damnandus Herodes, quòd JOANNEM Præcurſorem Domini, virúmque innocentiſſimum, & libidinis ſimul, & crudelitatis victimam feciſſet? *Quid* enim (ut D. Ambroſii verbis utar) *crudelitati cum deliciis? quid cum funeribus voluptati?* Enimverò nihil, niſi apud animam multo vino madidam, & malè ſana libidine captam, atque obcœcatam: hanc fuge, ac deteſtare, & D. JOANNEM imitari in hoc ſtude: ſed & in illo, ſi fortè ſacer ſis Eccleſiaſtes, liberâ ſemper voce, liberâ & mente in peccatores declama, nec hominem aſpice, externáſque phaleras, ſit ille in ſacco ſordidus, ſit nitens in purpurâ, nihil intereſt; ad id enim muneris te vocavit Deus. *Habacuc* Propheta emiſſus à cœlo fuerat, ut & populi ſcelera carperet, & impendentia ſupplicia denuntiaret, & hinc ita de ſeipſo.

Lib. 3. de Virgin.

Cap. 1.

Plaſmavit me (ſcilicet Deus) *ut arguam diſciplinam ejus.* Alia verſio habet: *Finxit me Deus, ut arguam populum, & annuntiem ei ſupplicia.* Et ita te quoque plaſmavit, ita finxit ſupremum Numen: vide reſpondeas plaſmatori tuo, figulo tuo, cujus es, & eſſe debes vas in honorem; & ne time ab illis concuti, ac diffringi, ut ſolent vaſa teſtea: adhoc enim te, vas quaſi teſteum, & fragile Deus eſſe voluit. Illum audi *Oſeæ* voce, ſic de Prophetis ſuis, ſic de te ipſo: *Dolavi in Prophetis, & occidi eos in verbis oris mei.*

Cap. 6. v. 5.

Dolavi, inquit, *corda populi*, *corda Regum* lapidea, ut lapidem ſolent lapicidæ; non tamen ſine periculo, ſine vulnere, ſine ſanguine: ſolet enim ex percuſſione lapidis fruſtum illius aliquod in dolantis faciem, capútque ſæpiùs proſilire: ſic & peccatores, dum ab Eccleſiaſte redarguuntur, ſubinde & reſiliunt ipſi, & in arguentem inſurgunt. Et ita Divo JOANNI BAPTISTÆ evenit; ita & tibi eveniet. Sed ne dubita, ne time, ne à propoſito tibi ſcopo recede; glorioſum tibi erit ita cædendo cadere. Vobis autem, ô quicumque, vel BAPTISTÆ alicujus, vel alterius ejuſdem genii eſtis auditores, vobis, inquam, id denuntiatum velim, id dictum: *Hi ſunt, qui ſanctiſſimè cædunt, & ſaluberrimè vulnerant: ab his vobis melius vulnus ſalutis infligi, ab his curari, ab his ad tempus occidi, quàm ab adulantibus ad gehennam exoſculari.*

Philo Carpatius in Cant. c. 5.

Deſcendo ad ultimum; quem ex hoc diſcurſu panegyrico, fructum colligi velim: erit ille hujus Divi cultus, ac veneratio. In hanc venit olim Eccleſia, & quidem impenſiùs, quàm in ullum unquam Sanctorum.

Ejus cultus, & veneratio.

Sub *Ottone* II. Romanorum Imperatore ſoliti erant Sacerdotes ipſo D. JOANNIS Natali die ſacra duo celebrare, ut refert Surius tomo 4. in vita *ſancti Vdalrici Epiſcopi.* Et hæc illius ævi pietas fuit, ea in Divum illum veneratio; majorem refert *Amalaricus Fortunatus* libro tertio de officiis Eccleſiaſticis, in quibus teſtatur in die Nativitatis D. JOANNIS BAPTISTÆ, tria olim à Sacerdotibus ſacra dici ſolita, Deóque immortali offerri: quod etſi modò inſolitum ſit, oſtendit tamen ſingularem Sancti illius Præcurſoris apud Majores noſtros fuiſſe venerationem; cámque tacitâ quadam, ac mutâ voce commendat. Ut in eam venias, author tibi ſum, *Amice Lector*, imò tibi author ſis oportet, ſi modò teipſe, tuúmque bonum ames? Aderit ille tibi ut tutor, ut patronus, ſi fortè in virtutis tramite moleſtias pateris. Ita adfuit *Cononi* Monacho & Sacerdoti, cui id demandatum erat officii, ut baptiſmo alios elueret: eluebat enimverò, ſed quoties eo initiandæ erant mulieres id muneris detrectabat; imò eò etiam venerat ut Cœnobium deſerere cogitaret, feciſſétque niſi D. JOANNES BAPTISTA viſus eſſet ei adeſſe, atque in hæc verba dehortatus: *Tolera, & perſevera, ego te de hoc bello liberabo.*

Cùm autem nihilominus aliquanto pòſt recuſaſſet adoleſcentulam ſpecioſiſſimam ex Perſide adductam fonte ſacro abluere; veritus ne ſe interim animo & corpore inquinaret: rurſus à fugâ eum ſanctus JOANNES reduxit ad Cœnobii ſepta, ter ei cruce umbilicum obſignans, addenſque interim illud: *Crede mihi volebam te pro hac pugnâ mercede donari: ſed quia non vis, ecce abſtuli à te hoc bellum, mercede autem hujus operis carebis.*

Silveſter Petro ſancta Thaumoſia, Tom. 2. c. 2.

Hactenus Domini Præcurſor, qui non tantùm illi Monacho animos facit: ſed & omnibus Eccleſiæ Miniſtris, ſi fortè in ſactis officii ſui miniſteriis tentationem patiantur: his enim aderit, uti & illi, & ſi ſubinde interiores illas animi moleſtias, aut ſcrupulos non omninò tollat: at faciet ut in illis ſaltem non ſuccumbas. Quod ſi ab illis propè victus nutare, aut deficere inceperis, aderit ipſe, confirmabítque in benè cœptis. Ita adſuit *S. Ivano* Regis Dalmatiæ filio, cui eremum deſerere cogitanti, animos ad perſeverandum fecit, oblata etiam illi Cruce lignea.

Faſtorum Marian. 24. Iunii.

Si in via ſis virtutis, & in illa tibi comes erit: ita *D. Bernardo* comes fuit, cui & Monachos in Hiſpaniam mittere perſuaſit, & Hiſpaniam jam ingreſſis ſeſe adjunxit, vel ut laboris ſocius, vel ut tutor, ac defenſor.

Menologium Ciſtercien. 23. Decemb.

Si denique es in extrema brevis ævi meta, & in illa tibi patronus aderit, ac ductor in Divorum atria, beatámque Æternitatem; ut ſuprà oſtendi in *S. Hilgedunde*, cui comes, imò dux fuit in cœli regiam: eritque etiam tibi, ſi modò is ſis, D. JOANNI, quod illa fuit, hoc eſt cliens, atque in Domino ſervus.

IN

IN FESTO SS. APOSTOLORVM PETRI ET PAULI.

IN porta Civitatis Mantuanæ viſebatur olim Angelus, altiot utique Poëticæ genius, opere ſtatuario bellè expteſſus, qui dextrâ coronam prætendebar. Viſebatur etiam hinc *Virgilius*, inde *Baptiſta Mantuanus*, Poëtæ laureati: ſubjecta erat hæc epigtaphe: *Cui dabo?* Adeo pares à calamo, doctiſque ingenii monumentis videbantur, ur neſcires cui danda eſſet palma, cui & corona.

Si ſacta profanis componere mihi liceat, aut certè ex his ad illa aliquid in rem meam rraducere; dicam in Eccleſiæ fronte, portáve, videri mihi cœleſtem genium, qui cotonam exhibet, oſtentatque; cotonam utique gratiæ, coronam virtutum, coronam gloriæ, quam dum jactat, legendum objicit & illud lemma, *Cui dabo?* PETRÓne, an PAVLO? Et huic, & illi dabis, ô bone Angele; nam & huic, & illi terra dedit, dedit & cœlum, dum Roma, uno, eodémque die & Apoſtolos dedit, & Martyres, meritis utique pares, pares & gratiâ, pares & gloriâ. Et hanc, & illam oculis, animóque dum lego, tam huic, quàm illi brevem diſcurſum panegyricum apparo, in eoque uberem gratiarum, id eſt magnarum virtutum, cotonam; pro quâ texendâ ſit

---

QUÆSTIO PRIMA MORALIS.

Ad illa verba: *Illi viri miſericordiæ ſunt, quorum pietates non defuerunt.* Eccleſ. c. 44. v. 10.

QVI SINT ILLI VIRI MISERICORDIÆ? Et quæ eorum pietates?

SS. Apoſtolorum elogia. ERit fortaſſe unus aliquis, qui mirabitur me hac luce, Divis Apoſtolis PETRO & PAVLO ſacra ac ſolemni, hoc mihi ſignaſſe rhema, hoc argumentum panegyricæ dictionis elegiſſe: ecquid enim, inquiet, an deſunt alia & plurima, & fortaſſis magis apta, conſonáque Apoſtolicæ gloriæ, laudique, cui volumus velificari? Enimverò non deſunt.

Apoc. c. 11. Si enim Eccleſia *Hortus* eſt, *hi* in eo ſunt *duæ Olivæ*, quæ oleum effundunt cœleſtis in mortales omnes beneficentiæ.

Suprà. Si *Aula* quædam, regiaque ſupremi Principis: & hi in ea ſunt *duo Candelabra in conſpectu Domini.*

3. Reg. c. 7. Si *Templum* alterius, id eſt novi Salomonis: & hi in eo ſunt duæ ac principes *columnæ*, quæ illud fulciunt ac ſuſtinent.

Cant. c. 6. Si *Caſtrorum acies ordinata*. Ecce *duo gladii*, *duæ tubæ* veri Moyſis, id eſt Chriſti: hæ quidem ut in arma, aciémque evocent: illi verò ut hoſtem feriant, ſternantque.

Gen. c. 1. Si *Cœlum* eſt: ecce in eo Apoſtolos, veluti duo *Luminaria magna*. Unum quidem ut cœcæ gentilitati luceat: alterũ ut Judaïcæ perfidiæ, atque obſtinationi.

Si denique Eccleſia *Propitiatorium* eſt: ecce in eo *duo Cherubini*, duo Apoſtoli, qui & Cherubinos ſcientiâ vincant, & Seraphinos caritate: hæc nimirum ſunt electiora, & ſacratiora encomia, quæ producere poſſem hac ipſa die Apoſtolorum gloriæ, laudibusque enarrandis dedicata. Non abnuo ejuſmodi illa eſſe. Cur igitur ab iis diſcedo? cur abeo in illud, in ſpeciem, ut videtur, minus conſpicuum, atque illuſtre? Cur in mediam concionem affero illud: *Hi ſunt Viri miſericordiæ?* Angelos, Cherubinos; imò & Seraphinos appellare potui, quod & fatebor non invitus; ſed & fatebor etiam illud, eò me duci ab Eccleſia, ceu matre quàm optima, ceu Magiſtra ſapientiſſima: quæ luce Apoſtolicæ ſolemnitati octavâ, hoc ipſum, veluti thema nobile, velut argumentum ſacræ dictionis mihi ſub oculos poſuit; ut & illud ipſe Auditorum meorum oculis, animiſque objicerem, quod illa prius inter Miſſarum ſolemnia objeciſſet. Pareo igitur, ceu matris amantior filius, ceu Magiſtræ obſequentiſſimus diſcipulus; iterumque repeto illud: *Illi Viri miſericordiæ ſunt.* At quinam? & cur illi?

Antiqui Patriarchæ Viri miſericordiæ.

HOc capite Eccleſiaſticus extollit, prædicatque primorum ſæculorum Patriarchas, Viroſque ſapientiâ, ac pietate illuſtriores, quales *Enoch, Noëmm, Abraham, Iſaac & Iacob*: Cui ideo Codices Græci præfixere titulum: *Hymnus Patrum*; Tigurina, *Majorum laudes.* Hos porrò appellat ſpecioſo ſanè nomine *Viros miſericordiæ*, quod duplici modo accipi poteſt.

Primò paſſivè, ut dicantur, & ſint *Viri miſericordiæ*, hoc eſt, à Deo miſericordiam conſecuti, ut opinatur Rabanus.

Secundò activè, ut *Viri miſericordiæ*, idem ſint ac Viri miſericordes, ex miſericordiâ, quaſi ex matre geniti, totique ex eâ conflati; ut alii Interpretes communiùs. Ego tam huic, quàm illi explicationi inhærebo, oſtendamque Apoſtolorum Principes PETRVM & PAVLVM, ex vero fuiſſe *Viros miſericordiæ*, & hoc quidem utroque ſenſu à me in præſentia producto.

DD. Apoſtoli PETRVS & PAVLVS Viri miſericordiæ, *hoc eſt miſericordiam conſecuti.*

DIvus Bernardus piè ut aſſolet, & ingenioſè tractans hunc Eccleſiaſtici locum, eos aſſerit eſſe *Viros miſericordiæ* ex triplici capite: *Sive quia miſericordiam conſecuti, ſive quia miſericordia pleni, ſive quia miſericorditer à Deo nobis donati*; quod paucis expono, & quidem

Serm. 5. de SS. Petro & Paulo.

Primò *Viri* ſunt *miſericordiæ*, hoc eſt miſericordiam à Deo conſecuti tam PETRVS, quàm PAVLVS.

D. Auguſt. Serm. 4. de SS. Petro & Paulo.

Ille quò retia evaſit ſæculi, iſte quò ex prædone Confeſſor factus eſt Chriſti. Ecce enim *duos elegit* Chriſtus, *unum piſcatorem, alterum graſſatorem. Illum vocat ex littore, iſtum clamat ex itinere. Illum accerſit ex ponto, iſtum terret de cœlo.* Ecce ut *Viri miſericordiæ*, ut miſericordiam à Deo conſecuti: & quidem ut ad ſingulos ſpeciatim deſcendam,

Primò PETRVS: ſed quis ille? piſcator, hoc eſt artificio vilis, genere abjectus, & pauperculus, mundóque deſpicabilis: ſi à ſanguine nobilem, ſi à ſcientiâ illuſtrem, ſi à rebus in togâ, ſagóque præclarè geſtis conſpicuum elegiſſet Chriſtus; æquitatis illud, ac juſtitiæ videri poterat: datum enim fuiſſet illud aut ſanguini, aut ſapientiæ, aut meritis ſeu in Lycæo, ſeu in martio pulvere. At piſcatorem adlegiſſe, hoc enimverò ſolius miſericordiæ opus fuit, & quidem prægrande. Audi quid de illo D. Auguſtinus.

Suprà.

Cùm PETRVS *linea caſtra laxaret in freto, Chriſtus retia miſit in verbo. Cepit Chriſtus, cepit & Petrus. Chriſtus diſcipulum, Petrus piſciculum; dum circumdat gentem ſquammeam, ipſe venit in retia*: ſed amoris, ſed miſericordiæ retia: *Dum enim inſidiatur gregibus æquoreis in mari, ipſe in rete incidit Salvatoris. Fit de prædone prædatio, de piſcatore piſcatio, de pirata captivitas.* An non illud miſericordiæ? an non amoris divini prodigium? omnino prodigium, vocatum eſſe de mari, de navicula, de piſcatione: quod etiam inde augetur, quod vocatus ſit ut eſſet deinde piſcator hominum. Ita *de*

Suprà.

de piſce ad hominem, de rete ad Eccleſiam, de mari ad fontem, de captura factus eſt factura; ut qui ante capturam latebat in ſalo, verbi nunc retia ſpargat in mundo; & qui prius piſces induxit, nũc homines ſagenis ſpiritualibus irretiat.

Vidimus PETRVM ex vocatione ſua, primóque melioris vitæ limine Virum fuiſſe miſericordiæ; attendamus quomodo ex illa etiam PAVLVS. Ecquis enim ille? audi ex eodem Auguſtino: *Ibat*, inquit, *Saulus furiis invectus, diri pectoris efflabat incendium, Sanctorúmque ſanguinem ſitiens per totam Iudæam alienus ferebatur inſania. ut Chriſti membra laniaret in terris, utq; Iudæa, quæ pridem ſævierat in capite, crudelitatem exerceret in corpore.* Et hoc authore Saulo, perſecutore Saulo. Spectaſti in illo crudelitatem, ſpecta in Chriſto miſericordiam. *Saule*, inquit, *Saule quid me perſequeris?* Ecce *caput pro membris clamat, inquietatur in terris corpus, & inſonat Chriſtus in cœlis, & contra ſævitiam Pauli, provincia conqueritur cœli*, quod profectò eximiæ cujuſdam, ac ſingularis miſericordiæ fuit, à quâ *proſternitur audacia, ut ſanctitas erigatur, & cadit miles diaboli, ut ſurgat ſignifer Chriſti.* Et ita ſurrexit PAVLVS, qui hæc aliquando ingenuè de ſeipſo: *Qui fui blaſphemus, & perſecutor, & iniquus; ſed miſericordiam conſecutus ſum*: ut verè de illo dici poſſet, uti & de PETRO: *Illi ſunt Viri miſericordiæ*, hoc eſt miſericordiam à Deo conſecuti.

Act. c. 9.

Suprà.

SS. Apoſtoli PETRVS & PAVLVS Viri miſericordiæ, *hoc eſt miſericordiâ pleni.*

VT in homine duplex miſeria; una corporis, altera animi: ſic & in ſanctis duplex quoque miſericordia: una in corpus effunditur, ut illius mala aut levet, aut tollat: altera evadit ad animum, ut illius ſalutem omni ratione procuret. Et hæc, & illa in D. PETRO fuit copioſiſſimè: & quidem primùm ea quæ ad animam evadit, illiuſque miſeriam, hoc eſt puſillanimitatem, alioſque mentis morbos aut ſublevat, aut curat.

D. Petri miſeratio erga miſeros.

Et ita curavit in *Rabando*, Viro Principe in Gallia, qui cùm religioſæ vitæ aſperitatem, utpote lautiori vitæ aſſuetus, graviter ferre cœpiſſet, & ſeparatos cibos paullò commodiores Abbatis indulgentiâ admiſiſſet, ſic eum ſanavit D. PETRVS Vir omnino miſericordiæ, hoc eſt miſericordiâ plenus.

Die quodam dum Fratres reliqui communi menſa, arido ſcilicet pane, & fabis veſcerentur, *Rabandus* videre ſibi viſus eſt duos ſenes, alterum calvum, cui binæ claves è collo pendebant, alterum habitu Monachum, qui cryſtallinam pixidem manu geſtabat. Hi toto cœnaculo circumeuntes, unicuique Monacho, neſcio quid edulii è vaſcillo impertiebant; *Rabandum* ſolum ita prætereuntes, ut etiam ſevero, ac ſubirato vultu eum intuerentur. Quid hîc ille? primùm hærere, dein mirari, denique ex ejus, qui proximè aſſidebat, portiuncula aliquid ſuffurari, quod ut guſtavit, viſa eſt illi ejus ſuavitas omnium ciborum, quos unquam in vita ſua, etiam ſæculari, comediſſet, ſuavitatem longè anteccellere.

Quod viſum cùm ter contigiſſet, ad Abbatem acceſſit, ac diligenter inquiſivit, quinam eſſent hi duo ſenes. Intellexit Abbas facilè, unum eorum eſſe PETRVM Apoſtolum, in cujus tutela erat Monaſterium, alterum verò *Honoratum* Cœnobii illius authorem: cauſam autem cur ipſi uni communis illa eſca negaretur, eam eſſe, quòd communem aliorum ſeveritatem non ſequeretur: quod audiens *Rabandus*, animo confirmato ad omnem ejus vitæ diſciplinam perferendam, multò eam faciliorem, ac leviorem reperit, quàm antea putaſſet.

Platus de bon. ſtatus Rel. l. 3. c. 16. ſub medium

Et hoc Apoſtolorum Principis beneficium fuit, hæc erga illum, alióſque miſericordia; quæ ut dixi ad animos immortales tranſiit: demus aliam, quæ corpora malè affecta reſpicit vel à morbo, vel à paupertate, quæ ſæpiùs morbis eſt gravior. Ibat aliquando in templum PETRVS, cùm ad portam illius ſpecioſam occurrit mendicus, claudus jam inde ex matris utero, oculos intendit ille, & ſimul vocem explicat, ut eleëmoſynam accipiat. Cui PETRVS: *Argentum & aurum non habeo, quod autem habeo hoc tibi do. In nomine IESV Chriſti Nazareni, ſurge, & ambula. Et apprehenſa manu ejus dextera allevavit eum, & protinus conſolidatæ ſunt baſes ejus, & plantæ.*

Act. c. 3.

Et hæc inſignis D. PETRI miſeratio, hæc eleëmoſyna in pauperculum, & mendicum, & quidem benè larga.

Beata planè largitas, exclamat D. Auguſtinus, *quæ petenti argentum non contulit: ſed contulit ſanitatem.*

Beata

Serm. 2 de SS. Petro & Paulo.

Beata largitas, quæ de theſauris ſuis aurum non protulit: ſed protulit medicinam: imo & beatus ille claudus, qui dum ſtipem quærit pecuniæ, divitias accepit incolumitatis. Hoc enim ab Apoſtolis donum meruit, quod nullis theſauris à medicis redimere potuiſſet. Et hæc eſt ea largitas, hoc donum quod etiam poſteros docuit ſic eſſe liberales.

Surius in ejus vita tom. 2.

S. Vinualgo occurrit aliquando cœcus, qui (ut aſſolet ſimile genus hominum) importunè eleëmoſynam efflagitabat: cui ille idem dixit quod olim PETRVS claudo, dixit, inquam, & viſum pro eleëmoſyna reſtituit. Dedit nimirum quod habebat optimum, ſanitatem. Et ita dudum docuit aliquando

Surius tom. 3.

Chriſtus *S. Lutgardem*, aliósque, qui pecuniis ut ſint deſtituti, non ſint tamen misericordiâ.

Ores, inquiebat, *pro paupere, & dediſti quod tuum eſt.* Sed redeo unde paululum abii, ad inſignem D. PETRI in afflictos miſerationem, ea patuit vel maximè cùm vel aurâ ſolâ tranſeuntis, vel etiam umbrâ infirmis omnibus afferret ſanitatem, cujus probè conſcii, *in plateis ejiciebant infirmos, & ponebant in lectulis, ac grabatis, ut veniente PETRO ſaltem umbra illius obumbraret quempiam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus ſuis.* Et hæc in illo fuit prodigioſa miſeratio, ex qua id conficit D. Auguſtinus: *Si tunc opem ferre poterat umbra corporis, quanto magis nunc plenitudo virtutis? Si tunc ſupplicantibus proderat aura quædam pertranſeuntis; quanto magis gratia nunc permanentis? Si tam medicinabilis fuit obumbratio viſitantis, quanto magis catena vincientis? Et ſi ad præſidium ſupplicantium tam potens fuit PETRVS ante martyrium, quanto magis efficax poſt triumphum?* Certè ita efficax, ut quidquid illum ſolummodo vel leviter attigerit, eandem efficaciam, virtutemque medicam videatur imbibiſſe.

Act. 5. 15.

Serm. 5. de SS. Petro & Paulo.

Silveſter Petraſancta, Thaumaſia Tom. 2. c. 16.

S. Hugo Abbas Cluniacenſis, Caſulam S. PETRI, Antiochiâ in Gallias perlatam, habens præ manibus in baſilica *S. Genovefæ*, ubi jam ad aras litaverat,

Utinam, inquit, *aliquis æger adeſſet, in quo virtutis Apoſtolicæ caperemus experimentum.* Cùm ecce vir adducitur omni membrorum uſu deſtitutus, repentè contactu ſacri illius indumenti convaluit. Ea nimirum D. PETRI etiamnum in cœlis, erga infirmos miſeratio.

D. Pauli miſeratio erga miſeros.

Eadem & D. PAULI; nam & Athenis cœcum à nativitate illuminavit dicens: *Chriſtus Dominus, & Magiſter noſter, qui oculis lutum impoſuit cæci nati, & lumen reſtituit ei, ipſe te potentiâ ſuâ illuminet*, cui mox videnti: *Vade*, inquit, *ad Dionyſium, & dic ei, quia* PAULUS *ſervus IESU Chriſti ad te me miſit, ut memor ſponſionis tuæ, ad eum venire non differas, quo baptiſmum ſalutis accipiens, ad omnibus poſſis abſolvi nexibus delictorum.*

Taumaſia tom. 2. c. 66.

Interrogatus autem, num cœcus natus eſſet? *Ego*, inquit, *ſum ille, cui hactenus Sol non luxit.*

Quare *Dionyſius* cum uxore *Damari*, totáque familia nomen Chriſto dederunt, & à ſancto PAULO luſtrali fonte ſunt initiati: in quo habes duplicem D. PAULI in afflictos miſerationem, corporum unam, alteram animorum. Illa certè adeo familiaris erat, & propè quotidiana, ut *ſuper languidos deferrentur à corpore ejus ſudaria, & ſemicinctia, & recedebant ab eis languores, & ſpiritus nequam egrediebantur:* ita nimirum pervicaces illi ſpiritus, & morbi quantumvis pertinaces, Apoſtoli caritati, ac miſerationi cedebant. Sed hoc, inquies, datum eſt PAULO adhuc apud mortales ſpiranti ac vivo; demus aliud, quod etiam mortuo, ut etiam in hoc vivere noveris illius miſerationem.

Act. c. 19. v. 12.

Conſtantia Auguſta pro ea qua erat in D. PAULUM religione, à *D. Gregorio*, nomine, & re etiam ipſa *Magno*, petierat caput, & ſudarium S. PAULI, ut hoc ſacro pignore tam eſſet glorioſa Eccleſia Conſtantinopolitana, quàm erat corpore S. PETRI Eccleſia Romana. Imperatricis pietati dandum aliquid cenſuit S. Pontifex, & aliquid de limatura catenarum illius Divi tranſmittendum; & ſic ad illam:

Taumaſia tom. 2. c. 14.

De catenis, quas ipſe S. PAULUS Apoſtolus in collo, & in manibus geſtavit, & quibus multa miracula in populo demonſtrantur, partem aliquam vobis tranſmittere feſtinabo; ſi tamen hanc tollere limando valuero. Quia dum frequenter ex catenis iiſdem multi venientes benedictionem petunt, ut parum quid de limatura accipiant; aſſiſtit Sacerdos cum lima, & aliquibus petentibus ita concitè aliquid de catenis ipſis excutitur ut mora nulla ſit. Quibuſdam verò petentibus diu per catenas ipſas ducitur lima, & tamen ut aliquid inde exeat, non obtinetur. Hactenus ad Auguſtam Magnus Pontifex, ex quo duo in rem meam ſtylo notabo.

Primum è ſacratioribus illis catenis aliqua decerpi ramenta urgente, ac mordente lima, iis ſcilicet quibus id indulgeri vult Apoſtolus; aliis autem, quibus id beneficii negat, minimè.

Alterum iis catenis, ac ramentis multa miracula demonſtrari in populo, miracula utique ſanitatum, quibus vincuntur, & cedunt morbi omnes: & certè quidni cederent *miſericordiæ Viro*, cui omnis cedere debet miſeria; quod ſi fortè eorum culpa non cederet, tum verò vel maximè affligebatur Apoſtolus, & alienis malis illacrymabatur, non ſuis. Ut enim de illo D. Chryſoſtomus: *Nullus tanto affectu mala propria, quanto PAULUS deflebat aliena*, indéque etiam factum ut PAULUS *crebrò fleviſſe legatur, riſiſſe nunquam æquè, ac Chriſtus.* Et ſanè quomodo rideret qui hoc de ſe ipſo, & verè, & piè?

Hom. 2. de laud. Pauli.

Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandaliſatur, & ego non uror? quaſi diceret, infirmatur nemo, quin & ipſe infirmer; nemo ſcandaliſatur, & à ſcandalo velut uritur, quin eodem & urar ipſe, quod ſummæ profectò miſerationis eſt indicium; uti & illud, quod ſubjicio, adeſſe atque opitulari in morte, quæ ſummum eſt naturæ malum, & prima, ac potiſſima, nobis à peccato relicta miſeria. Adeſſe autem tum temporis Viros illos miſericordiæ, duobus exemplis, probaturus venio; major enim factis eſt fides quàm verbis.

2. Cor. c. 11.

Morbo graviore oppreſſa ad extrema venerat *B. Maria Ogniacenſis*, animámque jam agebat: cùm ei ſeſe ſpectandum obtulit D. PETRUS, claveſque, quas gerebat oſtendens. His, inquit, clavibus tibi cœli januam reſerabo. Dixit, & abiturientem animam excepit, cœlóque induxit, cœli claviger. Quod illi D. PETRUS: hoc alteri S. PAULUS. Puella erat, & formæ gratiâ nobilis, & genere illuſtris, quæ mundo, ejuſque pompis valere juſſis monaſticæ vitæ ſeſe addixerat: ea exactis in religioſâ profeſſione annis quamplurimis, ad extremam vitæ periodum deducta, in quâ dum ſtat, quaſi in confinio temporis, atque æternitatis, ad ſe venientem aſpexit Apoſtolum, collectiſque ut potuit viribus aſſurgens, ac deinde in genua prolabens, benedictionem petiit, adjicienſque ſolemne illud *Benedicite*, expiravit, probè munita Apoſtolicâ benedictione adverſus omnes tartarei hoſtis inſidias. Quod illis: hoc & aliis, atque inprimis *S. Niceto* Epiſcopo Trevirenſi, cui apparens PAULUS ad requiem vocavit, duxitque ſempiternam: uti & *B. Caſſium* Epiſcopum Narnienſem, qui ipſo die SS. Apoſtolorum PETRI ac PAULI, & moriturum ſe Deo revelante didicit, & ab illis in cœli Regiam induci meruit. Ita nimirum cum miſeris mortalibus agunt *Viri illi miſericordiæ*; adſunt paratiſſimi, atque in iis anguſtiis veniunt; in quibus non de vitâ agitur mortali, ſed de immortali; non de temporis menſurâ breviore, ſed de ipsâ quantâ quantâ eſt æternitate; in quâ opem ferre, manúmque dare, eſt ſummæ miſerationis.

Surius tom. 3. p. 776.

Surius tom. 6. p. 423.

S. Gregor. Turon. l. de vita Patrū. c. 17.

S. Gregor. Papa Hom. 37. in Evãg.

Vidiſti mi *Lector*, quomodo adſint in morte *Viri illi miſericordiæ*, attende quî etiam poſt mortem, ad ſepulchri gratiam ac honorem, in quo etiam elucet inſignis eorum miſeratio.

S. Oſitha Virgo & Martyr ex proſapiâ Regum Angliæ, cùm nupſiſſet Regi Sibero, ab illo impetravit, ut Cœnobium talami expers intraret. Bonum omninò factum, cui deinde ſua de cœlo merces, martyrii ſcilicet palma, quæ virginitati decorem addidit; cùm enim Cymbri Inſulam illam longè, latéque popularentur, atque in Chriſtianos ſævirent, capite plexa eſt; & quod miraculo datum, recto gradu, firmiſque veſtigiis ad tria ferè ſtadia cervicem abſciſſam tulit: ac deinde ad templum Sanctorum Apoſtolorum PETRI & PAULI ſubſiſtens, manu cruenta fores pulſavit, aditum utique efflagitans; quem etiam mox obtinuit, inventura ibidem & ſepulchri gratiam, & ad ipſas Aras debitos Virgini & Martyri honores: & hoc à Sanctis Apoſtolis, *Viris* utique *miſericordiæ*, quam etiam teſtatam voluit D. PETRUS, pia in Eccleſiam ſollicitudine ac providentia.

Surius in Octobri.

S. Leo Romanus Pontifex Synodo Epheſinæ per Legatos ſuos ſymbolum fidei miſſurus, contra emergentes Eutychetis, ac Neſtorii hæreſes, illud prius collocavit in tumulo Principis Apoſtolorum, ita deprecans.

Baron. Anno Chriſti 449.

Si quid, ut homo minus cautè poſui, tu, cui à Domino Salvatore noſtro IESV Chriſto, & hac ſedes, & Eccleſia commiſſa eſt, emenda.

Quid hîc Apoſtolus? apparuit S. Leoni, & hæc illi: *Legi & emendavi.* Et re etiam ipſa de ſepulchro receptum eſt ſymbolum cum emendationum notis. Ecce *Virum miſericordiæ*, qui & corporibus proſpicit & animis, & fidei orthodoxæ; in quo profectò ſumma eſt miſeratio.

SS. Apoſtoli PETRVS & PAVLVS Viri miſericordiæ, *id eſt miſericorditer à Deo nobis donati.*

DIvus Auguſtinus more ſuo ingenioſè & doctè oſtendit Apoſtolorum Principes Eccleſiæ à Deo donatos aliis, atque aliis nominibus ac titulis.

Primum ut *fundatores Chriſtiani nominis.* Secundò ut alios à Chriſto *Salvatores.*

Hi duo, inquit, *electi ſunt ad duorum populorum ſalutem, PETRVS ad Iudæorum, PAVLVS ad Gentium.*

Serm 1. in SS. Petro & Paulo.

Tertiò ut *cultores* Eccleſiæ, ſeu Domini Vineæ. PETRUS, inquit, *Vineam ubi jam fuerat reparat*, PAULUS *plantat, ubi non erat.* PETRUS *in Iudæa arborem ab antiqui germinis nobilitate degenerem in radice ſua excolit;* PAULUS *verò in alieno fomite peregrinos ponit Gentium ramos.* PETRUS *in Iudæa terram malè fœcundam excolit.* PAULUS *in Gentibus nondum cultam fœcundat.*

Quartò, ut *medicos*, & animarum curatores. PETRUS, inquit, *in Iudæis mollit duritiam;* PAULUS *in Gentibus illuminat ignorantiam.* PETRUS *tenebras, & vitia pellit ex oculis.* PAULUS *reddit oculos à nativitate cæcata.*

Quintò, ut *Duces*, atque Anteſignanos. *Vario*, inquit, *ac diverſo genere innumeri populi ad unius Regis militiam congregantur, ac ſi duo potentiſſimi Duces*, PETRUS *Antiquum de veteribus reducit;* PAULUS *Novum de tyronibus Chriſti conducit exercitum.*

Sextò, ut *Negotiatores. Diſcurrunt*, ait, *per univerſum mundum, duo ſplendidiſſimi negotiatores, portantes ceram Gentibus, Regibus, & filiis Iſraël pretioſa fidei mercimonia. Circumferunt aromata juſtitiæ, thura divinæ venerationis, incenſum compunctionis, balſamum caſtitatis.*

Septimò, ut fideles in Chriſto *diſpenſatores. Erogant*, inquit, *per omnem terram, ſpiritales diſpenſatores pretia ſalutis, theſauros ſanctitatis.*

Octavò, ut optimos, ac pientiſſimos *Parentes*, de quibus ſic ille ipſe D. Auguſtinus: *Quærunt, quos ſecum ad cœlos attrahant piiſſimi animarum parentes, diſpares partuum ſtadiis, operum meritis pares.*

Et hæc ſpecioſa nomina, hi pretioſi ſunt tituli, quibus à Chriſto nobis dati ſunt Apoſtoli, cœleſti profectò miſericordiâ, & eximiâ quadam divini amoris inclinatione. *Ipſa*, inquit Auguſtinus, *genuit* PETRUM, *ipſa parturivit &* PAULUM, *ut ex lupo fieret Agnus.*

Serm 5 de feſto SS. Petri & Pauli.

Genuit enimverò PETRUM. At quomodo genuit? utique baptiſmo, ceu ſpiritali quadam regeneratione: & quidem PETRUM ipſemet Chriſtus, de quo ſic Nicephorus.

Baptiſmum Chriſtus conſecravit in Jordane, à S. Joanne Baptiſta eodem initiatus. Ipſe deinde ex viris quidem S. PETRUM, ex mulieribus verò MARIAM Virginem, & ſanctiſſimam ſuam Genitricem hoc ſacro fonte initiavit: tum eodem S. PETRUS luſtravit *Andream, Iacobum*, & *Ioannem*; & hi denique cæteros Apoſtolos, ac Diſcipulos Domini; qui hac ratione in Chriſto geniti, & Eccleſiæ ab illis donati: at PETRUS, iſque inter Apoſtolos unicus à Chriſto ſic genitus, & nobis donatus. PAULUS autem tanquam & ipſe *natus, baptiſatus eſt à Matre*, ſcilicet Eccleſia, *& illuminatus à Deo Patre*, ut notat Auguſtinus. Ecce ut tam hic, quàm ille *Viri miſericordiæ*, hoc eſt à Deo nobis miſericorditer donati; *quorum pietates non defuerunt.* Ut porrò intelligamus ecquænam illæ, ſit

L. 2. Hiſtor. c. 3.

Serm. 1 de SS. Petro & Paulo.

QUÆSTIO SECUNDA

MORALIS.

Ad illa verba: *Quorum pietates non defuerunt.* Eccl. c. 44.

QVÆ SINT ILLÆ PIETATES?

PIETAS apud Theologos, & Scripturæ ſacræ Interpretes eſt duplex: Una Deum reſpicit, eſtque ejus cultus invocatio, oratio, debitáque illi ſubmiſſio, atque obedientia.

Altera delabitur ad proximum, & aliud nihil eſt, quàm prona, ac facilis in eum beneficentia, ac miſeratio.

Pro vocula illa *Pietates*, græcè legitur *Iuſtitiæ*, cui favet Syrus, qui vertit: *Iſti Viri gratiæ & juſtitiæ*; quaſi ex hac, & illâ eſſent cōpoſiti, imò tam hæc, quàm illa.

D. Gregorius Nazianzenus, facundus ſanè, & ſimul pius orator, ut D. Athanaſii ſpeciem aliquam oculis objiceret, aut auribus, animiſque affunderet; ſic exorſus: *Athanaſium laudans, virtutem laudabo*, quaſi idem eſſet Virtus, & Athanaſius; idémque Athanaſium laudare, ac laudare Virtutem: Quod de hoc extulit ille: hoc D. Chryſoſtomus de Divo PAULO: cujus iſtud ab illo elogium eſt inſtar omnium: *PAVLVS fuit ſtatua virtutis*, vel quia virtutem exprimebat, referebátque; vel quia PAULUS ipſe, Virtus erat. Quod de D. PAULO, hoc & de S. PETRO Apoſtolorum Principe; ut patebit ex iis, quæ ſubjiciemus.

Orat. 20.

Hom 6 de laudibus Pauli.

SS. Apo-

SS. Apoſtolorum PETRI *&* PAVLI *Pietas erga Deum in humili ſubmiſſione & obedientia.*

Cap. 62. v. 3.

ISaias præſago ſpiritu, calamóque hæc de Eccleſiâ: *Non vocaberis ultra derelicta; ſed vocaberis voluntas mea in eâ.* Hoc nimirum illi nomen inditum ab humili ſubmiſſione, debitáque Deo immortali obedientia; à quâ quid gloriæ, quid honoris in eam emanarit, audiamus ejuſdem Vatis ore. *Et eris,* inquit, *corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui.* At unde corona gloriæ? unde & diadema regni? Utique ab hoc uno, quòd Dei *voluntas in eâ;* Ubi enim Domini voluntas fuerit: ibi & erit corona gloriæ, & diadema regni cœleſtis, quo ſcilicet ornatur, quo ditatur, quo & beatur obediens anima.

Hom. 64.

D. Chryſoſtomus *incorporeas virtutes* vel ex eo *beatas exiſtimat, quia Deo in omnibus parent.* Et hinc primò beatos prædicabo Apoſtolorum Principes, quia jam inde, ab ipſo limine ſuæ ad Chriſtum converſionis ei paruerunt; & quidem

Matth. c. 4.

Primò PETRUS. Piſcator erat PETRUS, piſcator & Andreas, cùm ſic ad illos Dominus: *Venite poſt me, faciam vos fieri piſcatores hominum.*

Serm. 4. de SS. Petro & Paulo.

Quid deinde illi? non verbo reſpondent, non linguâ, ſed opere. *Relictis enim retibus ſecuti ſunt eum. Ita cùm vellet* PETRUS *concludere piſcem, hamo verbi Chriſtus, & ipſum tenuit piſcatorem.* Rectè *hamo verbi,* quia ſcilicet, vel unicum verbum pro *hamo* fuit, & illud ſatis, ut qui *exercebat in æquore violentiam, pateretur in mente capturam,* inquit Auguſtinus.

Vidimus obedientiam; attendamus & enatam ex eâ coronam gloriæ, primùm in hoc orbe, mortalíque vita; dein in altera immortali ac beata. Illam ex eo metitur Auguſtinus, *Quod volens Chriſtus ſuperborum cervices frangere, non quæſivit per oratorem piſcatorem: ſed de piſcatore lucratus eſt Imperatorem. Magnus orator Cyprianus, ſed prius* PETRUS *piſcator.* Ita nimirum per piſcatorem, & oratores convertit Deus, & Imperatores, verticéſque coronatos; ſed per *piſcatorem,* qui *Simon* eſſet, hoc eſt *obediens:* tantum in obedientia eſt momenti, tantum gloriæ, tantum & utilitatis. *Prorſus totum mundum dimiſit* PETRUS, *& totum mundum* PETRUS *accepit,* & hoc quia ad vocem obaudiens omnia dimiſit. Et hæc obedientiæ merces, etiam in hac aurâ mortali: ſed major in immortali alterâ. Intulerat aliquando illud PETRUS.

Matth. c. 19. v. 27.

Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, quid ergo erit nobis? Cui illicò Chriſtus: *Amen dico vobis, quod Vos, qui ſecuti eſtis me, in regeneratione cùm ſederit Filius hominis, in ſede Majeſtatis ſuæ, ſedebitis & Vos ſuper ſedes*

Verſ. 28.

duodecim, judicantes Duodecim tribus Iſraël.

In hunc locum.

Laborioſa paupertas, humilis, & à mortalibus contempta obedientia; ſed *pro laboribus ſeſſio, pro contemptu tanta redditur celſitudo poteſtatis,* inquit Divus Bernardus: *Felix* profectò, imò & beata obedientia, *quæ tam ſecuros, imò glorioſos faciat in illo ſingulari fragore elementorum, in illo tremendo examine meritorum, in illo tanto diſcrimine judiciorum,* inquiebat ille ipſe

Serm. 8. in Pſal. Qui habitat.

Bernardus, à quo diſcedo ut veniam ad ſingularem D. PAULI obedientiam, ac ſubmiſſionem ad omnem nutum divinæ voluntatis. *Dum portat* PAULUS *funereum contra milites Chriſti gladium, fulmineum de cœlo accipit teſtimonium, & dum graſſatur, percutitur; dum*

S. Auguſt. ſerm 4. de Ss. Petro & Paulo.

Chriſti ſanctos perſequitur, violento radio cœleſtis luminis cæcatur, & qui adverſus Deum erigebatur, divinâ voce terribilites proſternitur. Audit enim illud: *Saule, Saule, quid me perſequeris? & ſubitò ad iſtam divinam vocem increpationis infixus in terram, & ſævitiam perdit, & ſæmitam;* ait enim: *Ecquis es Domine?* cui ille: *Ego ſum* IESVS, *quem tu perſequeris.* Cui mox totus alius à ſeipſo: *Domine quid me vis facere? Hæc perfecta converſionis eſt forma.* Paratum, inquit, *cor meum Deus, paratum cor meum. Paratus ſum, & non ſum turbatus, ut cuſtodiam mandata tua. Domine, quid me vis facere? O verbum breve,* exclamat Bernardus,

Serm. 1. in Converſ. S. Pauli.

ſed plenum, ſed vivum, ſed efficax, ſed dignum omni acceptione. Quàm pauci inveniuntur in hac perfecta obedientiæ forma. Illam audiſti, audi & inde ſecutum gloriæ decus, ſpecta coronam, ſpecta diadema cœleſtis aliquando regni, ſimúlque audi illud: *Vas electionis eſt mihi iſte. Vas* enimverò *electionis,* inquit

Epiſt. 6. ad Pammachium.

D. Hieronymus, *tuba Evangelii, rugitus leonis, tonitru gentium, fluvius eloquentiæ Chriſtianæ. Vas auri ſolidum, ornatum omni lapide pretioſo. Vas auri ob ſapientiam, ſolidum ob caritatem, ornatum cæteris omnibus virtutibus,*

Præfat. in Epiſt. Pauli.

inquit D. Thomas. At unde omnis ille ornatus? unde aurum? unde gemmæ? unde ſapientia? unde caritas? & reliqua virtutum omnium gratia, atque collectio? Utique ab unâ in Deum ſubmiſſione, atque obedientiâ. Tantum intereſt ut in Deum hac ratione ſis pius.

SS. Apoſtolorum PETRI *&* PAVLI *Pietas erga Deum. Fide in eum ſtabili ac firma.*

Cant. c. 4. v. 9.

SIc olim Sponſus ad ſponſam, hoc eſt Deus ad animam fidelem: *Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa, vulneraſti cor meum in uno oculorum tuorum.* Ecquis ille oculus? ecquod ab illo vulnus? Sponſæ, ſeu animæ duo ſunt oculi, rationis unus, quo naturales res omnes aſpicit; alter fidei, quo ſupernaturalia objecta contemplatur ac ſuſpicit. Vulnus ab hoc cordi ſponſi inflictum, eſt amoris vulnus, vulnus pietatis: hoc peritur, ut ita loquar cor Dei, hoc ipſius amor capitur, hoc cor quodammodo aufertur, unde ſeptuaginta ſcitè verterunt. *Abſtuliſti cor meum.* D. Ambroſius. *Cepiſti cor meum.* itaque fides, ceu oculus animæ, Deum vulnerat, Deum capit, Deum quodammodo aufert, dum illius capit aufertque amores.

Et ita abſtulit D. PETRUS, cæteris à fide præeminens. Hanc porrò fidem teſtantur multa.

Primùm, mutatio nominis; cùm enim priùs diceretur SIMON, poſtea ipſo primæ Veritatis oraculo PETRUS audit, dum audit & illud: *Tu es* PETRUS, *& ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Petra erat Chriſtus, petra &* PETRVS: *Petra pro virtute Dominus, petra pro devotione* PETRVS. *Rectè conſortium meretur nominis, qui conſortium meretur & operis; in eadem enim domo* PETRVS *fundamentum poſuit,* inquiebat S. Maximus Taurinenſis Epiſcopus.

Homil. 4. de Petro.

Et hanc PETRI fidem confirmat illud, quod viſo Domino in mare exilierit; *Non cogitat,* inquit ille ipſe S. Maximus, *labentes aquas, non fluenta currentia, & dum Chriſtum reſpicit, non reſpicit elementum:* qui enim reſpiceret is, cui unicus erat fidei oculus, ad hanc apertus, ad alia clauſus, quod ſi ſentiens ſubſidere ſub pedibus aquas, exclamarit quaſi timentis illud: *Domine, ſalva nos, perimus,* & ille clamor fidei clamor fuit; credidit enim à Domino (utique furentis elementi Domino) ſalvari ſe poſſe.

Eandem PETRI fidem oſtendit & illud, quod deinde ad Chriſtum: *In verbo tuo laxabo rete.* Laborarat, ſudarátque nocte tota, & nihil piſcium ceperat, jubetur mittere retia in mare, nec mora mittit, quod fidei fuit, & ingentem capit vim piſcium, quod fidei ejuſdem proventus fuit.

Luc. c. 22.

Denique eandem PETRI fidem, & quidem firmam, ſtatámque probat illud Chriſti ad PETRVM: *Oravi pro te, ut non deficiat fides tua.* Quod uni PETRO dixit, minimè cæteris. Nimirum in aliis deficere fides potuit, in PETRO autem, & ſucceſſoribus nec debuit, nec etiam potuit, ex vero, Chriſti ſcilicet oraculo, ac promiſſo: quod quia ſtat, ſtabitque in ævum omne, ſtabit & D. PETRI ab illa fide erga Deum pietas; cui ſuppar ſtabit & Divi

In illud Symboli: Credo in Deum.

PAVLI, nam & huic firma, atque inconcuſſa in Deum fides. D. Chryſoſtomo. *Fides eſt lumen animæ, oſtium vitæ, fundamentum ſalutis æternæ.*

Et hoc altè jecit, jeciſſéque debuit PAVLVS. Primùm, quia à Deo aſcitus ut eſſet gentium, imò & orbis univerſi Doctor, ac fidei Chriſtianæ prædicator adverſus Judæos, Philoſophos, Oratores, Magos, Reges, & Tyrannos: à quibus quò magis impetebatur fides, eò magis in PAVLO augebatur: ut enim advertit D. Chryſoſtomus: *Talis eſt natura fidei, quantò magis vetatur, tantò magis accenditur.* Et quod mirere magis, *Virtus fidei in periculis ſecura eſt, in ſecuritate periclitatur.* Ita ſecura fuit in PAVLO quàm maximè, ut videre eſt in periculis, ac præliis, quæ pro illa vel retinenda, vel propaganda ſubiit.

In cap. 20. Matth.

Eandem in D. PAVLO fidem confirmavit, auxitque raptus illius in tertium cœlum, in quo vidit ea myſteria, quæ fide credimus.

Probant eandem opera heroïca, quæ orbi conſpicienda dedit: hæc quippe ſunt, quæ fidem teſtantur, & hominum oculis, imò & ipſius Dei, conſpicuam faciunt: ideóque ritè monet D. Bernardus: *Credis in Chriſtum, fac Chriſti opera, ut vivat fides tua. Fidem tuam dilectio animet, actio probet. Non incurvet terrenum opus, quem fides cœleſtium erigit.*

Serm. 24. in Cant.

Denique PAVLI fidem oſtendunt, atque explicant ſuſcepti pro ea labores, itinera, pericula, verbera, carceres, ac tandem ferro illata mors, quæ fidei teſtis eſt luculenta. Ut enim in ſimili de bono latrone dixit Auguſtinus: *Solus teſtis eſt majeſtatis, qui ſocius probatur doloris*: & ita probatus eſt D. PAVLVS, qui & ſtigmata Chriſti JESU in ſuo corpore portaviſſe ſe & ingenuè, & verè gloriatur: ſtigmata, inquam, id eſt plagas, ac cicatrices Chriſti causâ corpori impreſſas, quas oſtentat vel ut trophæa quædam militiæ Chriſtianæ, vel ut luculenta fidei ſuæ in Chriſtum teſtimonia. Et hæc ſunt, quæ in oculis univerſi exhibuit PAVLVS, & quæ etiam nos ipſi exhibere debemus, ſi modò ii ſumus re, qui nomine, fideles. Et hoc ipſum eſt ad quod nos exhortatur D. Cyprianus, altiore ut ſolet voce, ſtylóque:

Serm. 120. de Tempore.

Ad Galat.

Tract. de Mortalitate.

Ad omnia, inquit, *te paratum facere timor Dei, & fides debet. Sit licet rei familiaris amiſſio, ſit de infeſtantibus morbis aſſidua membrorum, & cruenta vexatio, ſit de uxore, & liberis avulſio; non ſint tibi ſcandala iſta, ſed prælia. Nec debilitent, aut frangant Chriſtiani fidem; ſed potiùs oſtendat in colluctatione virtutem; cùm contemnenda ſit omnis injuria malorum præſentium, fiduciâ bonorum futurorum.* Certè *niſi præceſſerit pugna, non poteſt eſſe victoria.* Quî enim eſſet? *Gubernator in tempeſtate dignoſcitur, in acie miles probatur. Et arbor, quæ alta radice fundata eſt, ventis incumbentibus non movetur. Sic & Apoſtolus* PAVLVS *poſt naufragia, poſt flagella, poſt carnis, & corporis multa, & gravia tormenta, non vexari ſe, ſed emendari dicit adverſis, ut dum graviùs affligitur, veriùs probaretur.* Et ſic reipſa probatus eſt; & ſic ut proberis ipſe neceſſum eſt.

SS. Apoſtolorum PETRI & PAVLI Pietas erga Deum. Ab incenſo in eum amore.

MEminerunt Authores profani cujuſdam lapidis, cui nomen *Aveſtos*, is vel ſemel tantùm injectus in ignem, eum ita concipit, ita tenaciter retinet, ut extingui in eo non poſſit. Hinc illud Poëtæ:

Qui ſemel accenſus ſuſceptos detinet ignes
Extinguique nequit.

Quod illi lapidi natura inſeruit: hoc D. PETRO Salvatoris gratia; cui enim potiùs? Petra erat PETRVS, qui ſemel admiſſos à Domino ignes, admiſſoſque amores non dimitteret.

A morte ad vitam, à ſepulcbri nocte ad lucem, ſolemque redierat Chriſtus, cùm SIMONI PETRO dixit: *Simon Ioannis diligis me plus his?* cui PETRVS: *Etiam Domine tu ſcis, quia amo te.* Cui ſecundò Chriſtus: *Simon Ioannis diligis me?* Cui rurſum PETRVS: *Etiam Domine tu ſcis, quia amo te.* Cui denique tertiò Chriſtus: *Simon Ioannis amas me?* Quid hîc PETRVS? *Contriſtatus eſt, quia dixit ei tertiò, amas me*, & ſimul addidit illud amantis, & mirum quantum amantis. *Tu ſcis, quia amo te.* Non vacat myſterio trina illa Chriſti interrogatio, uti nec trina PETRI confeſſio. Illud aperit D. Auguſtinus: *Ter negaverat timor, ter confeſſus eſt amor, Trinitas negationis, deſertio veritatis, trinitas confeſſionis, teſtimonium dilectionis.* Et hoc quidem primum, quod exiit à PETRI voce, in oculis Domini.

Ioan. c. 21. v. 15.

In vigilia SS Petri & Pauli.

Alterum ejuſdem dilectionis teſtimonium eſt ab ipſo Chriſto, Primáque, atque infallibili veritate; quæ illi committit, quod ſibi unicè carum erat; ait enim primò: *Paſce agnos meos*, deinde & illud ipſum; *Paſce agnos meos.* Denique & iſtud: *Paſce oves meas*, quaſi diceret (ut explicat D. Auguſtinus) *ſit amoris officium paſcere dominicum gregem: ſicut fuit timoris indicium negare paſtorem.* Sicque eodem interprete D. Auguſtino; *interrogatur amor, & imperatur labor.* Atquis ille labor? in agnorum, oviumque cura, id eſt animarum, quæ Chriſto, ceu ſupremo Paſtori erant in amoribus atque deliciis, & quæ iden non creduntur niſi amanti, & mirum quantum amanti.

Vidimus hacterus D. PETRI in Deum pietatem, id eſt amorem; ſpectemus & S. PAULI. Hunc ſpectavit, amavitque D. Chryſoſtomus, qui cùm eum oculis, animiſque ſubjicere non poſſit, ſicuti eſt in ſe, utitur opportuna ſimilitudine, ut per illam ſupponat & ſenſibus. *Sicut ferrum*, inquit, *miſſum in ignem, totum ignis efficitur; ſic* PAVLVS *charitate ſuccenſus, totus factus eſt charitas.* Ea certè tanta fuit, ut ex hæreticis nonnulli (uti advertit Origenes) crederint, licèt falsò, S. PAULUM eſſe ipſummet Spiritum ſanctum, qui totus in divinis amor eſt. Habet nimirum illud amor ut amantem quaſi mutet in amatum, nec vivat amans, niſi vel ipſa amati vita: & ita vixit D. PAULUS, cujus eæ voces liberæ: ſed & veræ: *Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Chriſtus*, & cùm ita viveret, nihil pœnè loquebatur niſi JESUM, niſi Chriſtum, nempe ex abundantia cordis, id eſt amoris, os loquitur; illud quà voce, quà calamo exprimit, quod amat. Ita qui illius Divi Epiſtolas accuratiùs decurrerunt, annotavere auguſtum, & amabile IESV nomen in iis expreſſum ducenties decies novies. Chriſti verò quadringenties, & ſemel. Ita ſcilicet è corde PAULI in os illius, calamumque effluebat, quod amabat ardentiùs.

Homil. de laud. Pauli.

Ad Philip. c. 1.

Ex hoc porrò amore, duo etiam manabant illuſtria ejuſdem argumenta. Primum ut impensè cuperet diſſolvi, & eſſe cum Chriſto.

Alterum, ut quaſi in certamen vocaret hoſtes omnes, ærumnas omnes, pericula omnia, & quidquid ſeu terra habet, ſeu inferi tegunt, ſeu cœlum etiam celat, futurus de illis victor, non aliis armis, quàm amoris. Illum audiamus. *Quis*, inquit, *nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius?* Ubi hæc omnia in arenam vocavit, quaſi jam victor, ac triumphans, *Certus ſum*, ait, *quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto IESV Domino noſtro.* Quid ea charitate illuſtrius dici, aut cogitari potuit? beatus qui ea charitate cum PAULO vulneratus eſt. De ſeipſa dicebat olim Sponſa Sponſi ſui

Ad Rom. c. 8.

Digitized by Google

ſui amantior: *Vulnerata caritate ego ſum. Quàm pulchrum eſt, quàm decorum à charitate vulnus accipere? Alius jaculum carnei amoris excipit, alius terrena cupidine* Hom. 2. in cant. *vulneratus eſt: tu nuda membra tua, & præbe te jaculo electo, jaculo formoſo. Beatum eſt hoc jaculo vulnerari;* inquiebat Origenes.

SS. Apoſtolorum PETRI & PAVLI Pietas erga Deum. A ſingulari reverentia, & in eum religione.

REverentiam, quæ ſupremo Numini debetur, teſtantur potiſſimùm duo. Primum demiſſio ſui ipſius, & abjectus de ſe ſenſus. Talis olim fuit in *Abrahamo*, qui cum Deo ſuo acturus, hæc priùs de ſeipſo & piè, & verè. *Loquar ad Dominum, cùm ſim pulvis & cinis.*

Alterum, eſt enatus ex ſui-ipſius cognitione timor quidam, & ſacer horror. Is fuit in *Davide* Regum maximo; qui templi adyta ſubiturus, hæc ſibi. Pſal. 5. *Introibo in domum tuam, & adorabo ad templum ſanctum tuum in timore tuo.* Timor ille fuit in eo primus ac potiſſimus reverentiæ ac religionis partus. Et hic fuit in D. PETRO Apoſtolorum principe; patuitque vel maximè, ubi abjectum ad pedes ſuos Chri- Ioan. c. 13. ſtum vidit: ſic enim ad illum: *Domine tu mihi lavas pedes?*

Magna in ſingulis verbis eſt emphaſis, quam dum expendit D. Auguſtinus. *Quid eſt*, inquit, *tu? Quid eſt mihi? Cogitanda ſunt potiùs, quàm dicenda, ne forte, quod ex his verbis aliquatenus quidem concipit anima, non explicet lingua.* Quî enim explicaret etiam illas duntaxat voculas. *Tu, & mihi?* Quî & has. *Lavas pedes*, qui abjectiſſima corporis humani pars. Has certè dum apud ſe expendit PETRUS, ſeu timore, ſeu horrore victus erumpit in illud: *Non lavabis mihi pedes in æternum:* quaſi diceret, interprete D. Cypriano, *Ego, ſi oportuerit me mori tecum, paratus ſum: hoc enim debeo, hoc amplector. Pro te libenter cervicem porrigo percuſſori. Sed Deum meum, & Dominum meum ad pedes meos proſtratum, non patior, non audeo ſuſtinere.* Nec ſuſtinuiſſet unquam, niſi victus fuiſſet illa Verſ. 8. Chriſti comminatione. *Si non lavero te, non habebis partem mecum:* tum enim ceſſit. Et hoc primum fuit in PETRO reverentiæ Chriſto debitæ argumentum.

Alterum fuit cùm ex Domini juſſu, ac præcepto miſit in mare retia ſua, & præter ſpem omnem, atque expectationem, ingentem cepit piſcium multitudinem; ſic ut propè diffringeretur rete: tum enim & ad Chriſti pedes accidit, & in illud ex- Luc. c. 5. v. 8. clamavit. *Exi à me, quia homo peccator ſum, Domine:* quaſi indignum ſe crederet & Chriſti conſortio, & præſentiâ.

Quæ in PETRO fuit profunda corporis animique demiſſio ac reverentia; eadem & in PAVLO. Teſtes Cap. 12. v. 28. illæ ad Hebræos voces. *Habemus gratiam, per quam ſerviamus placentes Deo, cum metu & reverentia*; Græcè eſt *ἀιδοῦς*, id eſt *pudore*, ſeu *verecundia*, quam gignit religioſus ſacerque metus: is fuit in *Davide*, qui Pſal. 43. dum orator ad Deum venit. *Confuſio*, inquit, *faciei meæ cooperuit me.* Et is etiam in PAVLO qui & hanc illius ſeu timoris, ſeu pudoris cauſam adjicit. *Etenim Deus noſter ignis conſumens eſt*, quia eos urit, conſumitque, qui hoc metu, ac reverentia deſtituti, ad eum acceſſerint.

Ne porrò ſic accedas, *mi Lector*, age, PAVLVM imitare. Is *ſemetipſum Deo per ſingulos dies immolabat*, Hom. 1. de laud. Pauli. inquit Chryſoſtomus, *quam hoſtiam dupliciter offerebat.* Primò *quotidie moriens* ſibi per carnis mortificationem. Secundò *ad pericula jugiter paratus, conſummans voluntate martyrium.* Et hæc fuit religioſa hoſtia, quam Deo, ceu authori ſuo obtulit, cum metu, pudore, ac reverentia. Eandem & ipſe offeras eſt neceſſe.

SS. Apoſtolorum PETRI & PAVLI Pietas erga proximum. A ſingulari pro animabus zelo.

HUnc induit PETRUS ſi ullus Apoſtolorum: nec mirum, quia illi, & quidem uni, dictum illud à Chriſto. *Paſce agnos meos, paſce oves meas.* Et certè Ioan. c. 22. pavit, non unius Provinciæ aut Regni paſtor, ſed Orbis univerſi, quem per ſe, perque ſuos etiam vivens pavit, inſigni animarum zelo. Hunc explicuit, cùm Diſcipulos ſuos, atque Epiſcopos per omnes propè mundi partes longè lateque ſparſit.

Sic inſtitutos à PETRO Epiſcopos habuit *Sicilia* Pancratium, Marcianum, Berillum. *Capua* Priſcum, *Neapolis* Aſprem, *Tarracina* Epaphroditum. *Æquicolæ populi* Marcū & Ptolomæum. Romulum *Feſuli.* Paulinum *Luca.* *Ravenna* Apollinarē. *Verona* Eutrepium. *Patavium* Proſdocimum. *Ticinum* Syrum. *Aquileia* Hermagorum. Et hos à PETRO accepit *Italia.* In *Galliis Lemoricenſes, Burdigalenſes, & Tholoſani* Martialem. *Tungrenſes, Colonienſes & Trevirenſes* Maternum. *Rhemenſes* Sixtum. *Arelatenſes* Trophimum. *Senonenſes* Sabinianum. *Cenomanenſes* Iulianum. *Vienna & Moguntia* Creſcentem. *Catalaunis* Nenimium. *Bituricenſes* Urſinum. *Arvernenſes* Auſtremonium. *Sanctonenſes* Eutropium. *Germania* Eucharium, Egiſtum, & Marcianum. *Hiſpania* Torquatum, Cteſiphonem, Secundum, Indaleſium, Cecilium, Heſichium. *Anglia* Ioſephum ab Arimathia. *Carthago* Creſcentem, Petri diſcipulum. *Alexandria* Marcum. *Theba* Ruſum. Ecce quot Orbis partes complexa D PETRI pietas, zeluſque. *Italiam, Germaniam, Galliam, Hiſpaniam, Angliam, Africam*, & in iis longè, lateque diſperſos populos, & Nationes ingenio, moribuſque diverſiſſimas, quas tamen omnes, & inter ſe, & ſecum etiam conjunxit, copulavitque uno Chriſtianæ caritatis vinculo: Tantum potuit, tantum valuit inſita illi in proximum *pietas*, quâ incenſus *Piſcator* pauperculus id effecit, quod & ſtupuit terra, & inferi gemuere, & cœlum ipſum, ſuperique omnes probavere; non ſine illuſtri caritatis miraculo, cui ideo ſeſe inclinat Orbis, & ſe quoque inclinant coronati vertices, Ita nimirum, ut elatè D. Auguſtinus. *Nunc ad memoriam Piſcatoris flectuntur genua* Serm. 28. de Sanctis. *Imperatoris, ibique radiant gemmæ diadematis, ubi fulgent beneficia Piſcatoris.* Propter hæc, uti advertit D. Chryſoſtomus. *Relictis omnibus ad ſepulchra piſcatoris, &* Hom. quod Chriſtus ſit Deus. *Pellionis* (id eſt PAVLI, qui è pellibus faciebat tabernacula) *currunt & Reges, & Præſides, & milites, & Conſtantinopoli Reges noſtri magnam gratiam putant, ſi non propè Apoſtolos; ſed ſi vel extra eorum veſtibula, corpora ſua ſepeliantur, fiantque Piſcatorum oſtiarii Reges.*

Et hæc DD. PETRI, PAVLIque gloria, veluti fructus aliquis, proventuſque pietatis tum in Deum tum in proximum: hanc legimus in illâ fidei per univerſum probè Orbem propagatione, eaque à D. PETRI, illuſtri ſanè animarum zelo, cui parem in D. PAVLO legemus, & quidem in tribus impreſſum, expreſſumque.

Primum in corde, dein in lingua, & ſcriptis; denique in opere, exemploque vitæ ſanctioris: de his ita D. Bernardus in illud Chriſti ad PETRVM, Serm. 2. de Reſurr. *Paſce oves meas*, quod quia tertiò repetit, tripliciter docet eſſe paſcendas.

Paſce, inquit, *mente, paſce ore, paſce opere. Paſce animi oratione, verbi exhortatione, exempli exhibitione.*

Et ita pavit D. PAVLVS. Primò mente & corde, quod quale, quantumque fuerit, exponit D. Chryſoſtomus. ſic enim de illo:

Cor Chriſti erat cor PAVLI, tabulaque Spiritus Sancti, Hom. 32. in ep. ad Rom. *& volumen charitatis.* Ecce quale cor PAVLI. Scire vis quantum, & quàm vaſtum? Audi ex eodem Præſule. *Si quis, inquit, totius Orbis cor dixerit, & elementum primarium ſalutis noſtræ, non erraverit.*

Quod

Digitized by Google

Quod ſi tale cor, quod eſt divini amoris officina, & prima ac potiſſima zeli ſedes, qualis ab illo *lingua*, qualis & oratio? Unque ignea tota: imò & ignis, ſed ſacer ille, ac cœleſtis.

Eccl. c. 48

De Eliâ dicunt ſacræ Paginæ: *Surrexit Elias Propheta quaſi ignis, & verbum ipſius quaſi facula ardebat.*

Et Ieremias de ſeipſo: *Erat ignis flammigerans in oſſibus meis.* Et talis erat in corde, talis in oſſibus PAVLI, & inde *ignitum eloquium* ejus; quod ureret peccatores, non perderet.

In Pſal 118

Ut enim D. Ambroſius: *Vrit ſermo divinus ut corrigat conſcientiam peccatoris, non exurit ut perdat.* Quod ſi is ſermo PAVLI, & ea quoque illius ſcripta, illiusque epiſtolæ, quas dum aſpicit, ſuſpicitque

Hom 0 de Pænitentia.

D. Chryſoſtomus, PAVLVM appellat *Chriſti Rhetorem, mundi piſcatorem, qui per quatuordecim Epiſtolas, veluti ſpiritualia retia, ad ſalutem captat.* Captat igitur verbo, captat ſcripto, captat & facto. Retia ſunt verba. His captus eſt *Felix*, licèt inceſtus, atque injuſtus Præſes; PAVLO quippe de juſtitia, de caſtitate, deque futuro judicio acriter diſputante, totus contremuit, totus cohorruit.

His captus eſt *Feſtus*, qui ſic olim ad PAVLVM: *Inſanis PAVLE, multa te littera ad inſaniam convertunt.* Cui PAVLVS: *Non inſanio, optime Feſte: ſed veritatis, & ſobrietatis verba loquor*: ſed quia, & malis ſunt retia, ab iis expedire ſe dum non poſſunt, inſana putant eſſe deliria: cùm ex vero ſanis ſint retia.

His etiam captus eſt *Rex Agrippa*, qui ſic ad PAVLVM: *In modicum ſuades me Chriſtianum fieri*: adeo fortis, & efficax ſuada PAVLI.

His capti quoque *Lycaonis*, qui ad PAVLI vocem, ſacrámque eloquentiam attoniti, ſic ad ſe invicem: *Dii ſimiles facti hominibus deſcenderunt ad nos & vocabant PAVLVM Mercurium, quoniam ipſe dux erat verbi*, & altioris eloquentiæ princeps; cui etiam tanquam Deo Sacerdos Lycaonius hoſtiam parabat, eidem utique immolandam, niſi PAVLVS ipſe acri objurgatione prohibuiſſet. His denique capti populi propè innumerabiles, quod dum amat, ac ſuſpicit Divus Chryſoſtomus, pro miraculo habet, *Quod* (ut ait)

Homil. 4 de laud. Pauli.

homo ignobilis, abjectus, & circumforaneus, qui artem exercebat in pellibus, in tantum virtute progreſſus ſit, ut vix triginta annorum ſpatio, Romanos & Perſas, & Parthos, & Medos, & Indos, & Scythas, & Æthiopes, & Sauromatas & Saracenos, & omne prorſus humanum genus ſub jugum mitteret veritatis.

Quod ſi PAVLI verba retia fuerint, & retia quoque fuerunt ejus *Epiſtola*. His religioni, cœloque captus olim Auguſtinus. Hærebat ille dubius, & quaſi fluctuans ab æſtu ſuarum cogitationum, affectuuméque: cùm hinc in ſua hæreſi, ac libidine retineretur vinculis inolitæ conſuetudinis, ac voluptatis: inde conſcientiæ ſtimulis, metu cœleſtique gratiâ ac inſpiratione retraheretur, inter quæ & audiret vocem illam: *Tolle lege, Tolle lege.* Suſtulit porrò, librum aperuit (Deoque ſic regente) incidit in

Ad Rom. c. 13.

illud D. PAVLI: *Non in commeſſationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitiis, non in contentione, & æmulatione: ſed induimini IESVM Chriſtum.* Et ecce mox eo, ſeu rete captus eſt; & fluctuantis animi æſtum compoſuit, litem diremit, & ab hæreſi ad fidem, à ſcortatione ad caſtitatem tranſlatus eſt; quam & reliqua vita illibatam conſervavit. Adeo verum illud, *Epiſtolas PAVLI* eſſe ſpiritualia quædam retia, Quod ſi retia *Epiſtola*, & facta quoque PAVLI retia fuere; retia virtutes, exemplaque vitæ ſanctioris. De his ita D. Chryſoſtomus:

PAVLVS omnium virtutum arca fuit, adeo ut ſi quis totum contra eum juſtorum chorum ſigillatim appendat, inveniat trutinam virtutum ponderibus à PAVLI parte depreſſam. Quid amplius, quid illuſtrius dici potuit, Quid cogitari efficacius ad illam, qua de agimus, prædam animarum? Et hæc de ſingulari Apoſtolorum zelo dicta ſint; deſcendo ad ultimum eorum actuum, videlicet mortem, ac martyrium, qui totius vitæ, virtutumque eſt veluti corônis: imò & præmium. ut enim D. Ambroſius. *Ipſa mors Martyrum præmium vita eſt.*

Orat. de fide Reſurrect.

SS. Apoſtolorum PETRI & PAVLI Martyrium. Sive coronis illorum erga Deum pietatis.

HActenus Apoſtolos in arduo virtutum curſu, ſtadioque currentes ſumus contemplati, non ſine magno voluptatis ſenſu, & rerum præclarè ab iis geſtarum admiratione: modò propiùs accedimus ad metas, adeoque ad bravium, & palmas; palmas dico, quas à morte pro Religione, proque Deo fortiter obitâ & legent ipſi, & in ævum omne oſtentabunt; quid enim aliud niſi palmas?

Ambroſius ſerm. 24.

Eſt palma Martyribus ſuavis ad cibum, umbroſa ad requiem, honorabilis ad triumphum, ſemper virens, ſemper veſtita foliis, ſemper parata victoria, atque ideo non marceſcit palma, quia Martyrum victoria non marceſcit.

Et ea PETRO & PAVLO palma fuit, & ſuavis illis ad animæ cibum, ſpiritalemque refectionem, & umbroſa ad felicem æternamque requiem, & honorabilis ad triumphum non tam Capitolio, Romaniſque tectis inſerendum, quàm ad cœli regiam, ſinumque beatitatis educendum. Ad hunc priuſquam animi convertamus oculos; etiam ſi vacat corporis oculis & eorum certamina ſpectemus, & victoriam ab iis partam ſuſpiciamus.

Serm. 9. de SS. Petro & Paulo.

D. Auguſtinus non ſine Numine, ſingularique providentia factum proclamat, ut Apoſtoli *Æquales meritis, æquales eſſent* etiam *paſſione*, æquales *& fidei devotione*, æquales *& Martyrii gloria. Nec ſine causâ factum putas quod una die, uno in loco tyranni unius toleravere ſententiam.*

Vna, inquit, *die paſſi ſunt, ut ad Chriſtum pariter pervenirent: uno in loco, ne alteri Roma deeſſet; ſub uno perſecutore, ut æqualis crudelitas utrumque conſtringeret. Dies ergo pro merito, locus pro gloria, perſecutor decretus eſt pro virtute.* Hæc ubi dixit Auguſtinus, tum rurſus infert hanc quæſtionem: *Et in quo tandem loco Martyrium pertulerunt ſancti Apoſtoli?* & illico reſpondet: *In urbe Roma, quæ principatum tenebat, & caput obtinet nationum; ſcilicet ut ubi caput ſuperſtitionis erat, illic caput quieſceret ſanctitatis, & ubi gentilium principes habitabant, illic Eccleſiarum principes morerentur.*

Hæc S. Præſul, à quo diſcedo, ut Beatos Apoſtolos mentis oculo ſequar in arenâ, in quâ de ſanguine, deque vitâ certamen eſt, & quidem primò B. PETRVM, deinde & B. PAVLVM, naſcentis Eccleſiæ prima lumina.

Jam in cœlos præmiſerat PETRVS, & conjugem, matronam longè ſanctiſſimam, & *Beatam Petronillam*, quàm ex eâ ſuſceperat filiam: illam quidem glorioſo martyrio laureatam, hanc verò repentinâ, non tamen inexpectatâ morte ſublatam: cùm enim ob ſingularem vultus oriſque gratiam à *Flacco* in matrimonium expeteretur, mortem à Deo precibus impetravit, vitam perdere malens, & lucis hujus uſuram, quàm virginitatis aliquod pati detrimentum. Ubi peracta eſt hæc amabilis ſcena: una cum uxore, & quidem cruentâ; altera cum filiâ à virginitate candida: cœlo ſpectante, probantéque, ventum eſt ad ultimum actum: in quo PETRVS, quaſi ultima illius ſanctæ familiæ victima cecidit.

Clemens Alexandr. l. 7. Strom.

Exegerat in Pontificatu annos viginti quatuor, menſes quinque, dies undecim, cùm Anno Domini ſexageſimo nono, Neronis autem decimo-tertio, Junii verò nono & vigeſimo ad legendam glorioſi martyrii palmam eſt evocatus.

Tyrannus *Nero*, cauſa mortis, odium fidei; occaſio communis PETRO & PAVLO, relata ſcilicet

de Simo-

de Simone Mago inſignis victoria, ſpectante, plaudentéque Româ, & bonis omnibus.

Neroni erat in deliciis *Simon Magus*, qui ſuis præſtigiis, antéque magicâ plurimos dementabat, & eò quidem ut in aëra ſublimis, cœlumque evolaret, iturus, ut aiebat, quaſi Chriſtus alter, quaſi Dei Filius ad Patrem.

Dum ſic volat, ſic ſe in æthere librat magicâ levitate: in genua provolvitur PETRVS, provolvitur & PAVLVS, & illicò *precatione ſanctâ magicam vincit levitatem.* Ut enim D. Maximus: *Prior aſcendit ad Dominum oratio quàm volatus, & ante pervenit juſta petitio, quàm magica præſumptio. Ante*, inquam, PETRVS, ante & PAVLVS, *in terris obtinuit quod rogavit; quàm Simon perveniret in cœleſtia quò tetendit. Tunc igitur* PETRVS, tunc & PAVLVS *velut vinctum illum de ſublimi aëre depoſuit, & quodam præcipitio in ſaxo elidens ejus crura confregit. Et hoc in opprobrio factum illius eſt, ut qui paulò ante volare tentaverat, ſubitò ambulare non poſſet, & qui pennas aſſumpſerat, plantas amitteret.* Hactenus Præſul Hipponenſis, quæ ſubjicio addit Suetonius in Nerone.

Cornelius Proem. in ep. Pauli c. 8.

Hom. 1. de SS. Petro & Paulo.

Cap. 12.

In theatro exhibitum ſpectaculum, quo Icarius hic exhiberetur volatus, qui adeo infelix illi fuit, ut *Icarus primo ſtatim conatu juxta Neronis cubiculum deciderit, ipſumq; cruore reſperſerit.* Et hinc iræ truces, hinc minæ, hinc vincula injecta tam PETRO, quàm PAVLO, & utrique decreta mors, utpote Simoni ſuo antagoniſtis & quaſi conjuratis hoſtibus.

Decreta dico PETRO mors, eáque exigenda in cruce, in monte Vaticano, ubi nunc & Auguſta PETRI Sedes, & Summorum Pontificum fida ſtatio, & Baſilica prorſus magnifica à *Conſtantino Magno* primùm erecta, dein à fundamentis de novo extructa, & per annos centum, eoque amplius ab aliis, atque aliis Pontificibus exædificata, eo ſumptu, qui ſummos in Eccleſia decet Antiſtites, eâ mole, eáque magnificentia, ac majeſtate, quæ Apoſtolos non deceat; eo honore, cultúque, qui Eccleſiæ principibus debebatur.

Urbis profectò, imò & Orbis miraculum, quod non credat; niſi qui viderit: ſed redeo ad D. PETRI vincula, crucemque. *Felicia vincula*, exclamat D. Auguſtinus, *quæ reum ſuum uſque ad crucem, non tam condemnatura, quàm conſecratura miſerunt. In illa itaque cruce imitari metuens ſacrificium redemptoris, capite in terra demergi elegit. O virtus humilitatis ingenita, honorari etiam ſupplicii genere pertimeſcit, & qui non recuſat Dominici tormenta patibuli, ſimilitudinem expaveſcit triumphi.*

Sup. ſerm 2.

Dum hæc in Vaticano, ceu Urbis, Orbiſque ſublimi theatro exhibetur feralis ſcena; alia tertio circiter ab urbe lapide apparatur PAVLO, qui occaſionem mortis dedit ea quam ſubjicio cauſa; & quidem uni illi propria ac ſingularis; de quâ ſic D. Chryſoſtomus: *Paulus pellicem Neronis, quam ille deperibat, cùm induxiſſet fidei ac religionis ſacramenta ſuſcipere, perſuaſerat unà etiam inceſtum illum, impurumq; congreſſum declinare; hæc ille crimina objectans, corruptoremq; nequam, flagitioſum, ac nebulonem Paulum vocitans. primùm conjecit in vincula; cum verò ut puellæ ejuſmodi monita, atque conſilia dare deſineret, perſuadere non poſſet, eundem necavit.*

Lib. 1. adverſus vituperat. vitæ Monaſticæ.

Hactenus Orator aureus, ex quo habes PAVLVM caput ferro dediſſe, quòd continentiæ monita daret, quòd pro eâ tuendâ fortiter ſtaret: uti prius ſteterat *Joannes Baptiſta*, & pro eâ pariter retinendâ caput ferro obtulerat amputandum: ſicque tam hic, quàm ille caſtitatis victima cecidit, & quia ſic cecidit PAVLVS, & reſecta cervice pro ſanguine lac profudit; de quo ſic D. Ambroſius: *De Pauli cervice, cùm eam perſecutor gladio percuſſiſſet, dicitur fluxiſſe lactis magis unda, quàm ſanguinis, & mirum in modum ſanctum Apoſtolum baptiſmi gratia, in ipſa cæde extitiſſe ſplendidum potius, quam cruentum.* Hæc ubi extulit S. Præſul rationem hanc adjicit: *Quid enim mirum ſi abundat lacte nutritor Eccleſiæ?*

Serm. 68.

Dixerat aliquando Corinthiis: *Lac vobis potum dedi.* Lac utique doctrinæ candidæ, & ſanæ: à qua Corinthiis & vita fluxit, & ſalus, & eadem à lacte, quod moriens è venis effudit: cùm enim in ipſa percuſſoris veſte lacteus apparuiſſet humor, non ſanguis, barbaricum illius animum reddidit melle dulciorem, & candidiorem lacte, atque cum ſociis ad fidem traduxit, ut teſtatur D. Chryſoſtomus. Et hoc primum à lactea PAVLI morte prodigium, cui mox acceſſit alterum; quod ſcilicet reſectum illius caput, tres in terra quaſi ſaltus dederit, & quolibet ſaltu, è terrâ fontem elicuerit, unum lactei, alios alterius ſaporis, cujus ea redditur cauſa, quòd caput reciſum primò lac fuderit, deinde ſanguinem. Viſitur hîc locus trium fontium, & maximopere peregrinorum concurſu celebratur: Et hæc eſt coronis Apoſtolicæ in Deum pietatis, mors ſcilicet pro illo fortiter obita; in qua, ut D. Ambroſii verbis utar, *Immenſa Dei noſtri pietas multiplex ad bonitatem, & artifex ad ſalutem, proponens arduam virtutum palmam, raro appetitore pretioſam, in paucorum triumphis, plurimorum commoda proſpicit. Illorum ſiquidem merita, noſtra vult eſſe ſuffragia; ſimulq; dum nobis fidem veram duro martyrii agone commendat, afflictionem præcedentium, inſtructionem efficit poſterorum.*

1. Cor. c. 3.

Orat. in Princip. Apoſt.

Serm. 93.

Hæc ubi dixit mellifluus Doctor; æſtu quodam ſeu amoris, ſeu ſtuporis evictus, exclamat: *Quanta eſt erga nos Dei noſtri ſollicitudo! Illos examinat, ut nos erudiat, illos conterit, ut nos acquirat, eorumq; cruciatus, noſtros vult eſſe profectus. Meritò ergo eos colimus, qui periculis ſuis pugnant, & noſtris utilitatibus militant, qui per luctus, vitaq; contemptum, edocent nos, quantum Deo noſtro debeamus affectum.* Hæc ubi ad inſtructionem noſtram extulit pius Præſul, tum converſa ad nos oratione ſic hortatur, ſic monet, ſic urget: *Honoremus Beatos Martyres*, dicam in præſentia, Beatos Apoſtolos, *Principes Fidei, Interceſſores mundi, Præcones regni, Cohæredes Dei.* At quomodo, inquies, honoremus? demus illud paucis, quaſi pro coronide hujus diſcurſus panegyrici.

SS. Apoſtolorum PETRI & PAVLI cultus. Eſſe hic poteſt alius, atque alius.

VNus, tributum annuum, quod Divis illis ſeverè pendatur. Et ita pendere quondam voluit *S. Ina* Rex Occidentalis Saxoniæ; qui regnum ſuum Romano Pontifici vectigale fecit, ſingulis argenteis nummis (quos deinde *Denarios S. Petri* appellare viſum eſt) in ſingulas domos impoſitis.

Bollandus 6. Febr. in ejus vita §. 2.

Cujus etiam exemplum ſecuturus *Offa* Merciorum Rex, idem in regno ſuo ſtatuit impoſito annuè ſimili vectigali, quod deinde auxit *Athulſus* Rex, qui qui totius Inſulæ imperium tenuit.

Ita Anglia, florentiſſimum Regnum D. PETRO vectigale fuit, quod in illum pietatis fuit, ac ſummæ religionis, à qua mirum quantum degeneravere illorum in eodem regno ſucceſſores, non jam D. PETRO, ejuſque in terris Vicario tributarii, ſed potiùs hoſtes infenſiſſimi.

Alter, qui Divis illis exhiberi poteſt cultus, eſt Aras illis erigendo, & Baſilicas. Ita PETRVM Apoſtolorum Principem ſibi honorandum, cenſuit *Sebertbus* Rex Orientalis Britanniæ; qui Londini extra mœnia templum illi extruxit ſumptu planè regio: quod etiam miraculo probatum voluit Apoſtolus; cùm enim dies eſſet conſtituta pro ſolemni illius inauguratione; nocte quæ illam antecedebat piſcatori cuidam apparuit S. PETRVS ad Thameſim amnem, & nauli ſponſione (uti erat ſchemate peregrini amictus) impetravit ut in ripam ulteriorem ad eam Baſilicam tranſveheretur.

Beda Hiſtor. Anglic. l. 2. c. 3.

Intravit igitur nauta comite, & ecce mox de cœlo lux altior affulſit, quaſi dies eſſet æternitatis; adfuit deinde multitudo Cœlitum modulatè canentium, & ab ipſo Apoſtorum Principe ſidereis adminiſtris peracta ritè ea omnia, quæ pro ſacra templorum inauguratione in Eccleſia orthodoxa præſcribuntur. Tum ille ipſe, qui ſpectaculo interfuerat, quaſi alienatus à ſenſibus, ad piſcationem redire juſſus eſt, atque ad prædam retia explicare, quam uberem quidem pro naulo accepit: ſed ea lege ut piſcem, quem præ aliis eximium cœpiſſet, Epiſcopo Londinenſi ferret, nuntiaretque ab ipſo Apoſtolorum Principe eum Cœlitum choro Baſilicam jam fuiſſe iniciatam, quod ſigna conſueta parietibus impreſſa teſtari poterant: Paruit ille, & *Mellitum* Londini Epiſcopum adiit, qui (propterea Romam profectus ad *Bonifacium* hujus nominis quartum) inter alia, illud inprimis in Synodo Romana diſcuti voluit, num rata haberi deberet ea templi Londinenſis inauguratio? quam omnino ratam voluere Patres.

Sed non omnium, inquies, eſt templa Divis illis erigere; Principum, Regum, & Cæſarum ſit oportet? non abnuo, ideoque alium tibi Apoſtolorum cultum propono: eſt ille ad ſacra illorum limina peregrinatio: hæc primis Eccleſiæ ſeculis in uſu ac frequentia, & eò quidem ut ad illa peregrè proficiſcentibus etiam liceret Eucharistiam ſecum deferre, futuram utique pro ſacratiore Viatico, ſi neceſſitas exigeret: ſed rurſum objicies, nec omnium eſſe eam peregrinationem: & illud ultro tibi concedo: paucorum ſit illa, at hæc, quam ſubjicio, eſt omnium, ſacratæ illis diei veneratio; quam qui, uti decet, exhibet, Apoſtolos ſibi propitios facit, patronos ac tutelares: ſecus autem vindices, atque inimicos. Ita ſibi fecere homines pagani, qui cum ipſo die Anniverſario

Kranſ. l. 4. Hiſtor. Saxonica. c. 31. Divi Petri, ludis & choreis vacarent, moniti ſunt à S. *Eligio* Epiſcopo, ut à prava illa conſuetudine ceſſarent illico: ſed illi monitis primò reluctari, dein etiam ridere, atque inſultare S. Antiſtiti; deniquè eidem ferocius minari.

Non tulit inultum id ſcelus vindex Deus, neque etiam tulere vindices Apoſtoli, mox enim ex iis longè plurimi aliis petulantiores à malo dæmone correpti ſunt, nec niſi anno evoluto, hoc eſt, ipſo die quo peccaverant, ſupplice pro illis S. *Eligio* à malo hoſpite liberati: ut & cœli Iuſtitia pateret in pœna, & in venia *Viri miſericordiæ*, id eſt Apoſtoli, quorum cultus, iſque gratiſſimus, eſt virtutum, quas in vita expreſſerunt, imitatio: ad hanc quippe nos provocat illa ipſa, de qua agimus feſtiva dies, eo quippe fine ab Eccleſia eſt inſtituta, ut dum in ea præclarè ab illis geſta audimus, ad piam eorundem æmulationem excitemur.

Scriptura ſacra, inquit D. Gregorius, addam ego & Eccleſia; *narrat geſta Sanctorum, & ad imitationem corda provocat infirmorum. dumque eorum victricia facta commemorat, contra vitiorum prælia debilia noſtra confirmat, fitque ut eò minus mens inter certamina trepidet, quò antè ſe virorum fortium triumphos videt.* Ita dum Apoſtolorum triumphos, & victrices ſpectamus lauros, ad paria cum illis certamina animamur, atque à deſidia, torporeque, cui indormivimus, excitamur. *2. Moral. c. 1.*

Ferunt Themiſtoclem (principem ſcilicet Athenienſem) ob id noctes inquietas exigentem, & quærentibus cur ita? reſpondiſſe; quia me trophæa Melchiadis de ſomno excitant. *Valer. Max. l. 8. c. 13.* Quod ſi illum Melchiadis unius à ſomno excitarint trophæa, quid nos Apoſtolorum victoriæ, erectaque ab illis, non dico in terris, brevi peritura trophæa; ſed in cœlis bravia, coronæ, triumphi, cœleſtiſque ac beatæ æternitatis monumenta? Hæc dum è vita, velut è via, ſuſpicimus, ad eorum aras ſupplices provoluti, iiſdem ſtudeamus inſiſtere virtutum magnarum veſtigiis, ut aliquando iiſdem inſiſtamus ſemitis gloriæ ac beatitatis.

IN FESTO S. MARIÆ MAGDALENÆ.

SANCTA Mater Eccleſia, ipſo die D. MAGDALENÆ feſtivo ac ſolemni, ſub oculos ponit hinc paratum à Phariſæo Chriſto Servatori convivium; inde in illud quaſi derepentè irruiſſe mulierem, & quidem, *quæ erat in Civitate peccatrix*: nec ſine Numine, cœleſtique conſilio, ut videlicet & Chriſti pietas in eo eluceret, & MAGDALENÆ virtus ac pœnitentia, cujus ſcilicet unius cauſâ ad Phariſæi prandium venerat Chriſtus. ut enim D. Chryſologus:

Serm. 93. *Phariſæi domum Chriſtus intravit, non accepturus Iudaïcos cibos, ſed divinam miſericordiam largiturus; neque accubuit pocula ſaporata melle, floribus odorata ſumpturus: ſed pœnitentis lacrymas ex ipſis oculorum fontibus potaturus.* Cujus rationem ſi voles, hanc ſubjicit, ex cœleſti, divináque bonitate petitam; quia Deus *delinquentium gemitus eſurit, ſitit lacrymas peccatorum.* Et cùm illos ſic eſuriat, & has ita ſitiat; tam has, quàm illos dabimus, vel potiùs dabit ipſa pœnitens MAGDALENA, de qua ſit

QUÆSTIO

Digitized by Google

QUÆSTIO UNICA
MORALIS.
Ad illa verba: *Ecce mulier, quæ erat in Civitate peccatrix.* Lucæ cap. 7.

QUÆ FUERIT ILLA MULIER? Et quo ſine ingreſſa domum Phariſæi?

HIc moveri poteſt duplex quæſtio: Una, quæ fuerit illa mulier, cujus nomen reticet Evangeliſta? Altera, quo fine & domum Phariſæi ſubintrarit, & ipſum convivii locum? Ut enim D. Chryſologus: *Phariſæus ad manducandum vocat Chriſtum, quid ibi quærit mulier non vocata? certè clauſtra domus non prorumpit extraneus, convivii ſecretum non præſumit non invitatus intrare.* Et tamen præſumit ea mulier: quæ cauſa?

Luc. c. 7.

Ad primam quæſtionem quod attinet, inter Authores ſatis conſtat fuiſſe MAGDALENAM. Sed unáne, an plures? hoc eſt in controverſo: Divus Chryſoſtomus duas fuiſſe cenſet. Origenes, Theophilactus, & Euthymius tres: Unam quæ hîc pœnitentia ducta Chriſti pedes & lavit, & unxit. Alteram, quæ biduo ante Chriſti paſſionem, & mortem eundem piè & religiosè unxit. Poſtremam, quæ ſex diebus ante Paſcha, & Paſſionem alabaſtrum unguenti in Chriſti caput effudit.

Alii unicam volunt, eamque *Marthæ* & *Lazari* ſororem: ita D. Auguſtinus, D. Cyprianus, D. Gregorius, quibus in præſentia ſubſcribo; & deſcendo ad ſecundam quæſtionem, quam ſolvet ille ipſe D. Chryſologus, qui, ut aliàs ſemper ingeniosè, & piè, ait in Phariſæi domo duplex Servatori quàm optimo exhibendum fuiſſe prandium: unum ab ipſo Phariſæo, in quo oblata fercula quæ corpori ſervirent, & ventri: alterum à MAGDALENA, à qua quidquid appoſitum eſt, animæ impendi debuit, ac virtuti.

In priore convivio eſcæ omnes, potus omnis carnalis fuit; in poſteriore ſpiritualia omnia. De his ita ſanctus Præſul Ravennas.

Serm. 95. Venit mulier in domum Phariſæi, *Mulier*, inqoit, *ignota, imò malè nota, onuſta luctibus, plena lacrymis, clamoſa planctu, ipſumq; convivii pervolat ad ſecretum, & facit domum lætitiæ, domum lamentationis, & planctus. Venit ſatisfactura Deo, non hominis placitura. Venit pietatis illa, non voluptatis exhibitura convivium, utq; exhibeat pœnitentia ponit menſam, fercula compunctionis apponit.*

Quæris, quæ ſint ea fercula? Tria omnino ſunt, non plura, videlicet lacrymæ, oſcula, unguentum.

Luc. c. 7. De his ita ſacer hiſtoricus: *Ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit quod accubuiſſet in domo Phariſæi; attulit alabaſtrum unguenti, & ſtans retro ſecus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus.* Ecce primum ferculum, quod intulit in pœnitentiæ menſam.

Videlicet dolentis, ac mœrentis animæ lacrymas: *Et oſculabatur pedes ejus.* Ecce alterum compunctionis ferculum, oſcula Dominicis pedibus infixa: *Et unguento ungebat.* En poſtremum ferculum, ipſum ſcilicet ungnentum, quod etiam facit ad *delicias Deitatis totas*, ut advertit ille ipſe S. Præſul.

Pretioſa ſanè fercula; pretioſi profectò cibi, quos *dum taliter apportat divinis oculis, totas miſericordiæ copias ſic reportat.*

Convivii ſpiritualis à MAGDALENA Chriſto exhibiti.

FERCULUM PRIMUM.

Pœnitentiæ lacrymæ.

DE hoc incurrit prima quæſtio: quid ſint illæ, & quales lacrymæ?

Tertulliano: *Lacrymæ doloris in animo concepti teſtes ſunt incorrupti, & manifeſti indices latentis in corde pœnitentiæ.* Lib. 2. contr. Marcionem.

D. Gregorio Nyſſeno: Lacrymæ ſunt veluti *ſanguis vulnerum animi.* In Orat. funebri de Placilla.

D. Ambroſio: *Lacrymæ tacitæ quodammodo preces ſunt, quæ veniam non poſtulant, & merentur, cauſam non dicunt, & miſericordiam conſequuntur.* Serm. 46.

D. Chryſoſtomo: *Lacrymæ ſunt animi voces, omni buccina clariores*, quas etiam cœlum audit, & Deus ipſe. Hinc illud Davidis ad Dominum: *Auribus percipe lacrymas meas.* Hom. 6. in Matth. Pſal. 38.

Non ait, oculis vide; ſed auribus percipe: & hoc, quia ſua lacrymis eſt vox, & ſuus clamor.

S. Iſidoro: Lacrymæ *animi baptiſma* ſunt: & quidem laborioſum. Inde iſtud D. Leonis de S. Petri lacrymis: *Felices, S. Apoſtole, lacrymæ tuæ, quæ ad diluendam culpam negationis, virtutem ſacri habuere baptiſmatis.* Lib. 2. de Offic. Eccl. Serm. 9. de Paſſione.

Cœleſti Sponſo Lacrymæ ſunt veluti *margaritæ*. Sic enim de Sponſa in amoris divini Cantico: *Pulchræ ſunt genæ tuæ.* Tigurina lectio habet, *propter margaritas*; hoc eſt propter lacrymas, quæ molli lapſu per genas effluunt, denſantur in globulos, & cœli calculo vertuntur in *margaritas*. Cant. c. 1. v. 9.

Ecce quæ, qualéſve lacrymæ, *margaritæ* ſunt, & uniones ſanè pretioſi; quos Chriſto, ſeu hoſpiti ſuo, ſeu convivæ apponit MAGDALENA. Quid enim potiùs in *convivio pietatis, in pœnitentiæ menſa* apponere potuiſſet? Cleopatra Ægypti Regina, ut in amores ſuos, ſic & in convivia, luxumque prodiga; unionem æſtimatum ducentis quinquaginta aureorum millibus, aceto priùs maceratum, *Marco Antonio*, cui pro uxore erat, abſorbendum dedit, inſanâ omnino profuſione. Chryſol. ſuprà.

Meliùs & ſalubriùs Pœnitens MAGDALENA: lacrymas, ceu oculorum gemmas, ceu amantis ac dolentis uniones, Chriſto Servatori ſuo, veluti nobile ferculum obtulit, gratius utique gemmis, atque unionibus omnibus, ſeu quas terra genuit unquam, ſeu quas effudêre maria: gratius dico, quia pretioſius. Vis noſſe quod illis pretium, quiſve valor? Chryſologum audi: exclamavit ille aliquando de pulpito, exclamat etiam modò de cœlo:

O quanta vis in lacrymis peccatorum! rigant cœlum, & hoc primum, & quidem prodigio ſimile, *mutatur* enim *ordo rerum, pluviam terræ cœlum dat ſemper, & ecce nunc rigat terra cœlum*, dum Chriſtum irrigat cœli Dominum. Deinde *terram diluunt*; hoc eſt animum quantumvis terreſtrem, ac luteum, diluunt tamen illæ ipſæ pœnitentiæ lacrymæ; & ita diluerunt in MAGDALENA. Serm. 93.

Denique gehennam extinguunt, & parata jam apud inferos incendia. Dicitur olim *B. Gelbebes*, *S. Furſei* mater, illo adhuc gravida ignem luculentum, cui à tyranno erat adjudicata, ſic extinxiſſe: lacrymas in ſubjacentem terram pauculas effudit, atque ex iis fons adeo copioſus erupit, ut rogum, cui erat injicienda, penitus extinxerit.

Bollandus in vita S. Furſei c. 8.

Quod illius lacrymæ huic igni, rogóque: hoc pœnitentis fletus eſt inferis, æternisque incendiis, illa certè, velut affusâ aquâ, & copioſo fonte ſalutis, extinguit; & ita ſibi extinxit MAGDALENA.

Tanta vis in pœnitentis animæ lacrymis, ut meritò de illis exclamet B. Laurentius Juſtinianus: *O lacryma humilis, tua eſt potentia, tuum eſt regnum, tribunal judicis non vereris, non eſt, qui te ad Deum accedere vetet, ſi ſola intraveris, vacua non redibis. Quid plura? vincis invincibilem, ligas Omnipotentem, aperis cœlum, diabolum fugas, extinguis & ipſa inferorum incendia.*

Lib. 6. de ligno vitæ c. 9.

Hîc paucis te volo, mi Lector, & primùm ut meritis oculo ſpectes illud, atque expendas, quod lacryma *vincat invincibilem*: ita certè victom ſe proclamavit etiam ipſe cœleſtis Sponſus, dum ſic ad Sponſam: *Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa, vulneraſti cor meum.*

Cant. c. 4. v. 9.

Alii legunt, *excordaſti me*, alii *vindicaſti tibi cor meum, in uno oculorum tuorum*, hoc eſt in uno oculorum officio: eſt quippe oculis duplex veluti munus, *Videre, & flere*: & in hoc uno, Sponſa, id eſt pœnitens anima, *vulnerat* cor Sponſi, amoris vulnere, amoris plaga, auſert cor Sponſi, & quodammodo *excordat*, *vindicat* cor Sponſi, & ſuum quaſi facit: & hoc primum advertas velim, Amice Lector, tum etiam alterum, ut ſic tibi vindicare ſtudeas; ſic etiam peccata diluere, vel ipſo pœnitentis MAGDALENÆ exemplo: *in cujus caput purgandis criminibus reſtuebat lacrymarum unda, ut ſuo fonte mulier in novum baptiſma ſuorum dilueret eluviem peccatorum.* Et certè quidni dilueret, imò mergeret, abſorberétque immenſo veluti lacrymarum oceano.

D. Chryſol. ſerm. 93.

D. Gregorius Nazianzenos, *S. Ephremi* lacrymas *Pelagus* appellabat, *quod vix liceret abſque lacrymis transfretare.*

Orat. de S. Ephræm.

Et D. MAGDALENÆ lacrymæ pelagus fuere, quo detergi maculæ omnes, quo natare, quo mergi omnia anteactæ vitæ ſcelera; & quod vix olli liceat ſine lacrymis transfretare.

Fuit illud in Chriſto amoris miraculum, amoris dico in *S. Brigidam* Virginem longè ſanctiſſimam, cujus lacrymas ex oculis fluentes non ſemel ſuis ipſe manibus deterſit.

Bollandus 1. Febr. in ejus vita c. 6.

Dicam ego, atque ex vero dicam, prodigium fuiſſe divini in MAGDALENAM amoris, non quod oculos illi deterſerit, ſed animum, ſed conſcientiam à peccatis fœdè maculatam: ut & ſic in te aliquando detergat, Amice Lector, age MAGDALENAM imitare: effunde rorem, effunde pluviam, effunde flumina, imò & pelagus lacrymarum, & peccatis tuis ſuperinfunde, & ſic tibi, non oculos dico, ſed animam deterget ipſe Chriſtus, piarum amator lacrymarum.

SECUNDUM FERCULUM.

Amoris, ac venerationis oſcula.

IN convivio illo ſpiritali, quod Salvatori ſuo inſtruxit MAGDALENA (ut annotat D. Chryſologus) *Præ eſſerant intervenientes lacrymæ, ut oſcula devota ſequerentur, quia lacrymæ ſatisfactionis ſunt documentum, oſcula ſunt reconciliationis indicia.* Et hinc prima petitur hujus ferculi dignitas, quòd ſcilicet oſcula ſint reconciliati Numinis indicia. Altera, quòd ſint etiam venerationis.

Ita S. *Iulianus* Medicus, & ipſe deinde Emeſſæ in Phœnicia Martyr ſi fortè Chriſtianis, qui ad beſtias erant damnati, occurreret, eos venerari ſolebat dato oſculo, quod illi, aliiſque ſymbolum erat ſacri cultus, ac venerationis: & hinc altera oſculi gratia; cui accedit & tertia, quæ eſt amoris, nihil enim magis hunc prodit quàm oſculum.

Bollandus 6. Febr.

Oſculum, inquit Cyrillus Alexandrinus, *eſt ſymbolum perſpicuum, eminenſque nota benevolentiæ, & caritatis.* Unde apud Græcos vox eadem & *amare*, *& oſculari* ſignificat, ut videre eſt apud Xenophontem: & hinc, ut dixi, tertia oſculi dignitas, cui additur quarta; bonorum ſcilicet communicatio ac profuſio, exprimi ſolita etiam oſculo.

Lib. 3 glaphyr. p. 169.

Quod videre fuit in facto *Iſaaci*, in theatro illo innocentiæ, & humanitatis, in quo & naturæ vis, & gratiæ virtus ſeſe magnificè explicavit. Qui propè cœcus erat, in beatiſſima ſenectute; clariſſimè divina contuens, dum myſterium grande meditatur, ſic ad filium. *Accede ad me*, inquit, *& da mihi oſculum fili mi.* Acceſſit, & oſculatus eſt eum: tum ſecuta illa benedictio, quæ *Iacobum* filium inexplicabilibus donis cumulavit: ſed quid ad illam opus oſculo? *Toſtatus* vir magnus, & in divinis oraculis interpretandis judicio excellenti, vidit, & explicuit hoc arcanum, atque fuiſſe primogenituræ communicationem, & ſignum delati principatus. Ita nimirum Patriarcha ſanctiſſimus filium quodammodo evocavit in os, ut quam vim, & dominatum in populo Dei habuiſſet, eum per oſculum in filium ſuum *Iacob* transfunderet.

Gen. c. 7. v. 26.

Ita etiam in conferenda laurea magiſtrali, & Doctorum inauguratione oſculum tribui conſuevit, ut per illud principes Academiarum magiſtri, quam habent in docendo authoritatem in alios quoque tranſmittant, & hoc per oſculum, velut apertum animi introitum, exitumque.

Ita denique in ſolemni Sacerdotum conſecratione myſtica fiebat oſculatio, quam *Dionyſius Areopagita* appellare ſolebat *conſecrantem ſalutationem*. Crederes Pontificem totum quaſi animum in os educere, ad tribuendam illam ſacræ poteſtatis communicationem.

De Hierar. Eccl. p. 148.

Maneat ergo fixum illud, ſtatumque, oſculo transfundi quandam & bonorum, & principatus, & authoritatis communicationem; etiam in oſculo, quod ei infigitur, qui illis pollet. Ut videre eſt in *Iacobo*, qui *Iſaaco* Parenti dedit oſculum. Quod ſi ita eſt, quæ tranſmiſſio, quæ transfuſio, quæ communicatio cœleſtis gratiæ, divinorumque chariſmatum, fieri debuit ab oſculis, quæ ſacris Chriſti pedibus infixit MAGDALENA? ea certè quæ à cœli, terræque Principe, quæ à cœleſtium Intelligentiarum magiſtro & fieri potuit, & expectari.

Terris vivere deſierat, & cœlis jam cœperat *S. Euphroſyna* Virgo; jacebat corpus exanime, cùm ad illud ſupplex, ac venerabundus advolvitur è fratribus unus aliquis, iſque monoculus; qui ubi virgineo corpori oſculum dedit, alterum oculum illico recepit.

Bollandus 11. Febr. in ejus vita c. 4.

Quod illi in corpore datum eſt ab oſculo; hoc D. MAGDALENÆ in animo: fuerat illi hactenus unus intelligentiæ, ac mentis oculus, quo terram aſpiceret: oſculatur Chriſti pedes, & ecce mox illi redditur alter bonæ mentis oculus, quo cœlum ſuſpiciat: & hæc prima ab oculo illo gratia: cœleſtium videlicet intelligentia, ad quam deinde addita eſt altera: cœli nimirum & Chriſti amor quàm ardentiſſimus, atque ab amore veneratio, & à veneratione etiam bonorum omnium, quæ in Chriſto erant, communicatio, & quaſi per oſculum transfuſio.

Et hæc ſacratioris illius ferculi vis fuit, hic valor & pretium. Quod enim aliud hauriat *in convivio pietatis, in pœnitentiæ menſa*, quam Chriſto inſtravit MAGDALENA? Ut & ipſe haurias, Amice Lector,

author

author tibi ſom, ut illius exemplo te ipſe proſternas ad Chriſti pedes: quos ſi non adeas in Phariſæi domo, adeas certè in aliquo Chriſti è eruce pendentis ſimulacro: & quod non potes in perſona, præſtes in imagine; ſic enim Chriſto, Servatori tuo prandium inſtrues, & grata dabis illi fercula, oſcula dico reconciliati Domini ſigna, amoris, venerationis, beneficentiæ ſymbola, quæ dum dabis, dabit ille tibi cum oſculis meliora cœli chariſmata.

Et hoc primum à MAGDALENÆ oſculis tibi ſit monitum. Alterum erit, ut illius exemplo alia declines, fugias, & horreas oſcula, & quidem primò

Lib. 3. Pædag. c. 11.

impudica; quæ *Clemens Alexandrinus* appellat *veneni plena*, eò quòd certum in animum virus immittant.

Deinde etiam alterius ſexus quocumque demum & quacumque ex cauſa inferantur. A Maximiano Cæſare venerat *Claudius*, vir clariſſimus, ut *Suſannam* Virginem, ut genere, ita virtute nobilem,

Bollandus 8. Febr. in ejus vita cap. 2.

ei in uxorem depoſceret; cumque constanter renuiſſet illa, admiratione tantæ virtutis ei oſculum dare voluit: cui Virgo: *Noli contaminare os meum, quia Dominus meus IESVS Chriſtus novit, quia nunquam os ancillæ ſuæ tetigit vir.* Ecce ut *Claudii*, etiam Patrui oſculum refugit *Suſanna*, etiam amoris ergo, etiam venerationis, & hoc quidem quia oſculo contaminari ſibi os credebat, multóque magis & animum. Et hoc ut ipſe credas oportet, adeóque ut oſcula fugias. Certè ſi danda ſunt oſcula: *Illum oſculemur,*

Epiſt. 4. ad Sever.

quem oſculari caſtitas eſt: illi copulemur, cui nupſiſſe virginitas eſt, ut piè, & eleganter S. Paulinus.

TERTIUM FERCULUM.

Vnguenta virtutum.

Bollandus 26. Febr. in ejus vita c. 4.

CONficiebatur olim unguentum, *S. Antonini* Abbatis Surrentini, & in pixide eburnea probè claudebatur, ac deinde in ipſa altaris arca reponebatur, ac denique poſt exactos tres dies in jejunio & orationibus inde educebatur. Et ſi quidem in extima ſuperficie cœleſti manu notatum fuiſſet ſigno Crucis, vim habebat medicam; ſin minus, omnino nullam. Ut inde noſces virtutem illam non ab unguenti natura, ac compoſitione fluxiſſe, ſed ab ipſa Cruce, Deóque dimanaſſe.

In proceſſu Beatificationis.

De *Ioanna*, Franciæ Regina longè ſanctiſſima, referebat aliquando illud *Stephanus Mathé*, Ludovici XI. chirurgus: ſi ægris, aut læſis unguentum applicuiſſet ſuis ipſa manibus, virtutem obtinuiſſe medicam, & ſupra vim naturæ; ſecus ſi aliena manu & opera. Crediſſes aliquid affundi à regiis manibus aut virtutis, aut etiam ſanctitatis.

Quod de hoc, illóve unguento dictum eſt deinde: hoc jure potiori de illo, quod ſacris Chriſti pedibus ſuperinfudit MAGDALENA. Si illius naturam ſpectaſſes, nulla illi vis erat, virtus omnino nulla ſupra naturæ leges, ac terminos: at ſi impreſſam vel ab ipſis Chriſti pedibus vel à MAGDALENÆ manibus vim attendiſſes, erat illa & corpori, & animo medica, & naturâ, imò & ſeipsâ ſuperior. Hinc de illa elatè, & magnificè SS. Patres, piè & eleganter S. Chryſologus, qui unguentum appellat *humanitatis ſacramentum*, dum enim expendit illud MAGDALENÆ Domini pedibus oleum infundentis.

Serm. 93.

Quod facit hæc mulier, inquit, *non eſt mollis, & carnalis obſequii; ſed plenæ humanitatis eſt ſacramentum.*

Appellat deinde *Pietatis oleum*, dum ſic ad ſuos olim auditores: *Fratres, ſi nos eſſe peccatores novimus, &*

Serm. 94.

eſſe nolumus peccatores, pedibus Chriſti demus lacrymas, ſpargamus capillos, figamus oſcula, pietatis oleum tota devotione fundamus.

Denique appellat *unguentum miſericordiæ*, quam ſcilicet à Chriſto eſt conſecuta. *Sedes Domini*, inquit,

Serm. 95.

lavat lacrymis caritatis, confeſſionis labiis oſculatur, & totum miſericordiæ profundit unguentum.

Ecce D. Chryſologo judice, quæ dignitas, quæ gratia illius unguenti, hoc eſt ferculi Chriſto à MAGDALENA oblati. Unguentum quidem eſt ſi naturam ſpectes: at ſi myſterium in eo reconditum, *Sacramentum eſt humanitatis, pietatis oleum, unguentum miſericordiæ.* Sed paululum abeo à D. Chryſologo, (quo hactenus authore ſum uſus) atque ad D. Bernardum venio.

Diſtinguit hic unguentum triplex, quod MAGDALENA pœnitens ſacris Domini pedibus affudit:

Primum, inquit, eſt *unguentum contritionis*. Emanavit illud è duplici fonte, ex perenni, vivâque *recordatione peccatorum, & ex ſpiritu contritio, & contribulato.* Recurrebant animo anteactæ vitæ delicta omnia, veſtium immanis luxus, atque in venerem, libidinem, prohibitosque amores nimium prona, præcepsque voluntas; & hinc velut è prima ſcaturigine funditur *unguentum contritionis*: ac deinde è ſecunda, dum enim oculo mentis occurrunt ea ſcelera, conteritur, ac contribulatur ſpiritus ingenti doloris ac pœnitentiæ ſenſu: & inde etiam effluit *contritionis unguentum*, hoc irrigat, hoc lavat Domini pedes; pedes, inquam, illius, qui ambulat ſuper pennas ventorum.

In feſto B. Mariæ Magdalenæ.

Qui ſint iſti ſi quæris, audies ex D. *Bernardo* & amandum illud, & timendum. *Pedes iſti, ſunt miſericordia, & judicium; quorum alterum ſine altero oſculari, atque ungere; vel temeraria ſecuritas eſt, vel deſperatio fugienda.* Ne in hanc, aut illam incurreret MAGDALENA, utrumque Domini pedem & oſculari cœpit, & ungere. Sic enim Domini miſericordiam attendit amavitque, ut & Judicium expectaret, horreretque.

Vide Mariam, inquit Bernardus, *judicii pedem fortiter attendentem, dum nobilis & laſciva mulier conviviantium faciem non attendit, ſed extenſo corpore provolvitur pedibus majeſtatis, doloris plena, timoris impatiens, compunctionis jaculo vulnerata. Sed & miſericordiæ pedem labiis impreſſioribus oſculatur, in cujus ſpe firmiter inhæret, donec audiat, Remittuntur tibi peccata tua, vade in pace.* Et hæc Domini indulgentis verba, hæc oracula miſerentis, quæ dum audit D. *Bernardus*, exclamat in illud & amantis, & ſtupentis: *Magnam prorſus miſeriam magna miſericordia diluit, & abſtergit; & hoc quidem feſtinanter, quia ſine ullo intervallo conjunguntur & lacryma peccatricis, & miſericordiæ Salvatoris.*

Hæc ubi pro MAGDALENA dixit D. *Bernardus*, tum ſcitè monet, urgetque ut & ipſi Domini pedes ſic oſculemur, ſic & ungamus: ſed pedes, inquit, non pedem. *Fallitur* enim *qui ſic oſculatur miſericordiæ pedem, ut pedem judicii non attendat, qui totum de miſericordia pede præſumit, hoc ſolum ad ſalutem ſufficere credens, quod credit: fallitur & ille, qui judicii pedi ſic moroſius incumbit, ut pietatis intuitum ferocia judicantis excludat. Vtrumque igitur inungat pedem anima pœnitens affectibus, & nunc miſericordiam amplectens, nunc judicium deoſculans, contribulati ſpiritus offerat holocauſtum.* Et hoc de primo D. MAGDALENÆ unguento.

Secundum eſt *unguentum devotionis*, emanat illud à *recordatione beneficiorum Dei. Digniſſima eſt*, inquit Bernardus, *hujus unguenti compoſitio*: ea fit ex aliqua magnarum virtutum inter ſe mixtione, è quibus prima eſt diligens, & accurata meditatio beneficiorum Dei: altera eſt gratiarum actio, quam appellat *ſacrificium laudis*.

Tertia eſt animi demiſſio, & humilis de ſe ſenſus, à quo id nanciſcitur anima, ut divinis beneficiis indignam ſe reputet. Et hoc unguento ungitur Domini caput, inquit Bernardus: Sic enim ille: *Pedes ungimus Salvatoris; cùm de peccatis compungimur; caput, cùm de collatis virtutibus, virtutum largitori gratias cumulamus.* Et pedes, & caput Domini unxit MAGDALENA, hos primò cùm adhuc eſſet peccatrix; ſed peccati tamen, ſuique pœnitens. Caput autem Suprà.

cùm alia fuit à ſeipſa; cùm *jam electa, jam familiaris effecta, longéque à peccatricis illius obvoluta veſtigiis.* Hujus porro unctionis meminit Evangeliſta Marcus, cùm ait: *Et cùm eſſet Bethaniæ in domo Simonis leproſi, & recumberet, venit mulier habens alabaſtrum unguenti nardi ſpicati pretioſi, & fracto alabaſtro effudit ſuper caput ejus.* Et hæc de ſecundo unguento dicta paucis ex mente D. Bernardi: ſupereſt

Cap. 14 v. 3.

Tertium *unguentum*, & illud eſt *pietatis*, hoc inſtructæ piæ mulieres, MARIA MAGDALENA, & Maria Iacobi, & Salome venerunt ut *ungerent IESUM.* Hoc unguentum non in pedes, aut caput dumtaxat; ſed & in totum Chriſti corpus effuderunt illuſtri ſanè pietate.

Marc. c. 16.

Et hæc ſunt unguenta, quæ tum pedibus, tum capiti, tum ipſi Servatoris corpori profudit MAGDALENA; *Felix*, inquit Bernardus, *quæ unxit pedes IESU, felicior eadem, quæ unxit caput authoris, feliciſſima, quæ rorem unguentarium toti corpori Chriſti præparavit.*

Suprà.

Quod ſi ex hoc, judice Bernardo, fœliciſſima, at magis ex illo, quòd pretioſarum virtutum unguento, & ipſum quodammodo Chriſti animum imbuerit; majus enim animo Set vatoris unguentum affundere, quàm corpori. At quænam illæ virtutes? hoc nobis ſupereſt explicandum.

Myſtica hujus unguenti compoſitio ex virtutibus.

PRIMA.

Ex ardenti deſiderio gratiæ, & ſalutis recuperandæ.

VIrtutes illius aliquas jam attigi ex DD. *Chryſologo* & *Bernardo*, jam ex aliis alias. Semiramis Aſſiriorum Regina, cùm ei circa cultum corporis occupatæ nuntiatum eſſet Babylonem defeciſſe, altera parte crinium adhuc ſoluta, protinus ad eam expugnandam cucurrit, nec prius decorem capillorum in ordinem, quàm tantam urbem in ſuam poteſtatem redegit. Quocirca ſtatua ejus Babylone poſita eſt illo habitu, quo ad ultionem exigendam celeritate præcipiti tetendit. Quid ſi MAGUALENAM in cultu corporis, & componendis crinibus fingamus fuiſſe occupatam, cùm ei renuntiatum eſt Chriſtum in Phariſæi domo accumbere; ſicque incompoſitis crinibus iſtuc advolaſſe, ea certè fictio nec videbitur aliena ab æſtu quo tum agitabatur MAGDALENA, nec ab animi ſanitate, quam quærebat impenſiùs, nec à tantæ rei, quam agitabat momento: majoris enim res eſt momenti recipere amiſſam Dei gratiam, quàm Babylonem recuperare. Et quia id probè norat MAGDALENA: hinc præcipiti gradu, pronaque mente ad Chriſtum, ceu medicum, currit, impulſa ingenti recuperandæ gratiæ deſiderio; quod ex variis patet, ac proditur argumentis.

Valerius Maximus l. 9. c. 3.

Primum eſt quod illico advolarit, ubi intellexit Chriſtum eſſe in domo Phariſæi, quod indicant illa Evangeliſtæ verba. *Ut cognovit*, cognoviſſe fuit ſatis, cognovit, venit, vidit, vicitque Chriſtum. Non ſic mortalium pleriquc, qui ut peccatores ſint, & quidem longè graviſſimi, ad ponendam peccati ſarcinam non feſtinant, non properant ad medicum animæ remedium petituri; ſed differunt de die in diem, & nihil intonant, niſi corvinum illud, *Cras, cras.* Si dicatur illis. Reſtitue aliena, redde malè parta. *Cras* reſpondent, aliud nihil. Peccata confitere, rurſum ingerunt lentum illud *Cras.* Concubinam dimitte: iterum & procax illud *Cras.* Et quid deinde? Ut vivunt diu, ſic & citiſſimè in peccatis moriuntur, ac pereunt. De illo certè, qui ſic procraſtinat, pronuntiavit aliquando Auguſtinus: *Remanſit foris in voce corvina, quia non habuit gemitum columbinum. Cras, cras corvi eſt; geme ut columbus, tunde pectus.* Ita gemuit MAGDALENA, nec *cras* illud ingeſſit, ſed hodie, hac hora, hoc momento: & hoc in illa primum ingens ſalutis deſiderium.

Serm. 93.

Alterum eſt quod mulier, ut erat primæ nobilitatis, licet malæ famæ: mulier, ut ait D. Chryſologus, *Malè nota, neſcio janitore, nullo conſcio, ipſo ignorante paſtore, domus aditus percurrit omnes, tranſit totas miniſteriorum catervas, ipſumque convivii pervolat ad ſecretum*; nec illud ſatis; ſed etiam ad Domini pedes ſeſe abjicit, eos lacrymis lavat, capillis tergit, unguento illinit: nec hæc inter erubeſcit; nec Phariſæi ſupercilium timet, nec à Domino repulſam pati reformidat. Unum dumtaxat attendit, unum amat, unum ſequitur gratiæ recuperandæ deſiderium. *Conſideravit*, inquit D. Gregorius, *quid fecit, & noluit moderari quid faceret. Super convivantes ingreſſa eſt, non juſſa venit, inter epulas lacrymas obtulit. Diſcite quo dolore ardet, quæ flere inter epulas non erubeſcit.* Quæ cauſa? hanc ſubjicit ſanctus Pontifex. *Quia turpitudinis ſuæ maculas aſpexit, hinc lavanda ad fontem miſericordiæ cucurrit; convivantes non erubuit*, cujus rationem etiam adjicit. *Nam quia ſemetipſam graviter erubeſcebat intus, nihil eſſe credidit, quod verecundaretur foris.*

Serm. 93.

Homil. 33 in Evang.

Et hæc prima ab unguento illo myſtico ac ſpirituali virtus emanavit, quam utinam ſpectarent, exhiberentque ii omnes, qui cum MAGDALENA in vanos, impudicoſque implicuerunt amores, iiſque fœdum in modum ſeſe deformarunt: non erubeſcerent illi turpitudinem ſuam, nec ſubterfugerent eam confiteri: Et certè cur ſubterfugerent; dic enim amabo te, quiſquis es, ô Iuvencula, ô Iuvencule, decoris amans, ac pulchritudinis. Si tibi fortè facies maculata, ſi plena eſſet ſordibus; nonne ut primùm illud adverteriſſes, ad abluendam, ad propè detergendam faciem procurreres? Enimverò procurreres, nec quiſquam tibi vel ruborem, vel remoram injiceret: quia unus tibi à maculâ illa rubor, unus & à ſordibus dolor, pudorque. Et non erit ab anima peccati labe, lueque fœdata? Erit certè, vel ex eo quòd anima potior corpore, & animæ ſordes, graviores ſordibus corporis.

Ita fuit in latrone de quo Climacus gradu quarto de obedientia. Hic ad meliora converſus, atque ad monaſticam vitam aſpirans, non erubuit in templo etiam publicè audientibus facilè ducentis, anteactæ vitæ ſcelera omnia quantumvis pudenda, atque enormia recenſere, videlicet furta, latrocinia, veneficia, homicidia, adulteria, aliaque quæ & audire horror eſt, & eloqui pudor; non erubuit, inquam, publicè, palamque confiteri; non ſine lacrymis, & gemitu; quos inter è fratribus unus, qui aderat, vidit procerum quemdam, aſpectuque terribilem virum, qui unâ manu calamum, alterâ prælongam chartam typis tartareis exaratam tenebat, & cùm pœnitens humi proſtratus peccatum aliquod olim à ſe admiſſum propalaret, illud calamo illico delentem. Vidit, inquam, & aſtupuit, poſteriſque memorandum illud tradidit, ne & ipſi pudore aliquando victi peccata confiteri erubeſcerent: ſed potius, ut hîc MAGUALENA, ut iſtic bonus ille latro, fateri ingenuè diſcerent.

SECUNDA.

Ex vitæ, ac morum in melius mutatione.

HÆc in eo poſita eſt, ut quæ fuerunt inſtrumenta peccati, fiant deinde inſtrumenta virtutis. Et ita in MAGUALENA factum fuiſſe & videmus, & amamus. Peccarat hæc membris propè omnibus, quæ ſcilicet aliis, atque aliis vitiis ſervierant; effecit ut eadem ſervirent virtutibus. Peccarat tactu, cùm virum incautè tangeret, atque impudicè: quid enim aliud faceret mulier peccatrix? at Pœnitens etiam tactu reſarcivit quæ fecerat

quàm

Digitized by Google

quàm peſſimè, Chriſtum quippè tengit, & mox *peccatrix fis bona, fit ſancta, fit innocens, cùm tetigerit*
Serm. 94 *veniæ largitorem* ut inquit D. Chryſologus. nec mirum, *ſtercora contingunt; ſed non inquinans ſolem: medicum cùm tangit vulnera, putredo non polluit: judicem quamvis tangat reus, non poteſt maculare cum ſupplicat; ſic peccator cum Dominum tangit, non Dominum ſordidat; ſed ipſe & peccato caret omni, & rapit ſubitò ſanctitatem.*

Sic rapuit MAGDALENA vel ab uno Chriſti contactu; & ita contactus Viri, qui prius vitio datus eſt; jam datur virtuti: quod tactui, hoc & aliis ſenſibus; quod manibus, hoc & aliis corporis membris. Peccarat unguento, *quod ſibi pro odore ſua carnis*
Suprà. *adhibuerat*, ut annotat D. Gregorius: *Quod ergo ſibi turpiter exhibuerat hoc jam Deo laudabiliter offerebat.* Peccarat *oculis, quibus terrena concupierat, ſed hos jam per pœnitentiam conterens, flebat.* Peccarat capillis, *quos ad compoſitionem vultus exhibuerat; ſed jam capillis lacrymas tergebat.* Peccarat *ore, quo ſuperba dixerat: ſed pedes Domini oſculans, hos jam in Redemptoris ſui veſtigia figebat.* Hæc ubi de MAGDALENA pronuntiavit magnus Pontifex, tum conficit illud: *Quot ergo de ſe habuit oblectamenta, tot de ſe invenit holocauſta: convertit ad virtutum numerum, numerum criminum, ut totum ſerviret Deo in pœnitentia, quod ex ſe Deum contempſerat in culpa.*

Ecce quæ vitæ morumque in meliora mutatio, eam ut imitemur ipſi, neceſſum eſt. Quî porrò
Suprà. imitabimur oſtendit D. Gregorius. Unguentum illa effudit in Chriſti pedes. *Quid unguento niſi bona opinionis odor exprimitur.* Et nos *Chriſti bonus odor ſumus*
2. Cor. c. 2. *in omni loco:* erimus ſi *per recta opera, quæ agimus, opinionibus boni odoris Eccleſiam reſpergamus.* Stetit illa *ſecus Domini pedes. Contra pedes Domini nos ſtetimus, cùm in peccatis poſiti ejus itineribus renitebamur; ſi ad veram pœnitentiam poſt peccata convertimur, jam retro ſecus pedes ſtamus, quia ejus veſtigia ſequimur, quem impugnabamus.* Lacrymis pedes ejus rigavit. *Quod nos quoque veraciter agimus, ſi quibuſlibet ultimis membris Domini per compaſſionis affectum inclinamur, ſi eorum triſtitiam noſtram putamus.*

Capillis, quos rigavit pedes, terſit. *Capilli ſuperfluunt corpori. Capillis ergo pedes Domini tergimus, quando ſanctis ejus, quibus ex charitate compatimur, etiam ex his, quæ nobis ſuperfluunt, miſeremur, quatenus ſic per compaſſionem doleat, ut etiam larga manus affectum doloris oſtendat. Rigat namque lacrymis Redemptoris pedes, ſed capillis non tergit, qui verba quidem doloris tribuit; ſed non miniſtrando, quæ deſunt, vim doloris minimè abſcindit. Oſculatur mulier pedes, quos tergit. quod nos quoque planè agimus, ſi ſtudioſè diligamus eos, quos ex largitate continemus. nec animus unquam à dilectione torpeſcat.*

Certè ſi torpeſcat aliquando, dicet nobis quod
D. Chryſol. ſerm. 95. Phariſæo Chriſtus. *Aquam pedibus meis non dediſtis, hæc autem dum meorum pedes lavat, pedes ungit, pedes oſculatur; fecit ſervus, quod vos Domino non feciſtis; fecit pedibus. quod capiti vos negaſtis; impendit minimis, quod vos veſtro denegaſtis authori.* Sed quando dicet illud Servator optimus? Utique in extremo die judicii, quando & dicet iſtud. *Quod uni ex minimis meis non feciſtis, mihi non feciſtis.* Ne porro id obtrudat aliquando, rubore noſtro, malo noſtro, id Chriſti ſervis, Chriſti pedibus, Chriſti minimis (hoc eſt pauperibus) impendamus, quod MAGDALENA Domino, quod capiti, quod authori ſuo, id eſt Chriſto, olim impendit.

TERTIA.

Ex dolore de peccatis.

FUIT hic enatus, non ex gehennæ metu, non etiam ex ſpe gloriæ, ac beatitatis: ſed ex pura, puráque Dei bonitate, putóque Domini amore; adeóque contritio longè perfectiſſima, quam Divus Bernardus deſignari vult ipſo etiam unguento. Sic enim, inquit, *Ecce hoc eſt unum unguentum, quo* Serm. 10. in Cant.
anima peccatoris, ſua converſionis primordia condire debet. Primum námque ſacrificium ſpiritus contribulatus. Et hoc MAGDALENÆ ſacrificium fuit, hoc unguentum, quo converſionis ſuæ primordia condivit, & quod incendit igne divini amoris, unde & manavit odor ſuavitatis & in Eccleſiam, & in cœlos, ipſumque Numen evaſit.

Ubi ab aquis diluvii terris redditus eſt Noëmus, obtulit immortali Deo ſacrificium, & *odoratus eſt Dominus odorem ſuavitatis*, vel, ut in Hebræo, *odorem quietis.* Adeo quippe ex illius ſacrificio ſuavis ad Deum appulit odor, ut dici poſſet ipſa ſuavitas; adeo placidus, ut dici poſſet ipſamet quies. Quod *Noëmo*: hoc MAGDALENÆ. Sibi illa, Deoque reddita erat ab immenſa illa aquarum, id eſt peccatorum, eluvie. Quid inde? Sacrificium obtulit, unguentum contritionis incendit, & *odoratus eſt Dominus odorem ſuavitatis, odorem quietis*, à quo mox ab illo audiit: *Vade in pace.* Ecce quies bonæ mentis, ecce ſuavitas odoris, id eſt virtutis, quo non MAGDALENA tantùm: ſed & Eccleſia tota eſt repleta; de quo Bernardum audi; examinat hic, expenditque accuratè illud Evangeliſtæ de hoc ipſo unguento, quod ad Chriſti pedes effudit MAGDALENA; videlicet: *Et domus impleta eſt ex odore unguenti.* Stupendum illud ſimul, & amabile: *Peccatricis manibus diſtillabatur, & extremis membris corporis, id eſt pedibus fundebatur, & tamen totam domum vis aromatum, & ſuavitas replet odoris.* Mirabile illud, ô Bernarde; ſed mirabilius quod ſubjicis: *Unius peccatricis converſione fragrantiâ reſpergitur Eccleſia, & multis fit odor vitæ ad vitam.* Multi enim MAGDALENÆ exemplo à peccati morte ad vitam gratiæ redeunt, atque ad veræ pœnitentiæ lamenta deſcendunt: & hic eſt *odor ſuavitatis, odor & quietis. Hoc gaudete pœnitentes, puſillanimes confortamini, & ſecurè manus veſtræ diſtillent myrrha amaritudinem, in ſalubrem hanc unctionem, quia cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicit.*

QUARTA,

Ex ardentiſſimo in Chriſtum amore.

NON eſt quod huic probando laboremus, probatus ille ſatis ipſo Primæ Veritatis, id eſt Verbi Incarnati, oraculo, dum ſic de illa ad Phariſæum, & convivas alios: *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* *Probatum eſt*, inquit D. Chry- Serm. 94.
ſologus, *quia dilectio delet & abluit univerſa peccata.*

Probatus idem amor & lacrymis, de quibus ſic ille ipſe S. Præſul: *Lacrymas ad pedes Domini profluo amore profundit*, quaſi cum lacrymis proflueret ipſe amor, ille quidem ex oculis, hic autem ex corde, cujus æſtus, & ardor per lacrymas effunditur, ideóque eas appellat *lacrymas caritatis, lavat*, inquit, *Domini pedes lacrymis caritatis.* Probatus deinde & oſculis, quæ diximus eſſe amoris indicia,

Probatus etiam ad Crucem, ad quam diffugientibus Diſcipulis ſtetit ipſa; nec timori ceſſit, nec periculo: quod certè eſt amantis, ut enim Tullius, vel ſola ratione duce. *Ut aurum igne, ſic benevolentia* Lib. 9. Epiſt.
fidelis, periculo aliquo perſpici ſolet. Et ita perſpecta MAGDALENÆ in Chriſtum benevolentia & caritas.

Probatus denique vel maximè à morte Chriſti, ad illius ſepulchrum, ubi alia, atque alia dedit certi amoris argumenta, è quibus hoc primum. Quod IESUM quæreret, & quidem unicum, cæteros nec quæreret, imò nec admitteret. Adſunt illi Angeli, futuri utique conſolatores, & ideo injiciunt illud: *Mulier quid ploras?* Quibus illa: *Tulerunt Dominum meum, & neſcio ubi poſuerunt eum.* Sed, ô MARIA; ſunt enimvero Angeli, ſunt cœli cives, & cœleſtes genii, eos intuere, eos audi, erunt tibi Hom. de
ſolatio. Quid illa? audi Origenis ore: *Onerosi mihi* Magdalena.
ſunt omnes conſolatores, gravant me, & non conſolantur.

Quæ

Quæ cauſa? *Quæro*, inquit, *creatorem*, *& ideo mihi gravis ad videndum omnis creatura. Non quæro Angelos, ſed eum qui me fecit & Angelos. Non quæro Angelos, ſed meum & Angelorum Dominum. Tulerunt Dominum meum, ipſum ſolum quæram, ipſe ſolus me poteſt conſolari*, Hæc ubi dixit, exclamat excita amoris & doloris æſtu. *Heu me miſeram, quid agam? quò ibo? quò enim abiit dilectus meus? quæſivi eum in monumento, & non inveni; vocavi eum, & non reſpondit mihi. Heu me, ubi eum quæram? ubi eum inveniam?* Ubi iſta apud ſe dixit, tum pergit, & ſeipſam amando magis, ac magis incendit. *Surgam certè, & circuibo omnia loca quæ potero, non dabo ſomnum oculis meis, non dabo requiem pedibus meis, donec inveniam illum quem diligit anima mea*, Hæc ubi dixit ingenti amoris impetu, tum ſic ad oculos, ſic ad pedes. *Effundite lacrymas oculi mei, plorate, & nolite deficere Ambulate pedes mei diſcurrite, & nolite quieſcere.* Ubi hæc ad oculos, pedeſque, tum altùm ſuſpirans, atque ingemiſcens. *Heu*, inquit, *heu quo abiit gaudium meum? ubi latet amor meus?* Ubi *eſt dulcedo mea? O dolores! ò anguſtia!* Ecce amoris ignes, ecce ardores. Vis & alios? accipe ex alio amantium argumento. hoc eſt, quod qui amat, neſcit timere; & ita timere neſciit MAGDALENA.

Petrus & Ioannes venerant & ipſi ad monumentum, ſed non invento corpore abierunt ad ſemetipſos quia timuerunt, & ideo non ſteterunt. Maria autem non timebat, quia nihil ſuſpicabatur ſibi ſupereſſe quod timere deberet: perdiderat enim magiſtrum ſuum, quem ita ſingulariter diligebat, ut præter ipſum nihil poſſet diligere, nihil poſſet ſperare, nihil & timere. *Perdiderat vitam animæ ſuæ, & jam ſibi melius arbitrabatur fore mori, quàm vivere, quia forſitan inveniret moriens, quem invenire non poterat vivens, ſine quo tamen vivere non valebat.* Nimirum *fortis eſt ut mors dilectio: quid enim aliud faceret mors in Maria? facta erat exanimis, facta inſenſibilis, ſentiens non ſentiebat, videns non videbat, audiens non audiebat; ſed neque ibi erat, ubi erat, quia tota ibi erat, ubi magiſter erat.*

Et hoc erat indicium ſummi in ea erga Chriſtum amoris, cùm magis eſſet in Chriſto, quàm in ſeipſa: imò non in ſeipſa; ſed tota in Chriſto: ubi enim potius, cùm amaret? amãs certè eſt in amato; & *anima magis eſt ubi amat, quam ubi animat*, ut ſcitè D. Auguſt.

QUINTA.

Ex raptu, exceſſuq; in Deum.

GRandes animas, & cœlo natas, non terris, ſubinde Deus extra ſe rapit, ſubinde etiam cœleſti concentu recreat, emiſſis etiam è cœli choro cantoribus.

Bollandus 4. Ian. Ita B. *Angelam de Fulginio* quandoque triduo toto in mentis exceſſu tenuit, ac recreavit.

Ita S. *Ignatium* Societatis IESU Parentem octiduo integro alienatum à ſenſibus ſic habuit, ut mortuum crediciſſes, niſi levis arteriæ pulſus, ac micatio vitam indicaſſet,

15. Ian. Ita S. *Macarium* Ægyptium, Abbatem longè ſanctiſſimum, in perpetua quaſi extaſi ſic retinuit, ut non jam terris ſpirare videretur, ſed cœlis. Amat nimirum Deus, etiam ex hac mortali vita, ad ſe rapere ſelices animas, ut in eo raptu cœli gaudia prægustent. Nec hoc tantùm: ſed quandoque etiam cœleſti muſica recreare.

9. Ian. Ita S. *Iulianum*, invictum Eccleſiæ Martyrem, etiam in ipſis ergaſtuli anguſtiis, ſqualloreque carceris, altiore concentu, id eſt angelico recreavit.

25. Ian. Ita B. *Henricum Suſonem* Dominicanæ familiæ ſidus illuſtre, poſt oblatam Beatæ Virgini, ceu matri, corollam, etiam cœleſti cantu detinere voluit, non ſine amabili aurium, animiſque ſenſu, ac voluptate.

Quod illis deinde, hoc diu ante B. MARIÆ MAGDALENÆ. Ut Deo, cœloque propior eſſet, quò ab hominum conſortio remotior, ſeceſſerat in aviam ſolitudinem, in qua & manſerat totis triginta annis, herbis & radicibus victitans, niſi quod illi cibus oratio, & altiſſima divinarum rerum contemplatio; à quâ ubi abierat, ab illo quaſi labore, conatuque recreanda, ſepties in die ab Angelis in ſublime ferebatur, ut cœleſtem auribus, animoque muſicam exciperet, quid enim aliud inſonaret illi animæ, niſi cœli concentus, & gaudia, cui jam deſipuerant terrena, & caduca omnia? Ubi porrò cœleſtibus illis deliciis dati ſunt anni omninò triginta, eoq; amplius, imminente jam felici è terris exceſſu, Præsbyterum monuit, ut ad ſe Dominica proximè ſequenti S. *Maximinum* accerſeret; qui adfuit ſtatâ die, & horâ, & B. MAGDALENAM à terra ſublimem reperit; brachiis, manibuſque in cœlum porrectis, quo ſcilicet aſpirabat, tendebatque animus: quem & ſacra Euchariſtia refecit, & mox expirantem vidit, non tam morte, quàm raptu, altioreque exceſſu. Eo nimirum, è terra, corporiſque hujus ergaſtulo, eo, inquam, exitu abire debuit, quæ affectu, amoreque jam pridem & à terra, & à ſe exierat.

Ferunt Annales B. *Henricum Suſonem*, in extaſi, raptuque mortuum. Ita nimirum rapiuntur altiſſimæ illæ, non dico cœli; ſed ſoli hujus Intelligentiæ. Et ita rapi debuit MAGDALENA, & in ſponſi ſui, id eſt Chriſti, amplexus venire. Ut & ſic rapiaris ipſe, *mi Lector*, age MAGDALENAM imitari ſtude. Animo ægra, peccati rea, & medicum, & Salvatorem quæſivit, & ipſe quære: abjecit illa ſeſe ad Chriſti pedes, quod humilitatis fuit, & te quoque ad illos abjice: eos lacrymis lavit, quod pœnitentiæ fuit, & illos etiam tu lava: oſcula illis infixit, quod amoris fuit, & tu oſcula iis infige: infiges autem amando. Capillis ſuis terſit. Sunt capilli ſuperflua naturæ, de illis capiti ſuo, id eſt Chriſto, ſervivit: & ſuperfluis Domini pedibus, id eſt pauperculis, ſubvenire ſtude; & ſic MAGDALENAM imitaberis, audieſque etiam cum illa: *Dimittuntur tibi peccata tua, quia dilexiſti multum*; & tunc (ut aureè D. Chryſologus) *erit remiſſio peccatorum, quando tolletur materia tota peccandi, quando corruptio induet incorruptionem, quando mortalitas immortalitatem conſequetur, quando peccati caro, caro totius efficietur ſanctitatis, quando terrena ſervitus cœleſti dominatione mutabitur, quando militia humana divinum promovebitur ad regnum, quod nobis concedat Æternus Pater authore ipſo Chriſto, cui eſt honor & gloria.*

Bollandus ſupra.

Serm. 94.

SEXTA.

Ex gratia etiam miraculo conceſſa illius capiti, & capillis, & ſacro Chriſti cruori ab illa Maſſiliam delato.

AD unguenta gratiarum, quas Theologi gratum facientes appellant, accedet & altera, quæ gratis data dicitur, eſtque gratia quædam miraculorum, ſeu gratia conceſſa ſupra omnes naturæ leges, miraculo ſcilicet, ac cœleſti prodigio; quod etiamnum viſitur in ſacratioribus S. MAGDALENÆ exuviis, & quarum meminit Silveſter Petra Sancta teſtis oculatus in ſua Thaumaſia veræ religionis, eſtque hujuſmodi. Tom. 3 c. 12. pag. 99.

In S. Maximini Cœnobio juxta Maſſiliam religiosè aſſervatur, coliturque caput S. MARIÆ MAGDALENÆ, in cujus fronte adhuc eſt cutis particula, quantum ſcilicet duo digiti tegere poſſunt, capite cæteroquin exuto undique pelle omni.

Narrant ibi ex revelatione ipſius conſtare modicam eam in fronte cutem ideo non diffluere, ſed inhæreſcere, quia manu ibi eam tetigit Chriſtus, quando à reſurrectione viſus eſt illi adeſſe in Calvariæ horto, pronæque, atque ad genua præcipiti dixit. *Noli me tangere.* Et hoc primum annuente cœlo prodigium in ipſo capite: en aliud in capillis.

Ibidem

Ibidem criſtallo probè incluſi ſpectantur crines ejuſdem Divæ, qui nunquam canitie, ſeniòve decolorari potuerunt, & hoc (ut creditur) in præmium obſequii, quo domini pedes iis exterſit, poſtquam abundè eos proluerat. Et hoc ipſa perinde atque aliud revelavit, ut animulæ peccatrici ſtimulos adderet ad ſimilia in Christum Servatorem obſequia; à quibus & paria in terris ſibi polliceretur præmia, atque in cœlis longè ampliora.

Deſcendo ad poſtremum miraculum, quod vel ſacro Chriſti cruori datum eſt, vel inſigni D. MAGDALENÆ in eum religioni. E Paleſtinæ littoribus à Judæis expulſa, extorris, & exul, Deo navigium regente Maſſiliam cùm veniſſet MAGDALENA, ſecumque extuliſſet ampullam ſanctiſſimi cruoris Chriſti Domini, eam dono dedit Provinciæ de ſe quàm optimè merenti, quippe hoſpitali ſuæ.

Hic porrò ſanguis religioſè ſervatur in oppido S. Maximini, quod urbi Maſſilienſi finitimum eſt, claretque perenni miraculo, quippe anno toto concretus, tribus diebus reſolvi, liqueſcere, rubeſcere, fervereque videtur: ſcilicet feria ſexta majoris hebdomadæ, Kalendis Ianuarii, hoc eſt ipſo die Circumciſionis, ac denique in feſto Inventionis ſanctæ Crucis ineunte Maio: diceres illi ineſſe quodammodo ſenſum iſtorum dierum, quibus olim effuſus ad humani generis bonum; adeo in illis ſolvitur, æſtuatque totus. Et hoc (ut dixi) cœli annuentis prodigium, cui accedit & alterum; quod mutato, & correcto Kalendario ex pontificia Gregorii XIII. ſanctione, ii ipſi terni dies eodem miraculo inſigniri videantur juxta mutationem, & correctionem ejuſdem Kalendarii. Uſque adeo non errat Eccleſia Romana in iis, quæ ſubinde decernit ad Orbis Chriſtiani regimen, ac gubernationem. Hujus porro miraculi mentionem facit Silveſter Petra Sancta in Thaumaſia veræ Religionis; cui fidem aſtruxit ex teſtimonio Viri Religioſi. Is eſt R. Pater Frater *Ioannes Richeome* Prior Conventus S. Sixti Ordinis Prædicatorum, qui ut illius miraculi aliquando fuit teſtis oculatus, ſic & præco religioſus, ac ſacer; ut legere eſt in litteris ab illo datis 20. Maii Anno 1645. Quæ videri poſſunt loco à me citato; ego ne longior ſim, illis in præſentia ſuperſedeo, ut redeam ad D. MAGDALENAM, cujus in Chriſtum pietatem & ſuſpicimus, & amamus etiam in hoc, quod Chri- *Tom. 5. c. 12. p. 105.*

ſti ſanguinem, ſeu terram ſanguineam, ejus ſcilicet cruore imbutam & amanter collegerit, & religioſè ſervarit, & in poſteros tranſmiſerit, ut eſſet ſimul & monumentum perenne chriſtianæ pietatis, & incitamentum divini amoris, quo ut ardebat ipſa, ſic & alios ardere peroptabat quàm maximè.

SEPTIMA.

Ex amore, ſtudióque juvandi peccatores.

CUm optimam partem ſibi elegiſſet MARIA, videlicet vitam Contemplativam, nec Activam cum ſorore ſua *Martha*, proximis in ſpiritu juvandis non ſtuduit in vita, niſi oratione, cui impensè vacabat: à morte verò iis ad meliorem frugem reducendis ſe impendit quàm ardentiſſimè.

Argumento erit illud, quod eſt recentioris memoriæ, anni ſcilicet 1653.

Cracoviæ quidam pro converſione S. MARIÆ MAGDALENÆ gratias Deo agebat quotidie, ſemel Oratione Dominica, ſemel Angelica Salutatione, illo nomine recitata; nec id omittebat unquam quidquid demum obſtaculi ſe offerret. *Annua Provin. Polonica. An. 1653.*

Hunc lubrica ſemel carnis prolapſione inquinatum, peſſima conſcientiæ rabies ad voluntariæ mortis conſilia deſperantem urgebat. Jam ſaxo ſibi alligato mortem in aquis quæſierat; ſed altiore de Cœlo vi detentus eſt, ne periret: jam laqueum collo injecerat, ut ſeipſe præfoceret: ſed opportunè uxor ſagax illum reperit, & laqueo exemit. Quid deinde?

Huic dolore illo ſuo tabeſcenti, oblata eſt per quietem S. MARIÆ MAGDALENÆ obſequii quotidiani læta ſpecies, quæ tacitè monebat, ut & conſcientiæ quietem, & lætitiam in ſacro pœnitentiæ tribunali quæreret, néve cunctaretur: ſed ſe diei ſupremæ apparitione quàm optima inſtrueret; futurum enim ut poſt quartam ab hinc hebdomadam, evocaretur. Rebus itaque conſcientiæ ſuæ cum uno è noſtris è profeſſa domo, ritè compoſitis, eo, quo D. MAGDALENA prædixerat die terris vivere deſiit, & cœlo cœpit.

Et hoc illi Divæ ipſius Tutelaris beneficium fuit: hoc erit & aliis, qui illius ſe tutelæ, ac patrocinio totos commiſerint.

IN FESTO
SANCTI IACOBI
APOSTOLI.

ISAACO parenti & captam in venatione, uti aiebat, prædam, & ſcipſum ſtiterat *Iacob*, opportuno *Rebeccæ* matris conſilio, ut paternam inde derivaret in ſe benedictionem. Et certè derivavit, quod cùm audiſſet *Eſau irrugiit clamore magno, & conſternatus*, primò de fratre queri cœpit, dein & debitam primogenito benedictionem poſtulare: ſed fruſtrà, eam jam tu-
Gen. c. 27. lerat *Iacob*. Audiit itaque à parente quàm optimo: *Benedixi ei, & erit benedictus.*

Quod olim *Iſaacus* filiolo ſuo *Iacob*, hoc D. IACOBO Deus, hoc Chriſtus, generis noſtri Servator, *Benedixi ei, & erit benedictus*; quod ut magis in aperto ſit, & clara luce, unam more meo movebo quæſtionem ex ipſis Eccleſiaſtici verbis petitam.

QUÆSTIO UNICA
MORALIS.

Ad illa verba: *Dilectus Deo & hominibus, cujus memoria in benedictione eſt.* Eccleſ. c. 45.

QVIS ILLE DILECTVS?
Et quæ ei benedictio?

SI Litteram attendas, & ſenſum Scripturæ, ut aiunt, litteralem *dilectus* ille eſt *Moyſes*, hanc enim illa exprimit: at ſi ſenſum tropologicum, alius eſſe poteſt, atque alius pro alio, atque alio divini amoris, & cœleſtium benedictioonum appulſu.

Serm. de D. Benedicto. *D. Bernardus* hæc Scripturæ verba accommodat D. Benedicto, ut nomine, ſic etiam re benedicto: *Dilectus ſanè Deo*, inquit, *& hominibus, cujus non ſola præſentia in benedictione fuit; ſed & memoria ejus etiam nunc in benedictione eſt. Nam & uſque hodie in triplicem amoris Dominici confeſſionem, triplici ex fructu paſcit Dominigregem, paſcit vitâ, paſcit doctrinâ, paſcit interceſſione.*

Quod de D. Benedicto *S. Bernardus*, hoc ego in præſentia de D. JACOBO, qui etiamnum mortales omnes paſcit vitâ, & rarioribus virtutum magnarum exemplis. Paſcit & doctrinâ, quàm in varias Orbis partes Evangelica ſua prædicatione ſparſit. Paſcit denique & interceſſione, ſuiſque apud Deum precibus, quibus & impendentia mala à capitibus noſtris avertit, & bona omnia nobis accumulat, ut proinde meritò dicatur, & ſit illius *memoria in benedictione*, ut ex dicendis magis patebit.

PRIMA D. JACOBI BENEDICTIO.
Ex ipſo nomine, ejúſque etimologia ac mutatione petita.

Gen. c. 27. v. 36. DE *Iacob*, fratre ſuo ſic olim queſtus Eſau: *Iuſtè vocatum eſt nomen ejus Iacob: ſupplantavit enim me en altera vice. Primogenita mea ante tulit, & nunc ſecundò ſurripuit benedictionem meam.*

Quod *Eſau* de fratre ſuo *Iacob*, hoc de S. IACOBO Mundus, hoc Caro, hoc Dæmon jurati illi hoſtes, quos ſupplantavit: & quidem primò Mundum, cùm relictis omnibus, ſpretis omnibus mundi bonis, ſecutus eſt Chriſtum, pauper pauperem: ſecundò etiam Carnem, cùm vocatus à Domino abiit à domo, à patria, à patre, imò & à ſeipſo, abnegando ſeipſum, & ſuam ipſe voluntatem, ut ea quæ Chriſti erant indueret: Denique & Dæmonem, dum illius ſimulacra & in Hiſpania, & in aliis Orbis partibus evertit, atque diruit, ut meritò audiat JACOBVS, id eſt *ſupplantator*, Mundi ſcilicet, Carnis & Dæmonis. Et hinc prima illi à nomine benedictio.

Altera ducitur à tranſpoſitione litterarum, Hebraicarum ejuſdem nominis, quæ ſi per modum anagrammatis tranſponãtur, ex *Iacob*, legitur *Galeatus*, ut annotavit Georgius Venetus. Ut ſic in tanto viro, nihil invenias, niſi quod arma, bellúmque ſpiret adverſus Chriſtiani nominis hoſtes, ut infrà videbimus.

Tertia denique benedictio ducitur à mutatione factâ nominis, in qua duo mirari poſſumus, & amare. Primùm quod ea mutatio facta ſit vivæ vocis oraculo; oraculo, inquam, primæ Veritatis, id eſt Chriſti.

Ordo D. Auguſtini in Eccleſia longè celeberrimus, ſuſpicit, & commendat nomen *B. Angeli de Furcio*, Bollandus
vel ob hoc unum, quod à D. Michaële Archangelo 6. Febr. in
illud acceperit, eo quippe momento, quo ex utero ejus vita
materno prodiit nomen habuit ab illo ipſo cœli c. 2.
Principe: quod ſanè magnum eſt, atque illuſtre: at quid illud, quantumque ſi cum D. JACOBO componatur, qui à Chriſto, mundi Servatore, Deo homine, nomen eſt ſortitus, & hoc quidem mutatione in melius facta.

5 Febr. in vita S. Adelheidis. c. 3.

Vivere deſierat *S. Megengor D. Adelheidis* Virginis pater, cùm uni è ſororibus viſendum ſe dedit. Rogavit illa num eſſet Dominus *Mengengor* ſuos inter olim clarus, clarus à natalibus, clarior à virtute. Cui Vir Dei jam beatis additus, Hoc mihi, inquit, nomen fuit in terris, ſed aliud in cœlis, in his enim dicor *Megengaudus*, quia corporis vinculis abſolutus, gaudiis Sanctorum perfruor in Dei mei regia. Dixit, & evanuit: poſteriſque id documenti reliquit, ſuperum gratiâ, Deique favore magnarum mentium mutari nomina: at ſemper in melius. Et ita factum videmus, in duobus fratribus, *Ioanne* & *Iacobo*, quos ipſe Chriſtus appellavit *Boanerges*, id eſt *filios tonitrui*, non ſine Numine, & magna illorum commendatione, quibus datum eſt à Chriſto, quod nulli Apoſtolorum niſi *Petro*, cujus nomen etiam mutavit, ut ex *Simone* diceretur *Cephas*, id eſt, *Petra*, qui futurus erat Eccleſiæ *Petra*, & quaſi *lapis fundamentalis*: & Divi *Ioannes* & *Iacobus*, quia futuri erant *filii tonitrui*, dicti à Chriſto *Boanerges*, ut de illis quoque dici poſſet, quod de *D. Baſilio* magnificè extulit D. Gregorius Nazianzenus: *Tonitruum erat oratio, qui vita fulgur.* Sic quia Divorum *Ioannis* & *Iacobi* vita futura erat inſtar fulguris, ab exemplis illuſtrioribus virtutum omnium; eorum quoque oratio erat adinſtar tonitrui, quod altùm inſonaret, quod terreret, quod frangeret etiam indomita cœlo capita, animoſque pervicaces.

Tertullian. Apolog. c. 5.

Sub *Marco Aurelio* Romanorum Imperatore nominata fuit Chriſtianorum militum *Legio*, vulgo dicta *Fulminatrix*, ex eo nomen ſortita quòd in ſumma aquæ penuria, quâ laborabat Romanus exercitus, oratione ad Deum fuſa pluviam impetraſſet: mox enim ab illa & cœlum in nubem cogi, & inſonare tonitrua, & micare fulgura cœperunt; quibus & recreati Chriſtiani, & Infideles longè plurimi interfecti. Ita tonabat, fulgurabat, atque in impios fulminabat illa Legio. Quod illi: hoc Divis *Ioanni* & *Iacobo*, qui fidelibus uberem è cœlo gratiæ pluviam impetrare ſoliti, & infidelibus tonitrua, pœnarumque fulmina, ceu totidem irati cœli fulmina.

SECUNDA D. JACOBI BENEDICTIO.

Ab eximio Chriſti in eum amore.

D*ilectus Deo*, inquit Eccleſiaſticus; Dilectus & Chriſto, hoc eſt Deo homini. Ea porrò dilectio fundamentum aliquod habuit in natura, ipſoque ſanguine, cui ſine vitio dari potuit ſingularis aliqua dilectio; erat enim D. JACOBUS ex provincia Galilææ, filius *Zebedæi*, & *Mariæ Salome*, adeóque conſobrinus Chriſti ſecundùm carnem: verùm ut hinc concedi potuit amor aliquis etiam ſine nævo, præcipuè tamen is gratiæ eſt conceſſus, & aliis, atque aliis argumentis proditus, maximè verò familiaritate; quæ amoris index eſſe ſolet. Reges ac Principes compoſuerunt Antiqui cum Sole, qui planetis, ac ſtellis lucem ſuam communicat: ſic illi ſuas quodammodo cogitationes, & conſilia, ſeu lucem; ſuos ardores, & æſtus, ſeu amores, communicant; & teſtes adhibent ad præcipua quædam, & heroica facinora; & ita adhibiti ſunt Apoſtoli *Ioannes* & *Iacobus*.

A morte ad vitam revocare parabat Principis Synagogæ filiam: facinus erat inviſum terris, & cœlo dignū: ad illud teſtes educit ſecum duos fratres *Ioannem* & *Iacobum*, veluti ſibi in paucis familiares.

Aſcendere voluit ſublimis in montem *Thabor*, atque abire in alium quaſi à ſeipſo, ibi (ut loquitur Scriptura) *transfigurari*, ſplendere facies ejus ſicut Sol; imò Solem vincere, & luce, & ardore: & teſtes admittit illius lucis, illiuſque gloriæ *Petrum*, *Ioannem* & *Iacobum*, veluti præcipua Apoſtolici Collegii capita, & quæ erant in primis amoribus. Orandum, flendum, ſudandum fuit in horto *Getſemani*, & veniendum veluti ad ipſa mortis confinia; in ipſa quaſi cum vita, mortéque lucta (quam agoniam vulgo dicimus:) & hujus quoque teſtes eſſe vult eoſdem, *Petrum*, *Ioannem* & *Iacobum*, veluti ſibi amiciſſimos. Hac porrò amicitia, ac familiaritate innixa *Maria Salome* eorum mater, etiam auſa Chriſtum interpellare, rogaréque ut filiorum ſuorum unus ad dexteram, alter ad ſiniſtram conſideret in ejus regno. Ardua, ſanè, audaxque petitio, quæ filios Chriſto Judici poſtulavit velut aſſeſſores in cœli curia.

Bollandus 17. Febr. in ejus vita c. 4.

Magnificum illud, & planè ſingulare quod de *S. Fintano* Abbate in Hibernia referre ſolebat Sanctus Pater *Columba*. Videbat nimirum illum omnibus noctibus Dominicis Chriſto Judici aſtare inter Angelos: ut eſſet iſtic commiſſi ſibi gregis, ac populi, vel Advocatus, atque interceſſor, vel ſecundus à Chriſto Judex. Magnum profectò illud, & *S. Fintano* perhonorificum: ſed audeo dicere, par illud; imò & majus, quod petit Zebedæorum mater, dum filiorum unum optat à dextris Chriſti conſidere, & alterum à ſiniſtris. At unde id optat, id ſperat, id exigit à Salvatore quàm optimo. Dicámne credidiſſe dandum illud cognationi, & ſanguini? fortè non aberrabo ab ejus mente. Dicámne amori, & ferè amicitiæ Chriſti cum filiis? propiùs accedam & ad mentem parentis, & ad rei (qua de agitur) veritatem. Magna nimirum illis cum Chriſto intercedebat familiaritas, atque (ut ita loquar) amicitia. De amicitia etiam eâ, quæ homini eſt cum homine, ita loquuti veteres, quaſi ea eſſet ſummum in terris bonum. De illa ſic Caſſiodorus, & eleganter, & verè:

Prologo de Amicitia.

Amicitia eſt divitibus pro gloria, pauperibus pro cenſu, exulibus pro patria, imbecillibus pro virtute, pro medicina ægrotis, mortuis pro vita. Ecce quantum bonum amicitia etiam hominis cum homine; etiam paris cum pari; quod ſi cum ſuperiore, majus certè bonum.

Machab. l. 2. c. 7.

Cùm vidiſſet *Antiochus* Machabæos, fortia illa pectora, & grandes animas, etiam irâ, tormentiſque ſuis ſuperiores extitiſſe, ut ex iis juniorem vel moveret, vel flecteret in ſuas partes, non ſolùm verbis hortari cœpit: *Sed & juramento affirmare ſe beatum illum, & divinum facturum, tranſlatum à patriis legibus amicum habiturum.*

Non invenit potentius telum, quo impeteret, quo feriret, quo læderet, quo frangeret invictum Adoleſcentis animum, quàm amicitiam ſui: non divitias, non honores, non ipſam beatitatem poſuit pro ultimo, adeóque potentiore telo; ſed amicitiam: at quænam, inquies, illa? *Antiochi.* Regi quidem: ſed tyranni, attamen quia erat amicitia, in ſummis bonis repoſitam putavit. Quod ſi ea eſt, etiam ſapientum calculo, quæ erit amicitia Dei, amorque Dei: certè id bonum, quo nec in terra, nec in cœlis majus, quo nec in tempore, nec in æternitate optabilius. In humanis, amicus fit permagni, & hoc quia, ut ſcitè D. Chryſoſtomus, *Alium pro ſe ipſo habet, qui amicum habet.*

Hom. 2. in 2. ad Theſſ.

Quod ſi hoc magnum, hoc optabile, quid erit illud, non alium pro ſeipſo habere, id eſt ſimilem pro ſimili, parem pro pari, hominem pro homine: ſed Deum habere pro ſeipſo, hoc eſt infinitis paraſangis ſeipſo meliorem. Et ita Deum, ita Chriſtum habuit D. JACOBUS, amicum ſibi, amantem ſui, quod ſummum illi bonum, ſummaque benedictio, cui ſuppar alia.

TERTIA D. JACOBI BENEDICTIO.

A ſingulari Deiparæ in eum amore.

A Morem Veteres compoſuere cum igne, *lumine qui ſemper proditur ipſe ſuo*, lumen porro amoris ſunt opera, quæ ſi adſint amor eſt; ſi deſint non

non eſt amor, ſed amoris umbra, & velut inane ſimulacrum. Ut enim D. Gregorius: *Amor operatur magna ſi eſt; quod ſi operari renuit, amor non eſt*; & ita qui Divæ Matris in JACOBUM fuit amor, & magna, & prodigioſa operari viſus eſt.

Erat in Judæa magna Mater, & Virgo MARIA, erat in Hiſpania JACOBUS, longo terrarum, & oceani tractu diſſiti, atque disjuncti, ſed amor propinquos fecit, etiam inviſo hactenus amoris miraculo.

Cùm *Cæſaraugustæ* Dei verbum unà cum diſcipulis ſuis diſſeminaret D. JACOBUS, fortè cum illis urbe exiit, atque ad Iberi fluminis littora venit, venturus de more ad Deum orator procul à turba, & hominum tumultu; ſic enim orare à Magiſtro ſuo, id eſt Chriſto, didicerat: & ecce illi novum, & mirabile amoris prodigium; adeſt Virgo, Dei Mater, cum inſigni ac numeroſo Angelorum comitatu, concinentium utique Dei laudes; adeſt, inquam, & ſeſe viſendam exhibet inſiſtens columnæ ex jaſpide, quæ fortè ad Iberi fluminis ripam fuerat erecta: notos ſibi vultus, & amores agnovit D. IACOBUS, & illico in terram concidit, eam ſupplex veneraturus, cùm hæc ei Virgo. Hoc in loco mihi baſilicam extrue; futurum enim eſt, ut hæc regio mihi, meoque cultui ſit in paucis addicta: & ego quoque illi & favores meos, & patrocinium addico, uti & in primis tibi, qui primus meo honori, cultuique velificari ſtudueris; dixit, & ſimul videri, ſimul & loqui deſiit: Ecce miraculum, ecce prodigium amoris; quod nulli Apoſtolorum datum eſt. Ut illi quà poſſet reſponderet, ſimulque Virgineo, ſeu amori, ſeu mandato, Deiparæ adhuc viventi, ac ſpiranti magnificum templum erexit, & columnam cui inſederat, eidem incluſit, à qua & nomen accepit, retinuitque, in hunc uſque diem, vulgo dicta Eccleſia *Del Pilar*, ſive *De columna*. & hinc prima, ſeu Chriſtianæ Religionis, ſeu virginei cultus jacta ſunt fundamenta, quæ & Virgini Matri debet Hiſpania, & virgineo in D. IACOBUM amori.

Fuit illud in Chriſto miraculum amoris erga B. *Margaritam de Cortona*: cui & matrem ſuam oſtendit, & addidit illud amantis. *Filia mea, ecce tibi oſtendo, & dono electam meam.* At audeo dicere majus aliquid à Virgine in D. IACOBUM, cui & ſeipſam adhuc vivens oſtendit non ſine amoris ac cœleſtis potentiæ miraculo: quia abſens abſenti; & inſuper illi ſeſe quodammodo donavit, futuram electam illi ex millibus.

Bollandus 22. Febr in ejus vita c. 4.

QUARTA D. JACOBI BENEDICTIO.

Ab inſigni, & numeroſa animarum converſione.

EA *Benedictio* è duobus peti poteſt, primò ex animarum pretio. Secundò ex earum numero, ac multitudine.

Pretium hinc colliges, quod nihil illi in hoc orbe aſpectabili dari poſſit æquale: *Quam enim commutationem dabit homo pro anima ſuà?* hoc eſt effatum, hoc oraculum Incarnatæ Sapientiæ, quæ ex te hoc quærit, ô quiſquis es homo; *quam commutationem dabis pro anima tua?*

Dabis aurum, argentum, omneſque Principum, ac Regum gazas? non eſt æqua commutatio.

Dabis gemmas, & uniones, ſeu quas videt Oriens, ſeu quas efferunt maria? nec ab illis æqua commutatio.

Dabis urbes, provincias, regna, imperia, ſceptra, coronas, ac diademata; neque ab illis æqua commutatio.

Dabis univerſum terræ ambitum, dabis effuſa maria, dabis cœlum ipſum, & cœli oculos, cœli gemmas, ſolem, lunam, ac ſidera? ſed neque ab illis omnibus æqua commutatio.

Igitur, ô homo, (ut te ipſe cum Auguſtino compellem) *Homo*, inquam, *qui miraris ſiderum altitudinem, & maris profunditatem, animi tui abyſſum intra, & mirare ſi potes.* Quod ſi ſatis mirari non potes; certè nec ſatis æſtimare potes; quod ſi nec ſatis æſtimare, profectò nec ſatis eum æſtimare, qui animum illum lucrifecerit, qui Deo, & Religioni addiderit, uti addidit D. IACOBUS, nec animum dumtaxat unum: ſed propè innumerabiles; & hinc mihi duplex D. IACOBI benedictio. Una ab animarum pretio altera à numero.

Lib. 10. Conf. c. 8.

Sed erit hic unus aliquis, qui mirabitur à me de numero moveri quæſtionem: quis neſcit exiguum illum fuiſſe. Dei verbum, ſeu ſemen, jecit Apoſtolus in *Iudæa* primùm, & *Samaria*, deinde & in *Hiſpania*; ſed quam paucos animarum manipulos collegit? Velagius Epiſcopus, cæteroquin Apoſtoli magnus Præco; ſeptem dumtaxat illius Diſcipulos memorat, & his nominibus notat: *Calocerus*, *Baſilius*, *Pius*, *Chryſogonus*, *Theodorus*, *Athanaſius*, & *Maximus*. Ecce quos illi fructus dedit cœleſte ſemen, quos cœlo partus Hiſpania, & multos mihi interim jactitabis: enimverò multos, evenit enim illis quod ſemini, quod ſubinde centeſimum, ſubinde & milleſimum reddit; & in hoc cœleſti ſemine audeo dicere miriadas etiam ab uno D. JACOBO.

Plutarcho viſus eſt celebris dux quidam cui nomen *Thimotheus*, quorum facinora ut notarent alii, pinxere hominem dormientem, atque ab ejus manu dependens rete, in quod properabant ingredi oppida, provinciæ, regna; hac ipſe evigilans delectatus pictura, ait: *Si tanta vel dormiens conficio, quid excitatam me facturum putatis?*

Habes, Amice Lector, emblema nobile, quod & Apoſtolum refert, ceu invictum militantis Eccleſiæ ducem: dormit ille altùm à morte ſopitus, molliter cubat in ſua Hiſpania, quæ ſacris ejus exuviis gaudet, exultat, triumphat, & interim unâ manu tenet rete; quid enim aliud teneat piſcator, & piſcator hominum? In illud porro veniunt; imò properant urbes, provinciæ, regna, imperia, ſeu quæ aſpicit Sol Oriens, ſeu quæ videt Occidens; nec enim in illius etiam dormientis retia venit Hiſpania ſola, quæ tredecim cenſet Regna; ſed utraque India, & in iis vaſtiſſima Regna, tot ſcilicet, quot armis jam occupavit Hiſpania; quot fide ac religione debellavit, Deòque adjunxit D. JACOBUS, etiam à morte dormiens, ac requieſcens. Tantum valuit apud Superos, Deumque invictiſſimi Ducis potentia, ac felicitas. Fatebor enim ea omnia animarum ſpolia deberi vel uni D. JACOBO Hiſpaniæ Patrono, ac DIVO Tutelari; adeóque & omnem, quæ ab illis eſt benedictionem.

De Sampſone pulchrè notat Hiſtoricus ſacer quod *multò plures interfecit moriens, quàm ante vivus occiderat.* Apprehendens ille ambas columnas, quibus tota innitebatur domus, ita fortiter concuſſit, excuſſitque, ut domus ruina, & Philiſthinorum Principes oppreſſerit, & ſpectatores omnes ad tria millia: ſed & ipſe eadem ruina oppreſſus occubuit. Fortior Sampſone D. JACOBUS, inferni columnas, hoc eſt Judaicam perfidiam, & idololatriæ cæcitatem, ac pertinaciam ita concuſſit, ut excuſſerit; non uti Sampſon ad cædem ac mortem: ſed meliore fato ad vitam ac beatitatem: ſicque multo plura vitiorum monſtra interfecit mortuus, quàm vivus occiderat, à quo profectò magna illi terra, cœloque data benedictio.

Iudic. c. 16.

QUINTA D. JACOBI BENEDICTIO.

A felici morte, ac martyrio.

DE vita, deque morte, multi multa, hoc ad præſens inſtitutum.

Vita eſt ſcala, per quam ſcilicet in cœlos fit aſcenſus

per

per altos, atque alios excelſarum virtutum gradus, Ita *Pittacus* inter Græciæ ſapientes, & factis, & dictis illuſtris.

Mors autem eſt *porta ad Deum*, per hanc enim animus è corpore, velut ergaſtulo, exiens, ad cœli regiam intrat, atque ad Deum ipſum evadit. Ita *Clemens Alexandrinus.*

Et talis D. JACOBO vita, morsq́ue fuit: *Vita* quidem *ſcala*, virtutes veluti gradus, è quibus primus fuit ab expedita, promptáque obedientia, quâ ad paucas Chriſti invitantis voces, eum illico ſecutus relictis retibus, & Patre.

Secundus ab ardenti zelo, & divinæ gloriæ curâ, ſtudioque! hoc inprimis patuit, ubi à Samaritanis ſumma inhoſpitalitate rejectus eſt Chriſtus, tum enim ita cum *Ioanne* fratre, ſic exarſit JACOBVS, ut à Domino petierit, liceret ignem cœlo devocare, qui incenderet, perderetq́ue rebellia Chriſto capita, & inhoſpitales animas; quem zelum, etſi repreſſerit Chriſtus, quòd non eſſet illius temporis; amavit tamen, & nos amare, ac ſuſpicere voluit.

Tertius ab incenſo animarum ſalvandarum zelo, à quo & *Iudææ*, & *Samariæ* fines omnes excolendos ſuſcepit, ac deinde per vaſtos oceani tractus, periculoſa maria in *Hiſpaniam* enavigavit.

Quartus ab invicta in malis, ac perſecutionibus patientia, morteque fortiter obitâ Chriſti ac Religionis causâ; morte dico, quæ illi etiam ad *Deum portæ* fuit, quæ tamen ei non eſt aperta; niſi per immane Iudæorum odium, per vincula, per carceres, ipſumq́ue ferrum, quo illi aperta eſt porta ad Deum, ac beatitatem. Iuvat illius meminiſſe temporis.

Ex Hiſpaniâ Hieroſolymam vix redierat Apoſtolus, cùm in Iudæorum invidiam, odiumq́ue mox incurrit. Excitarunt illi Magum eò loci, ac temporis nominatum *Hermogenem*, & magiſtro illi ſupparem diſcipulum *Philetum*, ut cum D. IACOBO congrederentur, primò verbis, acriq́ue diſputatione; deinde (ſi ea non ſuccederet) magicis artibus, incantationibus, præſtigiis agerent; imò & minis ac verberibus, inflictis etiam à malo dæmone plagis, ac vulneribus. Verùm nihil horum ſucceſſit; adfuit enim *Philetus*, qui ſtatim Apoſtoli verbis, ac ratiocinationibus convictus manus dedit, & colla ſubjecit fidei jugo, pro quo ſuſcepto, ne ab *Hermogene* magiſtro, aut potius à dæmone malè tractaretur, ſudarium illi dedit veluti potens amuletum adverſus hoſtis inſidias, ipſamq́ue inferni rabiem, vimq́ue tyrannorum.

Phileto ſic devicto ſucceſſit *Hermogenes*, qui & ipſe ab Apoſtolo victus, & Religioni Chriſtianæ, Deoq́ue additus, qui ne ipſe aliquid à malo dæmone pateretur, veluti illius, ſtygisq́ue deſertor, baculum ei dedit, quo diabolos omnes, tanquam canes à ſe procul abigeret. In quo mireris, & ames, *mi Lector*, ſanctorum vim, atque potentiam, à quâ & ſudario, & baculo fugantur, ac franguntur omnes inferorum poteſtates. Et ita fugatæ, fractæq́ue à D. IACOBO, quod dum non ſuſtinet inſana Iudæorum invidia, rabiesq́ue; novas ei moliuntur inſidias, vimq́ue parant inſolentiorem.

Conveniunt enim Centuriones duos, *Lyſiam* & *Theocritum*, & pecuniâ corrumpunt, ut Apoſtolo manus injiciant, in vincula rapiant excitatâ prius ab ipſis ſeditione, ac tumultu. Res ex eorum voto ſucceſſit, ſic diſſimulante cœlo, Deoq́ue ad ſervi ſui gloriam, ac beatitatem. De more ad confertam Iudæorum multitudinem dicebat JACOBVS, & quâ erat ſacratioris eloquentiæ vi, omnium commovebat animos, ſeu pœnitentiæ ſtudio, ſeu deſiderio vitæ melioris.

Quod ubi advertit *Abiatſar*, Judæorum Princeps, & anni illius Pontifex, illico ſignum dedit; nec mora, mali corvi malum ovum erupit; malus, inquam, mali Pontificis ſcriba, *Ioſias* nomine, qui in Apoſtoli collum funem immiſit; ſimulq́ue manum violentam: quo, veluti claſſico, exciti Centuriones illi duo, cum validâ militum, ac ſicariorum turbâ in eundem incurrunt, involantq́ue, vinctúmque, ut erat, deducunt ad *Herodem* Archelai filium, qui ut Judæis placere, moremq́ue gerere videretur, & alios Apoſtolos Hieroſolymis comprehendi juſſit, & D. JACOBVM capite plecti. Quid non audes livor? quid non potes furor? quid non moliris malè ſanum populo placendi ſtudium? ad ſupplicium, ad mortem rapis innocentem cœli victimam, & caput illud, vel ipſis Angelis verendum, petis ac detruncas. Verùm nihil agis, ô invidia, ô furor, ô rabies, manet, manebitq́ue Apoſtolo ſua laus, ſua gloria; imò & ſua vita; ſed melior illa, atque altior: laus quidem à paralytico, cui etiam vinctus, atque ad cædem raptatus ſanitatem reddet, atque incolomitatem: gloria verò vel ab ipſo *Ioſia*, quem ad meliora convertet, ac deinde fidei aſcriptum, ac religioni, etiam ſibi, cœlóque martyrem reddet. Manebit denique & vita, quia illi mors licèt violenta, licèt truculenta, atque in ſpeciem infamis; erit illi *ad Deum porta*, erit aditus ad beatam æternitatem, à quâ illi ſumma benedictio. *Pretioſa* enim *in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus. Pretioſa*, inquit D. Bernardus, *mors Sanctorum, pretioſa planè tanquam finis laborum: tanquam victoriæ conſummatio, tanquam vitæ janua, & perfectæ ſecuritatis ingreſſus.* Pſal. 115.

Hunc oculis, hunc animo dum ſpectas, expectásque, mi Lector, ſimul etiam ſpecta, atque expende quid ſit mors juſtorum, ut eam ambias ipſe, atque dum licet, etiam aſſequaris:

Primò eſt *finis laborum*, uti è contra mors impiorum laborum eſt inchoatio. *Laborum* dico *finis*, quia cum morte, juſtis moriuntur, & finem inveniunt labores omnes, ægritudo, dolor, luctus, lacrymæ, paupertas, frigus, æſtus, fames, ſitis, perſecutio, ferrum, ignis, cædes, & ſi quis alius in vita labor eſt, aut ſi quod malum.

Deinde *victoriæ conſummatio.* Vita quippe juſti eſt militia, in hac pugnæ, in hac certamina adverſus carnem, mundum, dæmonem, quibus dum reſiſtitur, cedit reſiſtenti nobilis victoria. Eſt militia, in quâ congreſſus cum perſecutoribus, cum tyrannis, cum igne, aqua, ferro, ipſaque ab illis illatâ morte. Sed mors illa, ut mors videri poſſit malè ſanis hominum oculis; at cœli, Deiq́ue calculo eſt *victoriæ conſummatio.*

Quid deinde: Eſt *vitæ janua*: nec enim poſſumus ad vitam immortalem ingredi, niſi per mortem, per hanc juſtus cœlum intrat, ac beatitatem.

Denique eſt *perfectæ ſecuritatis ingreſſus.* at cujus ſecuritatis? perfectæ utique, ac beatæ: ſecuritatis nunquam amplius peccandi, nunquam excidendi à gratiâ, nunquam excidendi à gloriâ: ô perfecta, ô beata ſecuritas! ad hanc aſpira, mi Lector: ſed prius ad labores, ad dolores, ad vincula, ad carceres, ad ferrum, & ignes, Chriſti ac Religionis causâ, ſi opus ſit tolerandos; idq́ue D. IACOBI vel hortatu, vel exemplo, qui ſcilicet inter Apoſtolos primus ſanguinem fudit, vitamq́ue profudit pro Dei cultu, atque amore.

De magno illo *Eleazaro*, qui pro patriis legibus primus inter Machabæos occubuit, extulit magnificum illud D. Ambroſius: *In moriendo, tormentis factus eſt cæteris magiſterium perſeverantiæ.* Quod ipſum D. JACOBO aſcribere poſſumus, ceu nobile lemma, quod moriendo pro fide, pro religione, próque Deo, factus ſit omnibus mortalibus *magiſterium perſeverantiæ*; longè aliter quàm in ſcholis, aut lyceo ſoleret: in hoc enim, & illis magiſterium finitur cum vita, deſinitq́ue in morte: at in D. IACOBO cœpit cum ipſa morte, ab hac enim non tantum magiſter Lib. 2. de Iacob c. 11.

 factus

factus eſt Chriſtianæ perſeverantiæ: ſed ipſimet *magiſterium perſeverantiæ*, in quo etiam ſumma illi, cœlo propitio, & annuantibus ſuperis, collata benedictio.

SEXTA D. JACOBI BENEDICTIO.
A ſepulchri luce ac gloria.

CUm *Emmanuelem*, id eſt Chriſtum, amoresutique ſuos, deſcriberet *Iſaias*, ubi de vita, deque morte multa, hoc etiam de illius ſepulchro: *Et erit ſepulchrum ejus glorioſum.* Glorioſum ſanè à ſacris illius corporis exuviis; glorioſum à miraculis, ac prodigiis, glorioſum à cœleſti luce, quâ ſubinde inclaruit, glorioſum à concurſu peregrinorum, cultuque ac reverentia, quæ illi exhibetur.

Cap. 11. v. 10.

Quod *Iſaias* de Chriſti ſepulchro: hoc ipſum de D. IACOBI ſepulchro extulit Seraphicus Doctor, D. *Bonaventura*: cui etiam illud inſcribi voluit lemma. *Et erit ſepulchrum ejus glorioſum*: tum *quia in principio miraculis plurimis fabricatum, tum quia in medio magnis virtutibus adornatum, tum denique quia magnis privilegiis eſt dotatum.* Hactenus S. Doctor; cujus mentem, ſtylumque dum ſequor, pauca dicam de ſepulchri illius luce ac gloria.

Serm. 2.

Annus, quo terris occidit, & cœlis ortus eſt D. IACOBVS, fuit Domini quadrageſimus quartus: dies autem Martii vigeſimus quintus Annuntiatæ Virgini ſacer: placuit tamen feſtum illi ſolemne transferre in vigeſimum quintum Iulii, quo ſcilicet in *Hiſpaniam* elatum eſt ſacrum illius corpus.

Cùm ferro cecidiſſet; *Calocerus*: aliique digni tanto magiſtro diſcipuli, corpus primùm extulerunt in *Ioppen*: dein oblato miraculosè navigio in Hiſpaniam, per longos, & difficiles oceani tractus, quibus ſuperatis tandem appulerunt in *Galliciam*, & primò exſcenderunt in civitate *Iria Flavia*; deinde *Compoſtellam* venerunt, ibique ſacras Apoſtoli exuvias in ſepulchro marmoreo depoſuerunt: tum auſpice Deo, Chriſti fidem longè lateque diſſeminare cœperunt, non ſine magno animarum proventu: Verùm, ut humana ferè omnia in pejus concidunt, etiam in Hiſpaniâ peſſum ire Religio, pietasque: hinc veriti Diſcipuli, ne qua ſacro corpori fieret injuria, illud terræ altè defoſſum occultarunt; & ſanè occultatum ſic fuit, per annos quingentos, eoque amplius, cùm tandem poſt multa ſæcula, mœſtosque ſoles, placuit ſuperis illud iterum oculis hominum, & priſtino cultui reddere, ſub *Alfonſo* Hiſpaniæ rege, cui cognomen *Caſtus*: ſub quo enim potiùs Caſtitatis cultor, ac vindex efferretur, quàm ſub Caſto Principe? Caſtos nonniſi caſta decent. Et verò decuiſſe probavit Deus etiam miraculo.

Eò loci, ubi depoſitum olim Apoſtoli corpus, per longa illa ſæcula, excreverat ingens ſylva, & opaca, quæ ſacratiores illas exuvias ita tegebat ut nulla amplius illarum apud mortales eſſet memoria: ſed erat apud immortales, apud quos nulla Sanctorum oblivio; ne porro diuturnior eſſet etiam apud illos, nocte concubiâ viſa lux magna illi loco & ſylvæ imminere, idque ſæpiùs, ac ſæpiùs à vicinis omnibus, remotisque notatum cùm eſſet, placuit *Theodemiro* Iriæ Epiſcopo id ipſum prodigii genus deferre, qui & ipſe deinde eandem lucem, ſplendoremque nocte intempeſtâ cùm ſpectaſſet, curavit humum altè effodi; & ecce jucundum oculis, animisque ſpectaculum: ſacellum viſitur pulchrè fabricatum, & in eo arca marmorea, quâ conditum erat D. IACOBI corpus.

Hic omnes invaſit ſtupor, amorque, & reſtaurata ſtatim Apoſtoli veneratio: quam & auxit Rex *Alfonſus*, extructa ibidem baſilica, ſumptu planè regio, & multis deinde ejuſdem Regis munificentiâ, ornata donis, dotataque privilegiis. Et meritò, hæc enim quaſi jure ſuo exigebat Apoſtolus, futurus deinde Hiſpaniæ Patronus, Tutelaris, ac propugnator acerrimus, & hæc ipſa deferebat Hiſpanica, id eſt Catholica, in ſanctos veneratio, atque in ſuperos pietas; quam etiam miraculo probatam Deus voluit, ut ſciret Hiſpania, ſciret Orbis univerſus, eò loci latere Divum Hiſpaniæ Tutelarem, qui etiam è ſepulchrale urna & pericula illi impendentia denuntiaret, & ex eadem, quaſi in arma, aciemque prodiens averteret.

Refert Ioannes Euſebius Nierembergius, & ex illo Silveſter Petra Sancta, Pericula Hiſpaniæ imminentia indicari per bellica murmura, per tubarum veluti clangores, & ſonitus armorum, qui prodeunt, audiunturque ex ipſo D. IACOBI ſepulchro; quæ murmura, qui clangores, qui ſonitus non ſemel ſunt auditi; ac nominatim priuſquam vulgaretur immanis illa conjuratio Neophytorum Maurorum, quos *Moriſcos* appellant.

Lib. 10. mirac. Europa c. 11.

Vigilat nimirum etiam in mortis ſomno, etiam in ſepulchri nocte Divus ille Hiſpaniæ Tutelaris, & pericula denuntiat, ut avertat. Nec illud apud Sanctos novum eſt, & inſolens: notum quippe illud, ſepulchra quædam Divorum, ſtrepitu ſuo ſignificare mortalibus, Clientibus utique ſuis, aut imminens lethum, aut triſte aliquid, ac funeſtum.

Ita ad ſepulchrum S. *Bertulphi* Abbatis, cum publica impendet calamitas, auditur è ſepulchro veluti quædam manuum compleſio, atque inter ſe colliſio; ut conſtanti fama Gandavi traditur.

Bollandus 5. Febr. in ejus vita §. 2.

Ita è tumulo magni illius *Cid Ruit*, altè inſonat armorum fragor, belli imminentis præſagium. Sic publicis malis veluti præludunt ingentes illæ animæ; nec publicis tantùm, ſed & privatis.

Meſſanæ in Sicilia, arcula, intra quam exuviæ B. *Euſtachiæ*, quieverunt, ſuo pulſu indicat, è monialibus unam aliquam brevi morituram, nec unquam ſine funere fuit ea religioſa domus, poſt auditam ejus tumuli admonitionem.

Silveſter Thaumaſia tom. 3. c. 20.

Nec funeſta tantùm nuntiant ea heroum ſepulchra: ſed quandoque etiam læta, & fortunata: quo in genere ut jucundum, ſic mirabile illud, quod de *Ferdinando Gonzale*, Caſtellæ comite, narrat idem Nierembergius: *Memoria*, inquit, *dignum eſt, oſſa Comitis Caſtellæ, fortiſſimi Ferdinandi Gonzalis, quæ jacent in Sancto Petro Arlanzæ, ſuo ſtrepitu, & concuſſione ſignificare victorias* Catholicorum *contra infideles. Et obſervatum inſonuiſſe vehementer in oppugnatione Granatenſis Regni, cum tandem Hiſpania Mauricum jugum excuſſit. Nec tantùm noſtratum victorias ſonitus hic prædicit, ſed etiam externorum. Nam anno milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo ſexto, pridie ante victoriam Ioannis Hanniadis cum profligavit Turcas, inſonuere pariter. Aliquando etiam alio prodigio noſtratum felicitatem promittit idem Comes: quippe ante illam victoriam, miraculoſam quidem, quam vocamus De Las Novas, cùm Rex Alfonſus Octavus, innumeras Maurorum catervas proſtravit, auditus eſt in tota civitate Legionenſi bellicus ſtrepitus, uſque ad templum S. Iſidori, cujus foribus pulſatis, vigilanti Sacerdoti nuntiatum fuit, Comitem Ferdinandum Gonzalem adeſſe cum Cide Rex Diaz, atque adventaſſe illuc, ut evocaret Regem Ferdinandum Primum qui eo in templo jacebat. Poſtero die ſecuta victoria. Magnis utique illis heroibus, Ferdinando Comite, & Ferdinando Rege pro ſua Hiſpania pugnantibus,* atque è ſepulchri nocte (ut ita dicam) in lucem, ſolemque armorum prodeuntibus; quod etiam non ſemel feciſſe viſus eſt D. IACOBVS, ut oſtendet ea, quam ſubjiciam, illius à Deo benedictio.

SEPTIMA D. JACOBI BENEDICTIO.
Ab armorum fulgore, ac præſidio.

ERecta quondam Iulio Cæſari honoris ergo ſtatua virenti redimita lauro, quæ dextrâ rotabat enſem, ſiniſtrâ calamum regebat. Subjecta erat hæc epigraphe: *Ex utroque Cæſar.*

Denotabat

Digitized by Google

Denotabat illa utroque excelluiſſe Cæſarem, mente ſcilicet, & manu; calamo peræquè, ac ferro.

Et hoc Cæſaris, hoc Principis, hoc magni eſt Ducis; quod etiam notavit Hiſtoricus ſacer, qui dum receuſet nomina fortium David: hoc effert de Duce quodam imprimis forti, cujus nomen reticet; *2. Reg. c. 23.* ſic interim de illo: † *Sedens in cathedra ſapientiſſimus princeps, inter tres ipſe eſt tanquam tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu uno.* Ecquis ille ſapientiſſimus Princeps; qui & in cathedra ſedet, quod Doctoris officium, & ſimul arma rotat, hoſteſque ſternit; quod bellici Ducis eſt munus?

Veniam dabis, *Amice Lector*, ſi abeam à litterâ, deſcendámque ad ſenſum tropologicum, dicamque ex illo, D. JACOBUM eſſe Principem illum ſapientiſſimum inter tres, quos ſcilicet ſibi Chriſtus adlegit veluti præcipuos exercitus ſacri Duces: *Petrum, Ioannem & Iacobum.* Eſt ille, ſi natalia ſpectes, abjectus imprimis, & quaſi vermiculus; ex aquis ſcilicet evocatus ad ſidera. Sedet tamen in cathedra, dum Apoſtolicum munus obit, dicit è pulpito, docétque ſubjectam turbam; interea tamen, quod ſtrenui Ducis eſt, facit, juratos fidei hoſtes ſternit impetu uno, non octingentos, ut ille; ſed totos exercitus.

Juvat illius meminiſſe temporis. gemebat Hiſpania ſub infami Saracenorum jugo, & quotannis iis pendere debebat luctuoſum ſanè, & miſerabile tributum, centum ſcilicet Virginum, quæ abducebantur, ut infelices victimæ; ſi non ad cœdem corporis; at profectò ad certam animæ perniciem. Hoc tributo ſe, ſuoſque liberare dum ſtudet *Ramirius* Rex, ejus nominis primus, Saracenorum in ſe odium, armáque concitavit. Advolant illi, in Hiſpaniam irrumpunt totis copiis, & eas longè, lateque fundunt. Venitur ad arma, & pes pedi, manus manui jungitur: ſed, ô malum! vincitur, fugatur, cæditur Hiſpanicus exercitus, & paucæ illius reliquiæ evadunt in montes, ibique ſe tuentur, non jam armis, ſed natura loci; per avia ſcilicet, & invia ſparſi. Quid hîc Rex *Ramirius*? noctem exigit inſomnem, & ſupplices in cœlum manus extendit: nec in vanum. Eadem quippe nocte ſeſe Regi viſendum exhibet D. JACOBUS, mandatque ut luce proximè ſequenti, ubi primùm miles omnis & ſacra exomologeſi purgatus fuerit, & Euchariſtiâ refectus, eat confidenter in hoſtem: invocato & Dei, & ſimul etiam ſuo nomine, affuturum ſe veluti Hiſpaniæ Patronum, ac Tutelarem, cui ſcilicet protegendam Deus commiſiſſet. Et certè adfuit armis conſpicuus, albo vectus equo, vexillumque niveum manu præferens, ſtetit in prima acie. Ita Duce, atque Anteſignano D. JACOBO, Mauros vicit, ſtravit, profligavitque *Ramirius*, cæſis ad ſexaginta, eóque amplius eorum millibus, capta etiam urbe *Calahora*, aliiſque minoribus oppidis, excuſſoque penitus duro illo, atque infami Maurorum jugo.

Contigit ea victoria Anno Chriſti octingenteſimo quadrageſimo ſexto ad Clavigium, qui locus etiam hodie variis ejus victoriæ monumentis orna- *Nieremberg. ſupra l. 1. c. 6* tur. Saxei bacilli ibi innaſcuntur, & conchæ petreæ. Alii lapides aut enſe, aut lancea, aut veſtigio equorum inſigniuntur. Et quod mirabilius eſt, exciſæ ibi rupes effigiem S. IACOBI, naturâ, Deoque artifice oſtendunt: ut eat in poſteros omnes & tanti beneficii memoria, & Sancti illius Tutelaris cultus ac Religio. Et verò jam ivit, ibitque, uti ſperamus, in ævum omne; Reges enim, & Præſules, & Regni magnates ex eo die Eccleſiæ D. IACOBI attribuerunt privilegium, ac veluti tributum, quod *Vota* appellant, & ipſe Hiſpanus miles jam cum hoſte congreſſurus, hoc veluti claſſicum inſonat: S. JACOBE *Hiſpania pugnat.* Nec incaſſum eæ jactantur voces, viſus certè iis de cœlo devocari Apoſtolus, & pro Hiſpanis ſuis non ſemel & pugnare, & vincere etiam viſibili ſpecie in omnium oculis, tum contra Mauros in Hiſpania, tum in Indis contra Infideles. Ut proinde mirum non ſit, ſi Hiſpani Reges, defenſoris ſui vel amore, vel beneficiis illecti Ordinem inſtituerint Equitum D. IACOBI, cui & magnates, & nobiliſſimi quique inſcripti, & ipſe Rex ejus Ordinis ſupremus ſit Magiſter. Et hæc tua in terris gloria; hæc erecta tibi trophæa, hæc monumenta ſunt Catholicæ, id eſt Hiſpanicæ, pietatis, quam è cœlo dum deſpicis, confirma, & auge in ævum omne, ut ſub ſignis tuis vivat, vincat, triumphet Hiſpania.

OCTAVA D. JACOBI BENEDICTIO.

A præſenti, ac prodigioſo in clientes ſuos ac peregrinos auxilio.

EA Dei ter Opt. ter Max. benedictio non minima, quâ gaudent in cœlis Sancti, & quâ imprimis D. JACOBUS, ut ſuis adeſſe poſſit, atque opitulari clientibus ac peregrinis ubi exegerit extrema neceſſitas, & fatalis infelicis ævi meta, hoc eſt ipſa mors etiam per vim, atque injuriam illata; quo in genere mirabile illud, ac prodigioſum quod ſubjicio.

In priſca Hiſpaniæ urbe (quam Sancti Dominici Calciatenſis vulgo appellant) adoleſcens fuit, in quo rarâ ſanè concordiâ, pulchritudo ſimul inerat, & pudicitia. Ibat ille Compoſtellam ad D. JACOBI, unà cum parentibus pietatis ergo, ac peregrinationis; cùm ecce de via ad hoſpitium deflexit, ibique ab hoſpitis filia tentatus, atque ad complexum illectus, tantumque non adactus. Sed ut erat in paucis amans caſtitatis, virginæique pudoris, impudoratam illam à ſe repulit, illius, imò & ſui victor ſanè glorioſus. Quid hîc puella? Ut repulſæ impatiens eſt obſcœnus amor, ſic & impatiens puella, nec impatiens tantùm; ſed & in odium præceps. Ita nimirum fieri ſolet ubi ſibi illuſum viderit amor, in *Nieremberg.* odium vertitur; imò & ad calumniam, & malos do- *de mirac.* los convertitur, & ita hic converſus: adoleſcens enim *nat. Europa* à puella conſtitutus quaſi furti reus, atque ut is ab *l. 2. c. 2.* illâ accuſatus, quaſi furripuiſſet clanculum domi argenteum craterem, qui etiam à Iudice repertus apud ipſum eſt in penulæ viatoriæ cucullo, in quo ſcilicet eum per fraudem puella occultaverat.

Igitur ad reſtem damnatus Iuvenis, innocens licèt, ac pudicus, ſicque illo orbati parentes mœſtiſſimi, proſecuti tamen ſuam illam ad D. JACOBI limina peregrinationem, quæ nec inanis fuit, nec boni vacua: in reditu quippe à filio appellati, monitique ut Judici ſignificarent, & à Virgine Deiparâ; & à D. JACOBO vivum adhuc eum in patibulo ſervari, quia & criminis expers fuerat, & tanti Patroni pius cliens ac peregrinus: veniret proinde Judex & juberet incolumem demitti ac dimitti.

Benè moniti filio obſequuntur parentes, atque ad Judicem veniunt, erat ille fortè in menſâ, gallum ac gallinam jam cultro ſecturus, cùm ad ea, quæ jactabantur, ſubridens. Ita, inquit, vivit filius veſter uti & vivunt hæ aves; & ecce momento tam gallus, quàm gallina revixit, imò & ille etiam more ſuo, genioque cantillavit.

Hic omnes invaſit ſtupor, amorque tanti prodigii, à quo probè moniti, ſtatim ex ipſo triclinio ad locum patibuli properarunt, inveneruntque innoxium Juvenem, ac verè adhuc ſuperſtitem, quem & parentibus reſtituerunt. Porro eas aves ambas in templum aſportarunt, ubi & ſeptennium egere, atque in fine pullos duos ſimillimos genuere, qui ſtirpem illam propagarent.

Hoc ferè ſemper fit in ea Eccleſia quolibet ſeptennio, magnæque ſemper admirationi eſt, quod etſi

etſi illac innumeri ferme commeent peregrini, omneſque à pullis illis plumam excerpere ſoleant, nunquam tamen illi implumes inveniuntur. Ita perenni miraculo probatur, quod probatum eſt prius.

Hic te volo, te compello, *mi Lector*, atque ad D. JACOBI limina, ſi minus corpore; at ſaltem animo deduco, ut, poſtquam ea luſtraris priùs, dein ediſcas, quæ D. JACOBI apud Superos gratia, quæ apud Deum benedictio, quis favor, quæ vis ac potentia etiam in ipſam mortem, quæ Clientem ac peregrinum reverita, nec auſa è medio tollere, quia tollere vetabat Apoſtolus. Ubi porro hoc didiceris, ſimul & diſces illud, hunc amare, colere, ac revereri, certus etiam de illius ope, ac præſidio.

IN FESTO
SANCTI LAURENTII
MARTYRIS.

Serm. 135. DIVUS Chryſologus invictiſſimi Martyris LAURENTII, felicem è vitâ diſceſſum multis ex capitibus commendat.

Primò quia *paſſus eſt in ipſo capite gentium, id eſt in ipſa urbe Romana.*

Secundò quia *in ipſo juventutis flore, decorem juventutis ſuæ ſanguine purpuravit.*

Tertiò ex ardenti deſiderio pro Chriſto moriendi. Hinc *Epiſcopum ſuum Sixtum pergentem ad martyrium ſequebatur fide fultus, triſtis affectu; non quia ille patiebatur; ſed quia ab illo ipſe deſerebatur.*

Quartò ex eo quòd opes Eccleſiæ ſibi creditas in tutò poſuerit, eas *deſiderabat perſecutor non tam avarus, quàm furioſus: oderat* nimirum *quem occidebat; ſed amabat apud eum, quod ille contemnebat*: & certè quidni contemneret S. LAURENTIUS *pauper opibus, dives moribus.*

Quintò ex immani quod illi decretum eſt ſupplicio, quo in craticula torreri; imò & aſſari debuit.

Sextò ex invicta illius patientia, à qua *craticulam ſupplicii, lectum quietis putabat.*

Septimò denique ex igne, quo magis æſtuabat intus quàm foris; *plus ardebat quàm urebat; urebat in carne, ardebat in corde*, inquit ille ipſe D. Chryſologus. Quo judice duplici LAURENTIUS exarſit igne, uno in carne, altero in corde: quod ut in aperto ponatur, ſit

---

QUÆSTIO UNICA
MORALIS.
Ad illa verba: *Probavit me quaſi aurum quod per ignem tranſit.* Iob cap. 23. verſ. 10.

QUIS ILLE QUI PROBAT?
Quem probat? Et quomodo?

Deus probat. QUI probat, Deus eſt, Supremus Judex & arbiter; probat ille Juſtos, probat & impios: quod Zachariæ vati indicatum voluit, ubi populum

Cap. 13. v. 8. 9. diſperſum diviſit ipſe in tres partes. *Erunt*, inquit, *in omni terra, partes duæ, in ea diſpergentur & deficient*: ecce injuſti & impii, qui à Domino probari deficiunt, *& tertia pars relinquetur in ea. & ducam tertiam partem per ignem, & uram eos, ſicut*

Quem? *uritur argentum, & probabo eos ſicut probatur aurum*; ecce juſti & pii, qui & ipſi à Deo probantur & ſubſiſtunt. Hinc de illis Dominus: *Ipſe vocabit nomen meum, & ego exaudiam eum: Dicam populus meus es; & ipſe dicet: Dominus Deus meus.*

Ex his intelligis, *Amice Lector*, quis probet, & quos; paucis accipe, quomodo? Duplici modo Et quomodo? Deus ſuos probat, uno per felicitatem, altero per adverſitatem.

Et hoc & illo modo probavit *Iobum*. Primò quidem cùm ei ex voto ceſſere omnia, cùm domi & foris abundaret, cùm ei pulchra, & numeroſa eſſet ſoboles, deinde cùm hæc à malo dæmone erepta, everſaque omnia. Ecce ut probatus in proſperis, ut probatus etiam in adverſis.

Ita

Ita probatus & *David*, felicitate quidem cùm ad regnum evectus; adverſitate cùm & à Saüle, & ab Abſalone perſecutionem paſſus. De hac, & illa
Pſal. 136. ait ad Dominum: *Probaſti me, & cognoviſti me.*

Itaprobatus & Gentium Apoſtolus *Paulus*, dum *per arma Iuſtitiæ* adverſus hoſtes feliciter depugnavit,
2. Cor. 6. 6. & quidem *à dextris & à ſiniſtris*, hoc eſt proſperis & adverſis. Ita nimirum ut notat Theodoretus, *ſicut in rebus triſtibus probamur, eodem quoque pacto in ſecundis rebus exercemur.*

Verùm multò verior, multò acrior & diligentior, probatio, per labores & ærumnas, quàm per gloriam & honorem; quamvis utrumque examen virum oſtendat & probet, an ſciat abundare, & penuriam pati, atque adverſus hoſtem pugnare *per*
Ad Philip. c. 4 v. 12. *arma Iuſtitiæ, tam à dextris quàm à ſiniſtris.*

Ita denique probatus D. LAURENTIVS, uti fuſiùs explicabimus.

Quomodo à Deo probatus S. LAVRENTIVS?

Iuiti omnes hæc aliquando ore, calamoque Davi-
Pſal 65. v. 12. dis: *Tranſivimus per ignem & aquam:* hoc eſt per adverſa & proſpera. Ita D. Auguſtinus, quem juvat audire enamnum in ſcriptis ſpitantem ac lo-
In Pſal. 65. v. 12. quentem. Sic inquit, *Quando res anguſtæ & aliquæ infelicitates ſunt in hoc mundo, quaſi ignis eſt, quando ſunt res proſperæ & abundantia ſæculi circumfluit, quaſi aqua eſt.*

Hæc ubi extulit S. Præſul, tum adjicit illud oportunum perficiendis moribus documentum. *Vide ne te ignis exurat, ne aqua corrumpat, firmus eſto adverſus ignem, coqui te oportet, tanquam vas fictum, mittêris in caminum ignis, ut firmetur quod formatum eſt: vas ergo quod in igne formatum eſt aquam non timet: vas autem ſi ſolidatum igne non fuerit, tanquam lutum aquâ ſolvetur: noli feſtinare ad aquam, per ignem tranſi ad aquam; ut tranſeas & aquam.*

Hoc eſt (ut clariùs eloquar) ab adverſis ad proſpera tranſi: ſic enim per hæc ſecurus tranſibis, nec diſſolvêris, ut ſolet in aqua lutum. Sed ne longiùs, maneat illud Auguſtino interprete, quod aqua ſymbolum ſit abundantiæ ac felicitatis; quia ſummè ferax eſt, ex ſe enim & in ſe gignit omne piſcium genus; imò & margaritas, atque uniones, qui apud puſillos mortales ſummo ſunt in pretio. Ignis autem ex ſe, & in ſe nihil generat, maximè ſi purus ſit, atque elementaris, obſtat enim generationi puritas illa, & vehemens vis illius elementi.

Quod ſi vaporibus, & halitu craſſiore ſit permixtus, uti eſt in inferiore noſtra regione, extra ſuam ſphæram, fortè in ſe aliquid generat.

Dico fortè, quia res apud Authores adhuc eſt ſub lite. Affirmat Ariſtoteles, qui fornaces aërias Cypriæ inſulæ aſſerit incoli à beſtiolis pennatis muſcâ majoribus. Aſſerit, & Seneca, & Plinius, qui ea animalia, quæ vocat *Pyrauſtas*, ait eſſe vivacia per ignes, quod & alii de *Salamandris* aſtruunt.

Verùm ut dixi, licèt demus ea animalia in igne vivere velut in nativo elemento, negamus tamen ex eo naſci; ignis enim iis patria eſſe poteſt, non pater; quia nullius genituræ eſt capax, ut facilè eſt conjicere ex Moyſis hiſtoria, quæ igni nullam tribuit genituram, neque Deus ullum ei gignendi præceptum dedit, uti aliis elemẽtis; Et hoc, ut dixi, maximè verum de igne puro, atque elementari, qui proinde ſymbolum eſt ſterilitatis, adeoque & adverſitatis.

His ita ex veriore Authorũ opinione cõſtitutis, videamus qui probatus à Deo fuerit D. LAVRENTIVS.

Primò proſperis; tum quia electus à *Sixto*, Pontifice ſanctiſſimo, Eccleſiæ Archidiaconus, ipſique familiaris & carus in paucis, atque in ſacris miniſteriis aſſiduus; tum quia ei commiſſæ & concreditæ omnes Eccleſiæ facultates, quæ & multæ erant & magnæ, licèt ab illis dives eſſe nollet, qui ut antè dixit D. *Chryſologus*, etiam inter divitias univerſosque Eccleſiæ theſauros *pauper erat opibus, ſed dives moribus*; tum denique quia ei commiſſa divini Sanguinis diſpenſatio, quam dum in primis honoribus reponit: ſic ad *Sixtum* Pont. Max. *Experire utrum Miniſtrum elegeris, cui commiſiſti Dominici ſanguinis diſpenſationem.* Et hæc, ut ita dicam, ſumma fuit D. LAVRENTII in terra felicitas, qua probatus eſt à Deo; ſed probatus magis in adverſis, immanique corporis cruciatu, à quo factum ut qui tranſiverat per aquam, hoc eſt per abundantiam & felicitatem; tranſiret deinde per ignem, hoc eſt, per adverſitatem; in quâ Deo probatus quàm maximè. de hac porrò probatione ita D. Auguſtinus: *Verè beatum corpus quod non ad pœnam funeſtm ignis à fide Chriſti im-* *In feſto S. Laurent. Serm. 8.* *mutavit: ſed ad requiem Dominicam ſancta religio coronavit; ſed & ipſa flamma ideo ſuſcepit martyrem, non ut eum à fide ſua ignis mutaret: ſed ut probatum Domino ſuo redderet: tali enim incendio beata conſecrata ſunt viſcera, non condemnata.* Et hinc mihi alia injicitur quæſtio.

Quo igne probatus ſit D. LAVRENTIVS?

Videbitur fortaſſe cuipiam hæc quæſtio ſupervacanea, cùm in aperto ſit quo igne, utique materiali, atque elementari: non eſt tamen ita hic in aperto; quin alius ignis ſit in occulto. Ideoque alium, atque alium diſtinguit Seraphicus Doctor.

PRIMUS IGNIS.

Illuminans & inflammans.

Et hic eſt ignis divinæ gratiæ cujus officium eſt animam *De S. Laurent. ſerm. 1.* *illuminare ad verum, & inflammare ad bonum.*

Et hic eſt ignis, de quo Chriſtus ipſe. *Ignem* *Luc. c. 12.* *veni mittere in terram, & quid volo niſi ut ardeat*, & de quo olim Dominus: *Ignis in altari meo ſemper ardebit, quem nutriet Sacerdos ſubjiciens ei ligna per ſingulos* *Levit. c. 6.* *dies.* Altare cor humanum, ignis gratia, ignis & charitas; ligna, bona opera, quæ ſubjicit Sacerdos, Chriſtianus omnis, qui unctus eſt Domini.

Hoc igne arſit D. LAVRENTIVS. Primo gratiæ. De hoc D. Chryſologus invicti bujus Martyris glorioſus prædicator, qui ſic de illo: *Itaque beatiſſimus Martyr oſtendens, quàm quietè jaceret in illo ignito ferro, ait circumſtantibus, Iam me verſate, & ſi una pars cocta eſt, vorate*: liberæ ſanè voces, liberior animus. *Miramur patientiam, donum Dei miremur. Ibi fides non ſolùm non arſit; ſed & conſolabatur ardentem, quia fidelem tenebat promittentem. Vt fides non deficeret, ut ſpes non averteretur, ut charitas inter penas igneas corporales plus accenderetur, Dei dona erant.*

Ecce gratia, ecce primus ignis, quo exarſit magna illa D. LAVRENTII mens & anima: vis alterum, qui eſt à charitate? audi D. Auguſtinum.

Exponit primùm illud Chriſti; *Ignem veni mittere* *Luc. 12.* *in terram*: tum etiam iſtud Diſcipulorum euntium in Emaüs, & cum Chriſto colloquentium. *Nonne* *Luc. 24.* *cor noſtrum ardens erat in nobis dum loqueretur in via, & aperiret Scripturas.* Exponit, inquam, & ait. *Hoc* *Serm. 6.* *igne B. LAVRENTIVS accenſus flammarum non ſentit incendium, & dum Chriſti ardet deſiderio perſecutoris pœnam non ſentit. In quantum enim in illo fidei ardor fuerit, in tantum ſupplicii flamma frigeſcit. Corporali enim B. LAVRENTIVS laborat incendio; ſed divinus Salvatoris ardor materialem Tyranni reſtrinxit ardorem.*

Quamvis enim in favilla membra ſolvantur, fidei tamen fortitudo non ſolvitur. corporis quidem detrimenta ſuſtinet, ſed lucrum ſalutis acquirit.

Ecce duplicem ignem, quo ardet LAVRENTIVS. Unus eſt corporis, alter eſt animi; ut tam hoc, quàm illo ardeat magis; ſic ad Deum Davidis ore: *Proba* *Pſal. 25.* *me Domine, & tenta me, ure renes meos & cor meum.* duplici ſe poſtulat igne comburi. *Nam ſi de ſolo mundi igne loqueretur, ſufficeret renes tantùm exurendos incendiis obtuliſſe. Cor autem niſi flamma Chriſti non urit,*

atque ideo ad comprobandam devotionem ſuam, geminum ſib ignem poſtulat. ut luctamine habito, oſtendat nobis plus poſſe amorem Chriſti quàm pœnam Tyranni: hæc ubi de LAVRENTII igne magnificè extulit D. Auguſtinus, tum ad auditores ſuos, tum etiam ad nos ſtylum convertit. *Quis nolit*, inquit, *ad horam uri* LAVRENTII *igne ut æternum gehennæ non patiatur incendium?* Nemo certè, nemo unus id nolit, ſi modò ſapit: utque ſapiat, utque ſapiamus & ipſi; *Beati* LAVRENTII *exemplo provocamur ad martyrium, accendimur ad fidem, incaleſcimus ad devotionem, & ſi nobis perſecutoris flammea deeſt, fidei tamen flamma non deeſt. Non ardemus quidē corpore pro Chriſto; ſed ardemus affectu.*

Hiſtor. Dominicanum. Ita arſit *Lucia Narnienſis*, Virgo ſanctiſſima, quæ etiam ab amore, cutem geſtabat ſubnigram, & velut ab igne toſtam; & hinc ident dem tanquam amens exclamabat: *Ignem, ignem ſorores meæ, amore IESV torreor, & vivere nequeo.*

In ejus vita c. 18. Ita arſit B. *Angela à Fulginio*, quæ cùm audiret de Deo quemquam vel verbulum tantùm eloqui, tota commovebatur, & ſtridebat horrendè, nec ſtridorem illum cohibere poterat. Quî enim cohiberet, quæ ardorem cohibere non poterat? ardorem dico divini amoris.

In ejus vita fol. 135. Ita denique (ne omnes conſecter) arſit ſoror *Maria de Incarnatione* Carmelitana Diſcalceata, quæ quindecim annorum ſpatio, ob inſolentem, ut ita dicam, charitatis impetum, tantis etiam in corpore doloribus fuit agitata, ut fere ſemper inter duas culcitras lineas contineri cogeretur, quo tremores cohiberet, quibus tota concutiebatur, admirabili divini amoris violentiâ. Ea nimirum eſt ut etiam in corpus ipſum evadat; hinc ſubinde uſtulari videtur illud, hinc contremiſcere, ac ſtridere, hinc etiam reſolvi ac colliqueſcere, quo in genere prodigioſum illud, quod de Sancto LAVRENTIO ſubiciam.

Silveſter Petra Sancta Thaumaſia Tom. 6. 12. In Latio oppidum eſt Principum Columnenſium quod S. LAVRENTII nomine ſimul, & ſanguine gloriatur. Hic verò ſanguis ab ejus die feſto deinceps octiduum efferveſcit, mox autem eo exacto ſenſim indureſcere de integro videtur. Crederes eum ſanguinem, uri olim; ſic & nunc ebullire, atque efferveſcere æſtu quodam divini amoris, uti & qui ex ejuſdem ſancti corpore quondam effluxit adeps, quem in ejus feſto aiunt liquefieri Neapoli in templo S. LAVRENTII Religioſorum Ordinis S. Franciſci, *Silveſter ſupra p. 123.* & in templo etiam S. Mariæ de Alvina, Sanctimonialium Ordinis D. Benedicti, atque etiam Romæ continuato feſti ejuſdem octiduo in ædibus Principum Columnenſium ex dono Philippi Hiſpaniarum Regis. Ita nimirum ille ipſe, qui ab igne expreſſus eſt adeps, & qui etiam ab igne divini amoris emanavit, liqueſcere, ac reſolvi ab eodem videtur etiam poſt fata, etiam poſt ſæcula, ut in poſteros omnes abeat tam prodigioſæ charitatis memoria ex relicto monumento liqueſcentis etiamnum ejuſdem ſacri corporis adipis.

Huic charitatis Chriſtianæ miraculo aliud ſubjicio, quod vidit, amavitque Roma, etiam in exanimi LAVRENTII corpore. etiam in tumulo, in quem cùm inſereretur corpus S. Stephani, ceceſſit ipſe ad lævam, & Prothomartyri, ac primo Levitæ digniorem locum ceſſit: quod non ſolùm humilitatis fuit indicium; ſed & charitatis, qua etiamtum ardebat, evidens argumentum. Uti & illud, quod ſubjicio.

Refert D. Gregorius Turonẽſis S. LAVRENTIVM ſingulis diebus veneris, animam unam à Purgatorii incendiis liberare: & hoc quidem dato ſibi à Deo privilegio planè ſingulari, ob perpeſſos in ultimo vitæ limine fortiter ignes. *In Serm. de D. Laurētio.* Cujus privilegii meminit Marchannus, aliique, qui etiam illud confirmant ex ſpecie olim in extaſi oblata cuidam Abbati S. LAVRENTII in Gallia. Vidit hic in exceſſu mentis D. LAVRENTIVM Levitam, & dum oculos paſcit objecta ſibi illius imagine; hæc etiam audiit ab Angelo: *Iſte, quem cernis, Laurentius eſt, qui martyrium, & ignem pro Chriſti nomine paſſus, hoc privilegio inſigniri meruit, ut qualibet hebdomada, animam unam è Purgatorii ignibus poſſit eximere.*

Huic privilegio etiam fidem aſtruit imago Imperatoris, quæ Bruxellis viſitur, & qui è flammis expiatoriis eductus eſt, ob datum pauperi panem in honorem D. LAVRENTII.

Et hinc etiam in vulgus abiit ea devotio, qua plerique in Italia, Francia, Hiſpania, aliiſque orbis Chriſtiani partibus, ad D. LAVRENTII ædes itare ſolent ſingulis diebus Veneris, ut illius ope, ac ſuffragiis animula una, quam commendatam volunt, è Purgatorio eo die eximatur.

Et hæc D. LAVRENTII caritas erga animas corpore ſolutas, detentas tamen in igneo illo Purgatorii carcere. Accipe quæ etiam illius in vivos benevolentia; quæve eorum ſalutis cura, ſtudiumque.

In quodam D. LAVRENTII Cœnobio (cujus nomini parcendum duco) viſus eſt D. LAVRENTIVS *Chapeauville tom. 2 hiſt. Leod. in Radulpho Epiſc. Leod.* omnia ſui monaſterii loca obire ſedulus, & per clauſtra ſcrutari etiam accenſa lucerna num iſtic inveniret filios lucis, cumque aliquos ejuſmodi non inveniſſet, eos longius virga, quam tenebat, eliminaſſe; tum etiam eodem loci, ac temporis viſa imago Crucifixi, quaſi adhuc in Cruce viventis amaras effudiſſe lacrymas; denique cuidam monacho Crucifixi illius pedibus advoluto, auditus eſt dicere LAVRENTIVS: *O frater, venio iterum aſſari.*

Ea nimirum erat illius caritas, ut pro fratribus iterum aſſari paratus fuerit, ut illi meliori, hoc eſt, diviniori, arderent igne; igne dico cœleſtis in Deum amoris. Ecce prodigium caritatis etiam à morte, etiam in cœlo è ſinu beatitatis, è quo exire paratus erat LAVRENTIVS, & iterum, iterúmque ardere, torreri, & aſſari.

SECUNDUS IGNIS.
Probans & examinans.

D. Bonaventura ſuprà.

IGnis ille elementaris quem oculis, quem & tactu ſubjicimus, probare ſolet quod, qualéve ſit vas omne quod illi ſuperponitur. Si vas luteum ſit & vacuum, mox ab igne crepat, rumpitur, & ſolvitur. Contrà verò ſi plenum ſit, ignem ſuſtinet, ac durat: ſic & metallum omne probatur, atque examinatur igne, verúmne ſit, an adulterinum. Quod vaſi, quod metallo; hoc & mortalibus uſu venit. Probantur illi ærumnis, tribulationibus, tormentis, ipſaque morte, tanquam igne, & qui ſint oſtenduntur, ſintne vaſa in gloriam & honorem; an contrà vaſa in contumeliam, atque interitum, ſintne aurum, an auricbalcum, probatum, verumque metallum, an adulterinum.

Ita probati quondam Iſraëlitæ, quorum duæ partes à Deo tribulationibus, exilio, aliiſque ærumnis examinati, à ſe, Deoque ſuo defecerunt, & illis, ceu igne, diſrupti ſunt atque conſumpti: ut ſolent vaſa vacua, ut adulterinum aurum; unâ dumtaxat tertia iiſdem afflictationibus, ceu igne probata, illas omnes invicto robore ſuſtinuit, ut ignem aſſolet vas plenum, ut argentum, ut aurum verum ac ſolidum.

Ita probati deinde in Eccleſia quadraginta Martyres, è quibus triginta novem tormentis omnibus, ipſaque morte ſuperiores extitere; & hoc quia gratia pleni, quia à charitate toti aurei: unus dumtaxat iiſdem cruciatibus examinatus, qui eſſet prodidit, defecit enim, & in illo ſupplicio quaſi in igne crepuit, atque à ſe, Deoque defecit, ab aquis enim, geluque rigidiore ad tepens balneum tranſiit, & inde etiam ad inferos, æternaque incendia. Ita ex veritate tam juſtus, quàm impius dicere poteſt illud Davidis: *Domine probaſti me.* *Pſalm. 138.*

Ita

Ita enimverò probaſti me tribulatione, ceu igne, *& cognoviſti me* quis eſſem, vas plenum, an vacuum; vas ſolidum, an futile; aurum verum, an auricalchum.

Ita (ne ab argumento mihi propoſito diſcedam) probatus eſt D. LAVRENTIVS, ſub Decio & Valeriano Tyrannis ſiſtitur invictus Chriſti pugil, jubeturque nudari, tum ſcorpionibus fœdè laniari, tum proferri, & ſub oculos poni omnia tormentorum inſtrumenta, ſi fortè terrerent: at non terruerunt; ſed probarunt: ad eorum enim conſpectum hæc libera voce ad Decium.

Et hæc, inquit, *omnia mihi pro epulis ſunt, ac deliciis.* obſtupuit, inſtemuitque Tyrannus, tum in carcerem retrudi juſſit, interim alia atque alia ſuppliciorum genera excogitaturus. Una nox, dieſque ſic abiit, producitur LAVRENTIVS, & primò verberatur crudeliter, tum equuleo ſuſpenditur, tum etiam cremantur, uruntúrque latera. Quid hæc inter LAVRENTIVS? oculos, qui ferè ſoli liberi erant, in Cœlum extollit, & hæc ad Deum.

Te Dominum meum accuſatus, non negavi, & interrogatus, confeſſus ſum; non tam voce, quàm patientia, non tam ore quàm ſanguine, ſua nimirum ſanguini vox eſt, & ſua inſtâ amoris probatio, & teſtimonium luculentum, quod dum non ſuſtinet *Decius*, in alia deſcendit ſupplicia. Iubet plumbatis cædi, adeo crudelem in modum ut ferè exhalaret animam, quæ dum paululum reſpirat, hæc in Cœlum. *Tolle Domine animam meam*, cui mox de ſuperis ea vox inſonuit. *Majora tibi, ô* LAVRENTI, *debentur certamina, tormenta & majora.* Ecce ut probandus, ut examinandus Athleta Chriſti.

Et certè probatus illicò ab immani carnificina; corpus enim univerſum ferreis pectinibus, & unguibus excarnificatum; ſic nimirum & ſibi, & aliis probari debuit Chriſti miles, ſibi quidem ad meritum & gloriæ decus, aliis autem ad emolumentum & ſalutem. & ita probatus militi qui fortè aderat, is erat *Romanus* nomine, qui in ea ferali, & cruenta ſcena, Angelum vidit, amabili Iuvenis ſpecie, qui LAVRENTII vulnera, immania quidem illa, linteo tergebat, abſtergebatque, & hoc ſpectaculo & ipſe religioni, Chriſtoque additus, atque à LAVRENTIO baptiſmi aquis deinde tinctus, mox etiam & proprio ſanguine, ceu nobili purpurâ: Iugulum enim Tyranno dedit Chriſti ac Religionis causâ. Ita LAVRENTIVM & Romanum *probavit Deus, & invenit illos dignos ſe*: hunc quidem ferro; ſed illum etiam igne; prius tamen tenebris, altaque carceris nocte, ut ad ſupplicia quoque accederet noctis horror, ac tenebrarum. In his rogatur à *Decio* cujas eſſet? Reſpondit genere quidem Hiſpanum eſſe ſe, religione verò Chriſtianum, tum idolis immolare juſſus, quod dum renuit, lapidibus, ſaxoque duriore os illi tunditur ac contunditur: ſed & hæc inter tormenta libera illi vox, liberior animus, qui Chriſtum confiteatur & laudet, dumque id ſedulus facit, ad ultima ventum eſt ſupplicia, expeditur enim craticula ferrea, in eaque diſtenditur LAVRENTIVS, & ſubjectis carbonibus lento igne torretur, lentaque morte abſumitur, inaudito à ſæculis ſupplicii genere, quod more ſuo & piè & doctè expendit D. Auguſtinus, non ſine amabili ſtupore illius, quæ fuit in martyre, fortitudinis. *Non enim*, inquit, B. LAVRENTIVS *brevi vel ſimplici paſſione premitur; nam qui gladio percutitur ſemel moritur, qui in flammarum camino mergitur, uno impetu liberatur: hic autem longâ & multiplici pœnâ cruciatur, ut mors ei adſit ad ſupplicium, & deſit ad finem: dum enim illum ſuper ferrea crate diſtentum lenta flamma conſumit, non tam inflammando citò interimit, quàm diu excruciando torquet.*

Sap. c. 3.

Serm. 1. de S. Laurentio.

Ubi ſic immane illud tormenti genus explicuit; tum B. LAVRENTIVM cum beatiſſimis illis adoleſcentibus *Anania, Azaria, & Miſaële* componit. *Hos*, inquit, *legimus in camino ignis incluſos in pœnarum ſuarum deambulaſſe flammis, & igneos globos pedibus conculcaſſe.*

Sed majus aliquid S. LAVRENTIVM, *ſiquidem illi in pœnarum ſuarum flammis ambulabant, hic & in ipſo ſupplicii igne diſcumbit: illi veſtigiis pedum conculcarunt incendia, iſte laterum ſuorum diffuſione extinguit: illi ſtantes in pœna elevatis manibus orabant ad dominum, hic autem proſtratus in ſua pœna toto corpore Dominum deprecatur.* Sic non ſola oris precatio fuit: ſed totius corporis, in quo etiam tot linguæ quot ſanguinis, quot adipis ſtillæ. Et hæc amoris probatio fuit: hoc charitatis incenſæ teſtimonium, quo dum extinguitur, qui foris urebat ignis, accenditur quæ intus ardebat divini amoris flamma, quam etiam in immenſum augebit ignis ille quem ſubjicio.

TERTIUS IGNIS.

Glorificans & beatificans.

D. Bonaventura ſuprà.

IGnis, de quo mihi prius injecta quæſtio, nec viſitur, nec ardet niſi in terris; quem poſtea monſtrabo, & viſitur, & ardet etiam in cœlis. Quis ille ignis quæris? *Amor* eſt, *charitas* eſt, ea duplex. Una *viæ*, quæ in terra hac, vitaque mortali, accenditur; Altera *patriæ*, quæ non lucet, non ardet niſi in cœlo, vitaque immortali. De hoc, & illo igne, ſeu amore, ita quondam Iſaias. *Vivit Dominus cujus ignis eſt in Sion, & caminus in Hieruſalem.* Cap. 31.

Sion idem quod ſpecula, quæ militantem deſignat Eccleſiam, in eâ *Ignis* eſt, amor eſt; ſed qui in viâ eſſe ſolet, modicus. An in *Hieruſalem*, quæ viſio pacis eſt, & cœleſtis Curiæ, ac triumphantis Eccleſiæ typus; *Caminus* eſt, & propè incendium: hoc eſt ardentiſſimus Dei amor, & ſuis numeris abſoluta charitas. Et hæc in B. LAVRENTIO fuit, eritque in omnem retrò æternitatem.

Et certè quidni eſſet in cœlis, quidni eſſet in patria is amor & charitas, quæ jam inde in terris, inque via cœpit, ut in immenſum augeretur in patria? Nimirum hunc amorem, & *Glorificantem* & *Beatificantem* exegit ea fidei probatio, id examen quod fuit in terris: Itaque D. LAVRENTIO evenit quod deinde extulit Apoſtolorum Princeps. *Ut probatio veſtræ fidei multò pretioſior auro, quod per ignem probatur, inveniatur in laudem, gloriam & honorem in revelatione* IESV *Chriſti.* 1. Pet. 1.

Invenitur enimverò ejus fidei, quæ in D. LAVRENTIO fuit, probatio; invenitur, inquam, etiam in ipſius Dei laudem & gloriam: Ut enim elatè D. Hieronymus: *Triumphus Dei eſt paſſio Martyrum, pro Chriſti nomine cruoris effuſio, & inter tormenta lætitia.* Epiſt. 150 ad Hedibiam. q. 11.

Ita nimirum triumphat in Cœlo Deus cùm in terris patitur Martyr, triumphat & Chriſtus ubi ipſius nomine, & cruor effunditur, & inter ipſa tormenta geſtit, atque exultat Martyris animus. Et hinc illæ Apoſtoli voces, & prona in Deum gratiarum actio, quòd ea Chriſti Athletis, ac pugilibus detur gratia, ut inter extrema ſupplicia lætentur, & gaudeant.

Deo gratias, inquit, *qui ſemper nos triumphat in Chriſto* IESV. 2. Cor. 2.

Ut enim hic D. Hieronymus: *Cùm quis viderit tanta perſeverantia ſtare Martyres, atque torqueri, & in ſuis cruciatibus gloriari, ardor notitiæ Dei diſſeminatur in Gentes, & ſubit tacita cogitatio, quod niſi verum eſſet Evangelium unquam ſanguine defenderetur*: at quia ſic defenditur: *Triumphat nos Deus*, vel quia de nobis triumphat, vel quia per nos triumphat de Carne, Mundo, Dæmone, juratis ſuis hoſtibus. Et ita triumphavit in D. LAVRENTIO, quia in eo fides vicit infidelitatem, veritas mendacium, charitas Chriſti malevolorum odia, patientia ferrum & ignes.

Ut proinde meritò ignis ille dicatur & ſit *Glorificans ac Beatificans*: tum quia ab illo gloria, ac beatitudo acquiſita eſt ſempiterna: tum quia ille ipſe ignis, hoc eſt ille ipſe amor patriæ, amor eſt *beatificus*; imò ipſa beatitas, vel pars illius ſaltem non minima.

Et hæc paucis dicta ſint de D. LAURENTII igne, de quo pro coronide lubet adjicere illud quod olim
Serm. 1. de S. Laurentio. D. Auguſtinus: *Quis nolit uri Laurentii igne?* Certè nemo eſt qui nolit, niſi qui alio ardere, unique velit.
At quis inquies ille? D. Bonaventuram audi, ex-
Supra. ponet ille, & ſub oculos ponet. Eſt ille alius, atque alius.

Primus eſt *maculans, & animam deformans.* Et hic
Cap. 31. eſt ignis culpæ: *Ignis*, ut Jobus ait, *uſque ad conſummationem devorans.* Hunc ſi hactenus ariſti malè, age, aquam affunde, & extingue; aquam dico è ſalutaris pœnitentiæ lavacro petitam. Hanc infer ſine mora antequam totus ardeas, & conſumaris. Certè nemo eſt qui ſi tectum, ſi domum ſuam incendi viderit, aquam illicò non hauriat, non affundat; & erit qui animam ardere viderit, nec aquam inferet? non erit profectò, non erit niſi malè ſanus, & amens.

D. Bonaventura ſupra. Sed & alius ignis eſt: *ignis purgans & lavans*; *Quis ſtabit ad videndum eum? Ipſe enim quaſi ignis conflans*: ut enim hic metallum purgat à rubigine: ſic & ille animam à peccati nævo, atque macula: *Quis ſtabit ad videndum eum?* inquit Malachias: quo Judice ſi *Malach. c. 3.*
vix quiſpiam ſtare poteſt ad videndum, quis ſtabit ad ſuſtinendum?

O quàm ſatius igne LAURENTII hic uri, quàm iſtic igne Purgatorii: ſed etiam alius ignis eſt, iſque *crucians & exterminans.* & hic inferni ignis eſt: de hoc quærit Iſaias: *Quis ex vobis poterit habitare cum igne* *Cap. 33.*
devorante? Nemo certè, nemo unus omnium; is enim eſt de quo Deus ipſe, juſtus ſcelerum vindex: *Ignis ſucenſus eſt in furore meo & ardebit uſque ad inferni* *Deuter.*
noviſſima. Et hinc timendus quàm maximè, quod *c. 32.*
& ſuccenſus in furore Dei, & æternùm arſurus. Finge tibi, non dico tot annos, tot annorum miriades quot cœlo ſtellæ, quot arborum folia, quot littorum arenæ, quot oceani guttæ, nihil finxeris ad æternitatem: quia illa omnia, ut propè innumerabilia, finita tamen ſunt: at æternitas infinita, adeóque ad illam nulla finiti proportio: & hac tamen quanta, quanta erit æternitate, ardebit ignis ille, & reos ita devorabit, ut tamen devoret nunquam: ut enim D. Gregorius Pont. Max.

In inferno eſt vita ſemper moriens, & mors ſemper vi- *Moral. l. 9.*
vens. I modò quiſquis es peccator, eo igne urere *in Iob c. 39.*
ſi voles: non voles certè; ſed potiùs cum D. Auguſtino, cum bonis omnibus dices: *Quis nolit ad horam uri Laurentii igne, ut æternum gehennæ non patiatur incendium.*

IN FESTO
SANCTI BARTHOLOMÆI APOSTOLI.

DE SANCTO BARTHOLOMÆO multæ moveri poſſunt quæſtiones: Prima, quid nominis? Secunda, quid hominis? Tertia, quæ ab illo geſta? Quarta, quod illi mortis genus?

Ad primam quod attinet, ſunt qui & nomine, & re etiam ipſa velint fuiſſe *Nathanaëlem*; & *Bartholomæi* appellationem non aliud indicare, quàm filium *Tolmai*: quæ appellatio proprium nomen non continet; ſed tantùm quo parente natus ſit, exprimit, & notat. Alii tamen aliter ſentiunt, & diſtinctos volunt.

Ad ſecundam, ſunt qui natione Syrum fuiſſe credant, & quidem è ſanguine regio: quod minus eſt veroſimile. Alii genere Galilæum fuiſſe contendunt, & arte piſcatorem: & illud veroſimilius, ut aſtruit *Ioſephus* & ex illo *Metaphraſtes*.

Ad tertiam, quæ videlicet ab illo geſta, qui datus vitæ curſus, & Apoſtolici officii cura? Ea ferè ſunt in occulto, ſaltem pleraque; vel temporum injuria, vel illius ætatis incuria, & vitio, quod arguit deploratque D. Chryſoſtomus, & tota poſteritas, quæ illa hiſtoriæ luce deſtituta, jacet, jacebitque in denſioribus ignorantiæ ſuæ tenebris, damnandáque nocte. Quid facias? ea poſteris invidit prima illa naſcentis Eccleſiæ infantia, vel potiùs, quæ in illa fuit vis Tyrannorum, quæ & Apoſtolorum, & Martyrum acta ſuppreſſit, unà cum eorumdem vitâ.

Ad quartam, quod nimirum illi mortis genus, quæ ratio? Et hæc etiam ſub lite eſt, & ferè in occulto.

Hippolitus, & ex illo *Surius* opinatur affixum cruci, & quidem capite deorſum, pedibus ſurſum, eo ferè modo, quo *Petrus*, Apoſtolorum Princeps, & hoc quidem ex voto ſuo, quo ita voluit cum Magiſtro ſuo Chriſto conſentire in genere mortis, ut tamen diſſentiret in modo, quod reverentiæ fuit, ac demiſſionis.

Metaphra-

Metaphraſtes & *Nicephorus* exiſtimant affixum cruci, eo modo, quo alii eâ ætate communius.

Abdias Babylonius, Apoſtolorum diſcipulus ad extremum capite plexum fuiſſe ſcribit: ita tamen ut prius fœdum in modum virgis cæſus, deinde excoriatus, denique cùm illi tormento quaſi ſuperior adhuc viveret, capite minutus.

D. Ambroſius, *D. Iſidorus*, aliique Patres, volunt pelle omni exutum, & in crudeli illa lanienâ mortuum: & hic videtur communis Eccleſiæ ſenſus, qui majorum traditione ad poſteros tranſiit. Et illud in præſentiâ mihi magis arridet. Sed his omiſſis, quæ ad hiſtoriæ fidem faciunt, veniam ad ea, quæ magis ad formandos mores. pro quibus erit

QUÆSTIO UNICA
MORALIS.

Ad illa verba: *Poſuit vineam meam in deſertum, ficum meam decorticavit, nudans ſpoliavit eam, & projecit, albi facti ſunt rami ejus.* Ioël cap. 1. verſ. 7.

Cap. 1. v. 7. VT Iſraëlis excidium, ac Synagogæ populationem oculis, ac ſenſibus ſubjiciat Propheta, ſic de illis triſti nænia: *Poſuit vineam meam in deſertum, & ficum meam decortavit*; At quæ illa vinea? quæ ficus? ne crede eam eſſe quæ terris innaſcitur, quæ viſitur in montibus, & quæ erucæ, locuſtæ ac bruchi pabulum fit: hujus certè, Vati aut nulla, aut exigua eſt cura: parum enim intereſt, ſi aut exedatur vinea, aut decorticetur ficus: viteæ unius, aut ficus, arboris non magnæ, jactura, atque excidium eſt in minimis reponendum. Alia Prophetæ eſt vinea, alia etiam ficus, cujus vaſtitatem luget, ac deplorat. Ecquæ ergo eſt illa? Audi ex probatis Authoribus:

Ribera, Cornelius. *Vinea* eſt Synagoga; *ficus* autem illius Sacerdotes ac Principes, qui in populo Judaïco eminebant ut ficus in vinea: quique populum univerſum vel ſacræ Scripturæ ſapore, vel ſanctarum legum dulcedine adinſtar dulciſſimæ ac ſapidiſſimæ ficus, & paſcebant, & recreabant, quos tamen; ô dolor! ô malum! Chaldæi, jurati illorum hoſtes, vel opibus exuebant, vel libertate, vitaque privabant, nudabantque omnibus, ut ficus ſolet decorticata. Vel ſi mavelis, dic quod *vinea* ſit Eccleſia: *ficus* verò, illius Principes, ac Primipulos, quos inter eminet D. BARTHOLOMÆUS, ut in vinea ficus ſolet.

Ac ne credas illud ex meo ſenſu, calamoque duci, ejus authorem tibi produco Doctorem Angelicum D. *Thomam Aquinatem*, qui in ea concione, quam olim ad ſuos habuit, ac deinde poſteris reliquit, uſus

Ioël c. 1. v. 7. eſt eo ipſo themate die D. BARTHOLOMÆO ſacra, ac ſolemni. *Ficum meam decorticavit, albi facti ſunt rami ejus.*

In hoc primò per *ficum* D. BARTHOLOMÆUM intelligit, & hoc quidem propter tria, videlicet *lignum*, *folia*, *fructus*. In *ligno* deſignatur *cordis ſanctitas*, quæ petitur è tribus, quæ ſunt in ligno, Primò è *medulla*, in qua eſt candor, & hæc notat candorem fidei. Secundò è *ligno*, in quo eſt robur, & hoc ſignificat fortitudinem ſpei. Tertiò è *cortice*, à quo utrinſque conſervatio: Et hoc indicatur charitas; ſicque in ligno expreſſam habes veram, atque abſolutam ſanctitatem, quæ reſidet in fide, ſpe, charitate, quæ omnia virtutum decora quia fuerunt in D. BARTHOLOMÆO, in eo quoque perfecta, & ſuis numeris abſoluta fuit ſanctitas.

Tranſit deinde ad ſecundum quod viſitur in *ficu*, nempe ad *folia*, & in his auditur *locutionis utilitas*, quæ ſimiliter ducitur è tribus quæ pariter ſunt in foliis *ficus*: In his enim primò eſt *lacteus* quidam humor, & hic index eſt illius puritatis, quæ eſſe debet in locutione. Secundò eſt *viriditas* in colore, utque hæc oculos rapit ac delectat, ſic etiam delectat locutio *ex honeſtate*. Tertiò eſt *aſperitas quædam in palpatione*, ſic & ſubinde aſpera eſt, & acris locutio: utilis tamen, quia corrigit: & ea D. BARTHOLOMÆO locutio fuit, pura, delectabilis, aſpera: bonis quidem delectabilis: aſpera verò malis, quos ſcilicet pungebat acriùs, & hoc ad vitæ, morumque emendationem, ac ſalutem.

Ab his deſcendit ad *fructus*, in quibus habetur *actionum ſuavitas, & utilitas*, & hæc quoque notatur in *ficu*. in qua primò *intus eſt rubicunditas*, & hæc eſt nota charitatis, quæ rubore ſignari ſolet. Secundò *extra eſt viriditas*: & viridis color colores inter quaſi medius, & virtus in medio poſita, & in medio tutiſſimus ibis. Tertiò in *guſtu ſuavitas*, & hæc index eſt hilaritatis, à qua in Dei obſequio, læta omnia, omnia ſuavia. Et hæc omnia conveniunt D. BARTHOLOMÆO, ut conſideranti patebit.

Ab his venit ad mortis genus, quod ſimile ficui decorticatæ, decorticatur enim Apoſtolus, excoriatur: quod enim ficui cortex; id homini pellis.

Excoriatur autem propter tria. Primò ut adinſtar innocentis agnelli, cui detrahitur pellis, Deo offeratur in holocauſtum. Secundò, ut omni terreno humore, hoc eſt affectu exoneretur. Tertiò, ut inſtar ſerpentis, qui veterem pellem deponit, & abjicit, renovaretur. Et hæc illi beneficia ab ipſo mortis genere, à quo & illud, *albi facti ſunt rami ejus.*

Ut enim excoriatæ ficus rami redduntur albi; ſic & rami animæ, id eſt ejus potentiæ, & rami corporis, id eſt ſenſus, facti ſunt albi, id eſt glorioſi: albus enim color index eſt gloriæ. Et hæc ex D. *Thoma*, à quo ſumpto themati ſua vis erit, ſua gratia, atque authoritas, ex quâ quidquid à me dicetur, ſuum quoque habebit pondus, cui & dabitur ex dictis illa concluſio.

Vinea eſt Eccleſia; in ea D. BARTHOLOMÆUS *quaſi ficus decorticata, nudata, projecta.*

VInea deſignari vel Synagogam, vel Eccleſiam nemo eſt qui ignoret; ſi modò ſcripturas vel levi oculo decurrerit.

Pſal. 79. v. 9.

Certè de Synagoga extat illud Regii Vatis, *Vineam de Ægypto tranſtuliſti, ejeciſti gentes & plantaſti eam.* Et hoc Iſaiæ Prophetæ. *Vinea facta eſt dilecto meo in cornu filii olei:* hoc eſt in Iudæa, quæ robuſta eſt ut cornu, fertilis & pinguis inſtar olei.

Matth. c. 21. v. 33.

De *Eccleſia* verò illud Servatoris optimi expreſſum in ea parabola. *Homo erat Pater-familias qui plantavit vineam.* *Homo* ille Chriſtus: magnus enimverò *Pater-familias*: *Vinea* Eccleſia: in qua (ut ad propoſitam mihi initio quæſtionem deſcendam) *ficus* ſuccreſcens, & cæteris eminens eſt D. BARTHOLOMÆVS, in qua præclara magnarum virtutum decora expreſſa in *Ficu*, ceu ſymbolo.

Non eſt res nova, & inſolens in ſacris Paginis, excelſas mentes deſignare plantis, plantiſque componere. Certè ipſa Dei Mater, modò cum *Cedro* & *Cypreſſo* comparatur, modò cum *palmâ*, *Oliva*, *vite*, modò cum rubente *Roſa*, *myrrhaque* odorata; ſic enim de illâ Eccleſiaſticus. *Quaſi Cedrus exaltata ſum in Libano, & quaſi Cypreſſus in monte Sion, quaſi palma exaltata ſum in Cades, quaſi oliva ſpecioſa in campis, quaſi plantatio roſæ in Iericho, & quaſi myrrha electa.* Ecce quibus componitur Angelorum Regina, mundi Domina, Dei Mater, MARIA. Et hoc ipſo Scripturæ ſacræ teſtimonio, verius Cœli oraculo, cui & ipſe obaudiens D. BARTHOLOMÆVM hic comparabo cum *ficu*, planta nobili, ſucculenta, & in paucis ſuavi. In eâ D. *Thoma* interprete tria potiſſimùm notantur.

cap 24.

Lignum, *folia*, *fructus*, ceu ſymbola magnarum in Divo BARTHOLOMÆO virtutum, quas ſtylo ſignare mihi in præſens eſt animus; & quidem in *Ligno* infractum excelſæ mentis robur, invictamque in adverſis fortitudinem. Deinde in *foliis* Apoſtolicæ prædicationis veluti quandam viriditatem. Denique in *fructibus* inſignes proventus animarum, quas Cœlo intulit. ſit igitur primum;

In ligno ficus deſignatur illuſtris D. BARTHOLOMÆI *fortitudo & patientia.*

ORatori Romano *fortitudo eſt conſiderata periculorum ſuſceptio, & laborum perpeſſio.* Et hæc illius definitio, in qua duæ partes. Una eſt *periculorum ſuſceptio*, quæ docet agendum eſſe fortiter: Altera *laborum perpeſſio*, quæ ſuſtinendum patienter oſtendit. Hinc duo illius quaſi officia, aggredi & ſuſtinere, vel quod in idem ferè recidit *Suſtinere & abſtinere*, quæ Græci expreſſere his voculis: *ἀνέχου καὶ ἀπέχου*, *ſuſtine & abſtine.*

Et hæc invictæ fortitudinis munia implevit quàm optimè D. BARTHOLOMÆVS: & quidem primum illud, *Abſtine*, hoc eſt abi à terrenis omnibus, à patria, à parentibus & amicis, à re familiari, ab opibus, à luxu, ab honoribus; imò & à teipſo. Et hæc eſt illa *ἀπαγωγὴ*, Iſidoro Peluſiotæ adeo laudata; ſucceſſio, inquam, & quaſi avulſio ſanctorum à materiâ, à terrenis omnibus, ipſoque proprio corpore; imò & à ſeipſo. Et hæc viſa in D. BARTHOLOMÆO, qui ad primas Chriſti voces, abiit à parentibus, à patria, à domo, à retibus, omnique rerum humanarum cupiditate, ut nudus nudum Chriſtum ſequeretur, & hæc fuit à terrenis ſeceſſio; cujus alia, atque alia extant argumenta; primò neglectus ſui & cultûs corporis, tum etiam pecuniæ, honoris, aulicique favoris & gratiæ.

In Armeniam venerat Apoſtolus, atque ex eâ in templum ſuâ mole viſendum, in quo colebatur idolum *Aſtaroth*, quod populum eminentis oraculis, ac miraculis dementabat. Ad ingreſſum illius obmutuit idolum, obmutuit malus Dæmon, aliàs ſatis loquax, cauſamque rogatus, eam edixit, quòd templi limina ſubiiſſet BARTHOLOMÆVS, Chriſti Apoſtolus, quem è capillitio, ore, oculis, vultu, habituque corporis deſcripſit, ut agnoſci illicò poſſet; in quo illud ſolemne, atque ad meum inſtitutum, quòd veſtem non mutaſſet, ad annos ſex ſupra viginti, adeo illi neglectus erat cultus corporis, quem etiam miraculo Deus probatum voluit, dum toto illo temporis intervallo, ne vel minimum illi detrita veſtis, Cœlo ſic approbante illam veſtium, externique cultus, imò & ſui deſpicientiam, quæ certè arguit vitium hujus ætatis, & qui in eâ eſt inſolentem in veſtimentis luxum atque luxuriem. *Ribadineira in ejus vita.*

Ut veſtis in Apoſtolo contemptus fuit: ſic & pecuniæ, ac theſaurorum, quibus plus æquo inhiare ſolent eorum avidi mortales.

Obſidebatur à malo dæmone *Polemonis* Regis filia, quæ ſæpiùs oblata idolo *Aſtaroth*, nec tamen eo liberata: alium fortè ab eodem malo hoſpite obſeſſum liberarat Apoſtolus, & illius fama jam ad Regem pervenerat, cùm ecce quæritur hic, & in aulam adducitur, ſiſtiturque illi filia, à quâ illicò, ceu ab uſurpato malè hoſpitio, peſſimum illum ſpiritum expulit. Eo beneficio captus *Polemon*, mox illi per aulicos ingentem ſubmiſit auri argentique vim, vel gratitudinis ergò, vel ſublevandæ illius inopiæ gratiâ: ſed mirum, ut à cæteris videretur Apoſtolus, ab aulicis illis videri nunquam potuit: nempè videri non poterat, qui auro capi non poterat, nec ipſa videre munera, quia ea concupiſcere nec poterat; uti deinde ipſi *Polemoni* aperuit; cùm enim hic conticubiâ nocte ſolus eſſet in cubiculo, januis probè clauſis BARTHOLOMÆVM vidit, ab illo hæc audiit, non ſine ſtupore, & amore tam excelſæ fortitudinis.

Veniſſe ſe in Armeniam, ac deinde in Regiam, non pecuniæ, auri, argenti, gemmarumque, atque unionum gratiâ; ſed dumtaxat animarum Chriſto lucrandarum cupiditate. Hæc, inquam, ex illo Rex audit, ſtupuitque. Ita nimirum primam illam fortitudinis partem impleverat Apoſtolus, quæ poſita eſt in abſtinentia illâ, ac ſeceſſione, à terrenis omnibus, eorumque cupiditate. Videamus quî impleverit ſecundam, quæ in ſuſtinendo eſt repoſita.

De illâ ſic olim D. Paulus ad Corinthios: *Signa Apoſtolatus mei facta ſunt ſuper vos in omni patientia, in ſignis & prodigiis.* *2. Cor. 12.*

Hic Interpretes hærent, & quærunt cur Gentium Apoſtolus Apoſtolici muneris ſigna, notaſque recenſens, non reponat primo loco ſigna & prodigia: hæc enim magis in hominum oculis ſunt, & admiratione, quam in adverſis patientia: & tamen hanc in fronte ponit ut in eâ legas, ac videas Apoſtolum. Quæ cauſa? hanc affert D. Chryſoſtomus optimus Interpres Pauli, quia *hoc Apoſtoli ſpecimen, & argumentum eſt, omnia forti animo ferre.*

Cujus rationem ultra ſi inveſtigare pergas, hanc audies vel ex ipſo Sapientis ore: *Doctrina viri per patientiam noſcitur:* quod effatum ut illuſtre, ſic & verum, ita exponit Lyranus: *Veritas Apoſtolicæ doctrinæ ex eo apparet quod non recuſaverit homo pro ipsâ mori.* *Proverb. c. 19.*

Si nec recuſavit *Paulus*; ſic nec recuſavit BARTHOLOMÆVS, qui dum inſudat diſſeminandæ Apoſtolicæ veritatis, atque Doctrinæ, in Paganorum odium incurrit, maximè verò Sacerdotum qui dum non ferunt templa ſua deſtrui, idola, ac ſimulacra conculcari, Deosque ſuos præ Chriſto crucifixo contemni, diram in Apoſtolum tempeſtatem excitarunt.

Vicinam provinciam regebat *Aſtiages* Regis *Polemonis* germanus frater; hic tum è truci, qua erat indole, tum ex ſacrificulorum invidiâ, rabieque concitatus, Apoſtolum comprehendi jubet, & primùm virgis cædi, fœdum in modum, deinde excoriari, tum etiam (ut volunt, Authores nonnulli) capite minui: denique & in mare abjici, ratus ſublato jam BARTHOLOMÆO, eodem turbine Eccleſiam quoque diſturbari poſſe, atque everti: ſic eò loci, ac

temporis

Digitized by Google

Ibid. c. 1.

temporis jactari potuit illud. *Poſuit vineam meam in deſertum, ficum meam decorticavit, nudans ſpoliavit eam, & projecit.* Ita enimverò, ita factum eſt: immitis ille Tyrannus *Aſtiages* Domini vineam, id eſt Eccleſiam, quæ tum primùm in Armenia naſcebatur, & creſcebat, *poſuit in deſertum*, & BARTHOLOMÆUM, ceu illius principem plantam, & *ficum decorticavit*, & omni pelle nudans *ſpoliavit eam ac projecit*, & quidem hac ratione, modoque.

Quatuor aliorum Martyrum corpora loculis incluſit, tum etiam ipſum D. BARTHOLOMÆI corpus altero, atque in mare abjecit ut eſſent vel Oceani, undarumque præda, vel ludus, ac ludibrium ventorum. Sed is qui imperat ventis & mari, ſervo ſuo funus adornavit etiam miraculo, quippe glorioſi illi Martyres D. BARTHOLOMÆO pompam funebrem ſic instituerunt, ut duo à dextris eſſent, & duo à ſiniſtris; medius autem BARTHOLOMÆUS: triumphalem pompam dixiſſes, non funebrem apparatum cui ſervierunt & undæ & venti; pontum enim illum ſine gravi jactatione tranſmearunt, tum ad Boſphorum Thracium in Propontidem venerunt, Helleſpontique anguſtias tranſierunt, deinde tranſmiſſo Ægeo & Ionio mari ad Siciliam applicuerunt, & Siracuſas ad ſiniſtram relinquentes, atque in Occidentem verſus tendentes, ad Inſulam Liparam pervenerunt, & ab illius incolis excepti perhonorificè, imprimiſque ab ejus Præſide, ac Gubernatore, *Agathone*, qui jam cœleſti revelatione, didicerat appuliſſe ſacras D. BARTHOLOMÆI exuvias, quæ mox eò loci conditæ ſunt, tum invicti illi Chriſti pugiles ſuis loculis incluſi, quaſi perfuncti jam illo pietatis officio, alii aliò atque aliù receſſerunt, quò ſcilicet eos Divina providentia deſtinabat.

Metaphraſtes in vita S. Barthol.

Ecce ut Martyrum & Apoſtoli cara cœlo, Deoque corpora, quibus incollant etiam ipſa maria, quibus obediunt venti, & eorum gloriæ ac triumphis, velificantur: quibus enim potiùs? Vos (ut Cypriani verbis vos alloquar) *Vos*, inquam, *congreſſi eſtis in acie donec acies ſuccumberet victa, nec ceſſiſtis ſuppliciis, ſed potius vobis ſupplicia ceſſerunt: finem dolorum quem tormenta non dabant, coronæ dederunt: Laniena gravior ad hoc perſeveravit, non ut ſtantem fidem dejiceret; ſed ut homines Dei ad Dominum velociùs tranſmitteret.* Et ita glorioſos illos Martyres tranſmiſit, ita & BARTHOLOMÆUM, alioſque Chriſti pugiles, quos velim in oculis habeas, & inprimis amoribus. Ille *cùm igne, & ferro, & belluis, & Tyrannis alacri animo velut in alienis corporibus, imò quaſi corporum expertes dimicarunt*, ut & ipſe ſic dimicare diſcas *Amice Lector*: & certè quidni diſcas tantorum virorum vel exemplis incitatus, vel gloria ac triumphis illectus? Hos (ut alios taceam) adeptus Apoſtolus, non tamen ſine cæde, & ſanguine, qui ut olim in venis illius ebulliit ardore quodam patientiæ; ſic & modò extra venas ebulliet exemplo, atque incitamento ejuſdem patientiæ.

Epiſt. 9. ad Martyres.

Gregor. Nazian. Orat. 1 contra Iulianum.

Neapoli in æde ſacrâ Parthenici Aſceterii S. *Patritia* Virginis, intra cryſtallinum vas, eſt pars aliqua pellis D BARTHOLOMÆI Apoſtoli, & ſimul phiala ſanguinis ejus. Quoties verò hæ reliquiæ ſunt in conſpectu mutuo: ſemper momento eodem liqueſcit, atque ebullit ſanguis. Crederes illi ſenſum eſſe, & animam, quæ etiamnum & pellem Chriſto dare velit, & ſanguinem fundere: tantus ardor patiendi etiam poſt fata, tanta vis, & præcelſæ mentis fortitudo, quam in eo dum miraris & amas, etiam imitari ſtude, memor illius quod aliquando magnificè extulit D. Gregorius Nazianzenus. *Duo nequeunt ſuperari, Deus nempè & animus ſapientis, qui quidem in vinculis liber eſt, & in tribulationibus ſuperior illis.*

Caſar de Eugen. in Neapoli.

Silveſter Petra ſancta Thaumaſia tom. 3. c. 12.

Orat. 18.

In foliis ficus explicatur quæ in D. BARTHOLOMÆO fuit Apoſtolicæ prædicationis amœna viriditas, & in fructibus animarum proventus.

HÆC duo jungi placuit, quia ut in arboribus folia ſine fructibus omnis ferè boni vacua; ſic & Divini Verbi prædicatio inanis eſt niſi ad eam acceſſerit animarum proventus. Ut autem hic accedat, Dei auxilio opus: ut enim Apoſtolus, *Neque qui plantat, neque qui rigat eſt aliquid; ſed qui incrementum dat Deus.* Nimirum hic primus eſt, & princeps animarum cultor, à quo cultores cæteri, & à quo fructus omnis. Et hoc eſt quod ſumptâ à piſcatione metaphorâ, diſcipulis ſuis Chriſtus indicatum voluit, cùm ſic ad illos. *Venite poſt me & faciam vos piſcatores hominum.* Et ita fecit D. BARTHOLOMÆUM, quem in Eccleſia, ſi *mare* eſt, fecit piſcatorem hominum, & ſi *vinea* eſt, ficum; ſed virentem, ſed fructuoſam illam. Viror porrò à cœleſtis verbi prædicatione, fructus autem ab animarum lucro, atque proventu: & hunc, & illum mentis, atque intelligentiæ oculo ſpectemus.

Matth. 4.

In ea, quæ ab Apoſtolis facta eſt Univerſi ſortitione, D. BARTHOLOMÆO obtigit *Licaonia*, pars magna provinciæ *Cappadociæ*, quæ eſt in *Aſia*, hanc ubi apprimè excoluit, tranſiit in Indiam citeriorem, deinde in Armeniam. Nimirum una provincia, regnum unum non ſatis erat illius animo, zeloque, qui complexus erat Orbem univerſum.

In hoc illi congreſſus fuit. Primò cum malo Dæmone, cum idolo *Aſtaroth*, quem ſuo aſpectu, verboque mutum fecit etſi aliàs facundum, & loquax. Deinde cum Dæmonibus, qui miſerorum corpora malè occupatant, quos inter fuit filia Regis *Polemonis*, quem etiam verbo expulit, coëgitque etiam invitum, ac reluctantem fateri Deum ſe non eſſe: ſed inane ſimulacrum, quod quia Deo quondam rebelle fuit à veri Dei Angelis vinculis ferreis alligatum ſe dixit, & BARTHOLOMÆUM Chriſti Apoſtolum confeſſus eſt, tum etiam (everſo, dirutoque prius ipſius ſimulacro,) ut quis illius fuiſſet hoſpes appareret, viſus eſt dæmon ex illo elabi nigerrimi Æthiopis ſpecie, ſcintillantibus oculis, & vinculis igneis undique conſtrictus: tantum verbo, tantum prædicatione ſua potuit Apoſtolus, tantum deinde in animulas, quas cœlo, Deoque peperit inſigni ſanè proventu: qui, quis, quantúſve fuerit, ex hoc collige.

Primò Regem *Polemonem*, Reginam, proleſque regias, aulamque totam Chriſtianæ Religioni adjunxit, deinde in uno illius Regno, duodecim urbes, & nominatas & celebres Deo addidit. Mitto propè innumeros alios, quos tum in Licaonia, tum in Cappadocia, tum in India veræ fidei aſcripſit.

Et hi ſunt fructus, hi proventus ficus noſtræ fructus omninò ſuaves, ac ſapidi; non hominibus modò, ſed & Angelis, ſed & ipſi Deo. At unde inquies illi? Unique à Deo qui incrementum dedit. At rurſum unde dedit? audi vel ex ipſis inferis, vel ex ipſo Dæmone, qui ut mendax ſit, cœli tamen nutu, atque imperio, etiam quæ veriſſima ſunt eloqui, & propalare cogitur.

Idolum *Aſtaroth* (ut antè dixi) mutum reddiderat Apoſtolus, quod dum mirantur, ac doleut idolorum ſacrificuli, dæmonem alium, qui vicina in urbe colebatur ſuper eo conſulunt, fatetur ille vel invitus à BARTHOLOMÆO mutum effectum; tum eum pulchrè deſcribit: primùm oris lineamenta, tum etiam habitum corporis, denique & præcelſa animi decora, quæ inter, Oratio, & aſſidua cum Cœlo, Deoque conjunctio; addit enim Apoſtolum in die centies orare ſolitum, tum etiam centies nocte,

Ecce

Et hinc deducta cœleſtis gratiæ fluenta, quæ & ficum noſtram irrigarent, alerentque; & ornarent illam amœna quadam divinioris Verbi viriditate, tum etiam ditarent fructibus, hoc eſt collectis ex tot provinciis, totque regnis, copioſis animarum manipulis; quibus alios ſubjicio ex litteris annuis Viceprovinciæ Quitenſis Indiæ Orientalis. *Annuæ Anno 1652.*

In Provincia *Mocoe*, quæ eſt in America habet Societas miſſionem: Eſt iſtic flumen celebre *Caqueta* nomine, quod accolunt plures quam centum triginta Provinciæ, quarum minimæ ſexaginta millia; mediocres autem plus quàm centum, aliæ ducenta familiarum millia numerant. Una verò, quæ dicitur *Moſquitana* pluſquam centies mille familiis conſtat. Hæc glorioſi Apoſtoli BARTHOLOMÆI quondam præſentia nobilitata.

Eſt iſtic *fluvius Aureus* dictus, ad cujus marginem viva petra eſt, quam antiquitas, & in hæc uſque tempora porrectus rumor, ab impreſſis à ſancto illo Apoſtolo pedum, genuumque veſtigiis, celebravit.

Eſt & caverna, in quam Sanctus ſacram ſolitudinem captans ſeſe recipere ſolebat, & in ea characteres petræ vivæ impreſſi, quos hactenus nemo explicare potuit; & hinc quid ferant, ignorum: hoc notiſſimum D. BARTHOLOMÆUM iſtic fuiſſe, & mira pro Dei gloria, & animarum lucro patraſſe. Huic dum incumbit, domus iſtis in locis præcipua, viginti focos, id eſt familias complexa in Virum Dei inſurrexit, audacterque, ac ſceleratè multa in eum eſt molita: imo & in eum facto impetu arma movit, Apoſtolum utique internecione deletura. At non ſine præſenti Numinis vindicta, quæ fuit ejuſmodi.

Omnes Indi, Indæque, quæ in domo erant, frumentum, ligna, platani, ſuppellex omnis, aves ipſæ iſtic repertæ, & quidquid ad eam domum ſpectabat, admirabili metamorphoſi in petram converſa ſunt. Eſt videre etiamnum Indos cum arcubus, & ſagittis, ad vibrandum tenſis, matres cum parvulis ad pectus hærentibus, alias in molendino cum annona occupatas in opere ipſo in ſaxum obriguiſſe. Atque hæc oculorum teſtificatione, neque ulli dubia iſtic fide pro exploratis haberi indubitabili aſſeveratione affirmant.

Quæ divinæ ultionis monumenta, ac prodigia poſteris relicta, & D. BARTHOLOMÆI apud Deum potentiam commendant, atque etiamnum noſtris Patribus auxilio ſunt ad animos percellendos, & inclinandos ad fidem ab Apoſtolo olim prædicatam.

Sic etiam ſuis prodigiis altum clamat D. BARTHOLOMÆUS, & animas Indorum lucri facit. Ut eas facias & ipſe, *Amice Lector*, age Apoſtolum imitate, & quod ille in *vinea Domini*, eſto *ficus* fructifera, eſto ut ille inter adverſa fortis, atque inconcuſſus, eſto virens à Dei verbo, ceu foliis bonæ mentis, à ſacratioribus, diviniſque colloquiis; non emarcidus, ac fluens ab inani confabulatione, eſto denique frugifer ab animarum lucro, proventuque, ne in te cadat ea maledictio, fulmen illud, quod aliquando ex Incarnati Verbi voce cecidit in ficulneam infructiferam.

Manè revertens in Civitatem Servator optimus, eſuriit, & videns fici arborem unam ſecus viam venit ad eam, & nihil invenit in ea niſi folia tantùm. Et ait illi, Nunquam ex te fructus naſcatur in ſempiternum. Et areſacta eſt continuò ficulnea. Sed quid amabo te Chriſte? quid peccarat ficulnea? an ſuo vitio infructifera? fortè vitio ſoli, vitio culpaque cultoris, & hortulani, non ſuo talis erat, & tamen tangitur, feritur eo fulmine maledictionis? quæ cauſa? ut tibi exemplo ſit, ô anima, ne & tu ut illa ſis infructifera. Eſurit Chriſtus, & quærit unde extinguat famem, ſitimque. At quid eſurit? utique ſalutem animarum: hæ enim ſunt fructus quos in te, & à te requirit, ſeu à ficu plantatâ in *vinea Domini*, in Eccleſia dico, in Religione, ſtatuque perfectionis: ſi eos non invenerit, ſi vacuus à te receſſerit, ſi folia tantùm, hoc eſt ſpeciem externam, & apparentem illam viderit, dicet, quod olim illi ficulneæ, *Nunquam ex te fructus naſcatur in ſempiternum.* Et quid inde? continuò areſces ut illa, & nulli in poſterum eris uſui, niſi ut ſis ignis præda, & pabulum ignis æterni, quod à te avertat, qui poteſt Deus. *Matth. 21. v. 19.*

IN FESTO
SANCTI MATTHÆI
APOSTOLI ET EVANGELISTÆ.

MIRUM fortaſſe cuiquam videri poterit, quod Eccleſia, quæ tamen cœli ſpiritu regitur, die D. MATTHÆO ſacro ac ſolemni, non aliud oculis, animiſque fidelium objiciat, quàm D. MATTHÆI ad meliora converſionem; nihil enim de vitâ, quæ deinceps illi fuit Apoſtolica, nihil de Divini Verbi prædicatione, de relatis animarum ſpoliis, nihil de morte & fortiter & feliciter obita, nihil denique de illius in cœli regiâ beatitate; quæ omnia videbantur reponi poſſe, ac debere in primâ diſcurſus panegyrici fronte, utpote conſpicua magis, ac ſpecioſa. Verùm mirari deſinet, ubi audierit nihil eâ ejuſdem Apoſtoli converſione mirabilius:

Collat. 12. c. 12. Quæſivit aliquando Abbas *Cheremon* apud Caſſianum, ecquæ opera Dei miranda magis? & reſpondit in hæc ipſa verba: *Quod majus eſſe poteſt prodigium, quàm ſub momento breviſſimo, ex rapaciſſimis publicanis Apoſtolos fieri? & ex perſecutoribus*

trucu-

truculentis, *Prædicatores Evangelii potentiſſimos reddi, ita ut eam quam perſequebantur fidem, etiam effuſione ſui ſanguinis propagarent.* Hæc pius Præſul, quo judice ſi nihil mirabilius objici, nihil certè potius proponi debuit. Et iſta quidem pro Evangelio hac luce inter ſacta Miſſarum ſolemnia, legi ſolito, ubi & pro themate, quod more ſuo, id eſt doctè & piè, ſumpſit olim *D. Bonaventura*, & ego *Serm. 1.*
in præſentiâ mihi tractandum exiſtimavi; pro quo ſit

QUÆSTIO UNICA
MORALIS.
Ad illa verba: *Converſus ſum ut viderem vocem, quæ loquebatur mecum.* Apocal. cap. 1.

QVIS ILLE CONVERSVS? QVÆ VOX? Et cujus?

SI litteram ſpectes, ille eſt *D. Ioannes*, qui in mentis exceſſu *converſus* eſt, ut *videret vocem*, hoc eſt, authorem vocis, ſive vocantem ſe, & loquentem. *Videret*, inquam, id eſt, cognoſceret: cùm enim ea vox eſſet intellectualis, erat ipſa viſio, quia in mente & ſpiritu, idem ſunt videre & audire. Et hæc pro litterali ſenſu: pro myſtico & accommodatio, ſit illud: *Converſus* ille eſt MATTHÆUS, de quo prima mihi injicitur quæſtio, quid nominis? quid & hominis?

Quis D. MATTHÆUS?

SI nomen illi inditum ſpectes, aliam, atque aliam nobis ingerit ſeu laudis, ſeu etiam gratiæ ſegetem.

Origeni & Iſidoro MATTHÆUS Hebraicâ linguâ idem eſt quod *donatus*, utique à Cœlo, Deoque donatus ad magnum Univerſi bonum.

Hexam. Pagnino idem eſt ac *donum*. *Mittam* enim He-
Lib. 7. Etymolog. c. 9. braicè, Latinè *donum* dicitur, donum profectò cœleſte, ac pium MATTHÆUS.

Lib. 8. Hexam. Anaſtaſio Antiocheno MATTHÆUS appellatur, & eſt *mandatum altiſſimi*, non ſine bono omine, & aliquo futurorum præſagio, futurum enim erat, ut illicò pareret altiſſimi mandato, cùm ad paucula, id eſt duas Chriſti voces, *ſequere me*, ſecutus eſt, relictis omnibus; imò & ſeipſo; quod obedientiæ genus longè præſtantiſſimum.

Et hæc à nomine petita laus & commendatio: at longè major ab homine, de quo primùm videri poteſt, quis fuerit ante ſuam illam à Chriſto vocationem; quis deinde poſt illam? De hoc, & illo ſtatu
Serm. 28. ſic D. Chryſologus: MATTHÆUS *publicanus generat nobis non parvam ſuis quæſtibus quæſtionem, & magnum nobis negotium ſuâ negotiatione proponit.*

At quam, inquies, quæſtionem? quódve negotium? hoc certè, unde & quò vocatur: unde? à telonio. quò? ad Apoſtolatum. De illo ſic D. Chryſologus: MATTHÆUM *de telonio divitem, de uſuris locupletem, lucris ſæculi onuſtum, quod in Apoſtolatum elegerit, quid dicemus?* Dicemus certè amoris fuiſſe prodigium, miraculum caritatis; quod patebit magis conſideranti quis, qualiſve in telonio MATTHÆUS? audi ex ipſo ore D. Chryſologi, & ſimul audies unde, & quò vocatur?

Quomodo, inquit, *infirmitas non laboret humana, quando videbat apud Chriſtum pecuniam ſic valere, ut daret fraudulento fidem, venali gratiam, cupiditatis Magiſtro officium largitatis, doctori fœnoris magiſtrum ſanctitatis, publicano ſæculi cœleſte ſecretum.* Et hoc eſt, quod dum non capit infirmitas humana, in eo laborat; imò & ſcandalum patitur, ingeritque importunum illud ad Diſcipulos Chriſti. *Quare cum publicanis & peccatori-* *Matth. c. 9.*
bus manducat Magiſter veſter? ſic apud illos *erat nefas publicanos Chriſto participes, vel in cibo eſſe*, quod ſi hoc *Serm. 28.*
erat nefas, *divinis ſociare, quid erit publicanum?* erit profectò nefas aciei humanæ, quæ caligat in Divinis: at non oculo divinæ mentis, non amori, non caritati Chriſti.

Miraris, Iudæe, cur miſceatur convivio peccatorum, qui *Ibidem.*
propter peccatores & naſci voluit, & non recuſavit occidi? oblatras *cur peccatorum vinum bibat, qui pro peccatoribus ſanguinem ſuum fudit? Et ſi vis noſce amplius; ſuſcepit ipſe peccatum, ne perderet peccatores, in ſe ſententiam ſuam judex retorſit, ut amaſſe ſe peccatores proderet, magis ſolvendo debitum, quàm donando.* Et hoc ipſum eſt quod reponit Chriſtus, injuſtis illis querelis, dum ſic ad illas, & earum authores: *Non veni vocare juſtos,* *Matth. c. 9.*
ſed peccatores. Et hinc mihi injicitur ſecunda quæſtio.

Quomodo vocatus à Chriſto?

EXponit Evangeliſta ſeriem, modumque ſuæ vocationis, cùm ſic ait: *Dum tranſiret IESVS.*
Hoc primum *tranſiret*, *benè tranſiret*, *quia tranſibat* *D. Chryſol.*
Iudæam, ut veniret ad Gentes; præteribat Synagogam, ut *ſerm. 30.*
in Eccleſia permaneret; prætergrediebatur carnis Patriam, ut Deitatis ſua, remearet ad ſedem, doceretque nos eodem remeare; ita tamen ut in vitæ hujus tranſitu etiam aliorum ſtudeamus ſaluti, uti ſtuduit hîc
Chriſtus; *tranſivit enim ne* MATTHÆUS *remaneret ibi,* *Serm. 28.*
tranſivit, ne MATTHÆUS *ibi taliter permaneret*, deinde *vidit hominem.* En ſecundum. *Vidit plus divinis oculis, quàm humanis, Vidit*, inquam, *hominem ut peccata hominis non videret. Vidit opus ſuum, ut deſpiceret opera peccatorum. Vidit illum Deus, ut ille videret Deum. Vidit illum Chriſtus, ut ille pecuniæ latebras amplius non videret.* Et hoc divinæ in eum miſericordiæ fuit, miſeriæ
iſtud in MATTHÆO, quod vidit *ſedentem* & hoc ter- *Serm. 29.*
tium eſt. Sed cur *ſedentem? quia ſtare non poterat pondere cupiditatis oppreſſus, & ipsâ totus conſcientiâ fraudis incurvus*; ſed unde oppreſſus? unde & incurvus? utique ab avarâ, inſanaque auri cupidine. *Aurum quippe naturâ grave, gravius fit avaritia. hinc eſt, quod plus habentem deprimit quàm ferentem, & vehementius aggravat corda, quam corpora.* Et ita aggravarat cor
MATTHÆI, qui *preſſus cupiditatis pondere ſurgere non* *Ibidem.*
valebat, in hoc deterior paralytico, quem ante curaverat IESUS, *quia ille carnis patiebatur paralyſim, iſte mentis; ille jacebat captus carne; ſedebat corpore, & animo iſte captivus.* Ne porro diutiùs ſic ſederet, ait illi

Chriſtus. *Sequere me, hoc eſt me ſequere, de ſuperris ad ſuperna tendentem; & non aurum de inferis ad inferna mergentem.*

Serm. 28. *Sequere me, hoc eſt, depone pondera, diſrumpe vincula, ſolve laqueos, & me ſequere, perde uſuram, ut te valeas invenire:* & hæc illi Servator optimus, quid deinde MATTHÆUS? *& ſurgens ſecutus eſt eum.*

Serm. 29. *Generoſus animus*, inquit Chryſologus, *qui ſic ea, quæ putarat magna, facilè & quaſi nulla contempſit; apparet illum per Ignorantiam lucra ante præſentia conquiſiſſe, à quibus ut ſe ſenſit, & vidit liberum, ſic raptus eſt ad divina.*

At unde ſic raptus? primùm à cœleſtri illius prædicatione, quæ ſic influebat in aures, ut tamen magis influeret in animos: deinde à luce miraculorum, & curatione paralytici, quæ adhuc erat in oculis, & hanc rationem affert D. Chryſologus, orator âureus; qui MATTHÆUM *miraculorum jam famâ perdomitum* appellat. Denique à cœleſti fulgore, & *majeſtate Divinitatis occultæ, quæ etiam in humanâ facie relucebat & primo ad ſe, videntes trahere poterat aſpectu.* Et hæc poſtrema ratio placuit D. Hieronymo, qui etiam eam à ſimili confirmat. *Si enim*, inquit, *in magnete lapide, & ſuccinis, hæc eſſe vis dicitur, ut annulos & ſtipulam, & feſtucam ſibi copulent, quantò magis Dominus omnium creaturarum ad ſe trahere poterat, quos volebat?* Et hinc etiam Porphyrium & Julianum, arguit inſcitiæ, quod & MATTHÆUM illi, & alios Apoſtolos levitatis arguerent ex eo quòd, ad primas Chriſti voces eum eſſent ſecuti.

Ad quid vocatus? Et quæ ab ejus vocatione dignitas?

Serm. de S. Matthæo. BEatus Petrus Damianus ad tria potiſſimùm vocatum affirmat, & in iis vocationis illius dignitatem reponit; hiſque verbis exprimit: *Evangeliſta fuit, Æthiopiæ Apoſtolus, & Virginitatis victima.*

Hoc igitur primum laudis & gloriæ caput. *Evangeliſta*, quod notaſſe viſa eſt Syriaca inſcriptio ipſius Evangelii, quæ ſic habet: *In virtute Domini, Deique noſtri Ieſchua Chriſti, incipimus ſcribere librum ſacroſancti Evangelii, primumque Evangelium, MATTAI præconium.*

Meritò ſanè *MATTAI præconium.* Quod enim potius?

Lib. 2. cap. 5. Evangelium D. Clementi in Apoſtolicis Conſtitutionibus, dicitur, & eſt *omnium Scripturarum abſoluta perfectio.*

Hom. in diverſ. D. Baſilio *oraculorum omnium cœleſtium veluti coronis.*

In Liturgia. D. Chryſoſtomo *ſapientia recta.*

In Pſal. 18. D. Ambroſio *morum magiſterium.*

Præfat. in Ioan. Origeni *totius Scripturæ primitia eſt Evangelium:* quod ſi tale eſt, uti ex vero eſt; quid adeo mirum ſi prima Divi MATTHÆI laus, atque commendatio ducatur ab Evangelio, quod & ſcripſit ipſe, & poſteris tranſmiſit. Certè Divus Hieronymus eam

Ex 12. eſſe dixit: *Evangelii majeſtatem, ad cujus fulgura omnis mortalium ſenſus hebetetur.* Nec mirum ſi ea ſit majeſtas, cùm cœleſtis ſit, ac divina, & talis propè qualis & Dei, qui per Evangelium nobiſcum eſt,

Hom. 34. ex 50. quam in rem extat præclarum illud D. Auguſtini: *Semper ante te habes quem ſequaris, Dominus exemplum in terra poſuit, cùm Evangelium ibi reliquit. In Evangelio te cum eſt.* Et hinc factum ut ſacrorum Antiſtites, Divique Patres Evangelium omni propè loco, omnique tempore penes ſe habere ſtuduerint quam impenſiſſimè, cui curæ, ſtudioque & cœlum ipſum favere viſum eſt.

Bollandus 1 Feb. in vita S. Brigidæ. § 14. Ad S. Virginem *Brigidam* venerat S. *Aidus* Epiſcopus, ab eaque petierat, ut Evangelium ſi fortè apud ſe haberet, commodaret quàm citiſſimè. Cui illa, enimvero non habeo: ſed ad ſuperos, Deumque ſupplex veniam, ut tibi illicò tranſmittat: venit ergo, oravit, exoravitque: ecce enim mox à cœlo prodigium: ex eo quippe viſum eſt elabi Evangelium, immittique in *Brigidæ* ſinum: excepit illa Dei donum, ac munus, & S. *Aido* in manus dedit, qui deinde reliqua vita Evangelium illud & manu terere, & ſinu geſtare cœpit, & illi quodammodo convivere. Alii etiam Religioſius, & illi commori; imo & cum eo ſepeliri voluerunt; rati in eo quaſi Numen eſſe; & Divinum quiddam.

Ita inde à primis Eccleſiæ temporibus, in conſecrationibus Pontificum, eorum capitibus imponebantur *à Deo data oracula*, ut loquitur D. Dionyſius: hoc eſt Evangelia; quibus ut floreis, ut gemmeis redimiri corollis, ac triumphare. De Eccleſ. Hierar.

D. Epiphanius cùm inter navigandum jam jam eſſet efflaturus animam, & in beatæ vitæ portum ſucceſſurus; ſupra pectus Evangelia poſuit; ut eo veluti naulo munitus, in fæliciſſimam vivorum regionem transfretaret. In ejus vita.

Amplius aliquid D. *Barnabas*, & ipſe Apoſtolorum collegio ſociatus, non modo vivus ad collum, atque pectus Evangelium habuit: verùm etiam & mortuus: cùm enim MATTHÆI Evangelium exſcripſiſſet, id ſupra mortui pectus, in eodem eſſe tumulo voluit, ut animi thecam, ut cordis bullam, ut piæ mentis anathema, ut lemma bonæ conſcientiæ, ut religionis honorificum epigramma. Niceph. l. 2. c. 37.

Ita nimirum decebat, ut qui vitam omnem ex Evangelio compoſuiſſet, illiuſque præco fuiſſet; illo eodem ut dulci comite in tumulo gauderet, ut eſſet præſidium quietis, ſpei ornamentum, teſtimonium ſuæ in Deum caritatis nunquam intermorituræ, quale nimirum erat Evangelium MATTHÆI, à quo proinde prima illius laus, primaque gloria, cui accedet altera ab ipſo Apoſtoli nomine, atque dignitate.

Ut eam Antiqui Patres ſub oculos ponerent, Apoſtolos, aliis atque aliis appellationibus inſignitos voluerunt, ut vel ipſo nomine proderent, quod latebat in homine.

D. Cyrillus Hieroſolymitanus, Chriſtum eſſe dixit *Medicum animorum & corporum*, quam appellationem ut plenam utilitatis ac caritatis, ad ipſos Apoſtolos tranſtulere Priſci Patres, quos inter Origenes, qui cùm Chriſtum nominaſſet *Archiatram*, ſubdidit Apoſtolos eſſe *Medicos animarum, quibus curandorum vulnerum diſciplina commiſſa eſt.* Et is fuit D. MATTHÆUS animarum & corporum curator ac medicus, non in vitâ ſolùm, quod in eo ames; ſed & à morte, quod mireris magis. In vitâ medicum agnoſcit, & clamat Egipius, Regis Ægypti filius, & hæres, quem mortuum vitæ reddidit, & Patri. A morte verò medicum prædicat quod ſubjicio. Catech 6. Hom. 1.

Cæſar Cardinalis Baronius in notis ad Martyrologium, graviſſimam extulit ſententiam. *Deus Opt. Max.* inquit, *cùm multis modis Sanctorum cineres illuſtravit, eo etiam honore dignatus eſt, ut ex aridis oſſibus, liquorem medicamenti vim habentem, ad curandas infirmitates effluere voluerit.* Et ita voluit in Apoſtolo, cujus honori hæc ſcribimus, de quo ita Siveſter Petra Sancta in ſua Thaumaſia. Salerni ejuſmodi liquor effluxit aliquot ſæculis ex corpore Sancti MATTHÆI Apoſtoli & Evangeliſtæ, edid itque miracula ſanè multa, tam ad corporum, quàm animarum ſanitatem. Sed deinde ex arcano Dei judicio ſenſim evanuit ceſſavitque; non ita tamen quin ex vero audierit, audiatque Apoſtolus, *Animarum, corporumque Medicus:* ſed & alia nuncupatione, *Cor Hieruſalem*; imo cor univerſi. Tom. 3. c. 12. p. 232.

Sic eos appellandos eſſe cenſuit Iſaïas Vates, ut mihi author eſt Procopius. Rationem promere viſus Athenarum lux magna Dionyſius; qui è myſticæ Theologiæ arcanis, *cor*, ait, *ſymbolum eſſe divinæ, & (uti ita loquar) Deiformis vitæ*, quæ vitalem vim ſuam benignè in omnia corporis membra diſpergit. Et ita diſperſit D. MATTHÆUS veluti cor magni corporis In Iſaiam. De cœleſt. Hierar. c. 15.

poris, Æthyopiæ dico, incultæ illius & vaſtiſſimæ regionis, quam malus dæmon, & magicis artibus inficere, & perdere cogitabat: erant enim eò loci Magi duo; *Moroës & Arſaxes*, qui ſuis præſtigiis, immiſſoque in viſcera toxico, infælicem popellum in varias trahebant corporis animique ægritudines; quas tamen depellebat Apoſtolus, ceu *medicus*, ceu *cor populi*, qui in membra jam vitiata, vitæ ſpiritalis, imo & corporeæ ſuccum ſalubrem immittebat; ut ab illo ſua rediret corpori vis, ſuus & animo vigor, ac ſanitas; quam ubi malis artibus peſſundare non potuit dæmon, aperto marte congreſſus eſt, & in campum emiſit duos dracones timendæ molis, qui è ſylvis, ac nemoribus egreſſi, in oppida, in urbes, in domos irruerent, & ſtragem immanem facerent, quà pecorum, quà etiam hominum. Quid hic Apoſtolus? vim vi repellere placuit. At quæ, inquies, & unde vis? unde & arma? juſtitiæ, inquit Paulus, arma, *Arma lucis*, *Armatura Dei*, *Iacula Dei*.

Ad Tim. 6.

At quæ illa jacula? *D. Cyrillo* ſunt virtutes, quibus Apoſtoli pugnant, vincunt, triumphant. Prophetæ *Abacuc*, *Iacula* ſunt ipſi Apoſtoli: ſic enim ille ad Meſſiam. *Iacula tua ibunt in ſplendorem coruſcationis armorum tuorum.* *Iacula tua*, id eſt Apoſtoli tui, ibunt in hoſtem, eumque ſternent, ac profligabunt; & ita ivit Beatus MATTHÆUS, ivit, inquam, & obvium pectus tulit, in dracones illos, & ſolo ſigno Crucis ad nemora coëgit; ſeu imbelles agnos, ſeu fugaces cervos; adeo potentia *Iacula tua*, Apoſtoli tui, ô Chriſte. Vidimus quomodo Apoſtoli, in morbis animorum ſint *medici*, quomodo etiam *corda populorum*, qui ſpiritum & vitam inſpirent. Quomodo adverſus hoſtes *Iacula*: ſed Jacula Dei. Videamus quomodo etiam lumina, orbis oculi, & ſoles ad lucem animorum.

Cap. 3.

In cap. 45. Iſai. Cyrillus certè eos eſſe dixit *œcumenica lumina:*

Hom. 15. in Cant. S. Leo eſſe in Eccleſiæ corpore veluti *geminum lumen oculorum*.

Epiſt. 10. S. Dionyſius Areopagita *ſoles* appellavit: ſic enim aliquando de *S. Ioanne*, quem *Evangelii Solem* eſſe voluit. Quod ſi *D. Ioannes Evangelii Sol*, utique & MATTHÆVS *Evangelii Sol* erit, & quidem primus, qui Chriſtiano orbi ſurrexit; qui facem prætulit, & amœnam ac cœleſtem Evangelii lucem. Qui porro ab illa luce radii, qui fulgores in alios emanarint videamus.

Eſt in luce candor & fulgor: candor argenteus; fulgor aureus & igneus. Et hic, & ille à MATTHÆO, ſeu luce, ſeu ſole mundi effluxit. Pro eâ quâ erat ſacratiore dicendi copiâ, exemplis vitæ ſanctioris, & miraculorum patrandorum gratiâ; Ægypti Regem, Reginam, ejuſque filiam unicam *Iſigeniam* nomine, Chriſtianæ Religioni jam addiderat, & ſimul etiam ſubjectam illi ditionem propè univerſam, in quâ, ut genere, formaque Regia; ſic & virtute eminebat *Iſigenia*, quæ ut audiit Apoſtolum de Virginitate multa, eaque præclara proferentem, illius amore incenſa, eam cœlo, Deoque vovit; utque ſervaret ſtudioſiùs ac ſecuriùs, Aſceterii ſeptis ſeſe incluſit, unà cum ducentis Virginibus, quæ ei ſeſe comites adjunxerant; tantæ & tam potentes in Virginitate ſunt illecebræ. Nec mirum, ea quippe Virginitatis eſt gratia, is apud ſuperos favor, ut homines faciat *Aſſeſſores Comitesque Dei*; faciat eſſe Deo quàm proximos. *Incorruptio facit eſſe proximum Deo*, ut rectè Sapiens. Facit eſſe Dei ter Opt. ter Max. *ſedes*. Amplius dico, facit eſſe *Altaria Dei*, cujus Aſſertionis authorem, ac fidejuſſorem habeo D. Ambroſium, qui ſic olim ad Virgines:

Cap. 6.

Neque dubitaverim vobis patere altaria, quarum mentes fidenter altaria Dei dixerim. Et paulò poſt: *Beatæ Virgines, quæ tam immortali ſpiratis gratia, ut horti floribus, ut templa religione, ut Altaria Sacerdotio.* Ecce quæ à Virginitate gratia, quæ laus & commendatio, quæ & Beatitas, ut nemini proinde mirum videri debeat, ſi eam adeo impensè amarit, ſervaritque *Iſigenia*, illamque & coronis, & ſceptro prætulerit: certè ab his non colliguntur niſi ſpinæ; ſed ab illa roſæ, & candicantes, & ſubinde etiam purpureæ: candicantes à niveo Virginitatis candore, purpureæ autem ab effuſo illius causâ, etiam ſanguine, ut videre eſt, & amare in Divo MATTHÆO, qui illius tuendæ causâ & vitam, & ſanguinem fudit, & quem proinde S. *Hippolitus* appellat *Virginitatis victimam*; quòd pro illâ ceciderit, ut ad aras ſolet oblata cœlo victima: quod ut magis in aperto ſit, & clarâ luce, juvat illius paulo fuſiùs meminiſſe.

Ubi vivere deſiit Ægypti Rex, *Hirtacus*, ejus frater regnum invaſit, occupavitque; potentes enim apud homines hujus ſæculi ſunt in purpurâ, ſceptroque illecebræ; & eò quidem ut ſæpius pro eo obtinendo ſervandoque, nec vitæ parcatur, nec ſanguini; ita certè nec huic, nec illi pepercit *Hirtacus*, qui ut imperium magis firmaret ſuum, *Iſigeniam* Regis defuncti filiam, regnique paterni hæredem in ſponſam ſibi depoſcere voluit; quod ut obtineret, Apoſtolum rogavit, ut qui illi author fuerat devotæ jam Deo Virginitatis, author etiam eſſet nuptiarum, quas adeo amabat, deperibatque. Stata igitur die, ac loco adeſt D. MATTHÆVS, & pro concione multa de matrimonio, illiusque authore Deo, dicit: multa etiam de Virginitate, & præclaris illius encomiis, & quantum Virginum ſtatus diſtaret à nuptiarum conditione, ſtatuque.

Theologiæ myſticæ Doctoribus triplex, eſt caſtitas, *Conjugalis*, *Vidualis*, *Virginalis*, atque inter has diſcrimen illud:

Virginitas aurum, *Caſtitas argentum*; *Iugalitas æramentum*.

Virginitas ſol, *Caſtitas lucerna*, *Iugalitas tenebræ.* Denique *Virginitas regina*, *Caſtitas domina*, *Iugalitas ancilla.* Ex quibus id conficis, quantum inter aurum, argentum, atque æs intereſt, quantumque inter ſolem, lucernam, & tenebras, quantumque inter Reginam, Dominam, & Ancillam: tantum neceſſe ſit intereſſe, inter Caſtitatem *Conjugalem*, *Vidualem*, *& Virginalem*; quod in frequenti concione, audiente etiam Rege *Hirtaco*, aulaque nobiliore, dum exponit Apoſtolus, in illius iras, odiumque incurrit, ex eoque maximè, quod adjecerit horrendum etiam illud, intentatas cœlo minas, & fulmina iis omnibus, qui in alterius cujuſquam nuptias, torumque per nefas involarint, violatis etiam caſti connubii legibus: quod ut in humanis timendum eſſet, violatâ ſcilicet fide conjugali: ſic & maximè in cœleſtibus, ac divinis nuptiis, in quibus mens caſta, pura, virginea, Chriſti eſt ſponſa, & ſponſa etiam voto firmata, qualis & *Iſigenia*.

Hæc ut audiit *Hirtacus*, indoluit, infremuitque totus, & in iras, minaſque exceſſit; nec in aëra abiere minæ. Ad arma enim, cædemque mox itum, & Apoſtolus ad ipſas aras, in quibus Deo immortali jam litarat, impetitus, cæſuſque, ad eas cecidit illuſtris *victima virginitatis*. Victima ſuperis, Numinique gratiſſima.

Credidit eo caſu ſimul etiam *Iſigeniæ* animos concidere poſſe Rex impius: at contrà accidit, invaluere illi magis. Nec mirum, quia ut disertè Tertullianus, *Vbi Deus, ibi pudicitia*, & ubi pudicitia, ibi & Deus. *De Cultu fœmin. c. 8.* Stetit ad illecebras immota, ad minas invicta *Iſigenia*, & quæ Chriſtum, Deumque immortalem admiſerat ſpōſum, mortalē cōſtantiſſimè recuſavit; *Hirtacumq;* iterum valere juſſit, atque abſcedere; & certè abſceſſit; ſed in iras exceſſit, extremaque *Iſigeniæ*, ſociiſque Virginibus ſupplicia: monaſteriū enim in quo degebat illa, mox incendi juſſit, ut quæ impuro ſuo amore, igneque non arſerat, alio ſtatim arderet igne; iretque

in mœſtos cineres: ſed nec illa arſit, nec ſociæ virgines, nec ipſum Aſceterium; adfuit enim Apoſtolus, & medio in aëre conſpicuus apparuit, injectaſque flammas aut diſſipavit, aut extinxit.

Ita nimirum plerumque fieri ſolet, quæ à veneris igne non exarſit virgo; ab igne elementari non ardet, flamma ſcilicet eam reverente.

Ita *S. Priſca*, Virgo & Martyr ſemper invicta, conjecta in ardentem rogum, in eo ſtetit illæſa, intactaque, igne ſcilicet partim pluviâ ingruente, partim afflante vento, mox diſperſo, diſſipatoque: imo, & in miniſtros circumſtantes converſo: Deo flammas in noxia capita retorquente.

Ita etiam S. *Martina*, Virgo & Martyr inclyta, & ipſa in flammas injecta, iis non arſit, pluviâ etiam, ac vento cedente flammâ, atque in aſtaores converſâ.

Ita denique (ut concludam in D. *Agneta* Virgunculâ) & ipſa in copioſum ignem immiſſa, in eo vicit, ac triumphavit, flammæ enim quaſi virginem reveritæ, in duas partes hinc & hinc diviſæ, *Agnetem* mediam intactam reliquêre, & ſeditioſos illos circumſtaores invaſêre, atque exuſsêre. Quod illis Chriſti, ceu ſponſi, beneficio: hoc S. *Iſigenia* D. MATTHÆI gratiâ, favore, præſidio; eam enim nec attigit flamma, nec ſocias Virgines, Apoſtolo eam diſſipante, arcentéque à Virgineis tectis, nobilique Aſceterin, atque in *Hirtacum* Regem convertente, qui etſi flammâ illâ elementari non arſerit; at arſit interiore aliâ, exurente etiam leprâ, infami illâ ac pudendâ, quâ ad extremam deſperationem adactus, ſibi vim intulit, ſibi ipſe, & Judex & ultor, & carnifex. Ita de tyranno triumphavit Apoſtolus, triumphavit *Iſigenia* Virgo: Ille *Virginitatis victima*; cœlo oblata, ſacrificio cruento: Hæc, ejuſdem Virginitatis hoſtia, Deo ſacras ad aras dedicata.

Et ita vincere, ita triumphare nos oportet, ſi ii ſumus, qui à Chriſto dicimur Chriſtiani, qui ab Apoſtolis Apoſtolici, Sedebat ad telonium MATTHÆUS ſæcularibus curis implicitus, & pecuniâ, ceu retibus malè captus: audiit à Chriſto. *Sequere me, & ſtatim ſurgens ſecutus eſt eum.*

Audis & ipſe, auribus utique cordis & animi; audis illud, & Chriſti, *ſequere me.* Surge, & ſequere, pecuniam perde, ne te illa perdat: relinque cum *Andrea*, cum *Petro* ea retia; retia ſunt cupiditates tuæ, & illas abjice; & Deum vocantem audi: dicet ille tibi in aurem, *Ducam te per ſemitas æquitatis*, Prov. c. 4.
hoc eſt juſtitiæ, ac virtutis, per has te ducet ad ar- v. 11.
dua montium, invicta ſcilicet in adverſis fortitudine, ac patientiâ; ducet ad ſemitas ſpinis conſitas, dumetis horridas, nec enim mollis ad ſuperos eſt via: ſed aſpera, & ſpinis hoc eſt mortificationibus, horrida: hac te ducet Deus, ducet & viâ lacteâ: viâ dico candidâ virgineâ, quali & *Iſigeniam* Virginem duxit; & hanc, & illas, imitare ſtude, ſi modo æternitati ſtudes, & facili, certæque ad cœlos viæ.

IN FESTO
SS. APOSTOLORUM
SIMONIS ET JUDÆ.

DIVINA Providentia, quæ mortalibus oculis amat objicere arcana ſapientiæ ſuæ, ad ea utitur quibuſdam ſymbolis, ut per ſenſus veluti canales influant in animos eò fælicius, quò facilius.

Sic olim in Salomonis templo, templo vetuſtæ religionis diverſorio, aureum candelabrum collocavit ſeptem haſtilibus, totidémque lucernis diſtinctum, atque ad imitationem (ut ait
Lib. 3. c. 10. Ioſephus) ſeptem planetarum perfectum, ut per hoc indicaret ſacratos immortali Deo homines in terris eſſe, quod in templis candelabra, quod in cœlis planetæ.

Quod Salomon Regum ſapientiſſimus; hoc *D. Ioannes* Chriſti ſcriba, Chriſti amor & deliciæ: qui viros cœlis acceptos, ac Deo, modò cum Olivis, modò cum Candelabris compoſuit. Sic enim de illis in Apocalypſi: *Hi ſunt duæ Olivæ, &*
Cap 11. *duo candelabra in conſpectu Domini.* Olivas illas diximus eſſe Beatos Apoſtolos *Philippum* & *Iacobum*: hîc autem Candelabra, dicemus eſſe SIMONEM & IUDAM, & ipſos Apoſtolos, atque inter prima ſurgentis Eccleſiæ lumina: de quibus inſtituetur.

QUÆ-

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa verba: *Hi ſunt duo candelabra in conſpectu Domini.* Apocal. cap. 11. verſ. 4.

QVÆ SINT ILLA DVO CANDELABRA?

IN menſis exceſſu dum jubetur *Ioannes* metiri templum, in eo vidit *duo Candelabra in conſpectu Domini*, mirum quantum lucentia. Quæ ſint illa? non prodidit ipſe qui voluit eſſe in occulto, arcanóque myſterio; prodidere tamen Interpretes, quos inter etiam ſua lis eſt & controverſia. Ait enim *Ioanni* Deus: *Dabo duobus teſtibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta, amicti ſaccis.* Hos porro teſtes ſtatim componit cum duabus Olivis, & duobus candelabris. Dicit enim: *Hi ſunt* enim *duæ Olivæ, & duo Candelabra in conſpectu Domini.* At qui illi duo teſtes? qui deinde Olivæ? qui & Candelabra dicuntur?

Pannonius, duos illos teſtes cenſet eſſe prædicatores, qui duo teſtamenta, novum ſcilicet, & vetus edocebunt: *Arias Montanus*, Legem & Prophetam: legem quidem in Moyſe, prophetam in Elia. *Alazar* ſapientiam & ſanctitatem Eccleſiæ primitivæ, quæ Chriſto dabunt teſtimonium contrà pervicacem Judæorum ignorantiam, ac cæcitatem.

Vbertinus & *Michaël Citſingerus*, cenſent teſtes illos eſſe Chriſtum ipſum, & Joannem Baptiſtam.

Lyranus, *Aureolus*, & *S. Antoninus* eſſe Sylverium Papam, & Mennam Patriarcham Conſtantinopolitanum qui acriter contrà Eutychetis hæreſim decertabunt.

Vbertinus, aliíque pauci, Divos Patriarchas Dominicum & Franciſcum.

Cornelius, cæteríque communius eſſe *Eliam* & *Henoch*: & hoc veroſimilius; quia, quæ hìc prodit Apoſtolus, ad extrema perituri mundi tempora pertinere videntur; in quibus contra Antichriſti malos dolos, immanemque vim, in aciem deſcendent *Elias* & *Henoch*, fortiſſimi Chriſti pugiles, & Eccleſiæ defenſores. In hac Authorum inter ſe pugnâ pro litterali ſenſu, deflectam ad ſenſum accommodatitium, & pronuntiabo eſſe Beatos Apoſtolos SIMONEM & IUDAM, qui in Eccleſiâ, ceu Dei templo fuere quaſi duo Candelabra, duæque illis eminentes candelæ, ceu ſacratiora illuſtrando orbi lumina.

Et certè nec novum illud, nec inſolens viros cœlo, terriſque illuſtres candelabris, & candelis accenſis deſignari.

Huic orbi, & mortalibus oculis vivere, viderique
Bollandus 16 Ian. in ejus vita c. 13. deſierat S. *Furſeus*, cùm eum Dux *Haimo* (cujus filium, eumque unigenitum à morte excitarat) vidit unà, cum duobus Diaconis, & tribus cereis, quos ſuper menſam poſuerunt, tum quaſi peracta ſcena, cujus ergo venerant, abierunt; vidit, inquam, non ſine ſtupore amabili, intellexitque jam obiiſſe, extinctumque eſſe terris ut cœlo luceret, ac beatitati.

Idem 28. Ian. Terris inſepultum diu jacuerat corpus S. *Caroli* Imperatoris, cognomento, & re etiam ipsâ, magni, cùm è ſepulchri nocte, latebriſque educi placuit in lucem, ſolemque Univerſi. Et ecce ibi prodigium. Viſæ concubiâ nocte, candelæ tres accenſæ ſuper pinnaculum templi, luce, fulgoreque mirabili, quæ primò conſiſtere viſæ ſunt; deinde trina revolutione, & crucem turris, & totius Eccleſiæ molem, quaſi in gyrum ambire; attonitis omnibus ad tantam in denſâ nocte, tenebriſque claritatem.

Sed unde? & cur eæ candelæ? utique à cœlo; Deoque parente luminis, qui ſervos ſuos, à vitæ ſanctimoniâ ſpectabiles, ſpectari vult, atque terris rurſum oſtendi eo candelarum accenſarum ſymbolo. Maneat ergo fixum illud, atque indubitatum, mentes cœlo magnas, & candelabris, & candelis, demonſtrari mortalibus oculis, ut per has, ad animum evadat ea lux, is ardor, qui in Sanctis fuit, dum huic auræ ſpirarent, & mortali vitæ. Quod ſi Sancti alii ſic monſtrantur; quidni & Apoſtoli? majora utique cœli lumina, & candelabra principalia in domo Dei: quæ inter uti lucent, ardentque Sancti SIMON & JVDAS; ſic & nobis lucem, ardorémque illum, hac illis feſtivâ, ac ſolemni luce exhibebunt: eſt enim in iis, & cœleſtis quædam ac divina prope lux, eſt & ardor entheus, ut inſequentes pagellæ docebunt.

PRIMA LUX.

Sanctorum Apoſtolorum SIMONIS *&* JVDÆ. A ſanguine & natalibus orta.

HÆC olim Deus Abrahamo in paucis ſibi caro: *In Iſaac vocabitur tibi ſemen: ſed & filium ancillæ* *Gen. c. 21. v. 12.*
faciam in gentem magnam, quia ſemen tuum eſt.

Filius ancillæ fuit Iſmaël feroci vir ingenio, & moribus truculentus, & tamen ut is eſſet, eum amabilis Dei providentia fecit in gentem magnam: vel ab hoc tantum quod Abrahæ ſemen, & ſanguis eſſet: tantum intereſt quo naſcaris ſanguine, quo Parente gignaris; ut proinde mihi merito Sanctorum Apoſtolorum prima lux, primaque laus petenda videatur à ſanguine & natalibus.

Fuit illis Mater *Maria Alphei*, Pater autem *Cleophas*, fælici ſorte progenitores, atque in filiis ſanè fortunati; ut qui è duodecim Apoſtolis, tres habuerint filios, videlicet *Iacobum* cognomento *minorem*, SIMONEM & IVDAM, quibus acceſſit *Ioſeph*, qui *Mathiæ* competitor ſuit, cùm ſors ſuper *Mathiam* incidit: digni tantis progenitoribus filii; Principes Eccleſiæ, & nova novi cœli lumina; quæ à Patre, ac Matre generis ſui lumen accepere, redditurì utique magno cum fœnore. At unde generis illius lumen? utique primùm à virtute, in qua ferè ſola nobilitas; deinde à conſanguinitate. Virtutem Matris quàm optimæ ex eo duco, quòd Chriſto Servatori comes individua, quòd illius amans vel maximè. Ut ignis aſpirante vento invaleſcit magis, atque exardeſcit: ſic & amor (qui & ipſe ignis eſt) adversâ afflante aurâ augetur magis, atque explicatur. Et ita auctum, explicatumque vidimus in *Maria Alphei*, Apoſtolorum, (de quibus agimus) Matre: hæc enim diffugientibus Apoſtolis, & Chriſto ad crucem eunti comes fuit, atque etiam cruci aſtitit unà cum Virgine Matre, quod & eximiæ fortitudinis fuit, & charitatis ſummæ, ut quæ nec timori ceſſit, nec mortis imagini, quæ propè erat in oculis. Et hæc à Matre petita lux magni nominis: nec minor à Patre; cui nomen *Cleophas*, nomen profectò boni ominis, *Cleophas* enim græcâ etymo idem eſt quod *gloria*

Digitized by Google

omnis, *κλέος*, quippe eſt *gloria*, & *πᾶς omnis*. Hebraicè autem *Cleophas* idem eſt quod *concio*, *cœtus*, *Eccleſia*: & hæc ab illo, ſeu progenitore fuit, multos enim filios, ac nepotes Eccleſiæ, Chriſtoque dedit: fuit enim frater, S. *Ioſephi* ſponſi Divæ Virginis, & Pater Apoſtolorum *Iacobi Minoris*, SIMONIS & IUDÆ, Avus autem *Iacobi Majoris*, & *Ioannis*, qui prima naſcentis Eccleſiæ lumina, nobiliſque cœtus, quem portendebat, explicabatque vel ipſum *Cleophæ* nomen; quod mira, à virtute, morteque fœliciter, obita, incrementa accepit. De illo ſic ſcribit *Helecas* Epiſcopus Cæſar-auguſtanus, in additionibus ad Cronicon *L. Dextri & M. Maximi*: Alphæus, *qui & Cleophas, unus de ſeptuaginta Diſcipulis, ut docet Hieronymus, & frater Ioſeph ſponſi B. Virginis, in caſtello Emmaunte pro Chriſto occiditur.* Fuit igitur invictus Eccleſiæ pugil, & Chriſti Martyr, quod eximiæ fortitudinis fuit, & charitatis; quam ut in poſteros efferret Martyrologium Romanum, ſic de illo ad diem 25. Septembris, *In caſtello Emmaus natalis B. Cleophæ Chriſti Diſcipuli, quem tradunt in eadem domo, in quâ menſam Domino paraverat pro confeſſione illius à Iudæis occiſum, & glorioſâ memoriâ ſepultum.*

Ecce quæ à Parentibus, Sanctis Apoſtolis SIMONI & JUDÆ, affuſa lux & claritas; videamus quæ deinde à conſanguinitate.

Jam vidimus *Cleopham* Joſephi fratrem fuiſſe, à quo ut ſocietas, & communio ſanguinis; ſic & gloriæ ac honoris, imò & virtutis: *frater* enim *ferè alter*, non ſanguine tantum, quod naturæ eſt; ſed & virtutis, quod gratiæ.

Maria autem ipſius Divæ Matris ac Virginis ſoror appellatur, non quod propriè ſoror fuerit, & ſimul *Ioachimi*, *Annæque* filia (ut credidit D. Hieronymus, Theodoretus, Beda, aliique) ſed cognata, vel conſobrina; Hebraïca ſcilicet phraſi, qua cognata, & conſobrina ſoror appellatur.

Matth. c. 13. v. 15. Eadem ratione Beati hi Apoſtoli dicuntur Chriſti fratres; non quòd fuerint filii *Ioſeph* ſponſi Virginis, ex aliâ videlicet uxore, adeoque privigni B. Virginis, & propriè fratres Chriſti (uti opinatus eſt Nyſſenus, Origenes, Theophilactus, Euthymius, aliique:) ſed quòd Chriſti fuerint conſanguinei, vel affines, qui apud Hebræos recepto more, modoque loquendi *fratres* appellantur. Et certè non fuiſſe propriè fratres, ex eo conſtat, quòd *Ioſeph* Virgo fuerit, & Virginem animam cœlis intulerit, (ut docent D. Hieronymus, Beda, Rupertus, D. Thomas, aliique communius & verius.) Et hæc paucis de SS. Apoſtolorum natalibus ac ſanguine, à quibus non minima laus, maximè cùm non ſint majoribus ſuis inferiora ſecuti; ſed potius ad ſuperiora gradum fecerint, & quam ab illis acceperunt nominis claritatem, mirum quantum ſuâ virtute auxerint.

SECUNDA LUX
Sanctorum Apoſtolorum.
Ab indito illis nomine.

VIdeo Antiquiores, magnum in nomine pondus conſtituiſſe; quòd crederent in eo bonum ineſſe omen. Et hinc prima illis cura ſtudiumque fuit præclarum aliquod prolibus recens natis, nomen imponere, futurum utique ſtimulo ad ardua virtutum, ad honoris gloriæque culmen, & faſtigium alicujus fœlicitatis, maximè ſi menſuram dati ſibi nominis implere ſtuduiſſent: De quo alibi pauca dixiſſe me probè memini, his unum adjiciam, quod in eo genere ſanè mirum; & quod etiamnum legitur Romæ marmori inſcultum in clauſtro S. Salvatoris ad Laurum.

Petrus Doutreman in Amore ſacr. atol 4. c. 2 ſect. 2.

Anno poſt milleſimum quadringenteſimum ſeptuageſimo quarto, *Ioannes Mares*, & *Catharina Calaquica* conjuges, ortu Barcinonenſes, cùm octennio tom ſterile illis fuiſſet matrimonium, ſacro Apoſtolorum collegio votum nuncuparunt, ut prolem eorum apud Deum precibus impetrarent: cujus voti jam rei, ſub ſolemne Miſſæ ſacrificium, quod in honorem duodecim Apoſtolorum cantabatur, duodecim cereos duodecim Apoſtolorum nominibus inſignitos accenderunt. Et concepto voto, & devotioni huic, ſuus conſtitit fructus, quippe nono pòſt menſe filiam enixa eſt mulier, & ſic deinceps per annos ſingulos felici partu familiam auxit; ita ut duodecim annorum ſpatio, etiam duodecim omninò liberos tulerit, octo ſcilicet maſculos, puellas quatuor, quorum ſingulis cujuſque Apoſtoli nomen inditum, nec plures quantumvis ſuperſtitibus, & adhuc vegetis iis nati ſunt; crederes naturæ, partuique limitem datum eſſe duodenarium numerum. Et verò datus erat, uti & illud etiam miraculo proximum; imo reipſa miraculum, quod unuſquiſque eo die vivere deſiit, qui ei Apoſtolo ſacer erat, cujus nomen vivens, ac vegetus geſtaverat.

Ut hujus rei tam novæ, tamque prodigioſæ memoria deferretur ad poſteros; *Petrus Mares* fratribus reliquis, ſororibuſque ſuperſtes, marmori incidi curavit; quod ego omnium animis incidi, imprimique malim, ut agnoſcant quantum in bono nomine ponderis, quantum & momenti.

Ne diſcedam ab argumento mihi propoſito, paucis excutiam, quod omen, quæ notio, quæ via in nominibus SS. Apoſtolorum SIMONIS & JUDÆ. Fœlix utique omen, fœcunda bonorum notio, & vis ad ardua humanis viribus major, quod patebit primò in S. SIMONIS nomine.

Lia (mater omnino pia) ut beneficii à Deo accepti memoria, ſæpius animo, ſæpius auribus inſonaret, filiolum ſibi natum *Simeonem* vocavit, hoc eſt *auditio*, vel potius *exauditio*, quod Deus ejus afflictionem, orationémque exaudiſſet. Et *Maria Alfæi* filium ſibi à cœlo conceſſum, SIMONEM vocavit, fœlici ac fortunato omine: *Simon* enim idem eſt quod *audiens*, quod *obediens*; quod is eſſet aliquando re etiam ipsâ futurus, qui erat in nomine Chriſti audiens, Chriſto vocanti obediens: ecce quæ vis in ipsâ etymo, quæ virtus in nomine: nec minor in cognomine, à quo audiit *Chananæus*, non quòd oriundus eſſet ex *Cananæa*, ut vult Munſterus; ſed quia natus in *Canâ Galilææ*: *Cana* autem *zelum* ſignificat, *unde Cananæus*, idem eſt quod *zelotes*, quem Nicephorus & Baronius credunt fuiſſe ſponſum in nuptiis ad quas vocatus Chriſtus, aquam in vinum convertit. Ecce quæ in cognomine portenditur virtus, zelus utique divini honoris, zelus & animarum, quem ut cognomine, ſic & factis expreſſit, ut ex dicendis apparebit. A S. SIMONE tranſeo ad S. JUDAM, nomen utique boni ominis, *Iuda* enim id eſt *confeſſio & laus*, quæ Apoſtolo convenit quàm optimè: fuit enim & Dei, & Chriſti confeſſor glorioſus, & laudator magnificus: fuit & æmulus illius roboris, ac fortitudinis, cujus olim *Iudas*, in filiis Jacob & fortiſſimus, & celeberrimus. Et hæc à nomine laus & commendatio, ſuppar illi à cognomine, quod illi duplex fuit. Matth. c. 10 v. 4.

Primum enim dictus eſt *Lebbeus*, id eſt *Leoninus*, vel *cordatus*. *Labi* enim Hebraice, idem eſt quod *Leo*, & *Leb* idem eſt quod *Cor*, ſymbola utique magnarum virtutum; maximè verò invictæ fortitudinis, cujus hieroglyphicum eſt *Leo*, animalium fortiſſimus; Lib. 11. c. 37. uti & *Cor* fortitudinis ſedes, ut docet Plinius; qui & illud tradit *Ariſtomenum*, qui totam Græciam rapuerat audaciæ miraculo, poſt mortem diſſectus, inventum eſſe habere cor totum pilis hirſutum, & horridum. Ecce quod omen in cognomine, & quæ prodita ex illo virtus, infractum animi robur, invictáque fortitudo in S. JUDA, qui ideo cognominatus

eſt

eſt *Lebbeus*, id eſt *Cor* vel *Corculum*; in quo, ut ſymbolo, leguntur, alia ingentium virtutum decora, & quidem primò prudentia, & ſolertia: prudentes enim, & acuti dicebantur *Corculum*, ut annotat Plinius, *Lib. 7. c. 31.* & Feſtus. Unde *Scipio Naſica* ob ſingularem prudentiam bis Conſul, appellatus eſt *Corculum*, ut refert Cicero in Tuſculanis.

Deinde notatur amor, benevolentia, atque effuſa in omnes caritas, cordati enim, benevolique in omnes, appellantur *Corculum*. quod ſedes eſt, & officina amoris, ac benevolentiæ. Et hæc in S. IUDA fuit quàm maximè; cognominatus deinde *Thaddæus*, vel ut alii volunt *Saddeus* à Syro *Thad*, vel ab Hebræo *Sad*: Syri quippe, & Chaldæi ſæpiùs S. Hebræum vertunt in T. Sicque pro *Sad*, dicunt *Thad*, & pro *Saddeus*, *Thaddæus*. Maneat, ergo amabile *Saddei* nomen, dicaturque fœlici cognomine S. IUDAS, non *Thaddæus*, verum *Saddeus*, id eſt *mammeus*, uberalis, dulcis, miſericors, benignus, & in omnes beneficus; qualis propè & Deus, qui *Saddai* dicitur, id eſt *mamma*, quaſi fons lactis, & bonorum omnium origo. Ecce quæ in uno S. JUDÆ cognomine gratiarum fluenta, quæve virtutum decora, atque ornamenta: ſed majus illud, atque auguſtius, quod ſubjicio, utpote quod ad Deum ipſum propiùs accedit, & divinum quiddam importare videtur. Eſt autem illud ejuſmodi; quod JUDAS Hebraicè includat omnes litteras nominis tetragrammaton *Iehova*, indeque etiam accedit ad reverentiam quæ debetur ineffabili ipſi nomini, quod ut JUDÆ penitus ſingulare, ſic vel maximè honorificum. Sed hæc de nomine, ac cognomine pro inſtituto ſatis, ſit illis ſua lux, ſuusque ſplendor; at major virtutibus, quæ ex iis elucere, eminereque videbuntur, implereque menſuram tanti nominis, tanti & cognominis.

TERTIA LUX

Sanctorum Apoſtolorum

Ab altiore, id eſt cœleſti ſapientia.

UT verum: ſic & magnificum illud pronuntiatum D. Auguſtini: *Scientia piſcatorum, ſtultam* *Serm. 15 de Temp.* *fecit ſapientiam Philoſophorum.* Ita nimirum ſcientia *Petri, Andreæ, Ioannis, & Iacobi*; uti & aliorum Apoſtolorum, ſtultam, & quaſi amentem fecit omnem ſapientiam Philoſophorum; hæc enim ad Apoſtolici culminis dignitatem eligendos putabat, divites, auro graves & gemmis nitentes, honoribus auctos, & purpuræ, ſceptriſque natos: illa verò pauperculos, pannoſos, inglorios adſciſcendos, & re etiam ipſâ aſcitos oſtendebat.

Hi nempe (ut Chryſologi verbis utar, & ſacratio- *Serm. 28.* re tanti Præſulis eloquentia) *in Apoſtolorum Principes eliguntur; pauperes cenſu, loco humiles, viles arte, obſcuri vitâ, labore communes, addicti vigiliis, fluctibus mancipati, negati honoribus, injuriis dati, præſidio retis, ſolo piſcium captu, victum, veſtitumque conquirentes:* hi, inquam, eliguntur, & hoc eſt, quod non videt, non capit ſapientia Philoſophorum.

Alterum eſt, quod ii ipſi terris, & honoribus puſilli: cœlo interim Deoque eſſent magni, atque *Supra.* excelſi. *Erant enim cenſu pauperes, ſed innocentiâ locupletes: loco humiles, ſed ſanctitate ſublimes: viles arte, ſed ſimplicitate pretioſi: obſcuri vitâ, ſed vitæ merito perlucentes: labore communes, ſed propoſito ſingulares: addicti vigiliis, ſed ad cœleſtes victorias jam vocati: fluctibus mancipati, ſed fluctibus non demerſi: negati honoribus, ditati magis honoribus, non negati: injuriis dati, ſed injuriis non relicti: captores piſcium, ſed piſcatores hominum*, & hoc eſt, quod non capit ſapientia Philoſophorum: uti nec illud in cruce, hoc eſt in opprobriis, in tribulationibus, in anguſtiis, in carceribus, in tormentis, in ipſâ denique morte repoſitam eſſe beatitatem.

Hinc eſt (ut aureè D. Chryſologus) *quod regna, gentes:* *Supra.* *carceres, vincula, tormenta, mortes, ſævientes homines terris omnibus, ſic vicerunt Apoſtoli* ut æternum & vincerent, & triumpharent. Utque ſic & vincere, & triumphare doceremur ipſi; docuit & verbo, & exemplo Chriſtus ipſe, Magiſter optimus, & Incarnata Patris Æterni ſapientia, qui è cruce, velut è pulpito docuit: & quam crucem, etiam in ſcholis, etiam in pulpitis docuere Apoſtoli, in eaque repoſitam probavere ſapientiam. Ita (ut cum Origene loquar) *Crux Chriſti, cujus prædicatio ſtultitia* *Hom. 4. in Exodum.* *videbatur, converſa eſt in ſapientiam, & tantam ſapientiam, ut omnium Ægyptiorum ſapientiam devoravit.*

Et hæc ipſa Crux eſt, quæ fuit ſcientia piſcatorum, & quæ ſtultam fecit ſapientiam Philoſophorum.

Hanc porrò crucis ſcientiam docuerunt Apoſtoli SIMON & IUDAS. SIMON quidem in Ægypto, in quâ propè innumeros Eccleſiæ, Chriſtoque adjunxit. IUDAS autem in Meſopotamia. Deinde tam hic, quàm ille, in Perſide, in quâ, ut animæ multæ, ſic & meſſis multa in borreum Eccleſiæ venit, collecta primùm à luce Evangelicæ prædicationis, deinde à luce ſcriptorum, doctiſque melioris ſapientiæ monumentis ac monitis, quæ S. JUDAS Epiſtolæ ſuæ inſeruit, & poſteris tranſmiſit ad bonum Eccleſiæ univerſæ.

Scio hæreticos (quos inter Lutherus, Brentius, Kemnitius, & Centuriatores, qui ſe habent ut talpa ad ſolem) hanc Epiſtolam rejicere, damnareque velut apocrypham. At etiam ſcio SS. Patres Dionyſium Areopagitam, Epiphanium, Nazianzenum, Cyprianum, Hieronymum, Auguſtinum, Ambroſium, alioſque, habere, ac revereri pro Canonica, & pro tali habet, ac reveretur Catholica, & Romana Eccleſia. Et Origenes etiam ipſe, inter *In cap. 13. Matth.* antiquiores nominatus, & ab ingenii ſui monumentis orbi notiſſimus, eam ait paucorum quidem eſſe verborum; ſed plenam gratiæ cœleſtis, ac luminis: diceres eſſe veluti margaritâ, quæ ut exigua ſit mole, at ſummi eſt pretii, ut de eâ dici poſſit, illud quod pronuntiavit D. Hieronymus: *Eam Epiſtolam brevem* *Ad Paulinum.* *eſſe, & longam; brevem in verbis; longam in ſententiis, ut rarus ſit, qui non in ejus cæcutiat lectione:* quo modo enim non cœcutiret humana, id eſt debilis mentis acies, ad tantam altioris ſapientiæ lucem, ac Solem? Cœcutit quidem ſubinde mens bona, mens ſancta: & quod non capit, ſuſpicit, ac reveretur: at non ſic hæretica, & Lutherana; quæ non capit, imo quæ non probat, impudenter, atque impiè damnat. Nec mirum quia ſuos in eâ Epiſtola damnari ſcit errores, & ſuas tenebras amœnâ illa luce diſſipari. Scit in eâ confutari hæreſes etiam eò loci ac temporis enatas, videlicet *Simonis Magi, Nicolaitarum, Cherinthi*, moxque ex iis etiam naſcituras *Gnoſticorum*, *Ebionis*, *Menandri*, *Baſilidis*, *Saturnini*, *Valentini*, *Marcionis*, atque ejuſdem farinæ homuntionum; quorum hæreſes, ut ſpiritu agnovit Apoſtolus; ſic etiam ex tunc arguit, damnavitque.

In Aſiâ minore, in quâ (ut docuit Apoſtolus) florebat ſchola *Simonis Magi*, in quâ jactabatur impium illud dogma, ſolam fidem etiam ſine bonis operibus ad ſalutem ſatis eſſe. Inſuper & hoc *Gnoſticorum*; nullum eſſe peccatum præterquam infidelitatis; ſed omnia eſſe adiaphora, bona ſcilicet benè utentibus; mala autem malè utentibus; ac proinde impunè licere vacare commeſſationibus ac libidinibus.

Et hanc *Simonianorum*, ac *Gnoſticorum* effrænatam peccandi licentiam, infandamque libidinem acriter perſtringit S. JUDAS, eiſque ſeverum Dei Judicium ab *Enoch* prædictum intentat, in ſuâ Epiſtolâ, quam & Græcè conſcripſit, & enciclicam eſſe voluit, ut prodeſſet univerſis, maximè verò

Simonia-

Simoniacis, ac *Gnoſticis* à ſanâ doctrinâ, fideque deviis, quos appellat *nubes ſine aquâ, arbores autumnales fructus. feri maris, ſidera errantia.* Et hoc, non tam ut pungat acriore ſtylo: quàm ut ſanet, & à denſis errorum ac hæreſeos tenebris, ad amœnum fidei, ac veritatis jubar reducat, eâ quâ pollebat, altioris, id eſt cœleſtis ſapientiæ, luce, ſoleque. Surrexit hic, atque illuxit orbi propè univerſo, & quidem primò à S. SIMONE in Ægypto, tum à S. IUDA in Meſopotamiâ, deinde ab hoc, & illo in Perſide; quam vix ſubierant Apoſtoli, cum idola, quæ antè plus æquò loquacia & garrula, illicò conticuerunt, atque obmutuerunt. Reddebant illa (ut Ethnicis, cœcis illis, atque amentibus videbatur) oracula: verius mendacia, quibus & veritatem involuerent, & denſis errorum tenebris, ceu profunda ſtygis nocte, tegerent: ſed eas mox diſſipavit lux evangelica, & gemina illa Ægypti Meſopotamiæ, Perſidiſque lumina, ceu gemini ſoles, à quibus &

QUARTA LUX
Sanctorum Apoſtolorum.

A ſpiritu prophetiæ & miraculis.

PRophetiæ ſpiritus, & miracula ſunt veluti ſigilla quædam, quæ veræ religioni fidem dant, atque authoritatem; imo & lucem, & quidem cœleſtem ac prope divinam. Hinc illud Dei ad idololatras Iſaiæ voce, calamoque: *Annuntiate, quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus quia Dii eſtis vos.* Certè annuntiare ventura, aut Dei ſolius eſt, aut à Deo, hominibus Deo proximis, conceſſum; uti conceſſum SS. Apoſtolis. Venerant hi in Babyloniam cùm *Baradach* exercitus Babylonici dux arma parabat, atque expeditionem contrà Indes, juratos ſibi, regnoque ſuo hoſtes. Placuit ſuper eo conſulere ſacrificulos, & Sacerdotes; nam Idola, Dæmoneſque jam muti conticuerant, dixerunt illi, & anceps, & longum futurum prælium, nec ſine multo ſanguine tranſigendum. Contrà Apoſtoli, ab eodem *Baradach* conſulti edixerunt dirimendam eſſe rem totam ſine prælio, ſine cæde, ſine ſanguine; affuturos enim die inſequenti, ab Indis Legatos, qui pacem ſupplices expoſcerent: & ita docuit eventus, qui & prophetiæ fidem dedit, & SS. Apoſtolis authoritatem conciliavit; uti & edita deinde miracula; inter quæ & ſolemne illud, quod facit, & ad teſtandam Chriſtianorum innocentiam, & ad diſſipandam ſuperinfuſam illis calumniæ, atque accuſationis nubem. Cap. 41. v. 23.

Imprægnata erat neſcio quæ puella, viri alias ſuos inter clariſſimi, nec in aperto erat à quo vitium paſſa; nimirum ejuſmodi opera, ſunt opera tenebrarum, quæ lucem fugiunt; interea uſus iis malus dæmon, uſi & infidi illi tenebriores, ut Religionis Chriſtianæ diem, quæ primò ſurgebat, aut obſcurarent, aut inficerent; culparunt enim ex Diaconis recens creatis unum aliquem, quaſi illius culpæ, infandique criminis reum: imo ipſamet puella, vel parentum minis, vel pollicitationibus evicta, in Diaconum peccatum omne, quale quale erat, rejecit; rata ſic, & ſe maculâ illâ aliquouſque liberari poſſe, & infamari ſimul religionem cujus aſſeclæ in id veniſſent audaciæ, ac libidinis, ut etiam nolentem, ac reluctantem puellam opprimerent. Ea accuſatio in ſpeciem vera, in re autem ipſâ falſa, eam tamen vim habuit, ut & Diaconus in vincula & ad Regem mox eſſet raptandus; quod ubi ſubintellexerunt Apoſtoli, ne qua inde labes aſpergeretur aut Religioni, aut ejus adminiſtris, rogarunt ut Regi ſiſterentur puellæ parentes, & puella etiam ipſa; imò & infans recens natus. Poſtulatis Rex annuit; itaque in ejus conſpectum venêre omnes, etiam ipſi Apoſtoli, qui ab infante adhuc elingui, & fari neſcio petierunt tamen, ut clarâ voce ediceret an Diaconum pro parente haberet, & agnoſceret, qui illicò attonitis omnibus reſpondit: Diaconum illum nec eſſe ſibi Patrem, nec reum illius criminis, ſed caſtum & ſanctum. Ubi ſtupor omnes tenuit & parentes, puellamque etiam rubor: petierunt illi ab Apoſtolis, ut juberent infantulum fari ecquis ergo illius pater? negarunt illi ſe id facturos, quod eorum tantum eſſet inſontes culpâ eximere, non accuſare, non detegere ſontes, maximè ubi occultum eſt ſcelus, hoc enim aperire plerumque injuſtitiæ crimen eſt, non zelus, amorque veritatis. Et ita hinc & inde diſceſſum eſt, & ſua Diacono caſtitas, bonumque nomen ſtetit, & Religioni Chriſtianæ ſua quoque integritas & ſanctitas; imo & authoritas, quam mirum quantum auxit Apoſtolorum & in dæmones, & in efferа animalia imperium, cujus argumento ſit illud, quod ſubjicio.

Ex India fugerant inſignes Magi duo *Zaroës* & *Arphaxad*, à D. Matthæo qui eò Evangelii lucem intulerat, expulſi, venerantque ad Babyloniæ Regem; ſed, ô malum! ô bonum bonis! occurrerunt & hic Apoſtoli duo SIMON & IUDAS, quos ut perderent, illicò ſerpentes ac dracones è latibulis ſuis in campum evocarunt, ut Apoſtolos veneno infuſo tollerent: verùm ſecus omninò accidit: ut enim pateret omnibus, etiam animalia rationis expertia, etiam ſerpentes Dei ter Opt. ter Max. ſervis ſubjici, imperarunt illi, ut ipſos Magos, invaderent, morderent, inficerentque citrà tamen mortis periculum, ipſamque mortem: ut & ſua ſceleratis illis eſſet pœna, & ſua ſimul Apoſtolis in eos miſeratio & clementia: Chriſtianæ charitatis fœtus nobiliſſimus; à quo ſua illis lux fuit, ut etiam.

QUINTA LUX
Sanctorum Apoſtolorum.

A terrenorum contemptu.

HEbræi ſapientes ut oſtenderent, quæ vis eſſet pecuniæ ad ſui amorem excitandum, & incendendam hominum voluntatem, ſacra lingua argentum appellarunt *Cheſeph*, cujus etymon Rabbini petunt à *Chaſaph*, id eſt amare, concupiſcere, deſiderare: quod idem propè ſit argentum, ipſæque divitiæ, ac concupiſcentia; & indè facilis, ac præceps ab illo ad hanc lapſus; cujus probè conſcii Apoſtoli in primâ Apoſtolicæ vitæ inſtitutione, primiſque rudimentis, divitiarum contemptum poſuerunt, quaſi baſim ac fundamentum Chriſtianæ religionis, quòd ſcirent divitias *impedimenta eſſe, non adjumenta, onera non ſubſidia: poſſeſſione enim, & uſu opum non fulcitur religio, ſed evertitur*, ut disertè Salvianus. Lib. 2.

Et hinc illud Chriſti ad diſcipulos ceu fundatores, ceu propagatores religionis ſuæ, *Nilite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris*, quod Salvatoris monitum dum expendit D. Ambroſius, Dominus, inquit, pecuniam in zonis portare prohibet, *non enim ſecularia, ſed æterna debet zona noſtra portare.* Et ita portare docuit S. JUDAS, non verbo (quod exiguum foret) ſed exemplo, quod ſummum. Matth. c.10. v. 9. Lib. de Parad. c. 13.

Miſſus aliquando fuerat ad Abagarum Regem Edeſſæ, quem & fidei addiderat, & Chriſto, uti & Edeſſenos, ſubjectos illi populos, cujus beneficii, ne ingratus eſſe videretur, ad Regia dona, regiamque munificentiam animum convertit, eique ingentem vim auri, tum cœlati, tum rudis illi obtulit; cui Apoſtolus oblata munera reſpuens, atque averſans, *Si noſtra*, inquit, *prorſus derelinquimus, quomodo accipiemus aliena?* enimvero nunquam accipiemus. Qui B. JUDÆ animus fuit, quæve opum deſpicientia: eadem & B. SIMONI Apoſtolo. Tam hic, quàm ille, fortiſſimo Babyloniæ Duci *Baradach*, prædixerat fore, ut Indi ſupplices advenirent, futuri utique pacis Euſebius.

Digitized by Google

pacis candidati, atque oratores: quam prædictionem cùm exitus probaſſet, Apoſtolis obtulit munera ſanè pretioſa, quæ illi omnia reſpuerunt, ut qui venerant daturi beneficium; non accepturi: daturi, inquam, meliores, id eſt perennes, ac cœleſtes divitias, non accepturi terrenas, ac brevi perituras. Et hæc prima Apoſtolicæ vitæ gratia, laus prima: inſignis auri, argenti, opumque deſpicientia, ad quam nos invitat primò ipſius Chriſti, [2. Cor. 8. 9.] ceu Magiſtri quàm optimi exemplum; *qui cum eſſet dives, propter nos egenus factus eſt*; in quod exemplar dum oculos intendit Tertullianus effert magnificum [De Pœnit. c. 7.] illud: *Ipſe Dominus in nullis divitiis reperitur, ſemper pauperes juſtificat, divites prædamnat.*

Provocat deinde & Apoſtolorum ſors, natalium conditio, ipſaque vivendi norma: erant enim ut [Serm. 25.] aureè D. Chryſologus, *cenſu pauperes; ſed innocentiâ locupletes: loco humiles; ſed ſanctitate ſublimes.* Provocat etiam primorum Chriſtianorum exemplum, & illuſtris in iis rerum terrenarum deſpicientia; à quâ *Chriſtiani* olim dicti *pauperes*: quidni enim pauperes dicerentur & eſſent quàm maximè, qui rerum ſuarum pretia etiam ad Apoſtolorum pedes abjeciſſent? Et certè quidni abjiciamus, & ipſi? quidni & pauperes ſimus, ſi modò Chriſtiani, ſi cœleſtium opum amatores, ſi beatæ æternitatis candidati, ſi vitæ, quam ducimus, probè conſcii; ſi illius ad quam aſpiramus amantes.

Hæc mortalis vita, qualis qualis demum eſt, *Via* [Ambroſ. l. 3. ep. 19.] eſt. *In via multa oneri ſunt, mediocria uſui, & magno viatico breve vitæ iter, non inſtruitur, ſed oneratur.* *Via* eſt, ut diſertè Minutius, ac veluti curſus, ſta- [In Octavio.] diumque virtutis: ſed *virtutis via non capit magna* [Lib. 7. c. 1.] *onera portantes*, ut pulchrè Lactantius. Quod ſi ea non capit, non eſt certè, quod ea ultro nobis accerſamus: ſed potius, ut etiam oblata, etiam habita, ac poſſeſſa, cum Apoſtolis abjiciamus, ſi modò ii ſimus re, qui ſumus nomine, *Chriſtiani*, id eſt *pauperes*.

Et hæc paucis dicta ſint de fulgore, quem Eccleſiæ, mundique univerſo intulere Apoſtoli, ceu gemina in domo Dei candelabra; ſupereſt modo, ut perſentiamus, quis etiam ab illis ardor? quiſve æſtus ad animos appellat, incenditque? eſt enim (ut ante dixi) in luce *fulgor* & *ardor*: fulgorem oculis hauſimus, ſentiamus ardorem.

I. Ardor SS. Apoſtolorum Simonis & Judæ, *Ab incenſo divinæ gloriæ zelo.*

[Cap. 8. v. 2.] Ezechiel in exceſſu mentis vidit adumbratam aliquam Dei ſimilitudinem, velut hominis effigiem ex electro conflatam, cujus pars inferior igneſceret tota, ſuperior ſplenderet. Illa verò ſpecies auri ſplendentis, & ignis flammantis repræſentabat Deum amatorem & zelotypum: color enim pectoris aureus amorem cordis vehementem ſignificabat; ignis autem circumſtans zelum, quo ſuccenſus ardebat ſponſus, videns dilectam ſponſam ſibi præpoſuiſſe infame idolum Baal.

Quod Deo ter Opt. ter Max. hoc proximis Deo hominibus, hoc Apoſtolis: habent illi quidem ſpeciem hominis; at in eâ Divinum quiddam, auri quidem fulgorem, ſymbolum amoris, & caritatis in proximum; ignem verò, ardoremque indicium zeli, quo toti exardent, atque exæſtuant.

Hoc igne arſit, æſtuavitque David, cujus hæ fuere voces velut illius indices: *Zelus domus tuæ comedit me.* [Pſ. 68. v. 17.]

[Cant. c. 1. v. 6.] Hoc igne arſit, æſtuavitque Sponſa, quæ ſe fuſcam, & decoloratam à ſole confirmat: à ſole utique ardoris, & zeli divinæ gloriæ, quo ſic exarſit; ut fuſca apparuerit, & decolorata, & quaſi ſubnigra, atque exuſta, tantus in illâ fuit ardor, æſtuſque tantus.

Et hic fuit in SS. Apoſtolis Simone & Juda; cujus hoc primum ſit argumentum, obitæ terrâ, marique tot regiones, tam incultæ, tam barbaræ; *Ægyptus, Meſopotamia, Perſis, Indiaque*, & hoc quidem incredibili celeritate: *tantum*, inquit Chryſoſtomus, [Hom. 1. ad popul.] *vales in Deum zelus & tam leves efficit alas.*

Alterum ejuſdem zeli indicium fuit impugnata, expugnataque hæreſis, ceu è ſtyge exurgens hydra, ſive ea fuerit *Simonis Magi*, ſive *Nicolaitarum*, ſive *Cerinthi*, ſive *Gnoſticorum*, & aliorum, quæ ut monſtra, in reluctantes auras prodierunt; terraſque fœda errorum lue fœdarunt.

Tertium ejuſdem etiam zeli ſignum fuit quod domita longè lateque fuerit idololatria, everſa idola, diruta profana fana, Deorumque cultores, ac ſacrificuli Apoſtolorum labore, ſudore, ac prædicatione, velut fulmine quodam percuſſi, atque proſtrati. D. *Ambroſius*, facundus orator, extollens *Phinees* magnanimi zelum, quo Madianitas olim confodit, perdiditque; eodem incenſus zelo, in campum, in aciem evocat, ſeu Præſulem, ſeu Apoſtolum aliquem, ſeu virum Apoſtolicum, exclamatque. *Veni & nunc Phinees, arripe gladium ver-* [In Pſal. 118.] *bi, interfice perfidiam, jugulato hæreſim, ne propter eam populus univerſus pereat. Urget ira cœleſtis.*

Quæ ſibi, quæ aliis Ambroſius; hæc ego tibi, *Amice Lector*, tibi, ô quiſquis es Eccleſiaſtes, præcoque divini Verbi; *Veni & nunc* ipſe, & cum SS. Apoſtolis Simone & Juda, *arripe gladium* cœleſtis Verbi, *interfice perfidiam* idololatrarum, *jugulato hæreſim*, ſeu ea Lutheri, ſeu Calvini fuerit, ſeu aliorum de ſtyge hæreticorum. *Urget* enim *ira cœleſtis*, & impendentia noxiis capitibus fulmina; *urget* & populi pereuntis miſeratio, *urget* & zelus divinæ gloriæ, honoriſque amplificandi; *urget* & amor, zeluſque animarum, quas ſibi, cœloque Chriſtus acquiſivit, etiam effuſo per immania vulnera ſanguine. *Urget* denique & ipſe SS. Apoſtolorum Simonis & Judæ exemplum, vitaque ſanctè acta, & mors ipſa pro fide, pro Religione, proque Deo fortiter obita: à quâ erit

II. Ardor SS. Apoſtolorum Simonis & Judæ, *Ab incenſo patiendi ac moriendi deſiderio.*

Sanctiſſimos Apoſtolos, invictoſque Chriſti Martyres diximus eſſe in Eccleſia, quod in Dei domo *duo Candelabra*.

D. Gregorius Nazianzenus altiùs aſſurgens in- [Lib. de Virg. c. 24.] ſignes appellat *in polo ſtellas*, quæ mortalibus oculis ſic occidunt, ut ſurgant immortalibus; ſic occidunt, ut tamen occidendo, & lucem ſpargant, vitæ dico lucem, claraque magnarum virtutum exempla: & ſimul etiam ignem oſtentent; ignem, inquam, divini amoris, qui maximè proditur illuſtri patiendi, ac pro Chriſto moriendi deſiderio, quod in SS. Simone & Juda videre licuit, atque admirari.

E Babylonia poſt exantlatos illic labores exceſſerant Apoſtoli, veneruntque in urbem, cui *Suamira* nomen; cùm ecce ruſum incurrunt in Magos illos, ſimulque in eorum odium; atque malevolentiam; ab hac excitati idolorum ſacrificuli, violentas in illos manus injiciunt, & Simonem quidem adducunt in templum ſolis, Judam autem in fanum Lunæ, ut iſtis Idolis ſacra facerent, thuſque incenderent. Quid hic Apoſtoli, magnæ illæ mentes, & cœli novi, id eſt Eccleſiæ ſurgentis, Intelligentiæ? idola venerentur? at impium illud: recuſent illi, cultumque reſpuant pertinaces? at vita in lubrico, & mors in oculis. Verùm ſtat potius mori, quam noxios vivere, certum occidere terris, & cœlo ſurgere; imo quod mireris, & ames, & ſupplicia ipſa in votis ſunt, & mors in deliciis: tantus ardor patiendi, tantus & moriendi. Ut hunc, & illi ape-

O tiatur

riatur via; ſupplices ad cœlum manus extendunt, Deum orant, exorantque; & ecce quæ orationi vis, quisve ab ea fructus: idola ipſa mox concidunt, confriguntur impia ſimulacra, & ipſi cacodæmones ex illis excedunt horrendâ in ſpeciem Æthyopum figurâ, ingentique clamore; quo ita concuti omnia, ut concuti, ac convelli videantur ipſa profana fana, ruinamque minari. Quid hic ſacrificuli? quid idolorum ſacerdotes? quid plebs inſana, ac furens? In iras truces, in minas acrea itur; jmo & in vulnera, ac cædes proruitur, irarumque, ac furoris victimæ ſunt Apoſtoli; cadunt illi, atque ab his & illis fœdum in modum diſcerpuntur ac dilaniantur, ſpectaculo quidem hominibus lamentabili; at ſuperis grato ac jucundo, noxiis autem capitibus ferali, ac funeſto. Mox enim cœlum ipſum quaſi tanti ſceleris, tantæque immanitatis impatiens turbari cœptum, & quod ante ſerenum erat, atrâ nube involvi, tegique, indeque mugire tonitrua, exilire fulgura, & quaquaverſum in ſcelerata capita evibrari; ipſaque idolorum fana dirui, ſoloque æquari, æthere ipſo etiam in ſaxa, remplorúmque moles, ſæviente, potiſſimum autem in magos illos, qui ultore cœlo, Deóque, unà, cum aliis è Gentilitate illa quamplurimis, malè perierunt. Et hic cruentæ illius tragœdiæ finis fuit, Apoſtolia quidem glorioſus; ſed impiis illis fatalis; piis autem ſalubris, atque (ut ita loquar) vitalis.

Ab hoc enim caſu, qui labi atque occidere viſi ſunt Apoſtoli, ab eodem reſurgere, atque reſuſcitati illis ſuperſtites.

Lib. 1 de Abraham. c. 1. Eleganter Ambroſius, ait Moyſen *imitandum* nobis Abrahamum deſcripſiſſe, *ut corda hominum, in vitium labentia, hujus viri contuitu, velut è quodam terreno buſto reſuſcitaret.* Quod magnus ille Præſul de Abrahamo ad imitandum hominibus propoſito, hoc ego, & potiori quidem jure, de SS. Apoſtolia Simone & Iuda. Erant eò loci ac temporis hominum corda in vitium omne labentia, pars enim in hæreſes inſandas, pars in immanem idololatriam, pars in alia ſcelerum monſtra declinarat, quis illis finem, modúmque ponat? quis labentes erigat? quis in mortem pronos, ac præcipitea retineat? In certamen, in theatrum eduxit Deus fortiſſimos illos Chriſti pugiles, Simonem & Iudam quorum *intuitu, velut è quodam terreno buſto eos reſuſcitaret.* Et ita factum eſt, & factum quàm optimè. Arſerat orbis: imò & ardebat igne concupiſcentiæ, igne libidinis, & eò uſque arſerat, ut non niſi infame buſtum eſſet. quis evigilabit? quia excitabit à terreno illo, luteóque buſto? Nemo unus omnium præter Apoſtolos, præter Simonem & Iudam. Qui enim potius? ſi de *Baſilio Magno* D. Gregorius Nazianzenus pronuntiavit audax illud, & liberum, *Orat. 20.* verum tamen; *Communem fuiſſe virtutis tabulam*, in quam *velut in vivam quandam legem intuentes* mortales, vitam omnem ſuam dirigerent.

Lib. de Abraham. Si Sanctoa viros eſſe *leges animatas* edixit Philo inter antiquiores illuſtris ſcriptor, quidni & ego, eadem, imò & meliore de causâ, Beatos Apoſtolos dixerim eſſe *communem virtutum omnium tabulam*, & *legem quandam*, non emortuam illam, ſed *vivam*, ſed *animatam*, à quâ puſilli mortales vitæ meliùs inſtituendæ, & præcepta peterent, & exempla. Dicam certè, atque cum Euſebio ex vero dicam. eſſe *Lib. 2. Hiſtor. c. 10.* *exemplaria quadam ſplendida*, & ſpecioſa religionis noſtræ: dicam cum Bernardo eſſe veluti *ligna fructifera* in horto ſponſi, & paradiſo Dei, *de quorum bonis* *Serm 23. in Cant.* *actibus ac moribus, quot ſumis exempla, tot carpis bona.* At quæ, inquies, bona? non ea, quæ mortali vitæ ſerviunt, ſed quæ etiam immortali: non ea, quæ terris innaſcuntur; ſed quæ in cœlis reponuntur, & hoc quidem in perpetuas æternitates; bona dico virtutum, imprimisque cœleſtis ſapientiæ, quæ nos edoceat divina ſapere, divina votis omnibus concupiſcere, terrena verò faſtidire, atque averſari; tum etiam incendi zelo divinæ gloriæ, honorisque propagandi; denique pro religione, proque Deo, & agere, & pati fortia, ipſamque (ſi cœlum exigat) per immania vulnera pulchram obire mortem; & ab illâ beatæ æternitatis atria ſubire. Ut porro ſubeas, *Amice Lector*, in Apoſtolos illos Simonem & Iudam, *Gregor. Nazianz. Orat. 21.* velut *in virtutum exemplaria*, virtutum ſimulacra oculos injice, atque ad eos quà licet etiam in cœlis poſitos cogitatione, ac piâ meditatione tranſi. Et certè quidni ſic tranſeas? Tranſire docent majorum exempla, etiam Gentilium.

Themiſtocles ad illuſtria Melchiadis facinora totus animo, totus affectu tranſibat, & ex illis ſibi ad ſimilia faciebat animos.

Achillis facta cogitatione propè perenni ſpectabat *Alexander*, nomine, & re etiam ipſa *Magnus*, atque ex illis ad paria ſeſe excitabat.

Alexandri geſta perpetuò volvebat, revolvebatque Iulius Cæſar, & inde talis ac tantus evaſit Imperator.

Habent nimirum illud exempla Heroum, ad ſimilia vocant, imò & compellunt, etiam infirmorum corda, animosque.

Hinc ut ſcitè D. Gregorius, *Scriptura ſacra narrat geſta Sanctorum, & ad imitationem provocat corda infirmorum; & dum eorum victricia facta commemorat, contra vitiorum prælia debilia noſtra confirmat, fitque ut minus mens inter certamina trepidet, quò ante ſe poſitos, tot virorum fortium triumphos, videt* *2. Moral. 6*

Eâ de causâ Lacedæmonii in conviviis ſuis præcipua majorum ſuorum facta canere faciebant, quò juniores ad eorum imitationem invitarentur: ut cùm inter epulas caro paſceretur, etiam animus præclaris illis ſuorum facinoribus reficeretur, atque ad eos à menſa tranſiret, ſi minus mole corporis, ſaltem votis, ac deſideriis. Quod Lacedæmonii filiis ſuis: hoc Seneca diſcipulis, quos tranſire docuit, ad illos qui in eliſiis campis Divis admixti credebantur; ſic enim aliquando ad Lucilium. *Ad meliores tranſi, cum Catonibus vive, cum Lelio, cum Tuberone. Quod ſi convivere etiam Græcis juvat, cum Socrate, cum Xenone verſare. Vive cum Chryſippo, cum Piſſidonio. Hi tibi tradent Divinorum, humanorumque notitiam.* *Epiſt. 104.*

Non habebat Vir ille graviſſimus opinione ſua majores, illuſtrioresve, in omni retrò antiquitate, quorum virtus, & gloria mortuorum, vivos poſſet ad ſimilium imitationem excitare. Nos verò pro ſophis illis glorioſis, ſeu è latio, ſeu è græcia petitis, Apoſtolos habemus: ad illos ergo mente, ac cogitatione tranſeamus, cum illis vivamus, cum illis verſemur, tradent nobis, non profanam aliquam humanorum, divinorumque notitiam: ſed ſacram, ſed cœleſtem, & per eadem magnarum virtutum veſtigia, ad cœlum, ad coronas, ad beatam ducent æternitatem; utque ducant præter eorum imitationem, etiam cultum, obſervantiamque ſingularem tibi ſuaderi velim; in hac excellere viſus eſt D. *Bernardus*, cui præ cæteris Apoſtolis S. Iudas in amore fuit, ac veneratione: cujus argumento ſit illud, quod ſacras illius reliquias ad ſe Hieroſolymis tranſmiſſas, & mirâ devotione exceperit, atque apud ſe vivens retinuerit; imò & moriturus eas juſſerit unà ſecum ſepeliri, pectorique ſuo ſuperponi, *eo utique fidei, ac religionis intuitu* (inquit Author vitæ illius) *ut eidem Apoſtolo in Die communi reſurrectionis adhæreret.* Ut & tu ſic adhæreas *Lib. 5. c. 2.* aliquando, ſin minus illius reliquias; at ſaltem memoriam, cultumque tenne etiam ad tumulum, ultimosque cineres, è quibus cum illo à morte ad vitam, à terris in cœlos emergas; conſors illius gloriæ, in omni retrò æternitate; qui & illius cultor fueris in omni vitæ mortalis tempore.

INDEX

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM.

P. paginam denotat. C. verò columnam.

A

S. ÆMILIANUS Martyr invitatus ad cœlum bis vocibus: *Euge ſerve bone.* *Pagina 7. col. 2*
Adamas invictæ fortitudinis hieroglyphicum. *p. 32, c. 2*
Ejus vis, & natura. *Ibidem.*
B Agathæ altari incumbit nubes miraculoſa. *p. 19, c. 2*
S. Agnes Virgo in flammis ſervatur illæſa. *p. 100, c. 2.*
S. Agnetis ad latus cur aſtet Agnus. *p. 1, c. 2*
Agnus caſtus herba eſt, quæ geſtata caſtos reddit. *p 53 c. 2*
S. Aldegundis nuptias refugit. *p. 2, c. 1*
Alexander Oliva moriens exultat, quia, inquit, eo ad nuptias. *p 5. c. 1*
Alexandri Magni laus. *p. 52, c. 2*
Alexandro Magno unus non ſuffecit Orbis. *p. 14, c. 1*
P. Alexio Salo Capucino in morte adeſt Maria, & Ioſeph *p. 54, c. 2*
Alfonſus Caſtellæ Rex D. Iacobo Baſilicam extruit. *p 86, c. 2.*
Alfonſi Rodriguez in D. Virginem amor, & Virginis in eum. *p. 39, c. 1*
Alfonſus Rodriguez carpitur à B. V. de non ſatis cuſtoditis oculis. *p. 19 c. 1*
Alfonſus VIII. Caſtellæ Rex Mauros profligat. *p 86. c. 2*
Amicitia quid ſit, & quantum bonum? *p. 83, c. 2*
Amor Dei, & ejus ardor. *p. 90. c. 1*
Amoris Dei vis quanta? *p 4, c. 1*
Amor proximi ut ardens. *p. 90, c. 2*
Amor cum igne compoſitus. *p. 83, c. 2*
Amoris martyrium. *p 4, c. 1*
Anaxarchi Philoſophi conſtantia. *p. 14, c. 1*
S. Andreas Apoſtolus apparet B. Stephanæ de Saurino Crucem præferens, & offerens. *p. 15, c. 2*
S. Andreas, & S. Petrus, ut ſimiles. *p. 8.*
S. Andreas Apoſt. quomodo aſcendit in palmam, *p 9, c. 2*
Qui palmæ illius fructus? *p. 9. & ſeq.*
S. Andreæ corpus Amalphi oleum effundit, & morbos ſanat. *p. 12, c 2*
S. Andreæ Apoſtoli concio è Cruce. *p. 10, c. 1*
Aneſtos, genus eſt lapidis, qui cum ignem concepit, retinet. *p. 70, c. 1*
B. Angelus de Furcio à S. Michaele Archangelo nomen accepit, cum ex utero prodiit. *p. 82, c. 2*
B. Angela de Fulginio à Chriſto in ſponſam eligitur inſerto etiam in ejus digitum annulo. *p 2, c. 2*
B. Angela de Fulginio ardens ab amore Dei. *p. 90, c. 1*
B. Angela de Fulginio triduo toto ectaſim paſſa. *p 80 c. 1*
Anima ſponſa Chriſti. *p. 2, c 2*
Animarum converſio eſt pro magno miraculo. *p. 96*
S Anna an habuerit plures filias? *p. 35, c. 1*
Animæ humanæ pretium. *p. 84, c. 1*
Apoſtolis adaptantur 12 lapides pretioſi, è quibus jaciuntur fundamenta cœleſtis Ieruſalem. *p. 30, c. 2*
Apoſtoli cur dicti Cor Ieruſalem, imò Cor Univerſi? *p. 98, c. 2*
Apoſtoli medici animarum. *ibidem*
Apoſtoli cur dicti jacula? *p. 99, c. 1.* Cur etiam Soles? *ibid.*
Apoſtoli filii olei. *p. 56, c. 1*
Apoſtoli ſunt Lumina, Cœli, Soles, Stellæ, *p. 54*
Orbis oculi, Lucernæ, Olivæ. *p. 55*
Apoſtolici Viri ſunt inſtar fulguris. *p. 14, c 2*
SS. Apoſtolorum Petri & Pauli martyrium. *p. 72, c. 2*
SS. Apoſtolorum Petri & Pauli in Deum religio. *p. 72, c. 1*
SS. Apoſtolorum Petri & Pauli vocatio. *p. 66, c. 1*
SS. Apoſtolorum Petri & Pauli erga proximum caritas, *p. 71, c 1.* Et zelus animarum. *ibidem.*
SS. Apoſtolorum Petri & Pauli fides. *p 69, c. 2*
SS. Apoſtolorum Petri & Pauli cultus varius. *p. 73 & ſeq.*
S. Aquilinus qui cœcos ſanat, ſibi petit, & obtinet cœcitatem. *p 44, c. 1*
Arma lucis apud D. Paulum quæ? *p. 99, c 1*
Avaris aurum, & argentum eſt pro Idolo. *p. 22, c. 2*
S. Audomarus cœcitatem à Deo impetrat. *p. 44. c. 1*
S. Auxentii Abbatis humilitas. *p. 22, c. 2*

B

BAlnea quomodo vitanda? *p. 6, c. 1*
S. Bartholomæus an idem qui Nathanael? *p. 92*
Quod illi mortis genus. *ibidem*
S. Bartholomæus annis viginti ſex veſtem non mutavit. *p. 94, c. 2.* Polemonis Regis filiam à dæmone liberat. Aurum oblatum reſpuit. *Ibidem, & ſeq.*
S. Bartholomæus penetrat in Americam, excolit Inſulam Mocoe, ad fluvium argenteum in ripa pedum veſtigia imprimit, quæ & hodie viſuntur, uti & caverna in quam ſecedebat oraturus. *p. 96. c. 1.* Familiæ viginti illi inſultant, & in iis viri, fœminæ, ſuppellex omnis imò & aviculæ convertuntur in petram. *ibid. & c. 2.*
S. Bartholomæus Licaoniam, & Cappadociam excolit; Idolum Aſtaroth mutum reddit; Polemonem Regem convertit cum Regina, & Aula; & urbibus duodecim. *p. 95, c. 2*
S. Bartholomæus centies orat interdiu, centies & noctu. *p. 95, c. 2*
S. Bartholomæus quaſi ficus decorticata. *p. 93, & ſeq.*
Ligno notatur illius fortitudo, & patientia: In foliis ejus prædicatio: In fructibus proventus animarum. *p. 94, & ſeq.*
S. Bartholomæi martyrium. *p. 94, c. 2.* Excoriatur, capite truncatur, in mare abjicitur. Quatuor aliorum Martyrum corpora loculis incluſa cum illo abjiciuntur in mare, ei à dextris, & à ſiniſtris innatantes, comites fiunt, in Siciliam appellunt ad Inſulam Liparam. *p. 95, c. 1*
S. Bartholomæi ſanguis, & pars pellis Neapoli viſitur: cùm ponuntur in conſpectu mutuo ſanguis liqueſcit, & ebullit. *p 95, c. 2*
Beneficentia imitatio quædam eſt Dei. *p. 20, c. 2*
S. Bertulphus Abbas è ſepulchro denuntiat impendentia mala. *p. 86, c. 2*
S. Blaſii Armentarii Martyris anima è corpore exceſſit ſpecie candicantis columbæ. *p. 27, c. 2*
S. Brigida Virgo ne noberet oculo uno orbari à Deo petit, & impetrat, & facto Virginitatis voto recuperat *p. 2, c. 1*
S. Brigidæ Virginis lacrymas Chriſtus ipſe deterſit. *p. 76 c. 1*
S. Brigittæ offertur à S. Agnete corona è ſeptem lapidibus pretioſis. *p. 29, c. 1*
S. Brigida cum puellulis ſuis ſigno Crucis flumen trajicit. *p. 51, c. 1.*

C

CAdocus Gundei Regis filius miraculo vocatur ad Inſulas. p. 19, c. 1
Caritatis vis quanta? p. 79, c. 2
Carolus V. Imperator die S. Mathiæ natus: Die S. Mathiæ electus Imperator: Die S. Mathiæ de hoſtibus victor. p. 49, c. 1
S. Caroli Magni Imperatoris de ſepulchro eminent tres candelæ accenſæ. p. 121, c. 1
B. Caſſius Epiſcopus Narnienſis, ut optarat, die SS. Apoſtolorum Petri & Pauli moritur. p. 67, c. 2
Caſtitas triplex: Conjugalis, Vidualis, Virginalis. p. 99, c. 2
Et quæ tam bæc, quàm illa? ibidem.
Caſtitatis monitum illuſtre. p. 13, c. 1. Caſtitas omni loco pura, p. 12, c. 2. Caſtitas Angelos facit. ibid.
Caſtitatis ſervandæ media. p. 19, c. 1
S. Catharina Virgo, & Martyr ſponſa Chriſti. p. 3, c. 1
Quomodo deſponſata ſit Chriſto, inſerto etiam in ejus digitum annulo. Ibidem
S. Catharina Maximinum arguit impietatis, incarceratur, cum Philoſophis diſputat, eoſque convertit. p. 3, c. 2. A Chriſto viſitatur in carcere, Columba ei victum defert: Nervis boum crudeliter cæditur: Rota paratur, & cœlitus effringitur. Capite plectitur. p. 4. c. 1, 2. Lac pro ſanguine fundit. p. 7, c. 2
Ei devotus illuſtri beneficio & uxoris, ac prolis reſuſcitatione erigitur. ibidem. S. Catharina Virgo & Martyr patientia probata. p. 7, c. 1
S. Catharina Senenſis vi divini amoris moritur, & vitæ redditur. p. 4, c. 1. S. Catharinæ ſacellum ſemper apertum etiam ſponte. p. 7, c. 2.
S. Charampalius Martyr cœleſtes nuptias ambit, & contrahit. p. 5, c. 1
Chriſtus cur dicatur Leo? p. 42, c. 1
Chriſti imitatio perfecta quæ ſit? p. 22, c. 1
Chriſtus eſt animæ ſponſus. p. 23, c. 2
Chriſtus viſus io cœlo ſibi complacere in D. Joannis Evang. anima. p. 38, c. 2
Chriſti Sanguis in ampulla à S. Magdalena ſervatur liqueſcit, rubet, & fervet feria ſexta hebdomadæ ſanctæ: Die Circumciſionis, die Inventionis S. Crucis. p. 81, c. 1
Chriſtiani cur olim dicti Religioſi Crucis? p. 11, c. 2
Chriſtiani cur olim dicti Sacerdotes pacis? p. 57, c. 2
B. Chriſtina nuptias refugit p. 2, c. 1
S. Coletæ Virgini D. Joannes Evang. dedit annulum veluti ſponſalem. p. 37, c. 1
Columba animæ ſanctæ ſymbolum, p. 23, c. 1
Conceptionem D. V. Immaculatam pro concione defendit S. Andreas Apoſtolus. p. 10, c. 1
Concionatores vitia carpant etiam Principum. p. 64, c. 1
Confeſſio ut peccata delet. p. 78, c. 2.
Cononi monacho, & Sacerdoti adeſt D. Joannes Bapt. p. 64, c. 2.
Conſcientia ſtimulus eſt. p. 44, c. 1
Conſtantiæ Auguſtæ erga D. Petrum pietas: De limatura catenarum illius accipit à D. Gregorio Pontif. p. 67, c. 1
Conſtantini Magni victoria per ſignum Crucis. p. 10, c. 1
Monumenta illius victoriæ ab eo erecta. ibidem
Contritio de peccatis. p. 79, c. 1, 2
Convivia quomodo vitanda? p. 6, c. 1
Cor ſymbolum divinæ, & Deiformis vitæ. p. 98, c. 2
Cordis cuſtodia, & munditia. p. 5, c. 2.
Crux via in cœlum. p. 11, c. 1, 2
Crux. Chriſti cur dicatur palma? p. 9, c. 1
Crucis pretium, & amor. p. 11, c. 2
Ejus præmium, & corona. ibidem
Crucis fructus: 1. Prædeſtinatio, 2. Vocatio, 3. Sapientia, 4. Victoria de mundo, & inferis, 5. Victoria de animabus, 6. Victoria de morte, 7. Victoria de cœlo ipſo. p. 9, 10, 11

D

S. DOrotheæ cœleſtes nuptiæ. p. 5, c. 1
S. Dorotheæ in morte lætitia, ibidem.

E

S. EDuardus Rex, pauperi eleëmoſynam petenti dedit annulum regium, erat is D. Joannes Evang. in habitu peregrini; qui deinde illum Eduardo reſtituit, de imminente morte monuit, eique aſtitit. p. 37
S. Efrem vox è cœlo allata: Efrem manduca: & audit: Baſilius dabit tibi panem. p. 15, c. 2
S. Ephrem lacrymæ cur à D. Gregorio Nazianzeno dictæ ſint pelagus? p. 76, c. 1
Elzearius Comes, ut habitaret in vulneribus Chriſti. p. 27, c. 1
Eleazari mors glorioſa. p. 85, c. 2
Eleëmoſynæ vis apud Deum, p. 21, c. 2, & ſeq.
Eleëmoſyna ſpiritalis quæ? p. 67, c. 1
S. Elizabethæ virtus, & gratia. p. 60, c. 2
Epiſcopi olim eligebantur ſorte. p. 46, c. 1
Epiſtolæ D. Pauli, & in illis quanta vis eloquentiæ Chriſtianæ. p. 72, c. 2
Evangelii vis etiam contra libidinis impetum. p. 10, c. 1, 2
Evangelii exemplar cœlo elapſum in D. Brigidæ ſinum illapſum. p. 98, c. 1, 2
Evangelii ſacratiora encomia. p. 98, c. 2
Evangelium S. Mathæi exſcripſit D. Barnabas, & cum eo ſepeliri voluit. p. 98, c. 2
S. Euphroſinæ Virginis corpus dum oſculatur monoculus alterum oculorum recepit. p. 76, c. 2
B. Euſtachia Meſſanæ de ſuo ſepulchro denuntiat impendentia mala. p. 86, c. 2
S. Euſebiæ jam mortuæ Crux imminet in corona è ſtellis contexta, & ad ſepulchrum uſque eſt comes. p. 11, c. 2
S. Euthymii Abbatis ſepulchrũ, oleum effundit. p. 21, c. 2
Exempla bona excitant ad imitationem. p. 74, c. 2

F

S. FAbianus Pont. Max. eligitur ſymbolo, & oſtento columbæ. p. 24, c. 1
S. Fechinus Abbas Solem ſiſtit uſque dum de via feſſus ad Monaſterium redierit. p. 16, c. 2
Ferdinandus Caſtellæ Rex cum Ferdinando Comite è ſepulchris evocantur & contra Mauros pugnant, & victoriam reportant. p. 86, c. 2
Ferdinandus Gonzales de ſuo ſepulchro denuntiat Hiſpanorum victorias. p. 86, c. 2
Feſtorum violatores à dæmone obſeſſi, nec liberati niſi anno evoluto, id eſt anniverſario die, quo peccarant. p. 74, c. 2
Fides, ejuſque natura, atque vis. p. 70, c. 1
Fides viva quæ ſit? ibidem
S. Fintanus Abbas ſingulis Dominicis in cœlos rapitur. p. 83, c. 2
Flaminius Romanus exilio damnatus eo quod reum decapitari juſſiſſet in convivio. p. 64, c. 1
S. Franciſcus Xaverius ubi mores expurgat, & vertit in melius. p. 17. Obſtinatum in malo flectit. ibidem.
S. Franciſcus Xaverius naufragium paſſum, & in tabula jactatum ad quinque dies, littori, è quo ſolverat, reſtituit. p. 17, c. 1
S. Franciſcus Xaverius aquam maris ſalſam illam, in dulcem vertit. p. 17, c. 1
S. Franciſcus Xaverius ſubinde unico die baptiſavit decem millia. p. 16, c. 1
S. Franciſcus Xaverius lux pura à caſtitate. p. 12, c. 2
Ejus argumenta. p. 13, c. 1
S. Franciſci Xaverii lux Gallia, Italia, Luſitania, India, & Japonia diffuſa, imò & Africa, & Aſia: Centies mille paſſuum millia confecit. p. 14, c. 1

S. Franciſcus Xaverius ſimul eſt in duobus locis. *p.* 16, *c.* 2

S. Franciſcus Xaverius componitur cum Luce, ejuſque dotibus. *p.* 12 *& ſeq.*

S. Franciſci Xaverii incorruptio corporis à morte *p.* 13, *c.* 1

S. Franciſcus Xaverius quomodo impaſſivus. *p.* 13, *c.* 2

S. Franciſcus Xaverius quàm multos in Chriſto filios genuerit. *p.* 15. *c.* 1, 2

S. Franciſcus Xaverius Solem revocat ſupra horizontem, cumque ſiſtit. *p.* 16. *c.* 2

S. Franciſcus Xaverius ut aſſiſtit ægris, ulceroſis, è quibus ſaniem exugit, aquam ebibit è purgatis ulceribus. *p.* 16, *c.* 1, 2

S. Franciſcus Xaverius 25. mortuos reſuſcitavit. *p.* 15, *c.* 1
Reges plures convertit. *ibidem.*

S. Franciſci Xaverii miracula in unico oppido Potamienſi ducenta quadraginta duo. *p.* 13. *c.* 1. Apparet Joanni Saglimbenio ſuperpellicio & ſtola veſtitus, & candicante in manu lilio. *ibidem.*

S. Franciſcus Xaverius cur pingitur cum lilio in manu? *p.* 13. *c.* 1

B. Franciſci Borgiæ humilitas. *p.* 22, *c.* 1

S. Frodoberti Abbatis oſſa granis aureis diſtincta. *p.* 40, *c.* 1

Fortitudo quid ſit? *p.* 94, *c.* 1. Quæ ejus partes? *ibid.*

S. Fulgentius ut injurias condonat. *p.* 33, *c.* 2

S. Furſeus à morte apparet ſpecie candelabri lucentis. *p.* 101, *c.* 1

G

GElhebes S. Furſei mater paratum ſibi à tyranno incendium lacrymis extinxit. *p.* 76, *c.* 1

S. Genevofæ nativitas Angelis gaudio fuit. *p.* 35, *c.* 2

S. Genevofæ Virginis ſepulchrum oleo ad inſtar fontis ſcaturiit. *p.* 21, *c.* 2

S. Gorgoniæ ſanctitas. *p.* 52, *c.* 1

S. Gulielmus Abbas Caroli loci ſorte electus in Archiepiſcopum. *p.* 46. *c.* 2

B. Gulielmi Zucchii burſa non poteſt evacuari. *p.* 23, *c.* 1

Gulæ vitium reprehenditur. *p.* 18, *c.* 2

H

B. HErmanni Canonici Regularis in D. Joſephum pietas, & cultus. *p.* 54, *c.* 1
Virgini deſponſatur. *ibidem*

B. Henricus Suſo à D. V. recreatur cœleſti cãtu, *p.* 80, *c.* 1
In extaſi obit. *c.* 2

B. Henricus Suſo cor ſuum clarè videt, & in eo Crucem auream gemmis illuſtrem. *p.* 11, *c.* 2

S. Hildegundi in morte adeſt D. Joannes Bapt. & illius animam in cœlos educit. *p.* 63, *c.* 2

S. Hippoliti martyrium. *p.* 41, *c.* 1

Hirtacus Iſigeniam Virginem cum ducentis Virginibus monaſterio incluſis cremare conatur, ſed flamma divinitus extinguitur. *p.* 100. *c.* 1

Homo Alis jucundum Deo ſpectaculum. *p.* 14. *c.* 1

S. Hugo Abbas Cluniacenſis caſula S. Petri ægrotum ſanat. *p.* 67, *c.* 1

I

S. IAcobus Apoſtolus an ſanctificatus in utero? *p.* 55, *c.* 2

S. Jacobi Apoſtoli: 1 Benedictio ex ipſo nomine, ejuſque etymologia, 2 Ab eximio Chriſti in eum amore, 3 A ſingulari Deiparæ in eum amore, 4 Ab inſigni animarum converſione, 5 A felici morte, & martyrio, 6 A ſepulchri luce, & gloria, 7 Ab armorum fulgore, ac præſidio, 8 A præſenti, & prodigioſo in clientes ſuos, ac peregrinos auxilio. *p.* 82, *& ſeq.*

S. Jacobus Apoſtolus quos ad Fidem cõverterit? *p.* 84, *c.* 2

S. Jacobi Apoſtoli virtutes. *p.* 85, *c.* 1. Certamina cum Hermogene, & Phileto Magis. *ibidem.* Inde occaſio mortis, & martyrii. *ibidem.*

S. Jacobo apparet Deipara in columna adhuc vivens: Ei ibidem templum ædificat. *p.* 84. *c.* 1

S. Jacobi Apoſtoli ſepulchrum unde glorioſum? *p.* 86, *c.* 1
Ejus corporis tranſlatio, ac ſepultura. *ibidem*
Revelatio ejuſdem poſt annos quingentos, & amplius.
Templi extructio. *ibidem.*

D. Jacobus Apoſtolus è ſepulchro pericula Hiſpaniæ imminentia denuntiat. *p.* 86, *c.* 2

Japonia continet ſexaginta Regna. *p.* 15, *c.* 1

JESUS cur dicatur Agnus? *p.* 1. *c.* 1

Iſigenia Ægypti Regis filia Virginitatem vovet, & aſceterio ſe includit cum ducentis Virginibus. *p.* 99, *c.* 1

S. Ignatius Loyolæ octiduo toto extaſim paſſus. *p.* 80, *c.* 1

Joannæ Valeſiæ Reginæ Franciæ templo imminere viſa nubes. *p.* 19, *c.* 2

Joanna Franciæ Regina ſi vulnera inungeret ipſa, ea curabat. *p.* 77, *c.* 1

S. Joannis Baptiſtæ laus. *p.* 53, *c.* 1

S. Joannis Bapt. Nativitatem Eccleſia coluit olim tribus eo die Miſſis. *p.* 64. *c.* 2

S. Joannes id eſt Gratia: 1 A Parentibus, 2 Ab Angelo nuntio nativitatis, 3 A vita, rebuſque geſtis, 4 A miraculis. *p.* 59, *& ſeq.*

S. Joannes Bapt. Ciſtercienſibus monachis euntibus in Hiſpaniam fit comes. *p.* 64, *c.* 2

S. Joannes Bapt. aſſiſtit D. Brigittæ filio. *p.* 63, *c.* 2

S. Joannis Bapt. ſanguis Neapoli ſervatur, & liqueſcit in ſacrificio Miſſæ. *p.* 62, 63. Item in ipſo die Decollationis: imò & octiduo toto. *ibidem*

S. Joannis Bapt. Reliquiæ, Genuæ mare exundans compeſcunt. compeſcunt & ventos. *p.* 62, *c.* 2

S. Joannis Bapt. decollatio, & ejus circumſtantiæ *p.* 64

S. Joannis Bapt. Elogia illuſtriora. *p.* 59, *c.* 1

S. Joannis Evang. Excellentia: 1 A natalibus 2 A ſingularis gratiæ prærogativa, 3 Ab omnibus SS. Titulis, 4 A ſingulari Chriſti in eum amore, 5 Expreſſa his vocibus Chriſti morientis: *Fili ecce mater tua*, 6 Hiſce verbis notata; *Mulier ecce filius tuus.* 7 A ſingulari in proximum charitate, 8 Mors inſtar ſomni, & raptus. *p.* 35, *& ſeq.*

S. Joannes Apoſtolus cur dictus Evangelii Sol? *p.* 99. *c.* 1

S. Joannes Evang. herbam in aurum mutat, & pauperi donat. *p.* 40, *c.* 1

S. Joannes Evang. an venturus in die judicii cum Elia, & Enoch. *p.* 41, *c.* 1. Viderítne divinã eſſentiam. *ibid.*

S. Joannis Evang. in adoleſcentem eximia caritas, uti & in proximum. *p.* 40, *c.* 2

S. Joannis Evang. Elogia, *p.* 34. Cur dicitur, & eſt Aquila? *ibidem.*

S. Joannes Evang. Doctor hominum, & Angelorum. *p.* 36, *c.* 1. Imò & Propheta. *c.* 2

S. Joannes Evangeliſta ſitne mortuus? *p.* 41, *c.* 1
& mortis genus, modúſque, *ibidem.* Pulvis ex ejus ſepulchro medicus. *ibidem c.* 2.

SS. Joannes, & Jacobus Apoſtoli cur à Chriſto dicti Boanerges? *p.* 83, *c.* 2

SS. Joannes & Paulus duæ olivæ. *p.* 55, *c.* 2

S. Joanni Eleëmoſynario apparet eleëmoſyna virginis ſpecie. *p.* 20, *c.* 2

S. Joanni Eleëmoſynario offertur corona è ramis olivarum, ſymbolo utique miſericordiæ. *p.* 29, *c.* 1

S. Joſeph ſanctificatus in utero. *p.* 51, *c.* 1

S. Joſephi cum Patriarcha Ioſepho comparatio. *p.* 50, *& ſeq.* Illius laus: 1 Ex ipſo nomine, 2 Ex ipſa nativitate, 3 Quòd Virginis Sponſus, 4 Quòd Chriſti Pater, 5 Quòd Chriſti nutritius. *p.* 50. *& ſeq.*

S. Joſeph miraculo deſignatus ſponſus D. V. *p.* 51, *c.* 2

S. Joſephus an viderit Dei eſſentiam ſub Chriſti humanitate latentem? *p.* 53, *c.* 1

S. Joſephi cultus ſingularis, & varius. *p.* 53, *c.* 1. Mercator Hiſpanus die illi ſacro excipere ſolitus tres pauperes: puerum, ſenem, & fœminam in honorem JESU, Mariæ, Joſeph. In morte exceptus à JESU, Maria, Joſepho. *p.* 53, *c.* 2

S. Joſepho adhuc viventi Chriſtus illius clientibus patrocinium adpromiſit. p. 53, c. 2
S. Joſephus apparet Ioanni de Laudun una manu lilium prætendens, altera cor accenſum. p. 54, c. 2
S. Joſeph die Aſſumptæ Virginis apparet S. Tereſiæ veſtem offert nivei candoris, torquem aureum, & crucem gemmis illuſtrem. p. 54, c. 2
Inceſtus cœli fulmine punitus. p 10, c. 2
Infernus, & quæ in eo vita, & quæ mors? p 92, c. 2
Ingluvies monachi miraculo ſanata. p. 66, c. 2
Injuriarum condonatio. p. 97, c 1, 2
Injuriarum remiſſio in Sultano Imperatore Turcarum. p. 57, c. 2
Injuriæ condonatio, cujus merces eſt cœlum? p. 33, c. 1
Ina Rex Occidentalis Saxoniæ regnum ſuum D. Petro fecit vectigale. p. 73, c. 2
B. Jordanis in eleëmoſynas profuſio. p. 22, c. 1
S. Ivano Regis Dalmatiæ filiu in eremo adfuit D. Joannes Bapt. p. 64, c. 2
B. Ivetta Recluſa Chriſto deſponſatur. p. 2. c. 2
S. Julianus Medicos, deinde martyr ad beſtias damnatos martyres oſculabatur. p. 76, c. 1, 2
Julius Cæſar unde ex utroque Cæſar. p. 86, c. 2
S. Juliani martyris carcer cœleſti luce conſpicuus. p. 43.
S. Juliano Martyri datur corona ex auro? p. 29, c. 1.

L.

LAcrymæ ſunt ſanguis vulnerum animi, ſunt illius voces, ſunt baptiſma, ſunt margaritæ. p 75. c. 1
S. Laurentius ut militem nomine Romanum convertit. p. 91, c. 2
S. Laurentius ex privilegio cœleſti ſingulis diebus Veneris animamè purgatorio liberat. p. 90, c. 1
S. Laurentii ſanguis in ampulla ſervatus die illi feſto ebullit. p. 90. c. 1. Deinde per octiduum. ibidem. Ut & illius adeps qui fluxit è corpore. ibidem.
S. Laurentii Martyris in tormentis conſtantia. p. 91. c. 1
S. Laurentius Martyr quomodo per ignem probatus? p. 89. c. 1. Et quàm varius ille ignis. ibidem. Unus corporis: alius animi. ibidem.
S. Laurentii ſepulchro dum infertur corpus S. Stephani, ei dexteram ceſſit. p. 90. c. 1
S. Laurentius in Cœnobio ſui nominis apparet, diſcolos virga ferit, & eliminat, auditurque dicere cuidam monacho: *O frater venio iterum aſſari.* p. 90, c. 2
Legio fulminatrix quæ fuerit? p. 83, c. 1
S. Leo Pont. ſymbolum Fidei depouit ad aras D. Petri, qui deinde illi apparet, & hæc ei, legi, & emendavi. p. 68, c. 1.
Leonides Origenis parens, & deinde martyr Origenis pectuſculum in cunis oſculari ſolitus. p. 53, c. 2
B. Lucia Narnienſis ardens ab amore Dei. p. 90, c. 1
Lucis dos prima hæc eſt, quod ſemper, & ubique pura. p. 12, c. 1
Lucis dos ſecunda eſt Impaſſiva. p. 13, c. 2
Lucis dos tertia, quod ſit communicativa ſui, atque diffuſiva. p. 14, c. 1
Lucis dos quarta, quod ſit generativa, & nutritiva. p. 15. c. 1, 2
Lucis dos quinta, eſt confortativa. p. 16, c. 1
Lucis dos ſexta, quod ſit Purgativa. p. 17, c. 1
Lupus ad D. Norberti nomen fit ovium cuſtos. p. 44, c. 2
S. Lutgardis cœca ante mortem. p. 44, c. 2
Lycurgus maleficia beneficiis compenſat. p. 57, c. 2

M

S. MAcarius Ægyptius ferè ſemper ectaſim paſſus. p. 80
S. Macarius ſenior mortuum, & ſepultum vitæ reddit. p. 22, c. 2.
S. Magdalena convivium ſpirituale Chriſto exhibet, ejus fercula varia: 1 Pœnitentiæ lacrymæ, 2 Amoris ac venerationis oſcula, 3 Unguenta virtutum. p. 75 & ſeq. Myſtica hujus unguenti compoſitio ex Virtutibus: 1 Ex ardenti deſiderio gratiæ, & ſalutis recuperandæ, 2 Ex vitæ, & morum in melius mutatione. 3 Ex dolore de peccatis, 4 Ex ardentiſſimo in Chriſtum amore, 5 Ex raptu, & exceſſu in Deum, 6 Ea gratia etiam miraculosè conceſſa ejus capiti, & capillis, & ſacro Chriſti cruori ab ea Maſſiliam delato. p. 78, & ſeq.
Magdalenæ pluréſne fuerint, an unica? p. 75, c. 1
S. Mariæ Magdalenæ caput aſſervatur in S. Maximini cœnobio propè Maſſiliam: Cutis in fronte integra ea parte qua eam tetigit Chriſtus cùm dixit: *Noli me tangere.* p. 80, c. 2
S. Maria Magdalena adeſt ſuo clienti. p. 81, c. 2
S. Mariæ Magdalenæ mors, & raptus. p. 80, c. 2
S. Marcella in eleëmoſynas profuſa. p. 40, c. 1
B. Margareta de Cortona jubetur habitare in vulneribus Chriſti. p. 26, c. 2. Ea tangere, & ex latere aperto ipſum Chriſti cor intuetur. ibidem.
B. Margareta de Cortona martyr à timore Dei. p. 4, c. 1
B. Margaretæ de Cortona Chriſtus Matrem donat. p. 84
B. Margaretæ de Cortona patientia. p. 23, c. 2
B. Margareta Hungarica annis ante obitum ſex cilicium non depoſuit. p. 6, c. 2
B. Margareta JESU, Mariæ, & Joſephi nomina in corde inſculpta habuit, & quidem in tribus veluti gemmis. p. 58, c 2
MARIA Chriſti Mater an viderit eſſentiam Dei ſub humanitate latentem? p. 53, c. 1
MARIA vide Fidelium Mater. p. 39, c. 1
MARIÆ, vide erga clientem auxilium ſingulare exemplo illuſtri probatur. p. 39, c. 2
MARIÆ v. cultus, & cultores eximii. p. 39, c. 1
Maria de Incarnatione Carmelitana, ardens ab amore Dei. p. 90, c. 1
B. Mariæ Ogniacenſis animã excipit D. Petrus. p. 67, c. 2
S. Marthæ martyri è fulgure vox audita. p 43, c 1
Martyrum encomia. p. 4, c. 1, & p. 73, c. 2
Martyrum mors unde pretioſa? p. 85, c. 2
Martyres Candidati Æternitatis, Heroes Purpurati. p. 48, c. 2
Martyrum Placentinorum ſepulchrum oleum effudit. p. 21, c. 2
Martyrium triplex: Timoris, Amoris, Sanguinis. p. 4
S. Martinianus Anachoreta fœminæ contubernium fugiens è rupe ſua ſe abjicit in mare, & à duobus Delphinis dorſo excipitur. p. 11, c. 1
S. Martina Virgo in flammis ſervatur illæſa. p. 100, c. 1
S. Matthæus unde Virginitatis victima? p. 98, c. 1
S. Matthæus idem eſt ac Donatus, vel donum, vel mandatum Altiſſimi. p. 97, c. 1. Unde vocatus, & quo, & quomodo? ibidem c. 1, 2. Et ad quid? p. 98. c. 1
S. Matthæi Apoſtoli de corpore effluxit medicus liquor. p. 98, c. 2
S. Matthæus Apoſtolus, duos Magos, Moroes, & Arfaxes debellat. p. 99. c. 1
S. Matthæus Apoſtolus ad ipſas aras occiſus. p. 99, c. 2
S. Mathias Apoſtolus cur electus ex millibus? p. 46, c. 1 A S. Simeone magiſtro edoctus. ibidem. Ejus electio quomodo facta; veráne ſorte? c. 2
S. Mathias ideſt Parvus Dei, vel Dei donum, vel Quid tu Deus. p. 48, c. 1
S. Mathiæ Apoſtoli reliquiæ produntur indicio ſtellæ, p. 47, c. 1
S. Mathiæ oſſa eruta è terra odorem dederunt ſuaviſſimum: Fons è ſepulchro manavit. p. 49, c 2
S. Megengor S. Adelheidis Virginis Pater nomen in cœlis mutavit. p. 83, c. 1
B. Merulo monacho texitur corona è floribus. p. 29, c. 1
S. Meletius cognomento Magnus ut pro malo bonum, pro injuria beneficium reddit. p. 33, c. 1, 2
Melitæ qui naſcuntur die converſionis S. Pauli innoxiè ſerpentes tractant. p. 45, c. 2

Miſeri-

Miſericordiæ ſpiritalis opera quanti valoris, & meriti? p. 56, c. 2

Modeſtia in cultu, & veſtibus. p. 5, c. 2

Mortificatio, & ejus opera, & exempla. p. 11. c. 2

Mors porta ad Deum. p. 85. c. 1

Mortis memoria ſit perennis. p. 41, c. 2

S. Moyſi Abbati à barbaris cæſo cum ſes fratribus viſæ ſunt è cœlo labi coronæ ſeptem. p. 28, c. 1, 2

Mulieris conturbernium ut periculoſum, p. 11, c. 1

Mulier corona viri. p. 52, c. 1

Mutii Scævolæ conſtantia. p. 4. c. 2

N

S. NIceto Epiſcopo Trevirenſi apparet S. Paulus, & in cœlum educit. p. 67, c. 2

S. Nicolaus ſtatim ac natus rectus ſtetit. p. 51, c. 1

S. Nicolaus Pontifex comparatur cum nubecula. p. 18 & ſeq.

S. Nicolai beneficentia in egenos. p. 19, c. 2

S. Nicolai electio in Epiſcopum. p. 19, c. 2

S. Nicolai humilitas. p. 19, c. 2. & p. 20, c. 1

S. Nicolaus abſtinet à ſugendis uberibus quarta & ſexta feria. p. 18, c. 2

S. Nicolai eleëmoſyna 3 puellis nubilibus in matrimonio locandis. p. 20, c. 1

S. Nicolaus adhuc vivus apparet in ſomnis Conſtantino Imp. & tres tribunos captivos liberat. p. 20, c. 2

S. Nicolaus periclitantibus in mari ſuccurrit, & apparet in navi. p. 21, c. 1, Mortuos, & in partes conciſos reſuſcitat etiam vivens. ibidem.

S. Nicolai de corpore emanat oleum. p. 21, c. 2

Nominis impoſitio Antiquis curæ fuit. p. 50, c. 1

Nubecula parva ſymbolum beneficentiæ. p. 18, c. 1

Nuditas quomodo cavenda? p. 5, c. 2

Nuptiæ mundanæ cur fugiendæ? p. 2, c. 1

Nuptiæ cœleſtes, quam amant præparationem. p. 2, c. 2

Nuptiæ cœleſtes triplices: 1 A fide, 2 A martyrio, 3 À cœleſti gloria. p. 2, c. 1

O

OBedientia erga Deum. p. 69, c. 1

Oculorum cuſtodia, cuſtodia eſt caſtitatis. p. 19, c. 2

Offa Merciorum Rex regnum ſuum D. Petro fecit vectigale. p. 73

Olea cur dicta ſit ſempiterna? p. 57, c. 2

Oliva ſymbolum miſericordiæ: Pacis; Certaminis, & Victoriæ; B. Æternitatis. p. 56, & ſeq.

Olivæ cur inventrix Minerva. p. 57, c. 2

Oleum injectum in mare illud tranquillum reddit. p. 57 c. 1

Olei profuſio miraculoſa è SS. corporibus, & ſepulchris. p. 21, c. 2

Oleum perenne in cœnobio SS. Trinitatis. p. 56, c. 1

Oratio eſt animæ, quod cibus corpori. p. 15, c. 2

Origenis magnitudinem ſpiritu præſago videt illius parens. p. 53, c. 2

B. Oringa Chriſtiana Solem ſiſtit. p. 16, c. 2

Oſculum cujus rei ſymbolum? p. 76, c. 2

Oſcula ut Virgini fugienda p. 77, c. 1

S. Oſytha ex proſapia Regum Angliæ cùm nupſiſſet Regi Sibero ex illius conſenſu virginitatem ſervat, martyrio afficitur, & cervicem abſciſſam defert ad tria ſtadia, & deponit ad templum SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli. p. 68, c. 1

P

PAſtoris boni officia. p. 71, c. 2

Patientia via in cœlum, via ad coronas. p. 7, c. 1, 2

Patientia in adverſis. p. 7, c. 1. Ejus utilitas varia. ibidem.

S. Pauli converſio cur inter dies feſtos. p. 42, c. 1

S. Pauli converſio quibus armis facta: 1 Luce, 2 Voce, 3 Cœcitate. p. 43, & ſeq.

S. Paulus è capite abſciſſo lac fudit pro ſanguine, & caput ejus tertiò aſſilit, & quolibet ſaltu tres è terra fontes elicuit. p. 73, c. 2

S. Paulus Athenis cœco viſum reſtituit. p. 67, c. 1. Ejus ſudaria, & ſemicinthia ægros ſanant. ibidem.

S. Pauli Apoſtoli erga proximum miſeratio. p. 67, c. 2

S. Paulus Apoſtolus, cur dictus ſtatua virtutis. p. 68, c. 2

S. Paula in nuda cubat humo cilicio aſperiore tecta. p. 6 c. 2.

S. Petri Apoſtoli miſeratio erga miſeros. p. 66, c. 2

S. Petro Apoſtolo tributaria Regna plurima. p. 73. c. 2

S. Petrus Londini templum ſibi erectum conſecrat ipſe miniſtrantibus Angelis. p. 74, c. 1

S. Petrus Rabaudum monachum ſanat. p. 66, c. 2

SS. Petri & Pauli electio à Deo. p. 68, c. 1. Et quo fine? Quibus titulis? ibidem c. 2

SS. Petri & Pauli in Deum amor. p. 70, & ſeq.

B. Petronilla vitam perdidit, ne perderet virginitatem. p. 72, c. 2

S. Philippi Apoſtoli labores, & miracula. p. 56, c. 2 Conſecratus in Epiſcopum à Petro, Joanne, & Jacobo. ibidem.

S. Philippo Apoſtolo in crucem acto terra contremiſcit, labant ædificia. p. 57, c. 1

SS. Philippus & Jacobus duæ Olivæ; duo Candelabra in domo Dei. p. 55, c. 1, 2

SS. Philippi & Jacobi mors glorioſa. p. 57, c. 1

Phocio injurias illatas condonat. p. 57, c. 2

Pietas Deum reſpicit, & proximum. p. 68, c. 1, 2

Pœnitentia hoc ævo quàm rara. p. 2, c. 2 Ejus dilatatio. ibidem

Pœnitenti non eſt neganda abſolutio. p. 23. c. 2

Pœnitentia non eſt differenda. p. 78, c. 2

Patientia in adverſis eſt pro Cruce. p. 23, c. 2

Pœnitentia Chriſto eſt pro convivio. p. 74 Illam ut eſurit, ut ſitit. ibidem.

Pœnitentiæ lacrymæ quid ſint, & quàm pretioſæ? p. 75, c. 1

Pœnitentia caſtitati ſervandæ neceſſaria. p. 63. c. 2

Pœnitentia exterior adhibenda ciliciis, diſciplinis, &c. p. 6, c. 2

S. Polycarpus ſymbolo columbæ eligitur in Epiſcopum. p. 24, c. 1

S. Poppo Abbas moritur in die Converſionis S. Pauli. p. 45, c. 2

S. Priſca Virgo in flammis ſervatur illæſa. p. 100, c. 1

Pulchritudo in quo ſita ſit? p. 47, c. 2

Pulchritudo illecebra libidinis. p. 19, c. 1

Pyrauſtæ an vivant in igne? p. 89, c. 1

R

RAmirus primus Caſtellæ Rex Saracenos debellat. p. 87, c. 1

S. Raymundi pulvis è ſepulchro medicus eſt. p. 48, c. 2

Rex Arimæ in Japonia tres Regii ſanguinis juvenes, nepotes ſuos Romam miſit Legatos ad Summum Pont. Gregorium XIII. p. 15, c. 2

Rex Omuræ in Japonia ad fidem converſus quadraginta idolorum templa deſtruxit. p. 15, c. 2.

Religioſus ſtatus eſt perpetua naturæ violentia. p. 11, c. 1

S. Remigii pulvis ſepulchralis ſerpentes fugat. p. 41, c. 2

Roma ſibi terminos fecit Orientem, & Occidentem.

S

SAlamandræ an vivant in igne. p. 89, c. 1

Salapſta Virgo Chriſti ſponſa. p. 3. c. 1

Sancti commorantur in vulneribus Chriſti. p. 27, c. 1

Sancti varii ſanctificati in utero. p. 51, c. 1

Sanctis variæ dantur coronæ. p. 29, c. 1

Sauli nomen, & etymologia hebræa. p. 43, c. 1, & græca. ibidem.

S. Sebaldii

omnis, κλέος, quippe eſt *gloria*, & πᾶς *omnis*. Hebraicè autem *Cleophas* idem eſt quod *concio*, *cœtus*, *Eccleſia*: & hæc ab illo, ſeu progenitore fuit, multos enim filios, ac nepotes Eccleſiæ, Chriſtoque dedit: fuit enim frater, S. *Ioſephi* ſponſi Divæ Virginis, & Pater Apoſtolorum *Iacobi Minoris*, SIMONIS & IVDÆ, Avus autem *Iacobi Majoris*, & *Ioannis*, qui prima naſcentis Eccleſiæ lumina, nobiliſque cœtus, quem portendebat, explicabatque vel ipſum *Cleophæ* nomen; quod mira, à virtute, morteque fœliciter, obita, incrementa accepit. De illo ſic ſcribit *Heleccas* Epiſcopus Cæſar-auguſtanus, in additionibus ad Cronicon *L. Dextri & M. Maximi*: Alphæus, *qui & Cleophas, unus de ſeptuaginta Diſcipulis, ut docet Hieronymus, & frater Ioſeph ſponſi B. Virginis, in caſtello Emmaunte pro Chriſto occiditur.* Fuit igitur invictus Eccleſiæ pugil, & Chriſti Martyr, quod eximiæ fortitudinis fuit, & charitatis; quam ut in poſteros efferret Martyrologium Romanum, ſic de illo ad diem 25. Septembris, *In caſtello Emmaus natalis B. Cleophæ Chriſti Diſcipuli, quem tradunt in eadem domo, in qua menſam Domino paraverat pro confeſſione illius à Iudæis occiſum, & glorioſâ memoriâ ſepultum.*

Ecce quæ à Parentibus, Sanctis Apoſtolis SIMONI & JVDÆ, affuſa lux & claritas; videamus quæ deinde à conſanguinitate.

Jam vidimus *Cleopham* Joſephi fratrem fuiſſe, à quo ut ſocietas, & communio ſanguinis; ſic & gloriæ ac honoris, imò & virtutis: *frater* enim *ferè alter*, non ſanguine tantum, quod naturæ eſt; ſed & virtutis, quod gratiæ.

Maria autem ipſius Divæ Matris ac Virginis ſoror appellatur, non quod propriè ſoror fuerit, & ſimul *Ioachimi*, *Annæque* filia (ut credidit D. Hieronymus, Theodoretus, Beda, aliique) ſed cognata, vel conſobrina; Hebraïca ſcilicet phraſi, qua cognata, & conſobrina ſoror appellatur.

Matth. c. 13. v. 15. Eadem ratione Beati hi Apoſtoli dicuntur Chriſti fratres; non quòd fuerint filii *Ioſeph* ſponſi Virginis, ex aliâ videlicet uxore, adeoque privigni B. Virginis, & propriè fratres Chriſti (ut opinatus eſt Nyſſenus, Origenes, Theophilactus, Euthymius, aliique:) ſed quòd Chriſti fuerint conſanguinei, vel affines, qui apud Hebræos recepto more, modoque loquendi *fratres* appellantur. Et certè non fuiſſe propriè fratres, ex eo conſtat, quòd *Ioſeph* Virgo fuerit, & Virginem animam cœlis intulerit, (ut docent D. Hieronymus, Beda, Rupertus, D. Thomas, aliique communius & verius.) Et hæc paucis de SS. Apoſtolorum natalibus ac ſanguine, à quibus non minima laus, maximè cùm non ſint majoribus ſuis inferiora ſecuti; ſed potius ad ſuperiora gradum fecerint, & quam ab illis acceperunt nominis claritatem, mirum quantum ſuâ virtute auxerint.

SECUNDA LUX
Sanctorum Apoſtolorum.
Ab indito illis nomine.

VIdeo Antiquiores, magnum in nomine pondus conſtituiſſe; quòd crederent in eo bonum ineſſe omen. Et hinc prima illis cura ſtudiumque fuit præclarum aliquod prolibus recens natis, nomen imponere, futurum utique ſtimulo ad ardua virtutum, ad honoris gloriæque culmen, & faſtigium alicujus fœlicitatis, maximè ſi menſuram dati ſibi
Petrus Douſteman in amore incr. atol 4. c. 2 ſeth. 2.
nominis implere ſtuduiſſent: De quo alibi pauca dixiſſe me probè memini, his unum adjiciam, quod in eo genere ſanè mirum; & quod etiamnum legitur Romæ marmori inſcultum in clauſtro S. Salvatoris ad Laurum.

Anno poſt milleſimum quadringenteſimum ſeptuageſimo quarto, *Ioannes Mares*, & *Catharina Calaquica* conjuges, ortu Barcinonenſes, cùm octennio toto ſterile illis fuiſſet matrimonium, ſacro Apoſtolorum collegio votum nuncuparunt, ut prolem eorum apud Deum precibus impetrarent: cujus voti jam rei, ſub ſolemne Miſſæ ſacrificium, quod in honorem duodecim Apoſtolorum cantabatur, duodecim cereos duodecim Apoſtolorum nominibus inſignitos accenderunt. Ex concepto voto, & devotioni huic, ſuus conſtitit fructus, quippe nono pòſt menſe filiam enixa eſt mulier, & ſic deinceps per annos ſingulos felici partu familiam auxit; ita ut duodecim annorum ſpatio, etiam duodecim omninò liberos tulerit, octo ſcilicet maſculos, puellas quatuor, quorum ſingulis cujuſque Apoſtoli nomen inditum, nec plures quantumvis ſuperſtitibus, & adhuc vegetis iis nati ſunt; crederes naturæ, partuique limitem datum eſſe duodenarium numerum. Et verò datus erat, uti & illud etiam miraculo proximum; imo reipſa miraculum, quod unuſquiſque eo die vivere deſiit, qui ei Apoſtolo ſacer erat, cujus nomen vivens, ac vegetus geſtaverat.

Ut hujus rei tam novæ, tamque prodigioſæ memoria deferretur ad poſteros; *Petrus Mares* fratribus reliquis, ſororibusque ſuperſtes, marmori incidi curavit; quod ego omnium animis incidi, imprimique malim, ut agnoſcant quantum in bono nomine ponderis, quantum & momenti.

Ne diſcedam ab argumento mihi propoſito, paucis excutiam, quod omen, quæ notio, quæ vis in nominibus SS. Apoſtolorum SIMONIS & JVDÆ. Fœlix utique omen, fœcunda bonorum notio, & vis ad ardua humanis viribus major, quod patebit primò in S. SIMONIS nomine.

Lia (mater omnino pia) ut beneficii à Deo accepti memoria, ſæpius animo, ſæpius auribus inſonaret, filiolum ſibi natum *Simeonem* vocavit, hoc eſt *auditio*, vel potius *exauditio*, quod Deus ejus afflictionem, orationémque exaudiſſet. Et *Maria Alfæi* filium ſibi à cœlo conceſſum, SIMONEM vocavit, fœlici ac fortunato omine: *Simon* enim idem eſt quod *audiens*, quod *obediens*; quod is eſſet aliquando re etiam ipsâ futurus, qui erat in nomine Chriſti audiens, Chriſto vocanti obediens: ecce quæ vis in ipsâ etymo, quæ virtus in nomine: nec minor in cognomine, à quo audiit *Chananæus*, non quòd oriundus eſſet ex *Cananæa*, ut vult Munſterus; ſed quia *Matth. c. 10 v. 4.*
natus in *Canâ Galilææ*: *Cana* autem *zelum* ſignificat, *unde Cananæus*, idem eſt quod *zelotes*, quem Nicephorus & Baronius credunt fuiſſe ſponſum in nuptiis ad quas vocatus Chriſtus, aquam in vinum convertit. Ecce quæ in cognomine portenditur virtus, zelus utique divini honoris, zelus & animarum, quem ut cognomine, ſic & factis expreſſit, ut ex dicendis apparebit. A S. SIMONE tranſeo ad S. JVDAM, nomen utique boni ominis, *Iuda* enim ideſt *confeſſio & laus*, quæ Apoſtolo convenit quàm optimè: fuit enim & Dei, & Chriſti confeſſor glorioſus, & laudator magnificus: fuit & æmulus illius roboris, ac fortitudinis, cujus olim *Iudas*, in filiis Jacob & fortiſſimus, & celeberrimus. Et hæc à nomine laus & commendatio, ſuppar illi à cognomine, quod illi duplex fuit.

Primum enim dictus eſt *Lebbeus*, id eſt *Leoninus*, vel *cordatus*. *Labi* enim Hebraice, idem eſt quod *Leo*, & *Leb* idem eſt quod *Cor*, ſymbola utique magnarum virtutum; maximè verò invictæ fortitudinis, cujus hieroglyphicum eſt *Leo*, animalium fortiſſimus; *Lib. 11. c. 37.*
uti & *Cor* fortitudinis ſedes, ut docet Plinius; qui & illud tradit *Ariſtomenum*, qui totam Græciam rapuerat audaciæ miraculo, poſt mortem diſſectus, inventum eſſe habere cor mtum pilis hirſutum, & horridum. Ecce quod omen in cognomine, & quæ prodita ex illo virtus, infractum animi robur, invictáque fortitudo in S. JVDA, qui ideo cognominatus

eſt

eſt *Lebbeus*, id eſt *Cor* vel *Corculum*; in quo, ut ſymbolo, leguntur, alia ingentium virtutum decora, & quidem primò prudentia, & ſolertia: prudentes enim, & acuti dicebantur *Corculum*, ut annotat Plinius, *Lib. 7. c. 31.* & Feſtus. Unde *Scipio Naſica* ob ſingularem prudentiam bis Conſul, appellatus eſt *Corculum*, ut refert Cicero in Tuſculanis.

Deinde notatur amor, benevolentia, atque effuſa in omnes caritas, cordati enim, benevoliq́ue in omnes, appellantur *Corculum*. quod ſedes eſt, & officina amoris, ac benevolentiæ. Et hæc in S. Iuda fuit quàm maximè; cognominatus deinde *Thaddæus*, vel ut alii volunt *Saddeus* à Syro *Thad*, vel ab Hebræo *Sad*: Syri quippe, & Chaldæi ſæpiùs S. Hebræum vertunt in T. Sicq́ue pro *Sad*, dicunt *Thad*, & pro *Saddeus*, *Thaddæus*. Maneat, ergo amabile *Saddei* nomen, dicaturq́ue fœlici cognomine S. Iudas, non *Thaddæus*, verum *Saddeus*, id eſt *mammeus*, uberalis, dulcis, miſericors, benignus, & in omnes beneficus; qualis propè & Deus, qui *Saddai* dicitur, id eſt *mamma*, quaſi fons lactis, & bonorum omnium origo. Ecce quæ in uno S. Judæ cognomine gratiarum fluenta, quæve virtutum decora, atque ornamenta: ſed majus illud, atque auguſtius, quod ſubjicio, utpote quod ad Deum ipſum propiùs accedit, & divinum quiddam importare videtur. Eſt autem illud ejuſmodi; quod Judas Hebraicè includat omnes litteras nominis tetragrammaton *Iehova*, indeq́ue etiam accedit ad reverentiam quæ debetur ineffabili ipſi nomini, quod ut Judæ penitus ſingulare, ſic vel maximè honorificum. Sed hæc de nomine, ac cognomine pro inſtituto ſatis, ſit illis ſua lux, ſuusq́ue ſplendor; at major virtutibus, quæ ex iis elucere, eminereq́ue videbuntur, implereq́ue menſuram tanti nominis, tanti & cognominis.

TERTIA LUX
Sanctorum Apoſtolorum
Ab altiore, id-eſt cœleſti ſapientia.

VT verum: ſic & magnificum illud pronuntiatum D. Auguſtini: *Scientia piſcatorum, ſtultam* *Serm. 15 de Temp.* *fecit ſapientiam Philoſophorum.* Ita nimirum ſcientia *Petri, Andreæ, Ioannis, & Iacobi*; uti & aliorum Apoſtolorum, ſtultam, & quaſi amentem fecit omnem ſapientiam Philoſophorum; hæc enim ad Apoſtolici culminis dignitatem eligendos putabat, divites, auro graves & gemmis nitentes, honoribus auctos, & purpuræ, ſceptriſq́ue natos: illa verò pauperculos, pannoſos, inglorios adſciſcendos, & re etiam ipſâ aſcitos oſtendebat.

Serm. 28. Hi nempe (ut Chryſologi verbis utar, & ſacratiore tanti Præſulis eloquentia) *in Apoſtolorum Principes eliguntur; pauperes cenſu, loco humiles, viles arte, obſcuri vitâ, labore communes, addicti vigiliis, fluctibus mancipati, negati honoribus, injuriis dati, præſidio rerum, ſolo piſcium captu, victum, veſtitumq́ue conquirentes*: hi, inquam, eliguntur, & hoc eſt, quod non videt, non capit ſapientia Philoſophorum.

Alterum eſt, quod ii ipſi terris, & honoribus puſilli: cœlo interim Deoq́ue eſſent magni, atque *Supra.* excelſi. *Erant* enim *cenſu pauperes, ſed innocentiâ locupletes: loco humiles, ſed ſanctitate ſublimes: viles arte, ſed ſimplicitate pretioſi: obſcuri vitâ, ſed vitæ merito perlucentes: labore communes, ſed propoſito ſingulares: addicti vigiliis, ſed ad cœleſtes victorias jam vocati: fluctibus mancipati, ſed fluctibus non demerſi: negati honoribus, ditati magis honoribus, non negati: injuriis dati, ſed injuriis non relicti: captores piſcium, ſed piſcatores hominum*, & hoc eſt, quod non capit ſapientia Philoſophorum: uti nec illud in cruce, hoc eſt in opprobriis, in tribulationibus, in anguſtiis, in carceribus, in tormentis, in ipſà denique morte repoſitam eſſe beatitatem, *Hinc eſt* (ut aureè D. Chryſologus) *quod regna, gentes:* *Supra.* *carceres, vincula, tormenta, mortes, ſævientes homines terris omnibus, ſic vicerunt Apoſtoli* ut æternum & vincerent, & triumpharent. Utq́ue ſic & vincere, & triumphare doceremur ipſi; docuit & verbo, & exemplo Chriſtus ipſe, Magiſter optimus, & Incarnata Patris Æterni ſapientia, qui è cruce, velut è pulpito docuit: & quam crucem, etiam in ſcholis, etiam in pulpitis docuere Apoſtoli, in eaq́ue repoſitam probavere ſapientiam. Ita (ut cum Origene loquar) *Crux Chriſti, cujus prædicatio ſtultitia* *Hom. 4. in Exodum.* *videbatur, converſa eſt in ſapientiam, & tantam ſapientiam, ut omnium Ægyptiorum ſapientiam devoravit.*

Et hæc ipſa Crux eſt, quæ fuit ſcientia piſcatorum, & quæ ſtultam fecit ſapientiam Philoſophorum.

Hanc porrò crucis ſcientiam docuerunt Apoſtoli Simon & Iudas. Simon quidem in Ægypto, in quâ propè innumeros Eccleſiæ, Chriſtoq́ue adjunxit. Iudas autem in Meſopotamia. Deinde tam hic, quàm ille, in Perſide, in quâ, ut animæ multæ, ſic & meſſis multa in horreum Eccleſiæ venit, collecta primùm à luce Evangelicæ prædicationis, deinde à luce ſcriptorum, doctiſq́ue melioris ſapientiæ monumentis ac moniris, quæ S. Judas Epiſtolæ ſuæ inſeruit, & poſteris tranſmiſit ad bonum Eccleſiæ univerſæ.

Scio hæreticos (quos inter Lutherus, Brentius, Kemnitius, & Centuriatores, qui ſe habent ut talpa ad ſolem) hanc Epiſtolam rejicere, damnareq́ue velut apocrypham. At etiam ſcio SS. Patres Dionyſium Areopagitam, Epiphanium, Nazianzenum, Cyprianum, Hieronymum, Auguſtinum, Ambroſium, alioſq́ue, habere, ac revereri pro Canonica, & pro tali habet, ac reveretur Catholica, & Romana Eccleſia. Et Origenes etiam ipſe, inter *In cap. 13. Matth.* antiquiores nominatus, & ab ingenii ſui monumentis orbi notiſſimus, eam ait paucorum quidem eſſe verborum; ſed plenam gratiæ cœleſtis, ac luminis: diceres eſſe veluti margaritã, quæ ut exigua ſit mole, at ſummi eſt pretii, ut de eâ dici poſſit, illud quod pronuntiavit D. Hieronymus: *Eam Epiſtolam brevem* *Ad Paullinum.* *eſſe, & longam; brevem in verbis; longam in ſententiis, ut rarus ſit, qui non in ejus cœcutiat lectione*: quo modo enim non cœcutiret humana, id eſt debilis mentis acies, ad tantam altioris ſapientiæ lucem, ac Solem? Cœcutit quidem ſubinde mens bona, mens ſancta: & quod non capit, ſuſpicit, ac reveretur: at non ſic hæretica, & Lutherana; quæ non capit, imo quæ non probat, impudenter, atque impiè damnat. Nec mirum quia ſuos in eâ Epiſtola damnari ſcit errores, & ſuas tenebras amœnâ illa luce diſſipari. Scit in eâ confutari hæreſes etiam eò loci ac temporis enatas, videlicet *Simonis Magi, Nicolaitarum, Cherinthi*, moxq́ue ex iis etiam naſcituras *Gnoſticorum*, *Ebionis*, *Menandri*, *Baſilidis*, *Saturnini*, *Valentini*, *Marcionis*, atque ejuſdem farinæ homuntionum; quorum hæreſes, ut ſpiritu agnovit Apoſtolus; ſic etiam ex tunc arguit, damnavitq́ue.

In Aſiâ minore, in quâ (ut docuit Apoſtolus) florebat ſchola *Simonis Magi*, in quâ jactabatur impium illud dogma, ſolam fidem etiam ſine bonis operibus ad ſalutem ſatis eſſe. Inſuper & hoc *Gnoſticorum*: nullum eſſe peccatum præterquam infidelitatis; ſed omnia eſſe adiaphora, bona ſcilicet benè utentibus; mala autem malè utentibus; ac proinde impunè licere vacare commeſſationibus ac libidinibus.

Et hanc *Simonianorum*, ac *Gnoſticorum* effrænatam peccandi licentiam, infandamq́ue libidinem acriter perſtringit S. Judas, eiſq́ue ſeverum Dei Judicium ab *Enoch* prædictum intentat, in ſuâ Epiſtolâ, quam & Græcè conſcripſit, & encyclicam eſſe voluit, ut prodeſſet univerſis, maximè verò

Simonia-

Simoniacis, ac *Gnoſticis* à ſanâ doctrinâ, fideque deviis, quos appellat *nubes ſine aquâ, arbores autumnales fructus ſeri matis, ſidera errantia.* Et hoc, non tam ut pungat acriore ſtylo: quàm ut ſanet, & à denſis errorum ac hæreſeos tenebris, ad amœnum fidei, ac veritatis jubar reducat, eâ quâ pollebat, altioris, id eſt cœleſtis ſapientiæ, luce, ſoleque. Surrexit hic, atque illuxit orbi propè univerſo, & quidem primò à S. SIMONE in Ægypto, tum à S. JUDA in Meſopotamiâ, deinde ab hoc, & illo in Perſide; quam vix ſubierant Apoſtoli, cum idola, quæ antè plus æquò loquacia & garrula, illicò conticuerunt, atque obmutuerunt. Reddebant illa (ut Ethnicis, cœcis illis, atque amentibus videbatur) oracula: verius mendacia, quibus & veritatem involuerent, & denſis errorum tenebris, ceu profunda ſtygis nocte, tegerent: ſed eas mox diſſipavit lux evangelica, & gemina illa Ægypti Meſopotamiæ, Perſidiſque lumina, ceu gemini ſoles, à quibus &

QUARTA LUX
Sanctorum Apoſtolorum.
A ſpiritu prophetiæ & miraculis.

PRophetiæ ſpiritus, & miracula ſunt veluti ſigilla quædam, quæ veræ religioni fidem dant, atque authoritatem; imo & lucem, & quidem cœleſtem ac prope divinam. Hinc illud Dei ad idololatras Iſaiæ voce, calamoque: *Annuntiate, quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus quia Dii eſtis vos.* Certè annuntiare ventura, aut Dei ſolius eſt, aut à Deo, hominibus Deo proximis, conceſſum; uti conceſſum SS. Apoſtolis. Venerant hi in Babyloniam cùm *Baradach* exercitus Babylonici dux arma parabat, atque expeditionem contrà Indos, juratos ſibi, regnoque ſuo hoſtes. Placuit ſuper eo conſulere ſacrificulos, & Sacerdotes; nam Idola, Dæmonesque jam muti conticuerant, dixerunt illi, & anceps, & longum futurum prælium, nec ſine multo ſanguine tranſigendum. Contrà Apoſtoli, ab eodem *Baradach* conſulti edixerunt dirimendam eſſe rem totam ſine prælio, ſine cæde, ſine ſanguine; affuturos enim die inſequenti, ab Indis Legatos, qui pacem ſupplices expoſcerent: & ita docuit eventus, qui & prophetiæ fidem dedit, & SS. Apoſtolis authoritatem conciliavit; uti & edita deinde miracula; inter quæ & ſolemne illud, quod facit, & ad teſtandam Chriſtianorum innocentiam, & ad diſſipandam ſuperinfuſam illis calumniæ, atque accuſationis nubem.

Cap. 41. v. 23.

Imprægnata erat neſcio quæ puella, viri alias ſuos inter clariſſimi, nec in aperto erat à quo vitium paſſa; nimirum ejuſmodi opera, ſunt opera tenebrarum, quæ lucem fugiunt; interea uſus iis malus dæmon, uſi & infidi illi tenebriores, ut Religionis Chriſtianæ diem, quæ primò ſurgebat, aut obſcurarent, aut inficerent; culparunt enim ex Diaconis recens creatis unum aliquem, quaſi illius culpæ, infandique criminis reum: imo ipſamet puella, vel parentum minis, vel pollicitationibus evicta, in Diaconum peccatum omne, quale quale erat, rejecit; rata ſic, & ſe maculâ illâ aliquouſque liberari poſſe, & infamari ſimul religionem cujus aſſeclæ in id veniſſent audaciæ, ac libidinis, ut etiam nolentem, ac reluctantem puellam opprimerent. Ea accuſatio in ſpeciem vera, in re autem ipſâ falſa, eam tamen vim habuit, ut & Diaconus in vincula & ad Regem mox eſſet raptandus; quod ubi ſubintellexerunt Apoſtoli, ne qua inde labes aſpergeretur aut Religioni, aut ejus adminiſtris, rogarunt ut Regi ſiſterentur puellæ parentes, & puella etiam ipſa; imò & infans recens natus. Poſtulatis Rex annuit; itaque in ejus conſpectum venêre omnes, etiam ipſi Apoſtoli, qui ab infante adhuc elingui, & fari neſcio petierunt tamen, ut clarâ voce ediceret an Diaconum pro parente haberet, & agnoſceret, qui illicò attonitis omnibus reſpondit: Diaconum illum nec eſſe ſibi Patrem, nec reum illius criminis, ſed caſtum & ſanctum. Ubi ſtupor omnes tenuit & parentes, puellamque etiam rubor: petierunt illi ab Apoſtolis, ut juberent infantulum fari ecquis ergo illius pater? negarunt illi ſe id facturos, quod eorum tantum eſſet inſontes culpâ eximere, non accuſare, non detegere ſontes, maximè ubi occultum eſt ſcelus, hoc enim aperte plerumque injuſtitiæ crimen eſt, non zelus, amorque veritatis. Et ita hinc & inde diſceſſum eſt, & ſua Diacono caſtitas, bonumque nomen ſtetit, & Religioni Chriſtianæ ſua quoque integritas & ſanctitas; imo & authoritas, quam mirum quantum auxit Apoſtolorum & in dæmones, & in effera animalia imperium, cujus argumento ſit illud, quod ſubjicio.

Ex India fugerant inſignes Magi duo *Zaroës* & *Arphaxad*, à D. Matthæo qui eò Evangelii lucem intulerat, expulſi, venerantque ad Babyloniæ Regem; ſed, ô malum! ô bonum bonis! occurrerunt & hic Apoſtoli duo SIMON & IUDAS, quos ut perderent, illicò ſerpentes ac dracones è latibulis ſuis in campum evocarunt, ut Apoſtolos veneno infuſo tollerent: verùm ſecus omninò accidit: ut enim pateret omnibus, etiam animalia rationis expertia, etiam ſerpentes Dei ter Opt. ter Max. ſervis ſubjici, imperarunt illi, ut ipſos Magos, invaderent, morderent, inficerentque citrà tamen mortis periculum, ipſamque mortem: ut & ſua ſceleratis illis eſſet pœna, & ſua ſimul Apoſtolis in eos miſeratio & clementia: Chriſtianæ charitatis fœtus nobiliſſimus; à quo ſua illis lux fuit, ut etiam.

QUINTA LUX
Sanctorum Apoſtolorum.
A terrenorum contemptu.

HEbræi ſapientes ut oſtenderent, quæ vis eſſet pecuniæ ad ſui amorem excitandum, & incendendam hominum voluntatem, ſacra lingua argentum appellarunt *Cheſeph*, cujus etymon Rabbini petunt à *Chaſaph*, id eſt amare, concupiſcere, deſiderare: quod idem propè ſit argentum, ipſæque divitiæ, ac concupiſcentia; & indè facilis, ac præceps ab illo ad hanc lapſus; cujus probè conſcii Apoſtoli in primâ Apoſtolicæ vitæ inſtitutione, primiſque rudimentis, divitiarum contemptum poſuerunt, quaſi baſim ac fundamentum Chriſtianæ religionis, quòd ſcirent divitias *impedimenta eſſe, non adjumenta, onera non ſubſidia: poſſeſſione enim, & uſu opum non fulcitur religio, ſed evertitur*, ut diſertè Salvianus. Lib. 2.

Et hinc illud Chriſti ad diſcipulos ceu fundatores, ceu propagatores religionis ſuæ, *Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris*, quod Salvatoris monitum dum expendit D. Ambroſius, Dominus, inquit, pecuniam in zonis portare prohibet, *non enim ſæcularia, ſed æterna debet zona noſtra portare.* Et ita portare docuit S. JUDAS, non verbo (quod exiguum foret) ſed exemplo, quod ſummum.

Matth. c. 10. v. 9.

Lib. de Par ad. c. 13.

Miſſus aliquando fuerat ad Abagarum Regem Edeſſæ, quem & fidei addiderat, & Chriſto, uti & Edeſſenos, ſubjectos illi populos, cujus beneficii, ne ingratus eſſe videretur, ad Regia dona, regiamque munificentiam animum convertit, eique ingentem vim auri, tum cœlati, tum rudis illi obtulit; cui Apoſtolus oblata munera reſpuens, atque averſans, *Si noſtra*, inquit, *prorſus derelinquimus, quomodo accipiemus aliena?* enimvero nunquam accipiemus. Qui B. JUDÆ animus fuit, quæve opum deſpicientia: eadem & B. SIMONI Apoſtolo. Tam hic, quàm ille, fortiſſimo Babyloniæ Duci *Baradach*, prædixerat fore, ut Indi ſupplices advenirent, futuri utique

Euſebius.

pacis

pacis candidati, atque oratores: quam prædictionem cùm exitus probaſſet, Apoſtolis obtulit munera ſanè pretioſa, quæ illi omnia reſpuerunt, ut qui venerant daturi beneficium; non accepturi: daturi, inquam, meliores, id eſt perennes, ac cœleſtes divitias, non accepturi terrenas, ac brevi perituras. Et hæc prima Apoſtolicæ vitæ grana, laus prima: inſignis auri, argenti, opumque deſpicientia, ad quam nos invitat primò ipſius Chriſti, ceu Magiſtri quàm optimi exemplum; *qui cum eſſet dives, propter nos egenus factus eſt*; in quod exemplar dum oculos intendit Tertullianus effert magnificum illud: *Ipſe Dominus in nullis divitiis reperitur, ſemper pauperes juſtificat, divites prædamnat.*

2 Cor. 8. *De Pœnit. c. 7.*

Provocat deinde & Apoſtolorum ſors, natalium conditio, ipſaque vivendi norma: erant enim ut aureè D. Chryſologus, *cenſu pauperes; ſed innocentiâ locupletes: loco humiles; ſed ſanctitate ſublimes.* Provocat etiam primorum Chriſtianorum exemplum, & illuſtris in iis rerum terrenarum deſpicientia; à quâ *Chriſtiani* olim dicti *pauperes*: quidni enim pauperes dicerentur & eſſent quàm maximè, qui rerum ſuarum pretia etiam ad Apoſtolorum pedes abjeciſſent? Et certè quidni abjiciamus, & ipſi? quidni & pauperes ſimus, ſi modò Chriſtiani, ſi cœleſtium opum amatores, ſi beatæ æternitatis candidati, ſi vitæ, quam ducimus, probè conſcii; ſi illius ad quam aſpiramus amantes.

Serm. 28.

Hæc mortalis vita, qualis qualis demum eſt, *Via* eſt. *In via multa oneri ſunt, mediocria uſui, & magno viatico breve vita iter, non inſtruitur, ſed oneratur. Via* eſt, ut disertè Minutius, ac veluti curſus, ſtadiumque virtutis: ſed *virtutis via non capit magna onera portantes*, ut pulchrè Lactantius. Quod ſi ea non capit, non eſt certè, quod ea ultro nobis accerſamus: ſed potius, ut etiam oblata, etiam habita, ac poſſeſſa, cum Apoſtolis abjiciamus, ſi modò ii ſimus re, qui ſumus nomine, *Chriſtiani*, id eſt *pauperes*.

Ambroſ. l. 3. ep. 19. *In Octavio.* *Lib. 7. c. 1.*

Et hæc paucis dicta ſint de fulgore, quem Eccleſiæ, mundique univerſo intulere Apoſtoli, ceu gemina in domo Dei candelabra; ſupereſt modo, ut perſentiamus, quis etiam ab illis ardor? quisve æſtus ad animos appellat, incenditque? eſt enim (ut ante dixi) in luce *fulgor & ardor*: fulgorem oculis hauſimus, ſentiamus ardorem.

I. Ardor SS. Apoſtolorum Simonis & Judæ, *Ab incenſo divinæ gloriæ zelo.*

Cap. 8. v. 2.

Ezechiel in exceſſu mentis vidit adumbratam aliquam Dei ſimilitudinem, velut hominis effigiem ex electro conflatam, cujus pars inferior igneſceret tota, ſuperior ſplenderet. Illa verò ſpecies auri ſplendentis, & ignis flammantis repræſentabat Deum amatorem & zelotypum: color enim pectoris aureus amorem cordis vehementem ſignificabat; ignis autem circumſtans zelum, quo ſuccenſus ardebat ſponſus, videns dilectam ſponſam ſibi præpoſuiſſe infame idolum Baal.

Quod Deo ter Opt. ter Max. hoc proximis Deo hominibus, hoc Apoſtolis: habent illi quidem ſpeciem hominis; at in eâ Divinum quiddam, auri quidem fulgorem, ſymbolum amoris, & caritatis in proximum; ignem verò, ardoremque indicium zeli, quo toti exardent, atque exæſtuant.

Pſ. 68. v. 17. Hoc igne arſit, æſtuavitque David, cujus hæ ſoêre voces velut illius indices: *Zelus domus tuæ comedit me.*

Cant. c. 1. v. 6. Hoc igne arſit, æſtuavitque Sponſa, quæ ſe fuſcam, & decoloratam à ſole confirmat: à ſole utique ardoris, & zeli divinæ gloriæ, quo ſic exarſit, ut fuſca apparuerit, & decolorata, & quaſi ſubnigra, atque exuſta, tantus in illâ fuit ardor, æſtusque tantus.

Et hic fuit in SS. Apoſtolis Simone & Juda; cujus hoc primum ſit argumentum, obitæ terrâ, marique tot regiones, tam incultæ, tam barbaræ; *Ægyptus, Meſopotamia, Perſia, Indiaque*, & hoc quidem incredibili celeritate: *tantum*, inquit Chryſoſtomus, *valet in Deum zelus & tam leves efficit alas.*

Hom 3. ad popul.

Alterum ejuſdem zeli indicium fuit impugnata, expugnataque hæreſis, ceu è ſtyge exurgens hydra, ſive ea fuerit *Simonis Magi*, ſive *Nicolaitarum*, ſive *Cerinthi*, ſive *Gnoſticorum*, & aliorum, quæ ut monſtra, in reluctantes auras prodierunt; terraſque fœda errorum lue fœdarunt.

Tertium ejuſdem etiam zeli ſignum fuit quod domita longè lateque fuerit idololatria, everſa idola, diruta profana fana, Deorumque cultores, ac ſacrificuli Apoſtolorum labore, ſudore, ac prædicatione, velut fulmine quodam percuſſi, atque proſtrati. D. *Ambroſius*, facundus orator, extollens *Phinees* magnanimi zelum, quo Madianitas olim confodit, perdiditque; eodem incenſus zelo, in campum, in aciem evocat, ſeu Præſulem, ſeu Apoſtolum aliquem, ſeu virum Apoſtolicum, exclamatque. *Veni & nunc Phinees, arripe gladium verbi, interfice perfidiam, jugulato hæreſim, ne propter eam populus univerſus pereat. Urget ira cæleſtis.*

In Pſal. 118.

Quæ ſibi, quæ aliis Ambroſius; hæc ego tibi, *Amice Lector*, tibi, ô quiſquis es Eccleſiaſtes, præcoque divini Verbi; *Veni & nunc* ipſe, & cum SS. Apoſtolis Simone & Juda, *arripe gladium* cœleſtis Verbi, *interfice perfidiam* idololatrarum, *jugulato hæreſim*. ſeu ea Lutheri, ſeu Calvini fuerit, ſeu aliorum de ſtyge hæreticorum. *Urget* enim *ira cæleſtis*, & impendentia noxiis capitibus fulmina; *urget* & populi pereuntis miſeratio, *urget* & zelus divinæ gloriæ, honoriſque amplificandi; *urget* & amor, zeluſque animarum, quas ſibi, cœloque Chriſtus acquiſivit, etiam effuſo per immania vulnera ſanguine. *Urget* denique & ipſe SS. Apoſtolorum Simonis & Judæ exemplum, vitaque ſanctè acta, & mors ipſa pro fide, pro Religione, proque Deo fortiter obita: à quâ erit

II. Ardor SS. Apoſtolorum Simonis & Judæ, *Ab incenſo patiendi ac moriendi deſiderio.*

Sanctiſſimos Apoſtolos, invictoſque Chriſti Martyres diximus eſſe in Eccleſia, quod in Dei domo *duo Candelabra*.

D. Gregorius Nazianzenus altiùs aſſurgens inſignes appellat *in polo ſtellas*, quæ mortalibus oculis ſic occidunt, ut ſurgant immortalibus; ſic occidunt, ut tamen occidendo, & lucem ſpargant, vitæ dico lucem, claraque magnarum virtutum exempla: & ſimul etiam ignem oſtentent; ignem, inquam, divini amoris, qui maximè proditur illuſtri patiendi, ac pro Chriſto moriendi deſiderio, quod in SS. Simone & Juda videre licuit, atque admirari.

Lib de Virg. c. 24.

E Babylonia poſt exantlatos illic labores exceſſerant Apoſtoli, venerantque in urbem, cui *Suamiræ* nomen; cùm ecce rurſum incurrunt in Magos illos, ſimulque in eorum odium; atque malevolentiam; ab hac excitati idolorum ſacrificuli, violentas in illos manus injiciunt, & Simonem quidem adducunt in templum ſolis, Judam autem in fanum Lunæ, ut iſtis Idolis ſacra facerent, thuſque incenderent. Quid hic Apoſtoli, magnæ illæ mentes, & cœli novi, id eſt Eccleſiæ ſurgentis, Intelligentiæ? idola venerentur? at impium illud: recuſent illi, cultumque reſpuant pertinaces? at vita in lubrico, & mors in oculis. Verùm ſtat potius mori, quam noxios vivere, certum occidere terris, & cœlo ſurgere; imo quod miteris, & ames, & ſupplicia ipſa in votis ſunt, & mors in deliciis: tantus ardor patiendi, tantus & moriendi. Ut hunc, & illi ape-

riatur via; ſupplices ad cœlum manus extendunt, Deum orant, exorantque; & ecce quæ orationi vis, quiſve ab ea fructus: idola ipſa mox concidunt, confliguntur impia ſimulacra, & ipſi cacodæmones ex illis excedunt horrendâ in ſpeciem Æthyopum figurâ, ingentique clamore; quo ita concuti omnia, ut concuti, ac convelli videantur ipſa profana fana, ruinamque minari. Quid hic ſacrificuli? quid idolorum ſacerdotes? quid plebs inſana, ac furens? In iras truces, in minas acres itur; imo & in vulnera, ac cædes proruitur, irarumque, ac furoris victimæ ſunt Apoſtoli; cadunt illi, atque ab his & illis fœdum in modum diſcerpuntur ac dilaniantur, ſpectaculo quidem hominibus lamentabili; at ſuperis grato ac jucundo, noxiis autem capitibus ferali, ac funeſto. Mox enim cœlum ipſum quaſi tanti ſceleris, tantæque immanitatis impatiens turbari cœptum, & quod ante ſerenum erat, atrâ nube involvi, tegique, indeque mugire tonitrua, exilire fulgura, & quaquaverſum in ſcelerata capita evibrari; ipſaque idolorum fana dirui, ſoloque æquari, æthere ipſo etiam in ſaxa, templorumque moles, ſæviente, potiſſimum autem in magos illos, qui ultore cœlo, Deóque, unà, cum aliis è Gentilitate illa quamplurimis, malè perierunt. Et hic cruentæ illius tragœdiæ finis fuit, Apoſtolis quidem glorioſus; ſed impiis illis fatalis; piis autem ſalubris, atque (ut ita loquar) vitalis.

Ab hoc enim caſu, qui labi atque occidere viſi ſunt Apoſtoli, ab eodem reſurgere, atque reſuſcitati illis ſuperſtites.

Lib. 1 de Abraham. c. 1. Eleganter Ambroſius, ait Moyſen *imitandum* nobis Abrahamum deſcripſiſſe, *ut corda hominum, in vitium labentia, hujus viri contuitu, velut è quodam terreno buſto reſuſcitaret.* Quod magnus ille Præſul de Abrahamo ad imitandum hominibus propoſito, hoc ego, & potiori quidem jure, de SS. Apoſtolis Simone & Iuda. Erant eò loci ac temporis hominum corda in vitium omne labentia, pars enim in hæreſes infandas, pars in immanem idololatriam, pars in alia ſcelerum monſtra declinarat, quis illis finem, modúmque ponat? quis labentes erigat? quis in mortem pronos, ac præcipites retineat? In certamen, in theatrum eduxit Deus fortiſſimos illos Chriſti pugiles, Simonem & Iudam quorum *intuitu, velut è quodam terreno buſto eos reſuſcitaret.* Et ita factum eſt, & factum quàm optimè. Arſerat orbis: imò & ardebat igne concupiſcentiæ, igne libidinis, & eò uſque arſerat, ut non niſi infame buſtum eſſet. quis evigilabit? quis excitabit à terreno illo, luteóque buſto? Nemo unus omnium præter Apoſtolos, præter Simonem & Iudam. Qui enim potius? ſi de *Baſilio Magno* D. Gregorius Nazianzenus pronuntiavit audax illud, & liberum, verum tamen; *Communem fuiſſe virtutis tabulam*, in quam *velut in vivam quandam legem intuentes* mortales, vitam omnem ſuam dirigerent. *Orat. 20.*

Lib. de Abraham. Si Sanctos viros eſſe *leges animatas* edixit Philo inter antiquiores illuſtris ſcriptor, quidni & ego, eadem, imò & meliore de cauſâ, Beatos Apoſtolos dixerim eſſe *communem virtutum omnium tabulam*, & *legem quandam*, non emortuam illam, ſed *vivam*, ſed *animatam*, à quâ puſilli mortales vitæ meliùs inſtituendæ, & præcepta peterent, & exempla. Dicam certè, atque cum Euſebio ex vero dicam, eſſe *exemplaria quædam ſplendida*, & ſpecioſa religionis noſtræ: dicam cum Bernardo eſſe veluti *ligna fructifera* in horto ſponſi, & paradiſo Dei, *de quorum bonis actibus ac moribus, quot ſumis exempla, tot carpis bona.* At quæ, inquies, bona? non ea, quæ mortali vitæ ſerviunt, ſed quæ etiam immortali: non ea, quæ terris innaſcuntur; ſed quæ in cœlis reponuntur, & hoc quidem in perpetuas æternitates; bona dico virtutum, imprimiſque cœleſtis ſapientiæ, quæ nos edoceat divina ſapere, divina votis omnibus concupiſcere, terrena verò faſtidire, atque averſari; tum etiam incendi zelo divinæ gloriæ, honoriſque propagandi; denique pro religione, proque Deo, & agere, & pati fortia, ipſamque (ſi cœlum exigat) per immania vulnera pulchram obire mortem; & ab illâ beatæ æternitatis atria ſubire. Ut porro ſubeas, *Amice Lector*, in Apoſtolos illos Simonem & Iudam, velut *in virtutum exemplaria*, virtutum ſimulacra oculos injice, atque ad eos quà licet etiam in cœlis poſitos cogitatione, ac piâ meditatione tranſi. Et certè quidni ſic tranſeas? Tranſire docent majorum exempla, etiam Gentilium.

Lib. 2. Hiſtor. c. 10.

Serm. 25. in Cant.

Gregor. Nazianz. Orat. 20.

Themiſtocles ad illuſtria Melchiadis facinora totus animo, totus affectu tranſibat, & ex illis ſibi ad ſimilia faciebat animos.

Achillis facta cogitatione propè perenni ſpectabat *Alexander*, nomine, & re etiam ipſa *Magnus*, atque ex illis ad paria ſeſe excitabat.

Alexandri geſta perpetuò volvebat, revolvebatque Iulius Cæſar, & inde talis ac tantus evaſit Imperator.

Habent nimirum illud exempla Heroum, ad ſimilia vocant, imò & compellunt, etiam infirmorum corda, animoſque.

Hinc ut ſcitè D. Gregorius, *Scriptura ſacra narrat geſta Sanctorum, & ad imitationem provocat corda infirmorum; & dum eorum victricia facta commemorat, contra vitiorum prælia debilia noſtra confirmat, fitque ut minus mens inter certamina trepidet, quò ante ſe poſitos, tot virorum fortium triumphos, videt* *2. Moral. c.*

Eâ de cauſâ Lacedæmonii in conviviis ſuis præcipua majorum ſuorum facta canere faciebant, quò juniores ad eorum imitationem invitarentur: ut cùm inter epulas caro paſceretur, etiam animus præclaris illis ſuorum facinoribus reficeretur, atque ad eos à menſa tranſiret, ſi minus mole corporis, ſaltem votis, ac deſideriis. Quod Lacedæmonii filiis ſuis: hoc Seneca diſcipulis, quos tranſire docuit, ad illos qui in eliſiis campis Divis admixti credebantur; ſic enim aliquando ad Lucilium. *Ad meliores tranſi, cum Catonibus vive, cum Lelio, cum Tuberone. Quod ſi convivere etiam Græcis juvat, cum Socrate, cum Xenone verſare. Vive cum Chryſippo, cum Piſſidonio. Hi tibi tradent Divinorum, humanorumque notitiam.* *Epiſt. 104.*

Non habebat Vir ille graviſſimus opinione ſuâ majores, illuſtrioréſve, in omni retrò antiquitate, quorum virtus, & gloria mortuorum, vivos poſſet ad ſimilium imitationem excitare. Nos verò pro ſophis illis glorioſis, ſeu è lano, ſeu è græcia petitis, Apoſtolos habemus: ad illos ergo mente, ac cogitatione tranſeamus, cum illis vivamus, cum illis verſemur, tradent nobis, non profanam aliquam humanorum, divinorumque notitiam: ſed ſacram, ſed cœleſtem, & per eadem magnarum virtutum veſtigia, ad cœlum, ad coronas, ad beatam ducent æternitatem; utque ducant præter eorum imitationem, etiam cultum, obſervantiamque ſingularem tibi ſuaderi velim; in hac excellere viſus eſt D. *Bernardus*, cui præ cæteris Apoſtolis S. Iudas in amore fuit, ac veneratione: cujus argumento ſit illud, quod ſacras illius reliquias ad ſe Hieroſolymis tranſmiſſas, & mirâ devotione exceperit, atque apud ſe vivens retinuerit; imò & moriturus eas juſſerit unà ſecum ſepeliri, pectorique ſuo ſuperponi, *eo utique fidei, ac religionis intuitu* (inquit Author vitæ illius) *ut eidem Apoſtolo in Die communi reſurrectionis adhæreret.* Ut & tu ſic adhæreas aliquando, ſin minus illius reliquiis; at ſaltem memoriam, cultumque retine etiam ad tumulum, ultimoſque cineres, è quibus cum illo à morte ad vitam, à terris in cœlos emergas; conſors illius gloriæ, in omni retrò æternitate; qui & illius cultor fueris in omni vitæ mortalis tempore. *Lib. 5. c. 2.*

INDEX

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM.

P. paginam denotat. C. verò columnam.

A

S. ÆMILIANVS Martyr invitatus ad cœlum his vocibus : *Euge ſerve bone.* *Pagina 7. col. 2*
Adamas invictæ fortitudinis hieroglyphicum. *p. 32, c. 2*
Ejus vis, & natura. *Ibidem.*
B. Agathæ altari incumbit nubes miraculoſa. *p. 19, c. 2*
S. Agnes Virgo in flammis ſervatur illæſa. *p. 100, c. 2.*
S. Agnetis ad latus cur aſtet Agnus. *p. 1, c. 2*
Agnus caſtus herba eſt, quæ geſtata caſtos reddit. *p 53 c. 2*
S. Aldegundis nuptias refugit. *p. 2, c. 1*
Alexander Oliva moriens exultat, quia, inquit, eo ad nuptias. *p 5. c. 1*
Alexandri Magni laus. *p. 52, c. 2*
Alexandro Magno unus non ſuffecit Orbis. *p. 14. c. 1*
P. Alexio Sslo Capucino in morte adeſt Maria, & Ioſeph *p. 54, c. 2*
Alfonſus Caſtellæ Rex D. Iacobo Baſilicam extruit. *p 86, c. 2.*
Alfonſi Rodriguez in D. Virginem amor, & Virginis in eum. *p. 39, c. 1*
Alfonſus Rodriguez carpitur à B. V. de non ſatis cuſtoditis oculis. *p. 19 c. 1*
Alfonſus VIII. Caſtellæ Rex Mauros profligat. *p 86, c. 2*
Amicitia quid ſit, & quantum bonum? *p. 83, c. 2*
Amor Dei, & ejus ardor. *p. 90, c. 1*
Amoris Dei vis quanta? *p 4, c. 1*
Amor proximi ut ardens. *p. 90, c. 2*
Amor cum igne compoſitus. *p. 83, c. 2*
Amoris martyrium. *p 4, c. 1*
Anaxarchi Philoſophi conſtantia. *p. 14, c. 1*
S. Andreas Apoſtolus apparet B. Stephanæ de haurino Crucem præferens, & offerens. *p. 11, c. 2*
S. Andreas, & S. Petrus, ut ſimiles. *p 8.*
S. Andreas Apoſt. quomodo aſcendit in palmam, *p 9, c. 2*
Qui palmæ illius fructus? *p. 9. & ſeq.*
S. Andreæ corpus Amalphi oleum effundit, & morbos ſanat. *p. 12, c 2*
S. Andreæ Apoſtoli concio è Cruce. *p. 10, c. 1*
Aneſtos, genus eſt lapidis, qui cum ignem concepit, retinet. *p 70, c. 1*
B. Angelus de Furcio à S. Michaele Archangelo nomen accepit, cum ex utero prodiit. *p. 82, c. 2*
B. Angela de Fulginio à Chriſto in ſponſam eligitur inſerto etiam in ejus digitum annulo. *p 2, c. 2*
B. Angela de Fulginio ardens ob amore Dei. *p. 90, c. 1*
B. Angela de Fulginio triduo toto ecſtaſim paſſa. *p 80 c. 1*
Anima ſponſa Chriſti. *p. 2, c 2*
Animarum converſio eſt pro magno miraculo. *p. 96*
S. Anna an habuerit plures filias? *p. 35, c. 1*
Animæ humanæ pretium. *p. 84, c. 1*
Apoſtolis adaptantur 12 lapides pretioſi, è quibus jaciuntur fundamenta cœleſtis Ieruſalem. *p. 30, c. 2*
Apoſtoli cur dicti Cor Ieruſalem, imò Cor Univerſi? *p. 98, c. 2*
Apoſtoli medici animarum. *ibidem*
Apoſtoli cur dicti jacula? *p. 99, c. 1.* Cur etiam Soles? *ibid.*
Apoſtoli filii olei. *p. 56, c. 1*
Apoſtoli ſunt Lumina, Cœli, Soles, Stellæ, *p. 54*
Orbis oculi, Lucernæ, Olivæ. *p. 55*
Apoſtolici Viri ſunt inſtar fulguris. *p. 14, c 2*
SS. Apoſtolorum Petri & Pauli martyrium. *p. 72, c. 2*

SS. Apoſtolorum Petri & Pauli in Deum religio. *p 71, c. 1*
SS. Apoſtolorum Petri & Pauli vocatio. *p. 66, c. 1*
SS. Apoſtolorum Petri & Pauli erga proximum caritas, *p. 71, c 1.* Et zelus animarum. *ibidem.*
SS. Apoſtolorum Petri & Pauli fides. *p 69, c. 2*
SS. Apoſtolorum Petri & Pauli cultus varius. *p. 73 & ſeq.*
S. Aquilinus qui cœcos ſanat, ſibi petit, & obtinet cœcitatem. *p 44, c. 1*
Arma lucis apud D. Paulum quæ? *p. 99, c 1*
Avaris aurum, & argentum eſt pro Idolo. *p. 22, c. 2*
S. Audomarus cœcitatem à Deo impetrat. *p. 44, c. 1*
S. Auxentii Abbatis humilitas. *p. 22, c. 2*

B

BAlnea quomodo vitanda? *p. 6, c. 1*
S. Bartholomæus an idem qui Nathanael? *p. 92*
Quod illi mortis genus. *ibidem*
S. Bartholomæus annis viginti ſex veſtem non mutavit. *p. 94, c. 2.* Polemonis Regis filiam à dæmone liberat. Aurum oblatum reſpuit. *Ibidem, & ſeq.*
S. Bartholomæus penetrat in Americam, excolit Inſulam Mococ, ad fluvium argenteum in rupe pedum veſtigia imprimit, quæ & hodie viſuntur, uti & caverna in quam ſecedebat oraturus. *p. 96. c. 1.* Familiæ viginti illi inſultant, & in iis viri, fœminæ, ſuppellex omnis imò & aviculæ convertuntur in petram. *ibid. & c. 2.*
S. Bartholomæus Licaoniam, & Cappadociam excolit; Idolum Aſtaroth mutum reddit; Polemonem Regem convertit cum Regina, & Aula; & urbibus duodecim. *p. 95, c. 2*
S. Bartholomæus centies orat interdiu, centies & noctu. *p. 95, c. 2*
S. Bartholomæus quaſi ficus decorticata. *p. 93, & ſeq.* Ligno notatur illius fortitudo, & patientia: In foliis ejus prædicatio: In fructibus proventus animarum. *p. 94. & ſeq.*
S. Bartholomæi martyrium. *p. 94, c. 2.* Excoriatur, capite truncatur, in mare abjicitur. Quatuor aliorum Martyrum corpora loculis incluſa cum illo abjiciuntur in mare, ei à dextris, & à ſiniſtris innatantes, comites fiunt, in Siciliam appellunt ad Inſulam Liparam. *p. 95, c. 1*
S. Bartholomæi ſanguis, & pars pellis Neapoli viſitur: cùm ponuntur in conſpectu mutuo ſanguis liqueſcit, & ebullit. *p 95, c. 2*
Beneficentia imitatio quædam eſt Dei. *p. 20, c. 2*
S. Bertulphus Abbas è ſepulchro denuntiat impendentia mala. *p. 86, c. 2*
S. Blaſii Armentarii Martyris anima è corpore exceſſit ſpecie candicantis columbæ. *p. 27, c. 2*
S. Brigida Virgo ne nuberet oculo uno orbari à Deo petit, & impetrat, & facto Virginitatis voto recuperat *p. 2, c. 1*
S. Brigidæ Virginis lacrymas Chriſtus ipſe deterſit. *p. 76 c. 1*
S. Brigittæ offertur à S. Agnete corona è ſeptem lapidibus pretioſis. *p. 29, c. 1*
S. Brigida cum puellulis ſuis ſigno Crucis flumen trajicit. *p. 11, c. 1.*

O 2 C Cadocus

C

CAdocus Guodei Regis filius miraculo vocatur ad Inſulas. *p.* 19, *c.* 1
Caritatis vis quanta? *p.* 79, *c.* 2
Carolus V. Imperator die S. Mathiæ natus: Die S. Mathiæ electus Imperator: Die S. Mathiæ de hoſtibus victor. *p.* 49, *c.* 1
S. Caroli Magni Imperatoris de ſepulchro eminent tres candelæ accenſæ. *p.* 101, *c.* 1
B Caſſius Epiſcopus Narnienſis, ut optarat, die SS. Apoſtolorum Petri & Pauli moritur. *p.* 67, *c.* 2
Caſtitas triplex: Conjugalis, Vidualis, Virginalis. *p.* 99, *c* 2
Et quæ tam hæc, quàm illa? *ibidem.*
Caſtitatis monitum illuſtre. *p.* 13, *c.* 1. Caſtitas omni loco pura, *p.* 11, c. 2. Caſtitas Angelos facit. *ibid.*
Caſtitatis ſervandæ media. *p.* 19, *c.* 1
S. Catharina Virgo, & Martyr ſponſa Chriſti. *p.* 3, *c.* 1
Quomodo deſponſata ſit Chriſto, inſerto etiam in ejus digitum annulo. *Ibidem*
S. Catharina Maximinum arguit impietatis, incarceratur, cum Philoſophis diſputat, eosque convertit. *p.* 3, *c.* 1. A Chriſto viſitatur in carcere, Columba ei victum defert: Nervis bubulis crudeliter cæditur: Rota paratur, & cœlitus effringitur. Capite plectitur. *p.* 4. *c.* 1, 2. Lac pro ſanguine fundit. *p.* 7, *c.* 2 Ei devotus illuſtri beneficio & uxoris, ac prolis reſuſcitatione erigitur. *ibidem.* S. Catharina Virgo & Martyr patientia probata. *p.* 7, *c.* 1
S. Catharina Senenſis vi divini amoris moritur, & vitæ redditur. *p.* 4, *c.* 1. S. Catharinæ ſacellum ſemper apertum etiam ſponte. *p.* 7, *c.* 2.
S. Charampalius Martyr cœleſtes nuptias ambit, & contrahit. *p.* 5, *c.* 1
Chriſtus cur dicatur Leo? *p.* 42, *c.* 1
Chriſti imitatio perfecta quæ ſit? *p* 22, *c.* 1
Chriſtus eſt animæ ſponſus. *p.* 13, *c.* 1
Chriſtus viſus in cœlo ſibi complacere in D. Joannis Evang. anima. *p.* 38, *c.* 1
Chriſti Sanguis in ampulla à S. Magdalena ſervatur liqueſcit, rubet, & fervet feria ſexta hebdomadæ ſanctæ: Die Circumciſionis, die Inventionis S. Crucis. *p.* 81, *c.* 1
Chriſtiani cur olim dicti Religioſi Crucis? *p.* 11, *c.* 2
Chriſtiani cur olim dicti Sacerdotes pacis? *p* 57. *c.* 2
B. Chriſtiana nuptias refugit *p.* 2. *c.* 1
S. Coletæ Virgini D. Joannes Evang. dedit annulum veluti ſponſalem. *p* 37. *c.* 1
Columba animæ ſanctæ ſymbolum. *p.* 23. *c.* 1
Conceptionem D. V. Immaculatam pro concione defendit S. Andreas Apoſtolus. *p.* 10, *c.* 1
Concionatores vitia carpant etiam Principum. *p.* 64, *c.* 1
Confeſſio ut peccata delet. *p.* 78, *c.* 2.
Cononi monacho, & Sacerdoti adeſt D. Joannes Bapt. *p.* 64, *c.* 2.
Conſcientia ſtimulus eſt. *p.* 44, *c.* 1
Conſtantiæ Auguſtæ erga D. Petrum pietas: De limatura catenarum illius accipit à D. Gregorio Pontif. *p.* 67, *c.* 1
Conſtantini Magni victoria per ſignum Crucis. *p.* 10, *c.* 1
Monumenta illius victoriæ ab eo erecta. *ibidem*
Contritio de peccatis. *p.* 79, *c.* 1, 2
Convivia quomodo vitanda? *p.* 6, *c.* 1
Cor ſymbolum divinæ, & Deiformis vitæ. *p.* 98, *c.* 2
Cordis cuſtodia, & munditia. *p.* 5. *c.* 1.
Crux via in cœlum. *p.* 11, *c.* 1, 1
Crux. Chriſti cur dicatur palma? *p.* 9, *c.* 1
Crucis pretium, & amor. *p.* 11, *c.* 2
Ejus præmium, & corona. *ibidem*
Crucis fructus: 1. Prædeſtinatio, 2. Vocatio, 3. Sapientia, 4. Victoria de mundo, & inferis, 5. Victoria de animabus, 6. Victoria de morte, 7. Victoria de cœlo ipſo. *p.* 9, 10, 11

D

S. DOrotheæ cœleſtes nuptiæ. *p.* 5, c. 1
S. Dorotheæ in morte lætitia, *ibidem.*

E

S. EDuardus Rex, pauperi eleëmoſynam petenti dedit annulum regium, erat is D. Joannes Evang. in habitu peregrini; qui deinde illum Eduardo reſtituit, de imminente morte monuit, eique aſtitit. *p.* 37
S. Efrem vox è cœlo allata: Efrem manduca: & audiit: Baſilius dabit tibi panem. *p.* 15, *c.* 2
S. Ephrem lacrymæ cur à D. Gregorio Nazianzeno dictæ ſint pelagus? *p.* 76, *c.* 1
Elzearius Comes, ut habitarèt in vulneribus Chriſti. *p.* 17, *c.* 1
Eleazari mora glorioſa. *p.* 85, c. 2
Eleëmoſynæ vis apud Deum. *p.* 21, *c.* 1, *& ſeq.*
Eleëmoſyna ſpiritalis quæ? *p.* 67, *c.* 1
S. Elizabethæ virtus, & gratia. *p.* 60, *c.* 2
Epiſcopi olim eligebantur ſorte. *p.* 46, *c.* 1
Epiſtolæ D. Pauli, & in illis quanta vis eloquentiæ Chriſtianæ. *p.* 71, c 1
Evangelii vis etiam contra libidinis impetum. *p.* 10, *c.* 1, 2
Evangelii exemplar cœlo elapſum in D. Brigidæ ſinum illapſum. *p.* 98, c. 1, 2
Evangelii ſacratiora encomia. *p.* 98, c. 2
Evangelium S. Matthæi exſcripſit D. Barnabas, & cum eo ſepeliri voluit. *p.* 98, *c.* 2
S. Euphroſinæ Virginis corpus dum oſculatur monoculus alterum oculorum recepit. *p.* 76, *c.* 2
B. Euſtachia Meſſanæ de ſuo ſepulchro denuntiat impendentia mala. *p.* 86, c. 2
S. Euſebiæ jam mortuæ Crux imminet in corona è ſtellis côtexta, & ad ſepulchrum uſque eſt comes. *p.* 11, *c.* 2
S. Euthymii Abbatis ſepulchrū, oleum effundit. *p.* 21. *c.* 2
Exempla bona excitant ad imitationem. *p.* 74, *c.* 2

F

S. FAbianus Pont. Max. eligitur ſymbolo, & oſtento columbæ. *p.* 24. *c.* 1
S. Fechinus Abbas Solem ſiſtit uſque dum de via feſſus ad Monaſterium redierit. *p.* 16, *c.* 2
Ferdinandus Caſtellæ Rex cum Ferdinando Comite è ſepulchris evocantur & contra Mauros pugnant, & victoriam reportant. *p.* 86, c. 2
Ferdinandus Gonzales de ſuo ſepulchro denuntiat Hiſpanorum victorias. *p.* 86, *c.* 2
Feſtorum violatores à dæmone obſeſſi, nec liberati niſi anno evoluto, id eſt anniverſario die, quo peccarant. *p.* 74, *c.* 2
Fides, ejusque natura, atque vis. *p.* 70, *c.* 1
Fides viva quæ ſit? *ibidem*
S. Fintanus Abbas ſingulis Dominicis in cœlos rapitur. *p.* 83, *c.* 2
Flaminius Romanus exilio damnatus eo quod reum decapitari juſſiſſet in convivio. *p.* 64, *c.* 1
S. Franciſcus Xaverius ubi mores expurgat, & vertit in melius. *p.* 17. Obſtinatum in malo flectit. *ibidem.*
S. Franciſcus Xaverius naufragium paſſum, & in tabula jactatum ad quinque dies, littori, è quo ſolverat, reſtituit. *p.* 17, *c.* 1
S. Franciſcus Xaverius aquam maris ſalſam illam, in dulcem vertit. *p.* 17, *c.* 1
S. Franciſcus Xaverius ſubinde unico die baptiſavit decem millia. *p.* 16, *c.* 1
S. Franciſcus Xaverius lux pura à caſtitate. *p.* 12, *c.* 2
Ejus argumenta. *p.* 13, *c.* 1
S. Franciſci Xaverii lux Gallia, Italia, Luſitania, India, & Japonia diffuſa, imò & Africa, & Aſia: Centies mille paſſuum millia confecit. *p.* 14, *c.* 1

S. Fran-

S. Franciſcus Xaverius ſimul eſt in duobus locis. p. 16, c. 2
S. Franciſcus Xaverius componitur cum Luce, ejuſque dotibus. p. 12 & ſeq.
S. Franciſci Xaverii incorruptio corporis à morte p. 13, c. 1
S. Franciſcus Xaverius quomodo impaſſivus. p. 13, c. 2
S. Franciſcus Xaverius quàm multos in Chriſto filios genuerit. p. 15. c. 1, 2
S. Franciſcus Xaverius Solem revocat ſupra horizontem, eumque ſiſtit. p. 16. c. 2
S. Franciſcus Xaverius ut aſſiſtit ægris, ulceroſis, è quibus ſaniem exugit, aquam ebibit è purgatis ulceribus. p. 16, c. 1, 2
S. Franciſcus Xaverius 25. mortuos reſuſcitavit. p. 15, c. 1 Reges plures convertit. ibidem.
S. Franciſci Xaverii miracula in unico oppido Potamienſi ducenta quadraginta duo. p. 13. c. 2. Apparet Joanni Saglimbenio ſuperpellicio & ſtola veſtitus, & candicante in manu lilio. ibidem.
S. Franciſcus Xaverius cur pingitur cum lilio in manu? p. 13. c. 1
B. Franciſci Borgiæ humilitas. p. 22, c. 2
S. Frodoberti Abbatis oſſa granis aureis diſtincta p. 40. c. 1
Fortitudo quid ſit? p. 94, c. 1. Quæ ejus partes? ibid.
S. Fulgentius ut injurias condonat. p. 33, c. 2
S. Furſeus à morte apparet ſpecie candelabri lucentis. p. 101, c. 1

G

Gelhebes S. Furſei mater paratum ſibi à tyranno incendium lacrymis extinxit. p. 76, c. 1
S. Genevofæ nativitas Angelis gaudio fuit. p. 35. c. 2
S. Genevofæ Virginis ſepulchrum oleo ad inſtar fontis ſcaturiit. p. 21, c. 2
S. Gorgoniæ ſanctitas. p. 52, c. 1
S. Gulielmus Abbas Caroli loci ſorte electus in Archiepiſcopum. p. 46. c. 2
B. Gulielmi Zucchii burſa non poteſt evacuari. p. 23, c. 1
Gulæ vitium reprehenditur. p. 18, c. 2

H

B. Hermanni Canonici Regularis in D. Joſephum pietas, & cultus. p. 54, c. 1 Virgini deſponſatur. ibidem
B. Henricus Suſo à D. V. recreatur cœleſti cātu, p. 80, c. 1 In extaſi obit. c. 2
B. Henricus Suſo cor ſuum clarè videt, & in eo Crucem auream gemmis illuſtrem. p. 11, c. 2
S. Hildegundi in morte adeſt D. Joannes Bapt. & illius animam in cœlos educit. p. 63, c. 2
S. Hippoliti martyrium. p. 41, c. 1
Hirtacus Ifigeniam Virginem cum ducentis Virginibus monaſterio incluſis cremare conatur, ſed flamma divinitus extinguitur. p. 100. c. 1
Homo Ales jucundum Deo ſpectaculum. p. 14. c. 1
S. Hugo Abbas Cluniacenſis caſula S. Petri ægrotum ſanat. p. 67, c. 1

I

S. Iacobus Apoſtolus an ſanctificatus in utero? p. 55, c. 2
S. Jacobi Apoſtoli: 1 Benedictio ex ipſo nomine, ejuſque etymologia, 2 Ab eximio Chriſti in eum amore, 3 A ſingulari Deiparæ in eum amore, 4 Ab inſigni animarum converſione, 5 A felici morte, & martyrio, 6 A ſepulchri luce, & gloria, 7 Ab armorum fulgore, ac præſidio, 8 A præſenti, & prodigioſo in clientes ſuos, ac peregrinos auxilio. p. 82, & ſeq.
S. Jacobus Apoſtolus quos ad Fidem cōverterit? p. 84, c. 2
S. Jacobi Apoſtoli virtutes. p. 85, c. 1. Certamina cum Hermogene, & Phileto Magis. ibidem. Inde occaſio mortis, & martyrii. ibidem.
S. Jacobo apparet Deipara in columna adhuc vivens: Ei ibidem templum ædificat. p. 84. c. 1
S. Jacobi Apoſtoli ſepulchrum unde glorioſum? p. 86, c. 1 Ejus corporis tranſlatio, ac ſepultura. ibidem Revelatio ejuſdem poſt annos quingentos, & amplius. Templi extructio. ibidem.
D. Jacobus Apoſtolus è ſepulchro pericula Hiſpaniæ imminentia denuntiat. p. 86, c. 2
Japonia continet ſexaginta Regna. p. 15, c. 1
JESUS cur dicatur Agnus? p. 1. c. 1
Ifigenia Ægypti Regis filia Virginitatem vovet, & aſceterio ſe includit cum ducentis Virginibus. p. 99, c. 2
S. Ignatius Loyola octiduo toto ectaſim paſſus. p. 80. c. 1
Joannæ Valeſiæ Reginæ Franciæ templo imminere viſa nubes. p. 29, c. 2
Joanna Franciæ Regina ſi vulnera inungeret ipſa, ea curabat. p. 77, c. 2
S. Joannis Baptiſtæ laus. p. 53, c. 2
S. Joannis Bapt. Nativitatem Eccleſia coluit olim tribus eo die Miſſis. p. 64. c 2
S. Joannes id eſt Gratia: 1 A Parentibus, 2 Ab Angelo nuntio nativitatis, 3 A vita, rebuſque geſtis, 4 A miraculis. p. 59, & ſeq.
S. Joannes Bapt. Ciſtercienſibus monachis euntibus in Hiſpaniam fit comes. p. 64, c. 2
S. Joannes Bapt. aſſiſtit D. Brigittæ filio. p. 63, c. 2
S. Joannis Bapt. ſanguis Neapoli ſervatur, & liqueſcit in ſacrificio Miſſæ. p. 62, 63. Item in ipſo die Decollationis: imò & octiduo toto. ibidem
S. Joannis Bapt. Reliquiæ, Genuæ mare exundans compeſcunt, compeſcunt & ventos. p. 62, c. 2
S. Joannis Bapt. decollatio, & ejus circumſtantiæ p. 64
S. Joannis Bapt. Elogia illuſtriora. p. 59, c. 1
S. Joannis Evang. Excellentia: 1 A natalibus 2 A ſingularis gratiæ prærogativa, 3 Ab omnibus SS. Titulis, 4 A ſingulari Chriſti in eum amore, 5 Expreſſa his vocibus Chriſti morientis: *Fili ecce mater tua*, 6 Hiſce verbis notata; *Mulier ecce filius tuus*. 7 A ſingulari in proximum charitate, 8 Mors inſtar ſomni, & raptus. p. 35, & ſeq.
S. Joannes Apoſtolus cur dictus Evangelii Sol? p. 99. c. 2
S. Joannes Evang. herbam in aurum mutat, & pauperi donat. p. 40, c. 2
S. Joannes Evang. an venturus in die judicii cum Elia, & Enoch. p. 41, c. 1. Videátne divinā eſſentiam, ibid.
S. Joannis Evang. in adoleſcentem eximia caritas, uti & in proximum. p. 40, c. 2
S. Joannis Evang. Elogia, p. 34. Cur dicitur, & eſt Aquila? ibidem.
S. Joannes Evang. Doctor hominum, & Angelorum. p. 36. c. 1. Imò & Propheta. c. 2
S. Joannes Evangeliſta ſitne mortuus? p. 41. c. 2 & mortis genus, modúſque, ibidem. Pulvis ex ejus ſepulchro medicus. ibidem c. 2.
SS. Joannes, & Jacobus Apoſtoli cur à Chriſto dicti Boanerges? p. 83, c. 2
SS. Joannes & Paulus duæ olivæ. p. 55, c. 2
S. Joanni Eleëmoſynario apparet eleëmoſyna virginis ſpecie. p. 20, c. 2
S. Joanni Eleëmoſynario offertur corona è ramis olivarum, ſymbolo utique miſericordiæ. p. 19, c. 1
S. Joſeph ſanctificatus in utero. p. 51, c. 1
S. Joſephi cum Patriarcha Ioſepho comparatio. p. 50, & ſeq. Illius laus: 1 Ex ipſo nomine, 2 Ex ipſa nativitate, 3 Quòd Virginis Sponſus, 4 Quòd Chriſti Pater, 5 Quòd Chriſti nutritius. p. 50. & ſeq.
S. Joſeph miraculo deſignatus ſponſus D. V. p. 51, c. 2
S. Joſephus an viderit Dei eſſentiam ſub Chriſti humanitate latentem? p. 53, c. 1
S. Joſephi cultus ſingularis, & varius. p. 53, c. 2. Mercator Hiſpanus die illi ſacro excipere ſolitus tres pauperes: puerum, ſenem, & fœminam in honorem JESV, Mariæ, Joſeph. In morte exceptus à JESV, Maria, Joſepho. p. 53, c. 2

S. Joſepho adhuc viventi Chriſtus illius clientibus patrocinium adpromiſit. p. 53, c. 2
S. Joſephus apparet Ioanni de Laudun una manu lilium prætendens, altera cor accenſum. p. 54, c. 2
S. Joſeph die Aſſumptæ Virginis apparet S. Tereſiæ veſtem offert nivei candoris, torquem aureum, & crucem gemmis illuſtrem. p. 54, c. 2
Inceſtus cœli fulmine punitus. p 10, c. 2
Infernus, & quæ in eo vita, & quæ mors? p 92, c. 2
Ingluvies monachi miraculo ſanata. p. 66. c. 2
Injuriarum condonatio. p. 97, c 1, 2
Injuriarum remiſſio in Sultano Imperatore Turcarum. p. 57. c. 2
Injuriæ condonatio, cujus merces eſt cœlum? p. 33, c. 1
Ina Rex Occidentalis Saxoniæ regnum ſuum D. Petro fecit vectigale. p. 73, c. 2
B. Jordanis in eleëmoſynas profuſio. p. 22, c. 1
S. Ivano Regis Dalmatiæ filio in eremo adfuit D. Joannes Bapt. p. 64, c. 2
B. Ivetta Recluſa Chriſto deſponſatur. p. 2. c. 2
S. Julianus Medicus, deinde martyr ad beſtias damnatos martyres oſculabatur. p. 76, c. 1, 2
Julius Cæſar unde ex utroque Cæſar. p. 86, c. 2
S. Juliani martyris carcer cœleſti luce conſpicuus. p. 43.
S. Juliano Martyri datur corona ex auro? p. 29, c. 1.

L.

LAcrymæ ſunt ſanguis vulnerum animi, ſunt illius voces, ſunt baptiſma, ſunt margaritæ. p. 75. c. 1
S. Laurentius ut militem nomine Romanum convertit. p. 91, c. 2
S. Laurentius ex privilegio cœleſti ſingulis diebus Veneris animam è purgatorio liberat. p. 90. c. 1
S. Laurentii ſanguis in ampulla ſervatus die illi feſto ebullit. p. 90. c. 1. Deinde per octiduum. ibidem. Ut & illius adeps qui fluxit è corpore. ibidem.
S. Laurentii Martyris in tormentis conſtantia. p. 91. c. 1
S. Laurentius Martyr quomodo per ignem probatus? p. 89. c. 1. Et quàm varius ille ignis. ibidem. Unus corporis: alius animi. ibidem.
S. Laurentii ſepulchro dum infertur corpus S. Stephani, ei dexteram ceſſit. p. 90. c. 1
S. Laurentius in Cœnobio ſui nominis apparet, diſcolos virga ferit, & eliminat, auditurque dicere cuidam monacho: O frater venio iterum aſſari. p. 90. c. 2
Legio fulminatrix quæ fuerit? p. 83. c. 1
S. Leo Pont. ſymbolum Fidei deponit ad aras D. Petri, qui deinde illi apparet, & hæc ei: legi, & emendavi. p. 68, c. 1.
Leonides Origenis parens, & deinde martyr Origenis pectuſculum in cunis oſculari ſolitus. p. 53, c. 2
B. Lucia Narnienſis ardens ab amore Dei. p. 90, c. 1
Lucis dos prima hæc eſt, quod ſemper, & ubique pura. p. 12, c. 1
Lucis dos ſecunda eſt Impaſſiva. p. 13, c. 2
Lucis dos tertia, quod ſit communicativa ſui, atque diffuſiva. p. 14, c. 1
Lucis dos quarta, quod ſit generativa, & nutritiva. p. 15. c. 1, 2
Lucis dos quinta, eſt conſortativa. p. 16, c. 1
Lucis dos ſexta, quod ſit Purgativa. p. 17, c. 1
Lupus ad D. Norberti nomen fit ovium cuſtos. p. 44. c. 2
S. Lutgardis cœca ante mortem. p. 44, c. 2
Lycurgus maleficia beneficiis compenſat. p. 57, c. 2

M

S. MAcarius Ægyptius ferè ſemper ectaſim paſſus. p. 80
S. Macarius ſenior mortuum, & ſepultum vitæ reddit. p. 22, c. 2.
S. Magdalena convivium ſpiritale Chriſto exhibet, ejus fercula varia: 1 Pœnitentiæ lacrymæ, 2 Amoris ac venerationis oſcula, 3 Unguenta virtutum. p. 75 & ſeq. Myſtica hujus unguenti compoſitio ex Virtutibus: 1 Ex ardenti deſiderio gratiæ, & ſalutis recuperandæ, 2 Ex vitæ, & morum in melius mutatione, 3 Ex dolore de peccatis, 4 Ex ardentiſſimo in Chriſtum amore, 5 Ex raptu, & exceſſu in Deum, 6 Ex gratia etiam miraculosè conceſſa ejus capiti, & capillis, & ſacro Chriſti cruori ab ea Maſſiliam delato. p. 78, & ſeq.
Magdalenæ pluréſne fuerint, an unica? p. 75, c. 1
S. Mariæ Magdalenæ caput aſſervatur in S. Maximini cœnobio propè Maſſiliam: Cutis in fronte integra ea parte qua eam tetigit Chriſtus cùm dixit: Noli me tangere. p. 80, c. 2
S. Maria Magdalena adeſt ſuo clienti. p. 81, c. 2
S. Mariæ Magdalenæ mors, & raptus. p. 80, c. 2
S. Marcella in eleëmoſynas profuſa. p. 40, c. 1
B. Margareta de Cortona jubetur habitare in vulneribus Chriſti. p. 26, c. 2. Ea tangere, & ex latere aperto ipſum Chriſti cor intuetur. ibidem.
B. Margareta de Cortona martyr à timore Dei. p 4, c. 1
B. Margaretæ de Cortona Chriſtus Matrem donat. p. 84
B. Margaretæ de Cortona patientia. p. 23, c. 2
B. Margareta Hungarica annis ante obitum ſex cilicium non depoſuit. p. 6. c. 2
B. Margareta JESU, Mariæ, & Joſephi nomina in corde inſculpta habuit, & quidem in tribus veluti gemmis. p. 51, c 2
MARIA Chriſti Mater an viderit eſſentiam Dei ſub humanitate latentem? p. 53. c. 1
MARIA vide Fidelium Mater. p. 39, c. 1
MARIÆ, vide erga clientem auxilium ſingulare exemplo illuſtri probatur. p. 39, c. 2
MARIÆ v. cultus, & cultores eximii. p. 39, c. 1
Maria de Incarnatione Carmelitana, ardens ab amore Dei. p. 90, c. 1
B. Mariæ Ogniacenſis animā excipit D. Petrus. p. 67, c. 2
S. Marthæ martyri è fulgure vox audita. p 43, c. 1
Martyrum encomia. p. 4, c. 1, & p. 73, c. 2
Martyrum mors unde pretioſa? p. 85, c. 2
Martyres Candidati Æternitatis, Heroes Purpurati. p. 48, c. 2
Martyrum Placentinorum ſepulchrum oleum effundit. p. 21, c. 2
Martyrium triplex: Timoris, Amoris, Sanguinis. p. 4
S. Martinianus Anachoreta fœminæ contubernium fugiens è rupe ſua ſe abjicit in mare, & à duobus Delphinis dorſo excipitur. p. 11, c. 1
S Martina Virgo in flammis ſervatur illæſa. p. 100, c. 1
S. Matthæus unde Virginitatis victima? p. 98, c. 1
S. Matthæus idem eſt ac Donatus, vel donum, vel mandatum Altiſſimi. p. 97, c. 1. Unde vocatus, & quo, & quomodo? ibidem c. 1, 2. Et ad quid? p. 98. c. 1
S. Matthæi Apoſtoli de corpore effluxit medicus liquor. p. 98, c. 2
S. Matthæus Apoſtolus, duos Magos, Moroes, & Arfaxes debellat. p. 99, c. 1
S. Matthæus Apoſtolus ad ipſas aras occiſus. p. 99, c. 2
S. Mathias Apoſtolus cur electus ex millibus? p. 46, c. 1 A S. Simeone magiſtro edoctus. ibidem. Ejus electio quomodo facta; veráne ſorte? c. 2
S. Mathias idest Parvus Dei, vel Dei donum, vel Quid tu Deus. p. 48, c. 1
S. Mathiæ Apoſtoli reliquiæ produntur indicio ſtellæ. p. 47, c. 1
S. Mathiæ oſſa eruta è terra odorem dederunt ſuaviſſimum: Fons è ſepulchro manavit. p. 49, c 2
S. Megengor S. Adelheidis Virginis Pater nomen in cœlis mutavit. p. 83, c. 1
B. Merulo monacho texitur corona è floribus. p. 29, c. 1
S. Meletius cognomento Magnus ut pro malo bonum, pro injuria beneficium reddit. p. 33, c. 1, 2
Melinæ qui naſcuntur die converſionis S. Pauli innoxiè ſerpentes tractant. p. 45, c. 2

Miſeri-

Miſericordiæ ſpiritalis opera quanti valoris, & meriti? p. 56, c. 2
Modeſtia in cultu, & veſtibus. p. 5, c. 2
Mortificatio, & ejus opera, & exempla. p. 11. c. 2
Mors porta ad Deum. p. 85. c. 1
Mortis memoria ſit perennis. p. 41, c. 2
S. Moyſi Abbati à barbaris cæſo cum ſex fratribus viſæ ſunt è cœlo labi coronæ ſeptem. p. 28, c. 1, 2
Mulieris contubernium ot periculoſum. p. 11, c. 1
Mulier corona viri. p. 52, c. 2
Mutii Scævolæ conſtantia. p. 4, c. 2

N

S. Niceto Epiſcopo Trevirenſi apparet S. Paulus, & in cœlum educit. p. 67, c. 2
S. Nicolaus ſtatim ac natus rectus ſtetit. p. 51, c. 1
S. Nicolaus Pontifex comparatur cum nubecula. p. 18 & ſeq.
S. Nicolai beneficentia in egenos. p. 19, c. 2
S. Nicolai electio in Epiſcopum. p. 19, c. 2
S. Nicolai humilitas. p. 19, c. 2. & p. 20, c. 1
S. Nicolaus abſtinet à ſugendis uberibus quarta & ſexta feria. p. 18, c. 2
S. Nicolai eleëmoſyna 3 puellis nubilibus in matrimonio locandis. p. 20, c. 1
S. Nicolaus adhuc vivus apparet in ſomnis Conſtantino Imp. & tres tribunos captivos liberat. p. 20, c. 2
S. Nicolaus periclitantibus in mari ſuccurrit, & apparet in navi. p. 21, c. 2. Mortuos, & in partes conciſos reſuſcitat etiam vivens. ibidem.
S. Nicolai de corpore emanat oleum. p. 21, c. 2
Nominis impoſitio Antiquis curæ fuit. p. 50, c. 2
Nubecula parva ſymbolum beneficentiæ. p. 18, c. 1
Nuditas quomodo cavenda? p. 5, c. 2
Nuptiæ mundanæ cur fugiendæ? p. 2, c. 1
Nuptiæ cœleſtes, quam amant præparationem. p. 2, c. 2
Nuptiæ cœleſtes triplices: 1 A fide, 2 A martyrio, 3 A cœleſti gloria. p. 2, c. 1

O

Obedientia erga Deum. p. 69, c. 1
Oculorum cuſtodia, cuſtodia eſt caſtitatis. p. 19, c. 2
Offa Merciorum Rex regnum ſuum D. Petro fecit vectigale. p. 73
Olea cur dicta ſit ſempiterna? p. 57, c. 2
Oliva ſymbolum miſericordiæ: Pacis; Certaminis, & Victoriæ; B. Æternitatis. p. 56, & ſeq.
Olivæ cur inventrix Minerva. p. 57, c. 2
Oleum injectum in mare illud tranquillum reddit. p. 57 c. 1
Olei profuſio miraculoſa è SS. corporibus, & ſepulchris. p. 21, c. 2
Oleum perenne in cœnobio SS. Trinitatis. p. 56, c. 1
Oratio eſt animæ, quod cibus corpori. p. 15, c. 2
Origenis magnitudinem ſpiritu præſago videt illius parens. p. 53, c. 2
B. Oringa Chriſtiana Solem ſiſtit. p. 16, c. 2
Oſculum cujus rei ſymbolum? p. 76, c. 2
Oſcula ut Virgini fugienda p. 77, c. 1
S. Oſytha ex proſapia Regum Angliæ cùm nupſiſſet Regi Sibero ex illius conſenſu virginitatem ſervat, martyrio afficitur, & cervicem abſciſſam defert ad tria ſtadia, & deponit ad templum SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli. p. 68, c. 2

P

Paſtoris boni officia. p. 72, c. 2
Patientia via in cœlum, via ad coronas. p. 7, c. 1, 2
Patientia in adverſis. p. 7, c. 1. Ejus utilitas varia. ibidem.
S. Pauli converſio cur inter dies feſtos. p. 42, c. 1
S. Pauli converſio quibus armis facta: 1 Luce, 2 Voce, 3 Cœcitate. p. 43, & ſeq.
S. Paulus è capite abſciſſo lac fudit pro ſanguine, & caput ejus tertiò aſſiliit, & quolibet ſaltu tres è terra fontes elicuit. p. 73, c. 2
S. Paulus Athenis cœco viſum reſtituit. p. 67, c. 1
Ejus ſudaria, & ſemicinthia ægros ſanant. ibidem.
S. Pauli Apoſtoli erga proximum miſeratio. p. 67, c. 2
S. Paulus Apoſtolus, cur dictus ſtatua virtutis. p. 68, c. 2
S. Paula in nuda cubat humo cilicio aſperiore tecta. p. 6 c. 2.
S. Petri Apoſtoli miſeratio erga miſeros. p. 66, c. 2
S. Petro Apoſtolo tributaria Regna plurima. p. 73, c. 2
S. Petrus Londini templum ſibi erectum conſecrat ipſe miniſtrantibus Angelis. p. 74, c. 1
S. Petrus Rabaudum monachum ſanat. p. 66, c. 2
SS. Petri & Pauli electio à Deo. p. 68, c. 1. Et quo fine? Quibus titulis? ibidem c. 2
SS. Petri & Pauli in Deum amor. p. 70, & ſeq.
B. Petronilla vitam perdidit, ne perderet virginitatem. p. 72, c. 2
S. Philippi Apoſtoli labores, & miracula. p. 56, c. 2
Conſecratus in Epiſcopum à Petro, Joanne, & Jacobo. ibidem.
S. Philippo Apoſtolo in crucem acto terra contremiſcit, labant ædificia. p. 57, c. 1
SS. Philippus & Jacobus duæ Olivæ; duo Candelabra in domo Dei. p. 55, c. 1, 2
SS. Philippi & Jacobi mors glorioſa. p. 57, c. 1
Phocio injurias illatas condonat. p. 57, c. 2
Pietas Deum reſpicit, & proximum. p. 68, c. 1, 2
Pœnitentia hoc ævo quam rara. p. 2, c. 2
Ejus dilatatio. ibidem
Pœnitenti non eſt neganda abſolutio. p. 23. c. 2
Pœnitentia non eſt differenda. p. 78, c. 2
Patientia in adverſis eſt pro Cruce. p. 23, c. 2
Pœnitentia Chriſto eſt pro convivio. p. 74
Illam ut eſurit, ut ſitit. ibidem.
Pœnitentiæ lacrymæ quid ſint, & quàm pretioſæ? p. 75, c. 1
Pœnitentia caſtitati ſervandæ neceſſaria. p. 63. c. 2
Pœnitentia exterior adhibenda ciliciis, diſciplinis, &c. p. 6, c. 2
S. Polycarpus ſymbolo columbæ eligitur in Epiſcopum. p. 24, c. 1
S. Poppo Abbas moritur in die Converſionis S. Pauli. p. 45, c. 2
S. Priſca Virgo in flammis ſervatur illæſa. p. 100, c. 1
Pulchritudo in quo ſita ſit? p. 47, c. 2
Pulchritudo illecebra libidinis. p. 19, c. 1
Pyrauſtæ an vivant in igne? p. 89, c. 1

R

Ramirus primos Caſtellæ Rex Saracenos debellat. p. 87, c. 1
S. Raymundi pulvis è ſepulchro medicus eſt. p. 45, c. 2
Rex Arimæ in Japonia tres Regii ſanguinis juvenes, nepotes ſuos Romam miſit Legatos ad Summum Pont. Gregorium XIII. p. 15, c. 2
Rex Omuræ in Japonia ad fidem converſus quadraginta idolorum templa deſtruxit. p. 15. c. 2.
Religioſus ſtatus eſt perpetua naturæ violentia. p. 11, c. 1
S. Remigii pulvis ſepulchralis ſerpentes fugat. p. 41, c. 2
Roma ſibi terminos fecit Orientem, & Occidentem.

S

Salamandræ an vivant in igne. p. 89, c. 1
Salapſta Virgo Chriſti ſponſa. p. 3, c. 1
Sancti commorantur in vulneribus Chriſti. p. 27, c. 1
Sancti varii ſanctificati in utero. p. 52, c. 1
Sanctis variæ dantur coronæ. p. 29, c. 2
Sauli nomen, & etymologia hebræa. p. 43, c. 1, & græca. ibidem.

S. Sebaldii Regis Moldaviæ filio in D. Joſephum pietas, & caſtitas p. 54, c. 1
Seberthus Rex Orientalis Britanniæ D. Petro templum extruxit Londini. p. 73, c. 2
S. Secundinæ Virgini, & Martyri audita hæc vox à tyrannia: *Vos Secundina oratione vivitis, alias non victuri.* p. 43, c. 2.
Semiramis ſtatua cur pingatur ſolutis crinibus. p. 78, c. 1
B. Severus è textore electus Epiſcopus indicio columbæ inſidentis. p. 47, c. 2
S. Severi Epiſcopi mors inſtar ſomni. p. 41, c. 2
SS. Simon & Judas duo ſunt candelabra in domo Dei. p. 101, c. 1, 2.
SS. Simonis & Judæ lux prima à ſanguine, & natalibus: Secunda ab indito illis nomine: Tertia ab altiore, id eſt cœleſti ſapientiæ: Quarta à ſpiritu prophetiæ, & miraculis: Quinta à terrenorum contemptu. p. 101 & ſeq.
SS. Simonis & Judæ primus ardor ab incenſo divinæ gloriæ zelo: Secundus ab incenſo patiendi, & moriendi deſiderio. p. 105, & ſeq.
S. Siſinio condemnando audita vox illa: *Venite benedicti Patris mei.* p. 42. c. 2
Smaragdi natura, & lux innata: ſymbolum eſt Virginitatis. p. 32, c. 2
Solem qui ſtitere in eodem gradu ad horas. p. 16, c. 2
S. Soſynio Eremitæ & Martyri inter tormenta audita non rugitus, ſed vox leonis, quaſi humana, p. 43, c. 1
S. Stephanus Protomartyr ut injurias condonat. p. 33, c. 1
S. Stephani Protomartyris encomia. p. 28
S. Stephani pro ſe lapidantibus oratio. p. 32, c. 1
S. Stephani corpori ſuper injecti flores miracula edunt. p. 29 c. 2
S. Stephani cruor à S. Gaudioſo Neapolim delatus in ampulla vitrea ſervatur, claret miraculis, & ſubinde ebullit miraculosè. p. 29 & 30. Maximè verò ejus anniverſario die. ibidem.
S. Stephano quomodo cœlum apertum? quomodo vident gloriam Dei, & quæ ſit illa? p. 31, c. 2
S. Stephano lapides ſunt pro corona. p. 20, c. 2
Lapis S. Stephani claret miraculis, *ibidem.* ſervatur Anconæ. *ibidem*
S. Stephano texitur corona de lapide pretioſo. p. 29, c. 1, 2
S. Stephano quaſi pro præmio datus eſt Saulus. p. 32, c. 1
Hujus deinde morientis animam excepit, Deoque obtulit. ibidem
S. Stephani reliquias Majoream importantes, lapidantur à Judæis, quorum inde arſit Synagoga, & hi converſi. p. 32, c. 2
S. Stephanus aliis Martyribus eſt pro corona. p. 30, c. 1
S. Stephano datur corona ex Jaſpide, Sapphiro, Smaragdo, Adamante. p. 30, & ſeq.
B. Stephanæ de Sancino Crucis amor, & ſtudium mortificationis. p. 11. c. 2
Suſanna Virgo oſculum refugit. p. 77, c. 1

T

TAmbæ Rex à S. Xaverio converſus in galea conſpicuum geſtabat JESU nomen. p. 15, c 2
S. Tereſia à S. Joſepho donata veſte candida, torque aureo, & cruce. p. 54. c. 2
Teſtamentum cur dicatur ſpeculum animi? p. 38, c. 2
Theatrales ludi non adeundi. p. 6, c. 1
S. Theodorus Dux & Martyr, idola confringit, & eorum partes diſtribuit in pauperes. p. 22, c. 2
Theodoſio Imperatori cum Eugenio tyranno dimicanti adeſt D. Joannes. p. 38, c. 2
Thimotheus inſignis militiæ duas Urbes, & Provincias, & Regna capit etiam dormiens. p. 84, c. 2
S. Thomæ Apoſtoli ſacrum caput cœleſti luce inclareſcit. p. 27, c. 2
S. Thomæ Apoſtoli Crux miraculoſa in Indiis. p. 27, c. 1
Sudore madeſcit. ibidem.
S. Thomas Apoſtolus quomodo & vulnera Chriſti tangere, & latus ejus voluerit? p. 25, c. 1
S. Thomæ quantum profuerint Chriſti vulnera, quantum & aliis? p. 25. c. 2, & p. 26, c. 1
S. Thomæ ædes adhuc extant, & nemo infidelis eas inhabitare poteſt. p. 25, c. 2
S. Thomæ incredulitas quantum Eccleſiæ profuerit. p. 25
An verè dubitarit? ibidem.
S. Thomas Apoſtolus Reges Magos convertit. p. 26, c. 1
Ejus monumenta in Indiis, & Braſilia. ibidem.
Ejus mors glorioſa. c. 2
S. Thomæ Apoſtoli manibus impoſitus palmes aridus revireſcit, floret, & uvas reddit. p. 24, c 2
SS. Thomas & Bonaventura duæ Olivæ. p. 55, c. 2
Thomæ Bozii de S. Xaverio illuſtre elogium. p 16, c. 1
S. Tillonis Monachi ſepulchrum oleum effundit. p. 21, c 2
Timor Dei, & ejus motiva. p. 46
Timor Dei ſpecies martyrii. p. 4. c. 2
Tribulatio juſtum, & fidelem Dei ſervum probat. p. 70, c. 1
Tribulatio juſtis neceſſaria. p. 89, c. 1

V

VErbum Dei eſt animæ cibus. p. 15, c. 2
Vinea in ſcripturis idem eſt quod Synagoga, quod Eccleſia. p. 93, c. 1
Vindicta non eſt hominis Chriſtani. p. 33, c. 2
S. Vinnalgus cæco eleemoſynam petenti viſum reſtituit. p. 67, c. 1
Vir corona uxoris. p. 52, c. 2
Virginitatis commendatio. p. 17, c. 2
Virginitas facit aſſeſſores, & comites Dei: Dei ſedes: Dei altaria. p. 99, c. 1
Virginitatis amor, & ejus exempla. p. 2, c. 2
Virginitatis cuſtodiæ ſex adhibendæ. p. 5, 6
Virgo ſit amans ſolitudinis, nec prodire amet in publicum. p. 5, c. 2
Vita eſt ſcala. p. 84, c. 1
Unguentum S. Antonini Abbatis quàm efficax, & medicum. p. 77, c. 2
Unguentum S. Magdalenæ cur pietatis oleum. p. 77, c. 1
Unguentum Contritionis, Devotionis, Pietatis. ibid.
Vocatio ad Epiſcopatum miraculoſa. p. 19, c. 2

W

S. WEfredi Abbatis vaſculum fluit oleo perenni. p. 56, c. 1.

Z

S. ZAchariæ virtus, & gratia. p. 60, c. 2
Zelus, & amor latere non poſſunt. p. 17, c. 2
Zelus ad convertendas animas à Deo alienas p. 40, c. 2
Zelus animarum ſine termino. p. 14, c. 2

FINIS.

R. P.

JACOBI LOBBETII

LEODIENSIS

SOCIETATIS JESU THEOLOGI,

GLORIA PATRIARCHARVM

SIVE

QUÆSTIONES MORALES

IN EVANGELIA FESTORVM

D. AUGUSTINI, D. BENEDICTI, D. BRUNONIS, D. BERNARDI, D. NORBERTI, D. DOMINICI, D. FRANCISCI ASSISII, D. FRANCISCI DE PAULA, D. IGNATII DE LOIOLA, D. PHILIPPI NERII, D. URSULÆ, D. TERESIÆ.

Digitized by Google

SERENISSIMO PRINCIPI
MAXIMILIANO HENRICO
DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA
ARCHIEPISCOPO COLONIENSI
SACRI ROMANI IMPERII
ELECTORI
PER ITALIAM ARCHICANCELLARIO
SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ LEGATO NATO
EPISCOPO AC PRINCIPI
LEODIENSI, ET HILDESIENSI
ADMINISTRATORI STABULETENSI
ET BERGTESGADENSI
DUCI BAVARIÆ UTRIUSQUE
SUPERIORIS PALATINATUS, WESPHALIÆ,
ANGARIÆ, ET BULLONII,
COMITI PALATINO RHENI
LANTGRAVIO LEUCHTEMBERGENSI
MARCHIONI FRANCHIMONTANO
COMITI LOSSENSI, LONGIENSI, HORNENSI, &c.

Patieris, SERENISSIME PRINCEPS, hoc Opuſculum Patriarcharum gloriæ recens à me inſcriptum, etiam Auguſto tuo Nomini inſcribi. Cui enim potiùs? Fuit in illis hauſta de cœlo *PIETAS*, ac veluti quædam præguſtata divinæ ſuavitatis portio, cœleſtiumque ſapor. Fuit & altior aliqua *SAPIENTIÆ* lux, & quaſi vibratus ab Increata Sapientia, ceu Æterno Sole, radius. Et hæc prima, ac potiſſima Patriarcharum gloria, atque commendatio, quam etiam (pace Tua dixerim, SERENISSIME PRINCEPS) mihi oculis, animoque objecit appenſum inſignibus Tuis Principale Lemma: *PIETATE, & SAPIENTIA.*

Et hanc, & illam felici nexu, fœdereque inter ſe nectis, nec mente ſola contines, ceu nobilem fœtum; ſed etiam publico donas ad ingens Eccleſiæ Tuæ bonum, & ſubditorum Tibi commodo populorum.

Et quidem primò *PIETATEM*, quam vel in ipſo inaugurationis Tuæ limine oſtendiſti. Vix enim magnus imperii PRINCEPS eſſe cœperas: cùm major ab Infulà Pedoque PRÆSVL eſſe voluiſti, Regaléque Sacerdotium Archiepiſcopali dignitati pulchrè ſociaſti, in tanto Sanguinis, Nataliumque faſtigio, raro utique exemplo; quod & Annales loquentur, & commendabit Orbis univerſus.

Et verò quidni commendaret, cùm ipſa ſibi laus, & muta quædam commendatio ſit *AVITA PIETAS*, cui etiam addita *SAPIENTIA*, ſeu germana illius ſoror, ſeu comes individua. Hanc porrò, etiam me tacente, ſatis proclamat, & pacata Civitas Tua Leodienſis, publicis, privatiſque animorum diſſidiis, ceu quibuſdam undis, diu agitata; & repreſſæ militum externorum incurſiones, quæ & agris vaſtitatem, & Vrbibus ſolitudinem, & Patriæ extremam perniciem afferebant.

At quo modo, quave ratione repreſſæ? Non alia quàm *SAPIENTIA* Tua, quæ Bellonam cum Oliva ita compoſuit; ut neſcias cui danda ſit palma, cuique victoria: vicit enim, triumphavitque tam hæc, quàm illa; quia vicit, triumphavitque ubique victrix *SAPIENTIA*, cujus lucem ſplendoremque dum attonitus ſpecto: ſimul etiam opto, voveóque SERENITATI Tuæ longos, ac felices annos: ſeu eos, quos aliquando exegit Sereniſſimus ERNESTVS Propatruus Tuus, inclytæ memoriæ, Collegii Leodiēſis aucta dote fundator, Imperii columen, Principum decus, Cæſarum amor, delitiæ populorum: ſeu etiam illos quos Sereniſſimus FERDINANDVS, Patruus ac Deceſſor Tuus, glorioſæ recordationis, & ipſe Romanæ Eccleſiæ Imperiique columnà princeps, *AVITÆ FIDEI* (quam pro teſſera habuit) propugnator acerrimus, in Deum ac Superos pius, in ſeipſe continens, & caſtus, in hoſtes clemens, in amicos benevolus, in omnes beneficus ac liberalis, cujus, in eodem munere, ſacraque Majeſtate ſoſpitatem ac felicitatem dum apprecor: una etiam hunc laboris non exigui partum, velut arrham fidei meæ obſequiique, in CELSITVDINIS VESTRÆ manibus, venerabundus depono

SERENISSIMÆ VESTRÆ CELSITVDINIS

Obſequentiſſimus, & devotiſſimus ſubditus & cliens

JACOBVS LOBBETIVS è Societate IESV.

INDEX
QVÆSTIONVM ET PARAGRAPHORUM.

QUÆSTIONES PROOEMIALES,

De Sanctis Evangelicæ Legis Patriarchis generatim.

PROOEMIUM. pag. 1

QUÆSTIO I. PROOEMIALIS.

Ad illa verba: *Laudemus viros glorioſos.* Eccl. c. 44. verſ. 1.

§. 1. *Quas potiſſimum ob cauſas laudandi ſint à nobis Evangelicæ legis Patriarchæ?* ibid.

§. 2. *Quot modis laudari à nobis poſſint ac debeant Sancti?* pag. 2

QUÆSTIO II. PROOEMIALIS.

Ad illa verba: *Multam gloriam fecit Dominus magnificentia ſua.* verſ. 2. pag. 2

§. 1. *In quo ſita ſit vera gloria? & quæ ad illam via.* ib.

§. 2. *Quam gloriam adepti SS. Ordinū Patriarchæ?* ib.

§. 3. *Cur tantam SS. Patriarchis gloriam contulerit Deus?* pag. 3

QUÆSTIO III. PROOEMIALIS.

Ad illa verba: *Dominantes in poteſtatibus ſuis.* v. 3.

§. 1. *Quod, & quantū SS. Patriarcharū dominiū.* p. 3

§. 2. *Quædam incitamenta ad acquirendum in ſe & ſuos affectus imperium.* pag. 4

§. 3. *Adjumenta quædam ad acquirendum in ſuos affectus atque paſſiones imperium.* pag. 5

QUÆSTIO IV. PROOEMIALIS.

Ad illa verba: *Homines magni virtute.* verſ. 3 *Homines divites virtute.* verſ. 6. pag. 6

§. 1. *In quo vera magnitudo?* ibid.

§. 2. Ad illa verba: *Divites virtute.* verſ. 6. *Quæ ſint veræ divitiæ?* ibid.

Proœmium totius operis ad Religioſos. pag. 7

DE S. AUGUSTINO HIPPONENSI EPISCOPO,

Eccleſiæ Doctore, & antiquiſſimi Ordinis Fundatore.

PROOEMIUM. pag. 9

QUÆSTIO PRIMA MORALIS.

Ad illa verba: *Vos eſtis ſal terræ.* Matth. 25. v. 13. *Cur ſacræ Eccleſiæ Doctores ſal terræ?* pag. 10

§. 1. D. Ambroſius *ſal terræ.* ibid.

§ 2. D. Auguſtinus *ſal terræ*: I. *Voluptuoſis & Carnalibus.* pag. 11

II. *Eccleſiaſticis ſcandalum dantibus.* ibid.

III. *Hæreticis & quidem primò Manichæis.* p. 12

Deinde Donatiſtis. ibid.

Etiam Pelagianis, & aliis. ibid.

QUÆSTIO II. MORALIS.

Ad illa verba: *Vos eſtis lux mundi.* Matth. c. 5. v. 14. *Cur Eccleſiæ Doctores ab Incarnatâ Patris Æterni Sapientiâ dicti Lux mundi?* pag. 13

§. 1. D. Auguſtinus *Lux mundi ab indito illi nomine præclaróque ingenii lumine.* pag. 13

§. 2. D. Auguſtinus *Lux mundi à Divinis luminibus ſeu illuſtrationibus.* pag. 14

§. 3. D. Auguſtinus *Lux mundi à Doctrinâ & Prædicatione.* pag. 15

§. 4. D. Auguſtinus *Lux mundi ab ea, quam Religioſis condidit, & ſcripſit Regulâ.* pag. 15

§. 5. D. Auguſtinus *Lux mundi ex apertâ claráq; Dei viſione, etiam in hac aura mortali.* pag. 16

§. 6. D. Auguſtinus *Lux mundi & quidem ardens ab incenſa in proximum caritate.* pag. 17

§. 7. D. Auguſtinus *Lux mundi & quidem ardens ab inflammato in Deum amore.* pag. 18

§. 8. D. Auguſtinus *Lux mundi etiam cœleſtis, & quidem lucens & ardens à gloria & beatitate.* p. 19

DE SANCTO BENEDICTO ABBATE.

PROOEMIUM. pag. 20

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa verba: *Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet.* Matth. c. 19. v. 29.

Quod illud Centuplum? pag. 21

Centuplum in Temporalibus.

§. 1. *Centuplum in Patre & Matre.* pag. 21

§. 2. *Centuplum in Fratribus.* pag. 22

§. 3. *Centuplum in agris.* pag. 23

Centuplum in Spiritualibus.

§. 1. *Præſagium illius centupli* D. Benedicti, *vox & cantus, vel ex ipſo matris utero.* pag. 24

§. 2. *Præſagium illius Centupli in ipſo nomine.* ibid.

§. 3. *Centuplum à fuga ſæculi.* ibid.

§. 4. *Centuplum à pueritia altaq; ſpeluncæ nocte.* pag. 25

Centuplum à Virtutibus.

§. 1. *Ab auſtera pœnitentia, & tentationū victoria.* 25

2. *Centuplum à perſecutionibus.* 26

3. *Centuplum ab Oratione.* 27

4. *Centuplum à ſingulari Deiparæ cultu.* 28

5. *Centuplum à miſericordia in pauperes.* ibid.

6. *Centuplum à gratiis gratis datis.* 29

7. *Centuplum à gloria & beatitate.* ibid.

INDEX QUÆSTIONUM,

DE S. BRUNONE CARTHUSIANORUM PATRIARCHA, ac Fundatore ſanctiſſimo.

PROŒMIUM. pag. 31

QUÆSTIO PRIMA MORALIS.

Ad illa verba: *Quis dabit mihi pennas ſicut Columbæ?* Pſalm. 54.

Quæ ſit illa Columba, & cujus ſymbolum? pag. 32

§. 1. *Columba ſymbolum Spiritus Sancti in* D. Brunonem *illabentis, & ducentis in amicam ſolitudinem.* 32

2. *Columba ſymbolum bonæ mentis atque imprimis illius, quæ in* D. Brunone *debebat eſſe virtutis.* 34

3. *Columba ſymbolum fœcunditatis, utique illius, quæ* D. Brunoni *fuit à religioſiſſima, & numeroſiſſima ſobole.* 35

4. *Columba ſymbolum beatæ mentis è corpore ceu ergaſtulo in cælum cæleſtemq; patriam ac libertatem evolantis.* 37

QUÆSTIO II. MORALIS.

Ad illa verba: *Quis dabit mihi pennas ſicut Columbæ, & volabo, & requieſcam.* Pſalm. 54.

Quæ ſint illæ pennæ? Quiſve ab iis volatus? Et quæ tandem requies? 38

DE SANCTO BERNARDO ABBATE.

PROŒMIUM. pag. 41

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa verba: *Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet.* Matth. c 19. v. 29.

Quod illud Centuplum? pag. 42

Centuplum in Temporalibus.

§. 1. *In Religione, meliore utique Matre.* 43

2. *Centuplum in Patre ac Fratribus.* ibid.

3. *Centuplum in domo & agris.* 44

Centuplum in Spiritualibus.

§. 1. *Centuplum in Vocatione habituq; Religioſo.* 44

2. *Centuplum in Dei protectione.* ibid.

3. *Centuplum in Dei benedictione.* ibid.

4. *Centuplum in ſuaviſſimis Chriſti amplexibus.* 44

5. *Centuplum in Virginea protectione.* 45

6. *Centuplum in Virgineo lacte, & Virginea Salutatione.* 45

Centuplum à Virtutibus.

§. 1. *Centuplum in virginea Caſtitate.* 46

2. *Centuplum in aſſidua mortificatione.* 47

3. *Centuplum ab honorum fuga.* ibid.

4. *Centuplum in Obedientia Religioſâ.* 48

5. *Centuplum in Oratione arctâq; cum Deo unione.* ib.

6. *Centuplum in animabus Religioni Deóque acquirendis* 49

7. *Centuplum à claritudine, qua, Dei beneficio, Orbi præluxit.* 50

8. *Centuplum in cæleſti gloria ac Beatitate.* ibid.

DE S. NORBERTO ARCHIEPISCOPO MAGDEBURGENSI, & Fundatore Ordinis Præmonſtratenſis.

PROŒMIUM. pag. 51

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa verba: *Ecce Sacerdos magnus.* Eccl. c. 44.

Ecquis ille? 52

§. 1. D. Norbertus *Sacerdos Magnus deſignatus vel ex ipſo matris utero.* ibid.

2. D. Norbertus *Magnus vel in ipſo converſionis ſuæ limine.* 52

3. D. Norbertus *Magnus in humili, abjectóque habitu, Magnus in vili paupereq; vitæ genere.* 53

4. D. Norbertus *Magnus in altiore patientia, & injuriarum tolerantia.* ibid.

5. D. Norbertus *Magnus, & invictus in perſecutionibus, in periculis, ipſaq; mortis imagine.* 54

6. D. Norbertus *Magnus in honorum fuga.* 55

7. D. Norbertus *Magnus in ipſis Religioſi instituti incunabulis.* ibid.

8. D. Norbertus *Magnus vel in dæmones, efferaq; animalia imperio.* 57

9. D. Norbertus *Magnus à numeroſâ ſobole, & ſpiritali filiorum in Chriſto generatione.* ibid.

10. D. Norbertus *Magnus ab edomita hæreſi, & evicto ſchiſmate Petri Leonis Anti-papæ.* 59

11. D. Norbertus *Magnus à gloria, ac beatitate.* 60

DE S. DOMINICO ORDINIS PRÆDICATORUM Fundatore ſanctiſſimo.

PROŒMIUM. pag. 61

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa verba: *Et lucernæ ardentes in manibus veſtris.* Lucæ cap. 12.

Quæ ſint illæ lucernæ? Quæve in iis lux? Quis ardor? 63

§. 1. D. Dominicus *Lucerna lucens, à cæleſti quadam divinorum præſagiorum luce.* 63

2. D. Dominicus *Lucerna lucens, jam inde ab utero materno.* ibid.

3. D. Dominicus *Lucerna lucens, etiam ab ipſo ſacri Baptiſmatis fonte.* 64

§. 4. D. DO-

§. 4. D. Dominicus *Lucerna lucens, ab ipſis cunis.* 64
5. D. Dominicus *Lucerna lucens, ab infantia.* 65
6. D. Dominicus *Lucerna lucens à Virgineâ luce, atque Doctrinâ.* ibid.
7. D. Dominicus *Lucerna lucens à Prædicatione, & ſcriptis.* ibid.
D. Dominicus ab indita divinitus virtute *Lucerna lucens* ſimul *& ardens.* 67
§. 1. D. Dominicus *Lucerna lucens à caſtitate.* ibid.
2. D. Dominicus *Lucerna lucens, ab auſtera pœnitentia, & corporis afflictatione.* 68
3. D. Dominicus *Lucerna lucens, ab humilitate, & honorum fugâ.* 69
§. 4. D. Dominicus *Lucerna lucens ab oratione, & altiſſima divinorũ cõtemplatione, atque amore.* 70
5. D. Dominicus *Lucerna ardens à caritate in proximum, & maximè in egenos.* ibid.
6. D. Dominicus *Lucerna ardẽs à zelo Animarũ.* 71
7. D. Dominicus *Lucerna ardens in converſione famoſa & publica peccatricis.* 73
8. D. Dominicus *Lucerna ardens ab incenſo in Deum amore.* 74
9. D. Dominicus *Lucerna lucens & ardens à cœleſti gloria ac beatitate.* 75

DE SANCTO FRANCISCO ASSISIO
Ordinis Fratrum Minorum Fundatore.

PROŒMIUM. pag. 76

QUÆSTIO PRIMA MORALIS.
Ad illa verba: *Abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus.* Matth. c. 11. v. 25.
Quæ ſint illa quæ importantur ea voculâ Hæc? 78
§. 1. *Sanctorum Nativitas.* ibid.
2. *Sanctorum Vocatio.* ibid.
3. *Vocationis ſublimitas, & abjectio vocatorũ.* ibid.
4. *Mundi ſalus, & incolumitas.* 80
5. *Vis admiranda Prædicationis.* 81
6. *Vis prodigioſa Miraculorum.* ibid.
7. *Prophetiæ donum, & ab illo lux quædam altior ac cœleſtis.* 82

QUÆSTIO II. MORALIS.
Ad illa verba: *Revelaſti ea parvulis.* Matth. 11. v. 25.
Qui ſint illi parvuli? 83

QUÆSTIO III. MORALIS.
Ad illa verba: *Tollite jugum meum ſuper vos.* v. 29.
Quodnam ſit illud jugum? 84

QUÆSTIO IV. MORALIS.
Ad illa verba: *Iugum meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Matth. c. 11. v. 29.
Vnde ea vel jugi Chriſtiani ſuavitas, vel oneris levitas? 86

DE SANCTO FRANCISCO DE PAULA
Ordinis Minimorum Fundatore.

PROŒMIUM. pag. 87

QUÆSTIO PRIMA MORALIS.
Ad illa verba: *Nolite timere puſillus grex?* Lucæ 12. verſ. 32
Quis ille puſillus grex? Et unde puſillus? 88
§. 1. S. Franciſcus *puſillus fuit à natalibus.* ibid.
2. S. Franciſcus *puſillus in primo Religioſæ vitæ quaſi tyrocinio.* 89
3. S. Franciſcus *puſillus in ſua Eremo amicáque ſolitudine.* ibid.
4. S. Franciſcus *puſillus mundo, id eſt mundanis abjectus.* 90
5. S. Franciſcus *puſillus mundo, hoc eſt, vili paupereq; ſupellectile contentus, & à pretioſa diviteq; alienus.* ibid.
6. S. Franciſcus *puſillus mundo, hoc eſt Humilis & in ſe quàm abjectiſſimus.* 91
7. S. Franciſcus *puſillus, id eſt, nomine & re etiam ipſâ Minimus.* 92

QUÆSTIO II. MORALIS.
Ad illa verba: *Complacuit Patri veſtro dare vobis Regnum.* Lucæ c. 12. v. 32.
Quod illud Regnum? Et quomodo ab Æterno datum D. Franciſco de Paula. 93
§. 1. *Regnum* S. Franciſci *in elementa: In Ignem.* 93 *In Aerem.* ibid. *In Aquas.* 94 *In Terram.* ibid.
2. *Regnum* S. Franciſci *in animalia.* ibid.
3. *Regnũ* S. Franc. *in morbos omnes, ipſamq; mortẽ.* 95
Regnum Gratiæ, illius ſcilicet, quæ dicitur & eſt *Gratum faciens.* 96
§. 1. D. Franciſci *ardens in Deum charitas, & ejus prognoſtica.* ibid.
2. *Ejus ſigna & effectus.* 97
Regnum rationis, *hoc eſt partis ſuperioris, in corpus, ſeu inferiorem hominis partem, etiam* D. Franciſco *datum eſt.* 97
Regnum gloriæ & beatæ immortalitatis, *quod* D. Franciſco *à Deo conceſſum eſt.* 98

DE S. IGNATIO SOCIETATIS JESU FUNDATORE.

PROŒMIUM. pag. 100

QUÆSTIO PRIMA MORALIS.
Ad illa verba; *Sint lumbi veſtri præcincti.* Luc. 12. verſ. 35.
Cur hic lumbos præcingi jubet Magiſter Optimus? Et quid in eo myſteriis occultæq; virtutis? 101
Cingulum datur Virginibus in ſignum ſervatæ caſtitatis. ibid.
Cingulum datur viatoribus ac peregrinis in ſignum animi abſtracti ab omni terrenorum affectu. 102
Cingulum datur militibus & athletis in ſignum fortitudinis. 104

QUÆSTIO II. MORALIS.
Ad illa verba: *Et lucernæ ardentes in manibus veſtris.* Lucæ c. 12. v. 35. 108

Quid

Quid illa lucerna, Cur ardẽtes, & cur in manibus. 108
S. Ignatius *Lucerna lucens à Ratione & ſingulari Prudentia, à Fide firma, ab Oratione & rerum Divinarum Cõtemplatione, à Regula ac Cõſtitutionibus.* 108
S. Ignatius *Lucerna lucens à cæleſti luce, & objectu Divinarum viſionum, à quibus illi inclaruit animus.* 110
S. Ignatius *Lucerna lucens etiam à lumine, quo illi conſpicuum vel ipſum corpus.* 111
S. Ignatius *Lucerna ardens ab aſtu ignéque caſti in Deum amoris.* 112
S. Ignatius *Lucerna ardens ab incenſa proximum Caritate.* 113
S. Ignatius *Lucerna lucens & ardens à Beatitate.* 116

DE SANCTO PHILIPPO NERIO
Congregationis Oratorii Fundatore.

PROŒMIUM. pag. 117

QUÆSTIO. PRIMA MORALIS.
Ad illa verba: *Sint lumbi veſtri præcincti.* Luc. 12. verſ. 35.
Quid in cingulis occulta virtutis? 118

QUÆSTIO II. MORALIS.
Ad illa verba: *Sint lumbi veſtri præcincti.* Luc. 12.
Quid rurſum in hoc occulta virtutis? 119
Ad illa verba: *Et lucernæ ardentes in manibus veſtris.* Lucæ c. 12. v. 35. 108
Quid illa lucerna? Quave in illis lux? Et quis ardor? 120
§. 1. S. Philippus Nerius *Lucerna lucens à ſingulari prudentia.* 121
2. S. Philippus Nerius *Lucerna lucens à cognitione ſecretorum humani cordis, abſentium & futurorum.* ibid.
§. 3. S. Philippus Nerius *Lucerna lucens vel ab ipſa luce corporis, faciei, ac manuum.* 122
4. S. Philippus Nerius *Lucerna lucens ab objectu cæleſtium viſionum.* 123
5. S. Philippus Nerius *Lucerna ardens ab inſigni in agros ac moribundos caritate.* ibid.
6. S. Philippus Nerius *Lucerna ardens à præſenti in ſuorum periculis caritate & ſubſidio.* 124
7. S. Philippus Nerius *Lucerna ardens ab incenſo ſalutis alienæ zelo & pio animarum lucro.* 125
8. S. Philippus Nerius *Lucerna ardens ab incenſo in IESVM & MARIAM amore.* 126
9. S. Philippus Nerius *Lucerna ardens ex incenſo in ſacram Euchariſtiam amore.* ibid.
10. S. Philippus Nerius *ab incenſo in Deum amore Lucerna ardens.* 127

DE SANCTA URSULA URSULINARUM. PATRONA.

PROŒMIUM. pag. 129

QUÆSTIO PRIMA MORALIS.
Ad illa verba: *Mulierem fortem quis inveniet?* Proverb. c 31.
Qua ſit illa Mulier fortis? 129

Primum Prœlium.
S. Urſulæ *cum primo hoſte, hoc eſt eximia corporis ſpecie ac pulchritudine.* 130

Secundum Prœlium.
S. Urſulæ *cum hoſte ſecundo, prima ſcilicet vegetáque juventute.* ibid.

Tertium Prœlium.
S. Urſulæ *cum tertio hoſte, vitæ ſcilicet amore, inſitoq́ illius tuendæ deſiderio.* 131

QUÆSTIO II. MORALIS.
Ad illa verba: *Veni de Libano Sponſa mea, veni de Libano, veni coronaberis.* Cant. c. 4. ℣. 8.
Quæ ſit illa Sponſa? Et quæ Corona? 132
S. Urſula *ſponſa cæleſtis Sponſi. Vnde, & quò evocata? Ex capite Amana, Sanir, & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus Pardorum.* 133
Quæ S. Urſulæ *Corona?* ibid.
Caſtrenſis, Muralis, Civica, Triumphalis. ibid.
Corona Inclyta. ibid.
Corona è pretioſa margarita, ſymbolo virgineæ Caſtitatis. 134
Corona è Sapphiro, ſymbolo cæleſtis Sapientiæ. ibid.
Corona ex Adamante, ſymbolo utique Fortitudinis. ibid.
Corona Sociorum Sociarumq́. D. Urſulæ. 135
Corona Miraculorum. 137
Coronis Vrſulanæ Hiſtoria. S. Urſulæ, *& Sociarum cultus ac veneratio.* 140

DE SANCTA TERESIA VIRGINE
ac Fundatrice Carmelitarum Diſcalceatorum.

PROŒMIUM. pag. 143

QUÆSTIO PRIMA MORALIS.
Ad illa Eccleſiæ, ceu magnæ Matris, verba: *Veni ſponſa Chriſti.*
Quæ ſit illa ſponſa Chriſti? Quæve ſponſalium leges, & pacta? 143
S. Tereſia *ſponſa Chriſti.* 144

QUÆSTIO II. MORALIS.
Ad illa verba: *Accipe coronam quam tibi Dominus præparavit in æternum.*
Quæ ſit illa Corona? 146
Corona Virginitatis. ibid.
Corona Martyrii. 148
Corona Doctoratus. 149
Corona Gratiarum. 150
Corona Gloriæ ac Beatitatis. 151

Epilogus totius operis ad Religioſos. 152

JACOBI

JACOBI LOBBETII
SOCIETATIS JESU THEOLOGI,
GLORIA PATRIARCHARUM.

QVÆSTIONES PROOEMIALES.

De ſanctis Evangelicæ Legis Patriarchis generatim.

PROOEMIUM.

SYRACIDES præcipuorum Legis Antiquæ Patriarcharum elogia contexere, ac velut in faſciculum colligere parans, ſic de illis generatim:

Cap. 44. Verſ. 1. *Laudemus Viros glorioſos, & Parentes noſtros in generatione ſua.*

Verſ. 2. *Multam enim gloriam ſecit Dominus magnificentia ſua à ſæculo.*

Verſ. 3. *Dominantes in poteſtatibus ſuis: homines magni virtute, & prudentia ſua præditi.*

Verſ. 4. *Et imperitantes in præſenti populo, & virtute prudentia populis ſanctiſſima verba.*

Verſ. 6. *Homines divites in virtute, pulchritudinis ſtudium habentes, purificantes in domibus ſuis.*

Verſ. 7. *Omnes iſti in generationibus gentis ſuæ gloriam adepti ſunt.*

Verſ. 8. *Qui de illis nati ſunt, reliquerunt nomen narrandi laudes eorum.*

Et hi ſunt laudum honorumque tituli, ſacraque encomia; quibus antiquos Patriarchas, ceu illorum ſeculorum heroas, efferendos eſſe cenſuit Sapiens, cujus inſiſtens veſtigiis, eadem in novæ Legis Patriarchis derivabo, ſi minus litterali ſenſu (ut loquuntur Theologi) at ſaltem accommodatio: nec enim hîc interpretem ago: ſed encomiaſten. Ut igitur ad rem veniamus; ſit

QUÆSTIO PRIMA PROOEMIALIS.

Ad illa verba: *Laudemus Viros glorioſos.* Eccl. c. 44. v. 1.

LAudantur in terris longè plurimi, ſive ſuperſtites, ſive jam defuncti: quibus & vita, & nomen vacuum laudis: quid facias? venales multis linguæ, venales & calami: *Laudantur*, inquam, (ut Hieronymi verbis utar) *ubi non ſunt: & cruciantur ubi ſunt.* Ego illos nec laudo, nec laudari volo; ſed eos dumtaxat, qui ſibi à virtute, rebusque præclarè geſtis nomen famamque fecerunt in terris, & in cœlis gloriam pepererunt.

§. I.

Quas potiſſimum ob cauſas laudandi ſint à nobis Evangelicæ Legis Patriarchæ?

E Multis paucas attingemus, quæ nobis erunt ad eorum laudes ſtimulo, atque incitamento.

Prima petetur ab eorum virtute, cui laus ſua debetur. *Thus Diis*, inquiebat Socrates, *laus verò bonis viris tribuenda*, & quidem jure quaſi ſuo: ut enim Syneſius *Laus virtutis eſt merces*, & quò major illa fuerit, eò major & hæc: *Vt quiſque maximè boni eſt particeps, ita & laudabilis maximè*: ut diſertè Tullius. Epiſt. 62.

Secunda ex eo ducitur, quod in omni vita laudes ſubterfugerint ipſi, etſi iis eſſent quàm digniſſimi. Exemplo erit D. AVGVSTINVS Præſulum gemma, & Patriarcharum decus, qui ſic de ſeipſo ad importunos illos laudatores:

Laudes veſtræ gravant me potius, & in periculum mittunt: toleramus illas, & tremimus inter illas. Serm. 5. de verb. Dom.

Exemplo erit & S. EPHREM, qui ne mortuus quidem à ſuis laudari ſe eſt paſſus: ſic enim ad diſcipulos quaſi ultimis teſtamenti tabulis:

Nulla Ephrem cecineritis carmina, nullamque laudem adhibueritis. Et hæc laudis humanæ fuga ingentis fuit animi, & humano majoris. Ut enim Annæus Seneca: *Magnum eſt nolle laudari, & eſſe laudabilem.*

Tertia cauſa hæc eſt, quod cœlis jam additi laudari poſſint nullo penitus vel ſuo, vel etiam noſtro periculo. D. MAXIMVM hic audi: Serm. 2 de S. Euſebio Epiſc. Vercellenſi.

Duplici, inquit, *ex cauſa utilius eſt hominis memoriæ laudem dare, quam vitæ: ut illo potiſſimum tempore merita ſanctitatis extollas, quando nec laudantem adulatio movet, nec laudatum tentat elatio. Lauda ergo poſt periculum, prædica ſecurum. Lauda navigantis felicitatem; ſed cùm pervenerit ad portum. Lauda Ducis virtutem; ſed cùm perductus eſt ad triumphum.*

Et hæc de ſecuritate, quam obtinet vitâ jam functus, & donatus beatitate; excipe quæ de periculo, quod timere poteſt, ac debet, qui laudatur dum adhuc eſt in vivis. Sic enim de eo ille ipſe S. MAXIMVS:

Quis vivens poſſit hic ſine trepidatione laudari, qui & de præterito meminit ſe habere quod doleat? & de futuro videt ſibi ſupereſſe quod timeat?

Hactenus S. Præſul, ex quo illud ad extremum conficio, quod *Gloria ſit propria poſſeſſio defunctorum.* Hinc illud Sapientis: *Ne laudaveris hominem in vita ſua;* tanquam ſi diceret: *Lauda poſt mortem, magnifica poſt conſummationem.*

Quarta cauſa petitur ex ipſius DEI ter Opt. ter Max. quaſi mandato, quod expreſſit Davidis ore, calamoque: *Laudabuntur omnes recti corde*; hoc eſt Pſ. 63. v. 11. qui intentione recta, corde à creatis omnibus alieno, uni DEO ter Opt. ter Max. placere ſtuduerint.

Quinta cauſa hæc eſſe poteſt, quod dum Sanctos meritis honoribus afficimus, DEVM ipſum iiſdem afficere videmur: *Laudatio* enim *ſervi, honor eſt Domini.* De S. ATHANASIO magnificè protulit illud D. Gregorius Nazianzenus: *Athanaſium laudans, virtutem laudabo. Virtutem autem laudans Deum laudabo:* quod ſi DEVM laudat, qui virtutem laudat, & DEVM laudet neceſſe à quo in Sanctis eſt virtus omnis. Orat. de laud. S. Athanaſii.

Quod de laude extulit D. NAZIAZENVS; hoc de honore D. HIERONYMVS: *Honoramus*, inquit, *reliquias Martyrum, ut eum, cujus ſunt Martyres adoremus. Honoramus ſervos, ut honor ſervorum redundet in Dominum.*

Ep. 53. ad Riparium.

Sexta denique cauſa, eſt ea, quæ in laudantem redundat utilitas: *Bonum laudare*, inquit AVGVSTINVS, *non laudato; ſed laudantibus prodeſt.* cujus rationem ſi voles, hanc affert, *ut illi proficiant, qui etiam imitari poſſunt, quod laudant.*

D. Serm. Domini in monte.

§. II.

Quot modis laudari à nobis poſſint, ac debeant Sancti?

TRibus potiſſimùm: Linguâ, calamo, vitâ. *Lingua*, laudantur in pulpitis, ſacriſque conſeſſibus, frequenti populo: laudantur & privatis colloquiis, dum in his, & illis præclarè ab iis geſta referuntur.

Calamo autem ab illis, quibus mens fœcunda, & fœcundior calamus, qui dum in eorum acta explicatur, & prælo eadem committuntur, & luci.

Vitâ denique laudantur Sancti, ab iis, qui vita, moribuſque ſuis exprimunt ea omnia, quæ in Sanctis explicant, atque extollunt: & hoc genus laudis quàm optimum, & quod niſi dederis, nihil propè dederis. Eſt enim inane quiddam & vacuum, quod lingua, calamóque datur laudis, niſi accedat etiam, quod redditur à vita.

Audi quid ſuper hac re D. GREGORIVS NYSSENVS in encomio D. BASILII: *Oratione potior fuerit ea laus, quæ per opera præſtatur, ac repræſentatur. Hoc vero quid eſt? Vt per memoriam illius vita noſtra melior quàm eſſe ſolet, efficiatur: ſicut enim ſculpturæ in ſigillo decorem nemo oratione exprimit: ſic efficacior eſt Magiſtri laus, quæ per vitam, quam quæ per orationem repræſentatur. Sic igitur, Fratres, etiam nos ſobrietate ſobrium imitantes, factis noſtris virtutem pro dignitate laudemus: & itidem in cæteris omnibus. Miraculum ſapientis participatione ſapientiæ repræſentetur. Laus paupertatis per hoc ut etiam nos ſuperfluarum facultatum materialium expertes ſimus. Contemptus mundi hujus, non ſolum dicatur quod ſit laudabilis, atque glorioſa quædam res; ſed earum rerum, quæ per mundum probantur, & expetuntur, contemptionis, & deſpicientiæ teſtis ſit vita.*

Hæc S. Præſul de Sanctorum laude, quæ D. AVGVSTINVS de eorum cultu, cujus hoc eſt effatum: *Satis coluit Sanctos, qui imitatus eſt.*

QUÆSTIO SECUNDA PROOEMIALIS.

Ad illa verba: *Multam gloriam fecit Dominus magnificentiâ ſuâ.* verſ. 2.

§. I.

In quo ſita ſit vera gloria? & quæ ad illam via?

Orat. pro Marcello.

CIceroni *Gloria eſt illuſtris, & pervagata multorum, & magnorum vel in ſuos cives, vel in patriam, vel in omne genus hominum fama meritorum.*

Aliis, eſt *excellentiæ alicujus manifeſtatio, qua aliquis redditur apud multos clarus:* vel ſi mavclis eſt *ipſa claritas reſultans ex honorifica manifeſtatione excellentiæ.*

Ea porro gloria homini obvenire poteſt ex aliis, atque aliis capitibus & quidem:

1. Ex raris, atque eximiis naturæ donis. 2. Ex varia, & recondita eruditione. 3. Ex magnis in Rempublicam meritis, rebuſque aut bello, aut pace præclarè geſtis. 4. Ex conſtanti laudabilium in vita privata actionum tenore: Et hæc gloria, apud puſillos mortales, ut ejuſmodi habeatur, & ſit: naturæ tamen limites non excedit, nec aſſurgit altius, nec eſt verè Gloria Chriſtiana: hæc enim in ſola virtute eſt repoſita; cujus aſſertionis authores habeo, ac defenſores Scriptores omnes ſacros; è quibus, D. BERNARDVS cujus hoc pronuntiatum:

Virtus ad gloriam gradus, virtus mater eſt gloriæ. Fallax gloria eſt, quam illa non parturit. Sola eſt, cui gloria & jure debetur, & securè impenditur. Quæ autem ſine virtute gloria, profectò indebite venit, præproperè affectatur: & periculosè captatur.

Serm. de Natali S. Victoris.

Ratio ſi quæritur, hæc eſt in oculis, quia *Virtus* eſt veluti *Deifica quædam poſſeſſio*, ut monent SS. Patres. Virtus eſt maximum Dei munus, & donum. Virtus eſt divinæ ſanctitatis imago; à qua unica & vera gloria: quod & ratione duce agnoverunt, prædicaruntque etiam Ethnici ſapientes:

Optime cuique maxima gloria debetur, inquiebat Philoſophus. Lib. 4 Eth. c. 3.

Gloria eſt conſentiens laus bonorum, incorrupta vox benè judicantium de excellenti virtute, ut aiebat Tullius. Lib. 3. Tuſc. Quæſt.

Virtus eſt expedita, & compendiaria ad gloriam via, ut apud Valerium Maximum *Socrates*. Lib. 1. c. 2.

Mitto cæteros, & cum D. BERNARDO illud ad extremùm conficio: *Perverſi eſt animi quærere gloriam, & non exercere virtutem.* Hanc ut omni ſtudio quæſierunt Sancti; ſic & illam etiam operosè fugerunt, nec illius ergo quicquam in vita moliti ſunt, nec immeritò, *quod enim propter gloriam fit, gloriam non meretur*, ut bellè notavit *Petrarcha*: quem in finem etiam oppportunum illud D. HIERONYMI monitum: *Gloriam fugiendo non quæras;* ſed ex vero fugias, ſi porrò ita fugias, te inſequetur illa; imo & aſſequetur, ut enim ſcitè annotavit Seneca: *Gloria umbra Virtutis eſt, invitos etiam comitatur.* Epiſt. ad Nepotian. Epiſt. 79.

§. II.

Quam Gloriam, & quantam adepti SS. ſacrorum Ordinum Patriarchæ?

SYracides paucis verbis exprimit, & quidem Primò hac vocula *multam*, hoc eſt multiplicem: at unde multiplex? Primùm à præclaris naturæ dotibus. Deinde ab eximiis gratiæ virtutumque donis. Tum etiam à luce miraculorum, prodigiis, quibus in vita claruerunt. Tum à beneficiis, quæ in omne hominum genus ſparſerunt liberali manu. Tum etiam à filiis, quos cœlo, Deoque genuerunt. hinc illud Sapientis: *In generationibus gentis ſuæ gloriam adepti ſunt, & qui de illis nati ſunt, reliquerunt nomen narrandi laudes eorum.* Verſ. 7. Verſ. 8.

Et hæc illis etiam dum in vivis eſſent, gloria, quam illis fecit Dominus magnificentia ſua, & hoc ſecundum, quod notat Sapiens: Verè enim in Sanctorum gloria oſtendit Deus *magnificentiam ſuam*, hoc eſt potentiæ, bonitatis, ſapientiæ, majeſtatiſque divinæ theſauros, & divitias, quæ *à ſæculo* ſunt, & hoc poſtremum, hoc eſt omni retro æternitate, in qua eos elegit, ac prædeſtinavit ad illam gloriæ, ſeu multiplicitatem, ſeu majeſtatem, cui ad extremum acceſſit ea gloria, quæ illos à morte excepit, vel in terris, vel etiam in cœlis.

In terris quidem cultus, ac veneratio ſacra, quam à populis Chriſtianis, veluti cœleſtis aulæ principibus exhiberi vult Deus; cultus, inquam, quem Theologi græca voce *douliam* appellant: & hæc prima in terris à felici eorum obitu gloria.

Altera eſt immortalis apud mortales omnes nominis celebritas, & fama, quæ Orbe toto circumvolat.

Denique inſtitutorum à ſe Ordinum nobilitas, doctrinæ ſanctitas, à qua & illis ſua, ubi terris videri deſierint, ſua tamen manet gloria: ut enim *gloria filiorum Pater eorum:* ita *corona ſenum filii filiorum;* corona dico, id eſt honor, decus, gloria. Prov. c. 17. v. 6.

§. III. Cur

§. III.

Cur tantam SS. Patriarchis gloriam contulerit Deus?

E Multis, gravibúsque cauſis tresdumtaxat producam, è quibus hæc

Prima, quod ipſi dum in hoc ævo ſpirarent, unam Dei gloriam reſpirarint, unam habuerint in amoribus primíſque curis: in Deum unum aſpicientes deſpicientes cætera: ſecuti illud quod Divus CHRYSOSTOMVS eleganti ſimilitudine olim expreſſit:

Hom. 5. in Geneſim. *Nonne vides*, inquit, *ut in equorum ludis, hi qui equos agitant, non advertant plauſum populi aſſidentis, nec voluptatem ex eo plauſu capiunt; ſed in unum Regem in medio ſedentem oculos intendant, & ad nutum illius attendentes, totam multitudinem deſpiciunt: hoc & tu imiteris, non magni faciendo hominum famam: ſed ſententiam Iudicis juſti expectando, atque ad nutum ejus omnia dirigendo.*

Quod Orator aureus nobis omnibus ſuadet ore, calamoque: hoc exemplo ſuo SS. Patriarchæ, quibus in oculis id fuit, uni Deo placere, unius Dei gloriam quærere. Et hinc viciſſim Deus illorum gloriam & quæſivit, & procuravit, & in terris, & in cœli curia. Hæc quippè apud ſuperos lex. Deo uni ſi tua devoves, & ipſe tibi ſua quodammodo devovet, adeóque gloriam, quæ illi propria, ac ſingularis.

Herodotus l. 1. Hiſtor. Græculus unos aliquis, *Agiſicles* nomine, ab Halicarnaſſæis exul, atque extorris factus vel ex eo tantum, quod tripodem, quem in ludis obtinuerat, non dedicaſſet Deo; ſed domum retuliſſet.

Bonum omninò factum, quo docemur omnem rectè factorum gloriam uni Deo referre; & in hoc illius gloriam amare impensè, & impenſius ſectari. Et hoc eſt, quod Viri Religioſiſſimi, ſanctique Patriarchæ conſtanter egerunt: quos inter (ne omnes conſecter) S. IGNATIVS, cujus illud lemma; & ſolemne effatum: *Ad majorem Dei gloriam.* Et Beata TERESIA, quæ etiam ad hoc voto ſe obligatam voluit.

Altera cauſa cur Deus Patriarchis cœleſtem gloriam contularit, ea eſt, quia terrenam abjecerunt, & ab ea fugerunt quàm longiſſimè.

Ratio porro illius fugæ alia eſt, atque alia: Una damnum ingens, quod ex inanis gloriæ appetentia, ſtudióque enaſcitur. De hoc præclarè S. BASILIVS: *In Conſtitut. Monaſt. c. 11.*

Fugiamus, inquit, *inanem gloriam, dulcem ſpiritualium operum ſpoliatricem; jucundum animarum noſtrarum hoſtem: tineam virtutum, blandiſſimam bonorum noſtrorum deprædatricem.*

Quæ autem ſint ea ſpolia, quæ inanis cupido gloriæ ceu animæ prædo, illi detrahit, docet S. NILVS, cum illam hederæ comparat: *Orat. de inanid. gloria.*

Hedera, inquit, *ſic arborem complectitur, ut cum altius ſeſe ſuſtulerit, radicem ejus areſaciat. Sic & inanis gloria juxta virtutes naſcitur, ut non recedat priuſquam vim illarum exederit*; hæc ille, ex quo habes ſpolia illa eſſe virtutes, quas ei detrahit ceu prædo: quas exedit, ceu tinea.

Hanc porro bonæ mentis luem componit ille ipſe S. NILVS cum *dolio pertuſo*, quod non retinet infuſa; cum *fumo*, qui in aera diffunditur. D. BERNARDVS cum *ſagitta*, à qua ut tibi caveas ſic monet:

Time ſagittam, leviter volat, leviter penetrat: ſed dico tibi, non leve infligit vulnus, citóque interficit.

Poſtrema cauſa eſt, quia non ſolum ab humana gloria alieni fuerunt; ſed & humilitatis amantes, ac cupidi: deſpici enim amarunt, atque abjici, non extolli: hinc amabilis Dei providentia, cui ludus eſt elata dejicere, & abjecta de humo tollere eos mirum quantum extulit; quem Dei ludum agnovit, ſuſpexitque Philoſophus vel ſolo naturæ lumine; ſic enim olim: *Proprium Dei opus eſſe alta ſternere, humilia erigere.* Et ita erexit SS. Religioſorum Ordinum Patriarchas; ut videre licebit, ubi de ſingulis agetur: hic enim generatim tantum attingimus: & cum AVGUSTINO monemus: *Vis eſſe excelſus, eſto humilis.* Et cum BERNARDO docemus: *Quanto humilior fueris, tanto te major ſequetur gloriæ altitudo. Deſcende, ut aſcendas; humiliare, ut exalteris. Sola* quippe *humilitas eſt, quæ exaltat*; quod & docet Divus AMBROSIVS, qui illud ad poſteros: *Quanto quis eſt abjectior in hoc ſæculo: tanto magis exaltabitur in futuro. Nam per quot gradus humilitatis hic quis deſcendit: per tot gradus exaltabitur in cælo.*

In Pſal. 126.

De modo benè vivendi, c. 39.

Serm. 2 de Aſcenſ.

S. Ambroſ. l. 1. in Luc.

QUÆSTIO TERTIA PROOEMIALIS.

Ad illa verba: *Dominantes in poteſtatibus ſuis.* verſ. 3.

§. I.

Quod, & quantum SS. Patriarcharum dominium?

DE illis meliori jure, forteque dici potuit; quod olim de Gygantibus ſacræ paginæ: *Iſti ſunt potentes à ſæculo.* Verè potentes, & propè dixero omnipotentes participata quadam cum ipſo Deo poteſtate: ab hac dominium ſuum explicuerunt: *Gen. c. 6. v. 4.*

I. In Cœlum empyreum, ceu ſupremam beatarum mentium ſedem, atque domicilium. De Sacerdotibus hæc olim D. HIERONYMVS: *Regni Cœlorum claves tenentes ante judicii diem judicant.* *Epiſt. ad Heliodorum.*

Quod pronuntiatum etſi Sacerdotibus commune ſit: ſic & commune Patriarchis; vel à Sacerdotali charactere: vel à potentia cœlitùs addita, vel tam ab hac, quàm ab illo.

II. In aſtra, in Lunam, in Solem, ſtellatóſque Orbes, ut oſtendam infra in S. FRANCISCO DE PAVLA, Minimorum fundatore; & oſtendi poteſt in aliis ex eorum actis, vitáque, quæ quia infra ſubinde attingentur: hic parcius, & tantum generatim annoto.

III. In Elementa omnia, ignem, aërem, aquam, & terram, ut etiam infra in nonnullis patebit.

IV. In animalia rationis expertia.

V. In homines ipſos rationis compotes.

VI. In dæmones, inferáſque poteſtates omnes.

VII. In omne morborum genus, imò & in mortem ipſam, quæ ut omnia vincat, & ſternat, ab iis tamen vinci ſubinde ſe patitur, dum à morte ad vitam revocant; ut etiam infra aperietur.

VIII. In ſeipſos, abſoluto, & glorioſo in paſſiones omnes ſuas dominio, in quo unica eſt, & vera potentia; de qua Petrarcham audi Chriſtianè philoſophantem:

Vera, & firma potentia in virtute fundata eſt. Fundamentum hoc ſi detraxeris, quò major, eò periculoſior eſt ſtructura. Quid implere domos opibus juvat, arva ligonibus, maria claſſibus, ſi intus domeſtici hoſtes animum oppugnant, atque expugnant. Vis ut te potentem fatear? illos doma, finibuſque tuis pelle. Vince iram, vince cupiditatem, vince libidinem, vince teipſum, hoſtem etiam animæ tuæ.

Hæc ille, & rectè ac ſapienter, ut enim omnia viceris, niſi teipſum viceris, nihil viciſti; imo ut cætera victor, hoc uno victus dicendus es.

Et ita victus olim Alexander, cætera victor. Excipe, quæ de illo *Seneca*:

Alexander victor tot Regum, atque populorum, iræ, triſtitiæq; ſuccubuit. Id enim egerat ut omnia potius haberet in poteſtate, quàm affectus. *Epiſt. 113.*

Hæc

Hæc ubi de Alexandro protulit Seneca, tum converſo ſtylo in omne genus hominum, exclamat: *O quam magnis homines erroribus tenentur.*

Verè *magnis erroribus*, error enim vel maximus alia omnia vincere, & à ſe vinci, vinci à paſſionibus ſuis, ab affectibus depravatis.

Ne te occupet is error, *Amice Lector*, accipe AVGVSTINI votum, & ſi voles, etiam tuum:

Lib. 1. de Trinit.

Optandum eſt, inquit, *ut poteſtas non detur niſi contra vitia: propter quæ vincenda potentes nolunt eſſe homines, & volunt eſſe propter vincendos homines? Ut quid hoc? niſi ut verè victi, falsò vincant: nec ſint virtute, ſed opinione victores.*

Ubi hoc vitium, hunc errorem, qui paſſim in hominibus eſt, expoſuit S. Doctor, ubi & votum ſuum: tum hoc etiam à te exigit; & iſtud conficit:

Hanc igitur potentiam planè optet unuſquiſque, atque expetat: ut potens ſit in ſeipſo, & miro modo adverſum ſeipſum pro ſeipſo.

Et ita potentes fuerunt longè ſanctiſſimi Patriarchæ noſtri, ut videre erit in eorum actis, vitáque: hîc enim nonniſi generatim attingimus.

§. II.

Quædam incitamenta ad acquirendum in ſe, & ſuos affectus imperium.

VAria in medium produci poſſunt incitamenta: è quibus:

I. Incitamentum Dehoneſtatio naturæ rationalis.

Primùm eſt illud, quod paſſiones indomitæ, & affectus malè ordinati hominem mirum quantum dehoneſtant, eum quippe de gradu ſuo quodammodo dejiciunt, & ad bruta animantia abjiciunt: imò ſi voles, etiam infra illa deprimunt.

Pſ. 48. v. 12.

Hoc indicaſſe, imò & deploraſſe viſus eſt Vates Regius cum ſic de illo: *Homo cum in honore eſſet, comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Hoc eſt, interprete Bellarmino: Homo cùm præter animantia cætera à Deo præditus eſſet intelligentia, & ratione, libero arbitrio, Divinitatis imagine, immortalitate animæ, imperio ſuper omnia quæ ſub Sole ſunt, qui illi ſummus erat honor, non intellexit, adeoque *comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis*: cùm ſcilicet futura non aſpexit; ſed præſentibus inhiavit, abjectus ad paſtum, factusque ſuarum paſſionum mancipium, cum earundem & dominus, & domitor, eſſe debuiſſet: in illo brutis ac pecudibus ſimilis, imo & inferior, illa quippe eò feruntur cœco quodam impetu naturæ, inſtinctu innato, & nativa quadam neceſſitate: homo autem & intelligentia duce, & libertate comite ad ea devolvitur, & paſſionibus indomitis ſeſe inclinat, & ſubjicit: & naturæ, & ſibi, & rationi in hoc injurius: quid enim aliud eſt illis ſeſe ſubmittere, quàm beſtiis quodammodo parere, quod homini probroſum eſt quàm maxime.

Beſtiis, inquam, quid enim aliud ſunt affectus, pravi, quàm immanes quædam beſtiæ, quæ ex ipſo & in ipſo hominis ſinu enutritæ, in ipſum tandem aſſurgunt?

Lib. 6. Mor. c. 22.

Beſtias appello, & beſtias longè ante appellavit D. GREGORIVS Pont. Max. in illa Jobi verba: *Et beſtiæ terræ pacificæ erunt tibi.*

Poſſunt, inquit, *per beſtias terræ motus carnis intelligi, qui dum mentem noſtram irrationabilia ſuadendo laceſſunt; contra nos beſtialiter inſurgunt.*

II. Incitamentum Damna ab iis illata.

Venio ad ſecundum incitamentum, quod ducitur à damnis homini illatis à paſſionibus malè domitis: ea & multa ſunt, & gravia. Ex his

Primum eſt, quod intelligentiæ, & rationi, ceu bonæ mentis oculo, caliginem quandam affundant: *Solem ſæpè nubes obumbrant, rationem affectus*, inquit Plutarchus. *Vinum, libido, livor, & dæmon hos mente privant, quos tenent*; mente, hoc eſt ratione: ut habet græca paræmia. Et hinc, ut turbatus corporis oculus, unum pro alio cernit: ſic & animus depravatis affectionibus occupatus vera à falſis, utilia à noxiis non diſcernit. *Non prævalet mens turbata conſpicere, ad quod vix tranquilla valet inhiare*; nec enim *Sol in nubibus cernitur: nec imago in aqua turbata*; ut rectè D. GREGORIVS Pont. Max. Qui enim valeret turbato mentis oculo: turbatur autem à ſuis affectibus: *Ibi enim errat oculus, ubi errat affectus*, ut ſcitè D. AMBROSIVS.

Lib. 5. Mor. c. 20.

Ne porrò ſic erret, *Amice Lector*, Boëtium audi, & ſequere: ſic ille cecinit aliquando

Lib. 1. de Conſolat. Philoſoph.

Tu quoque ſi vis
Lumine claro
Cernere verum,
Gaudia pelle,
Pelle timorem,
Spemq; fugato.
Nec dolor adſit.
Nubila mens eſt,
Vinctáque frænis
Hæc ubi regnant.

II. Incitamentum Voluntatis captivitas.

Alterum incitamentum eſt, quod paſſiones effrænes, atque indomitæ captivam quodammodo teneant humanam voluntatem; ne bonum amet, ac ſequatur, & malum oderit, ac fugiat. Et hinc petulans jactat, & effert in reluctantes auras, *Video meliora proboq; , deteriora ſequor.*

Ratio porro alia eſt, atque alia. Una quod paſſiones ejuſmodi ſint veluti *vincula*, quibus aſtringitur, & retinetur voluntas, ne viam rationis, viam vitæ etiam ſibi ab intellectu exhibitam, ineat, etſi poſſit. *Quemadmodum*, inquit B. Laurentius Juſtinianus, *qui compediti ſunt, ut quo illis libuerit, gradiendi habeant poteſtatem, neceſſe eſt ut vinculis abſolvantur. Ita ab immoderato ſunt retrahendi affectu, quicumque ad Dominum rectis greſſibus appropinquare peroptant*: cujus cauſa hæc eſt, quia *ſæpè quod voluptuosè appetimus, neceſſarium ſuſpicamur*, & quia ſic ſuſpicamur, licet falsò, hæremus in iiſdem, quaſi neceſſitatis vinculis.

Altera ratio eſt, quod affectus depravati ſint veluti quoddam *pondus*, quo trahitur, inclinatur, ac deprimitur voluntas, ne ſe ad bonum eligendum erigat.

Lib. 9. Mor. c. 31.

Vehementes paſſiones, inquit D. GREGORIVS, *liberum poſt ſe arbitrium trahunt, quemadmodum pondus bilanci additum eam in alteram partem inclinat*: & hinc ſequitur

Tertium damnum, ſcilicet, miſeranda ſervitus ab indomitis illis cupiditatibus, ceu dominis, ceu tyrannis, ut de illis dici poſſit, quod de diis Gentilium Jeremias Vates: *Servietis diis alienis die ac nocte, qui non dabunt vobis requiem.* Cap 16 v 13.

Lib. 2. de Jacob. & vita beata.

Servietis, inquit, & hoc primum eſt malum, de quo ſic D. AMBROSIVS, *Servit quicumque metu frangitur, vel delectatione irretitur, vel cupiditatibus ducitur, vel indignatione exaſperatur, vel mœrore dejicitur.*

Epiſt. 47.

Servit, inquam, & quidem gravem, atque infamem ſervitutem: *Nec enim ulla ſervitus turpior eſt quam voluntaria, cùm alius libidini, alius avaritiæ, alius ſervit ambitioni*, ut diſertè Seneca.

Quartum damnum, & quidem longè graviſſimum eſt iſtud, quod qui ſic appetitibus ſuis ſervit, terris ita ſit affixus, ut ad cœleſtia ſeſe erigere nequeat; quod familiari ſimilitudine oſtendit Maximus Monachus:

Lib. 1. de Charitate.

Quemadmodum, inquit, *paſſerculus pede alligatus, volare incipiens, in terram funiculo detrahitur: ſic quoque mens nondum affectibus liberata, ad rerum cœleſtium cognitionem volare contendens, ab affectibus ducitur, & in terram detrahitur.*

Et hæc incitamenta, quæ petuntur ab incommodis quibus obnoxius eſt animus paſſionibus malè

domitis, veniamus ad commoda, pro quibus erit

III. Incitamentum ab utilitate, quæ ſurgit à paſſionibus edomitis.

Tertium incitamentum: 1. eſt pax, & tranquillitas animi: *Qui cupiditates vicit, pacem ſibi perpetuam dedit*; inquiebat D. CYPRIANVS libro de bono pudicitiæ. 2. Fortitudo, & invicta conſtantia. *Iure ea fortitudo vocatur, quando unuſquiſque ſeipſum vincit, iram continet, nullis illecebris emollitur, non adverſis perturbatur, non extollitur ſecundis*, ut rectè D. AMBROSIVS. (Lib. 1. Offic. c. 36.) 3. Sapientia, qui enim ſuis moderatur cupiditatibus, is ex vero ſapiens. *Tullium* excipe Romanæ eloquentiæ fontem: (Lib. 4. Tuſc. Quæſt.) *Quiſquis eſt, qui ea moderatione ſit, & conſtantia polleat, ut quietus animo ſit, ſibiq; placatus, ut nec tabeſcat moleſtiis, nec frangatur timore, nec ſitienter quid expectans, ardeat deſiderio, nec alacritate futili geſtiens, colliqueſcat, is eſt ſapiens.*

IV Incitamentum eſt Quædam veluti beatitas.

Quartum incitamentum eſt ab alta pace, & quadam velut in terris beatitate, quam obtinent ii, qui paſſiones ſubegerũt, & rationis imperio ſubjecerunt.

Beati pacifici in ſeipſis, inquit D. AVGVSTINVS, *qui omnes animi motus componunt, & rationi ſubjiciunt. Beati, qui carnis concupiſcentiis edomitis, regnum fiunt Dei; in quo nihil non ordine agitur, in quo mens imperat, non reluctantibus famulis, corporis ſenſibus.* (Lib. 1. de Serm. Dom. c. 2.) Hæc S. Doctor, à quo tranſeo ad

Quintum incitamentum; quod petitur ab exemplis eorum, qui etiam in purpura, etiam in obſcura infidelitatis nocte, paſſionibus omnibus frænum injeciſſe viſi ſunt.

Ex illis Davidem ſuſpicit, & amat D. AMBROSIVS, (Lib. 1. de Iacob, & vita beata.) Davidem dico, qui in ſummo æſtu, ſitique à qua exareſcebat totus, aquam è fonte Bethlemitico, & à ſe tot votis expetitam, & jam à duobus militibus hauſtam, oblatamque *profudit Domino, ne ſanguinem eorum, qui eam detulerant, bibere videretur. Quæ res indicio eſt, quod concupiſcentia quidem rationem præveniat; ſed ratio cupiditati reſiſtat.*

Alter, quem etiam prædicat ore ambroſio S. Præſul, eſt *Valentinianus* Imperator, magnus ſui domitor, de quo hæc in oratione funebri; quam de illo habuit:

Ferebatur, inquit, *primò ludis circenſibus delectari; ſic iſtud abſterſit, ut ne ſolennibus quidem Principum natalibus, vel Imperialis honoris gratia circenſes ludos putaret eſſe celebrandos.*

Aiebant aliqui eum venationibus occupari, atque ab actibus publicis intentionem ejus abduci: omnes feras uno momento juſſit interfici.

Iactabant invidi, quod præmaturè prandium peteret: cœpit ita frequentare jejunium, ut plerumque ipſe impranſus convivium ſolenne ſuis comitibus exhiberet: ut famis, ſic & concupiſcentiæ egregius domitor. Et hæc de illo magnus Præſul ſtylo aureo.

Secundùm Heroas illos produci poteſt *Socrates*, qui nec fleviſſe, nec riſiſſe viſus unquam in omni vita: hæc nimirum in illo fuit animi temperies, quam *nec lætitia nuptialis variare potuit, nec triſtitia illius diei, quo venenum hauſit*, inquit *Laertius*. (Lib. 2. c. 5.)

Et hanc animi temperiem adepti Patriarchæ noſtri, ut videre licebit in eorum vita rebusque præclarè geſtis, ad quæ te remitto, MI LECTOR.

§. III.

Adjumenta quædam ad acquirendum in ſuos affectus, atque paſſiones imperium.

INcitamenta, quæ jam extulimus votum excitant, & accendunt deſiderium; ſed manum operi non admovent, ideoque ſæpè parum, aut nihil promovent, maximè ubi difficile eſt, atque arduum opus quod probant, & commendant. Verùm *nihil tam difficile, & arduum, quod non humana mens vincat: nulliq; ſunt tam feri, & ſui juris affectus, ut non diſciplinâ perdomentur*, ut rectè *Seneca*: (L. 2 de Ira c. 12.) at qua, inquies, induſtria perdomentur? quibus & mediis, è multis pauca excipe.

Primum eſt, ut quis ſeipſe norit, & affectus, quibus potiſſimum impetitur: priùs enim eſt hoſtem noſſe, quàm cum eo congredi, & vincere. (I. Paſſionum cognitio.) Noſces autem primò tuâ doctus experientiâ, quæ te docebit etiam muta voce, qui affectus in rationem inſurgant frequentius, qui ſint importuni magis, ac moleſti: hos enim concitat ira, illos languor dejicit; alios inſolens lætitia erigit, nonnullos mœror, ac triſtitia deprimit, contra hos, & illos motus inſurgendum ubi noveris: Noſces deinde ex illis quæ in te naſcentur cogitationibus; cogitamus enim ea quæ amamus: & quod eſt in appetitu, eſt & in intellectu, atque ex eo dignoſcitur.

Vis noſſe, inquit S. FVLGENTIVS, *ubi ſit theſaurus tuus? attende quid ames. Vis noſſe quid ames? attende quid cogites: hoc eſt enim.* (Hom. de S. Confeſſione.)

Noſſe vis quà ſpiret ventus? nubes obſerva, quò feruntur illæ, eodem & ventus; ſic eò plerumque cogitatio, quò & affectus, qui veluti nubes eſt animo incumbens: Si de gloria, de dignitate, de Infulis, de ſceptro frequens ſit cogitatio, eodem quoque aſpirat ſuperbiæ & ambitionis aura: Si de auro, de gemmis, de opulento cenſu ſe ingerit opportuna, importunáve cogitatio, eodem afflat concupiſcentia oculorum: Sin autem de voluptate, de corpuſculi cura, ac delitiis affluat cogitatio; & eodem ſeſe diffundit concupiſcentia carnis. Ecce ut è cogitatione dignoſcitur affectus: ubi porro ſic dignoſcitur, tum ad manus veniendum, tum pugnandum acriter, & vincendum feliciter; de quo pulchrè *Caſſianus*: (II. Adverſus eas pugna.)

Ita nobis adverſus vitia arripienda ſunt prælia, ut unuſquiſque vitium, quo maximè infeſtatur, explorans, adverſus illud arripiat principale certamen, & quidem quam citiſſimè, & in ipſo quaſi limine; primóque aditu: (Collat. 5. c. 14.) *Facilius* enim *eſt initia eorum prohibere, quàm impetum regere*, ut disertè *Seneca*. (Ep. 85.) In confinibus arcendus eſt hoſtis, nam ubi portis animæ ſeſe intulerit ſemel, non facilè aut ejici, aut vinci poterit.

Beatus, inquiebat David, *qui tenebit, & allidet parvulos ſuos ad petram.* (Pſal. 136.)

At quinam illi parvuli? *Babylonii*, inquit AVGVSTINVS; hoc eſt *naſcentes malæ cupiditates. Ne cupiditas nequam prava conſuetudinis, robur arripiat, cum parvula eſt, elide illam.* Ne ad adoleſcentiam veniat, ne ad maturam ætatem, ne ad ſenectutem, & ſenium evadat.

Ne porrò ſic evadat, audiendus eſt D. AMBROSIVS, ſic ille mellea dicendi copia:

Præcurrit ætatis maturitatem quiſquis in adoleſcentia poſitus, ſenilem gravitatem induit, & juveniles annos veterana quadam continentia regit, fervorémque virentis corporis, in cana morum maturitate componit. Nam quid poteſt habere laudis, ſi effœtum corpus voluptatibus, & jam ſenectutis gelu frigidum, ad devotionis officia, depoſito jam vigore convertat? (In Pſal. 118.) Hæc pius Præſul, à quo tranſeo ad aliud, quod opportunè mihi ſuggerit D. BERNARDVS.

Eſt illud conſtans perſeverantia; in eo quippe pugnandi genere, non vincit niſi conſtans animus, qui contra inſurgentes paſſionum impetus continuò certat, & ad inſtar ſeduli agricolæ renaſcentes cupiditatum ramos quotidiè reſecat. (III. Et in ea perſeverantia.) Et hæc eſt ſimilitudo, qua in hoc argumento, quod præ manibus eſt, utitur D. BERNARDVS, illum audiamus: ſic ad nos in ſcriptis:

Quis ita ad unguem omnia à ſe ſuperflua reſecavit, ut nihil ſe habere putet putatione dignum? Credite mihi, & putata repullulant, & effugata redeunt, reaccenduntur, & ſopita denuo excitantur. Parum eſt ergo ſemel putaſſe, ſæpè putandum eſt. imò, ſi fieri poteſt, ſemper: quia ſemper, quod putari oporteat, ſi non diſſimulas, invenis. Quantumlibet in hoc corpore manens profeceris, erras, ſi vitia putas emortua, & non magis ſuppreſſa.

IV. Piarum affectionum. Ubi porro penitus ſuppreſſeris, ne rurſos emergant, pravarum loco affectionum, bonas, & ſanas ingere, ac pro illis ſuppone; quia ut rectè annotat Caſſianus: *Collat. 12. c. 5.* *Non poſſunt deſideria præſentium rerum vel deprimi, vel avelli; niſi pro iſtis affectibus noxiis, quos cupimus amputari, alii ſalutares fuerint intromiſſi. Nullatenus enim valet vivacitas mentis abſque ullius deſiderii, vel timoris, gaudii vel mœroris affectione ſubſiſtere; niſi hæc eadem fuerint in bonam partem immutata.*

Cap. 2. v. 12. Quomodo autem immutari debeant ac converti, explicat D. BERNARDUS in illod Dei ad Joëlem: *Convertemini ad me in toto corde veſtro. Convertatur*, inquit, *amor tuus ut nihil omnino diligas niſi ipſum, aut certè propter ipſum. Convertatur etiam ad ipſum timor* *Serm. 2. de jejunio.* *tuus, quia perverſus eſt timor omnis, quo metuis aliquid præter ipſum, aut non propter eum. Sic & gaudium tuum, & triſtitia æquè convertatur ad ipſum. Hoc autem ita fiet, ſi nonniſi ſecundùm eum doleas, aut læteris.* Hæc S. BERNARDUS.

Et hæc ſunt remedia, atque adjumenta quibus aliquando uſi ſunt SS. Patriarchæ, ut paſſiones omnes edomitas haberent, ut videre licebit in eorum geſtis, vitaque ſanctiore: ad quam te remitto, *Mi Lector.*

QUÆSTIO QUARTA PROOEMIALIS.

Ad illa verba: *Homines magni virtute.* v. 3. *Homines divites virtute.* v. 6.

§. I.

In quo vera magnitudo?

QUæſtionem hanc ſolvet Romanus ſapiens, qui negat eſſe magnos, quos cæcum vulgus magnos eſſe cenſet:

Nemo, inquit, *iſtorum, quos divitiæ, honoréſque in altiori faſtigio ponunt, magnus eſt. Quare ergo magnus videtur cum baſi ſua illa illum metiris? Non eſt magnus Pumilio licet in monte conſtiterit; Coloſſus magnitudinem ſervabit, etiamſi ſteterit in puteo. Hoc laboramus errore, ſic nobis imponitur; quod neminem æſtimamus ex eo quod eſt, ſed adjiciamus ei & ea quibus ornatus eſt. Atqui cum voles veram hominis æſtimationem inire, & ſcire qualis ſit, nudum aſpice. Ponat patrimonium, ponat Honores, & alia fortunæ mendacia, corpus ipſum exuat, animum intuere, qualis, quantuſque ſit, alieno, an ſuo magnus.*

Hæc ille, cujus calculo, is ſolus eſt *magnus*, qui animo magnus eſt, qui de ſuo magnus eſt, non de alieno, hoc eſt, qui virtute magnus. Hæc quippe *Lib. 1. de Ira.* ſola magnum facit. *Sola ſublimis, & excelſa virtus eſt*; ut pulchrè Seneca. Et ab hac ſublimis, atque ex- *Hom. 48. in Acta Apoſt.* celſus eſt animus. *Magna revera eſt anima, quæ affectioni non ſervit*, inquit D. Chryſoſtomus; cui conſonat D. Gregorius, quo judice *Magnus is eſt, qui æter-* *Lib. 5. Mor. c. 34.* *na concupiſcit*: quod virtutis eſt arduæ, & quia virtutis, ideóque & veræ magnitudinis.

Hæc omnia in ſe continet bona, quod & agnovere Veteres etiam profani, quos inter etiam *Plautus*, cujus hoc eſt effatum:

Virtus omnia in ſe habet, omnia adſunt bona, quem penes eſt virtus. Quod ſi omnia in ſe habet bona, certè qui ea præditus eſt, ex verò *Magnus*, utpotè in quo omnia ſunt bona; adeóque & magna.

Et ita Chriſto etiam judice magnus JOANNES BAPTISTA: ſed magnus *coram Domino*, quod ſolum magnum eſt. Et ita magni quoque Patriarchæ, quia à virtute magni. Conſule quid de illis authores: ego theſim hic pono, tibi hypoteſim relinquo, AMICE LECTOR.

§. II.

Ad illa verba: *Divites virtute.* verſ. 6.

Quæ ſint veræ divitiæ?

EX vulgi calculo auri vas, argenti maſſa, pretioſa ſuppellex, gemmæ, uniones, agri, villæ, & aliæ ejuſmodi, divitiæ ſunt; at non ſic judicio ſapientum. *Senecam* audi: ſic inquit:

Divitem illum putas, quem aurea ſuppellex in via ſequi- *Epiſt. 111.* *tur, qui in omnibus provinciis arat, qui multum ſuburbani agri poſſidet? Cùm omnia dixeris. Pauper eſt. Quare? quia debet. Quantum inquis? Omnia.*

Debet omnia fortunæ, ut opinatur *Seneca*: ego chriſtianè dixero, debet omnia Deo, à quo veluti mutuo ea accepit. Quod ſi ea debet, certè iis dives nec eſſe, nec dici poteſt; nec illa etiam divitiæ ſunt appellandæ, cujus ratio alia eſt atque alia.

Prima eſt illa, quam aliquando extulit D. AUGUSTINUS: quia fluxæ ſunt, & amitti poſſunt: imó *In Matth.* & re etiam ipſa tandem amittuntur:

Vera autem *illæ divitiæ ſunt, quas cum habuerimus, perdere non poſſumus*; at divitias hujus ſæculi perdere poſſumus: igitur non ſunt veræ divitiæ; ſed hujus dumtaxat ſæculi divitiæ: & ſic appellandas cenſuit Apoſtolus, qui ſic aliquando ad Timotheum:

Divitibus hujus ſæculi præcipe non ſublime ſapere. In *1. ad Timot. c. 6.* quæ verba ſic D. CHRYSOSTOMUS:

Idcirco præſentis ſæculi divites, divites appellavit, ut diſcas quod cum præſenti vita pariter divitiæ diſſolvantur, nec migrent cum poſſeſſore; ſed potius ipſum deſerant ante mortem. Quod dum æqua voce expendit D. BERNARDUS, ſic ad illos:

Quid vobis cum terrenis divitiis, quæ nec veræ, nec veſtræ ſunt: Si enim veſtra ſunt, tollite eas vobiſcum; ſed homo cùm interierit, non ſumet omnia.

At inquiet unus aliquis, ut in morte, & à morte nos deſerant divitiæ: at in vita ſunt fidi comites. nec illod tibi dedero: ut enim Author operis imperfecti: *Omnia bona mundi triplex interitus tollit: aut* *Hom. 30. in Matth. c. 6.* *enim ex ſeipſis veteraſcunt, aut luxu dominorum ſuorum conſummuntur, aut ab extraneis dolo, vel violentia, vel calumnia diripiuntur.*

Accedit & alia ratio, quòd mundi divitiæ & viles ſint, & abjectæ: quid enim *aurum, & argentum*, *Serm. 4. de Advent.* inquit D. BERNARDUS, *niſi terra rubra, & alba, quam ſolus error hominum facit, aut potius reputat pretioſum*; cui concinit illud Poëtæ:

Stulte quid eſt aurum fulva niſi portio terræ?

Hinc & illud Vatis alterius:

Nil opus eſt auro, fœdis quod terra cavernis evomit; & tamen ut illis nil opus ſit, plerique mortalium illi cumulando incombunt toti; contra quos incurrit

Tertia ratio, quòd etiam divitiæ noxiæ ſint. Hinc *Hom. 3. in 2. Epiſt. ad Theſſalon.* D. Chryſoſtomo, oratore aureo, *Spinæ ſunt.*

D. Bernardo, *Laquei diaboli*: quod ubi dixit S. Præſul, tum æſtu quodam ſeu ſtuporis, ſeu doloris, exclamat: *Heu quàm paucos invenimus, qui ab hoc laqueo liberati exultent; quam multos, qui dolent, quòd parum ſibi videantur irretiti; ſed adhuc quantum poſſunt ipſi ſe involvere, & intricata laborant.* Hæc pius Præſul in illud Apoſtoli: *Qui volunt divites fieri, incidunt in la-* *1. Timoth. c. 6.* *queum diaboli.*

D. Chryſologo aurum pondus eſt, & onus grave, ſic enim inquit: *Aurum natura grave, gravius fit avaritia. Hinc eſt, quod plus habentem deprimit, quàm ferentem; & vehementius aggravat corda, quàm corpora.*

D. Auguſtino, *Aurum eſt materia laborum, pericu-* *Serm. 29. de verb. Dom.* *lum poſſidentium, enervatio virtutum, malus Dominus, proditor ſervus.*

Quarta ratio eſt, quòd divitiæ moleſtæ ſint ſuis poſſeſſoribus, quod D. CHRYSOSTOMUS in illud Regii Vatis: *Sed & fruſtra conturbatur homo*: aureè ut aliàs ſolet, ſic exponit:

Commo-

Commoventur aquæ, & iterum ſedantur; movetur terra, & iterum ſubſidit: venti impelluntur, & tandem quieſcunt; flamma excitatur, & conſumpta denique materia extinguitur. At verò homo cùm ſemel pecuniæ cupiditate agitari cœperit, numquam quieſcit, numquam deſinit. Cùm hoc accepit, ad illud cupiditate rapitur: & cùm illud aſſecutus eſt, ad aliud impellitur. Hinc illi nulla quies, adeoque bonum nullum, nullæ veræ divitiæ: quæ igitur veræ?

In promptu eſt reſponſio; eæ, quæ in virtute poſitæ ſunt, vel fundatæ.

Hujus aſſertionis meæ patronos, ac defenſores habeo Authores quamplurimos tam ſacros, quàm profanos: ex his eſt Orator Romanus, cujus hoc effatum:

Quis dubitet quin in virtute divitiæ poſitæ ſint? quoniam nulla poſſeſſio, nulla vis auri, & argenti, pluris quàm virtus æſtimanda eſt. Hæc ille in paradoxis, cui conſentit Seneca; quærit enim *quæ ſint maximæ divitiæ?* & reſpondet: *non deſiderare divitias*, quod ſanè virtutis eſt. *Lib. de moribus.*

A profanis tranſeo ad ſacros Oratores, in quibus facilè princeps D. CHRYSOSTOMVS, cujus hoc pronuntiatum, *Divitiæ maximæ non egere divitiis.* cui adſtipulatur D. GREGORIVS, Pont. Max. cujus judicio, *Solæ divitiæ veræ ſunt, quæ nos virtutibus divites efficiunt.* *Hom in illud: Exiit qui ſeminat.*

Huic conſentit D. BERNARDVS, quo authore, *Veræ divitiæ, non opes ſunt; ſed virtutes, quas ſecum conſcientia portat, ut in perpetuum dives ſit.* Et illis divites SS. Patriarchæ, quorum gloriæ hic præludimus. Videri poſſunt ab iis acta: hactenus enim tantum generatim attigimus, quæ deinde fuſius ſpeciatim, quod priuſquam aggrediamur, ſit

PROOEMIUM TOTIUS OPERIS
AD RELIGIOSOS.

E PLVRIMIS, iiſque ſanctiſſimis Religioſorum Ordinum Patriarchis, ac Fundatoribus, aliquos dumtaxar elegi, quorum Virtutes, aliáque animi decora, réſque præclarè geſtas, luci darem, & publico: nec enim omnes, aut ingenii mei tenuitas complecti, aut hujus Opuſculi anguſtiæ capere potuerunt. Ad paucos igitur reſtringenda, ac veluti coarctanda fuit oratio, in quâ etiam ſervandum eſſe duximus Ordinem Antiquitatis, quæ apud omnes in honore eſt, ac veneratione.

Ii porrò erunt S. AVGVSTINVS, S. BENEDICTVS, S. BRVNO, S. BERNARDVS, S. NORTBERTVS, S. DOMINICVS, S. FRANCISCVS ASSISIVS, S. FRANCISCVS DE PAVLA, S. IGNATIVS DE LOIOLA, S. PHILIPPVS NERIVS, S. URSVLA, S. TERESIA; grandes animæ, fortia pectora, Heroes inclyti, Legiſlatores ſapientiſſimi, in quos cadere poteſt magnificum, & auguſtum illud Elogium; quod aliquando in quadraginta Martyrum laudem extulit *D. Baſilius*, cognomentu & re etiam ipsâ *Magnus*.

Hi ſunt, qui noſtram obtinentes regionem, quaſi quadam turres contra adverſariorum incurſum, refugium exhibent; nec uno in loco ſeſe clauſerunt: ſed in multis locis hoſpitio recepti, multorum patriam ornaverunt. Paratum hîc eſt Chriſtianis auxilium. O ſanctum Chorum! ô ſacrum Ordinem! ô cuneum inexpugnabilem! ô communes generis humani cuſtodes! optimi curarum ſocii, precum, ac votorum invicem ſuffragatores, legati apud Deum potentiſſimi, aſtra mundi, flores Eccleſiarum. Apertæ ſunt vobis Paradiſi portæ, dignum profectò exercitibus Angelorum, Patriarchis, Prophetis & Iuſtis omnibus, ſpectaculum.

Hæc D. *Baſilius* ad *Quadraginta Martyres*; quæ ego ad Vos, Confeſſores longè clariſſimi, Martyres invictiſſimi. Quidni enim Vos appellem Martyres.

An non *Martyrium*, ſpontanea *Paupertas*, quâ etiam petitur jugulum æſtrenis illius amoris, atque concupiſcentiæ, quæ in nobis eſt, auri, argenti, opumque cogendarum?

An non *Martyrium*, candida illa, virgineaque *Caſtitas*, per quam in primo vernantis ætatulæ flore, in fragili corpore, in carne mortali, ſic vivit homo, quaſi nuda propemodum anima? Enimverò Martyrium eſt, etſi ſine cæde, ſine ſanguine: non tamen ſine pugnâ atque certamine.

An non *Martyrium*, religioſa, eaque perpetua, ac perennis *Obedientia*, per quam mortalis homo immortali Deo; imò & luteus homo, homini pariter luteo ſubditur; ſimulque ſupremo Numini immolatur illius voluntas, origo libertatis, fons meriti, potentiarum omnium domina, ac regina? profectò Martyrii genus eſt, & eò quidem difficilius, quò diuturnius, & ipsâ diuturnitate moleſtius.

Ecquid enim? nonne omnis, quæ à Martyrio petitur laus, & gloria; ea vel pendet à laqueo, vel à ferro, ignevè ducitur, vel ab alio quopiam ſupplicii genere, quod plerumque breviſſimi temporis moram occupat? At, quæ, ab *Obedientia*, palma colligitur; ea ferè trahitur in ævum: certè à primo aditæ religionis limine, ad ultimam uſque vitæ metam diducitur. Et non erit ab illâ Martyrii decus, & laurea? erit omnino apud æquos rerum iſtarum æſtimatores ac judices, veroſque tantæ & tam arduæ Virtutis admiratores; ſimulque ejuſdem Patronos, ac defenſores.

Vos igitur amo, ac veneror, verbiſque pauculis compello, ô fortiſſimi pugiles; à *Paupertate*, *Caſtitate*, & *Obedientiâ* Religioſâ, Chriſti Martyres. Vos eſtis, *qui noſtram obtinetis regionem*. Quid regionem dico? Orbem univerſum dicere debui. Vos enim eum impleſtis, & numeroſâ fœcundâque prole, & ſanctitatis famâ, & gratiâ miraculorum. Italia certè, Hiſpania, Gallia, Germania, Anglia, & quà longè latéque patet Europa, veſtros olim in terris labores, ſudoreſque, admirabunda collegit, & modò veſtros in cœlis favores, opportunáque ſuis in malis remedia, gratulabunda excipit, ſuſpicitque. Vos enim eſtis veluti quædam munitiſſimæ *Turres*, ad quas confugiant infirmi mortales; ſi fortè aliquis à Mundo, à Carne, à ſtyge incurrat, atque infeſtet hoſtis.

Vos eſtis Patriæ veſtræ decora, atque ornamenta: Tuque imprimis, *Africæ* gloria, magne Divorum parens, AVGVSTINE. Vos Italiæ lumina, BENEDICTE, FRANCISCE, PHILIPPE. Vos Hiſpaniæ columina, atque firmamenta, DOMINICE, IGNATI, TERESIA. Vos fortiſſima Galliæ propugnacula, ſeu tu in ſolitudine, Carthuſiâque tuà, ô Dive BRVNO; ſeu tu, in tuo Ciſtercio, Claráque Valle, cui utique valle, ô BERNARDE. Neque vis tua, columna tua, deficiet unquam, fœcunda Heroum mater Germaniæ: te quippè ſuo fulciet patroci-

patrocinio NORTBERTVS, & ſub immani hæreſeos mole, etiam hodie nutantem, ac propè fatiſcentem, ſuſtentabit. Denique & te etiam, ô Anglia, quondam proh dolor! inclyta Martyrum, Confeſſorumq́ue parens, ac nutrix; te, inquam, tuebitur, ac propugnabit URSVLA, dum ſuas in tui tutelam explicabit acies, & toto effundet campo *Virginum, Martyrumq́ue*, undecim omnino millia.

Ita (Vos enim alloquor, ô religioſæ vitæ prima lumina) Vos Africæ, Italiæ, Hiſpaniæ, Galliæ, Germaniæ, Angliæq́ue lucem attuliſtis: nec illis tantùm; ſed per eam, quam Univerſo dediſtis, religioſam ſobolem, etiam Aſiæ, Americæq́ue, novis utique orbibus, illuxiſtis; veluti ſtellæ quædam, altioráque orbis Chriſtiani ſidera; ad quorum lucem, ſplendorémque, attoniti dum ſtamus, æſtu quodam, ſeu amoris, ſeu ſtuporis, exciti, cum *D. Baſilio* exclamabimus:

O ſanctum Chorum! ô cuneum inexpugnabilem! ô communes generis humani cuſtodes! ô fideles, optimique curarum ſocii! ô precum, votorúmque noſtrorum ſuffragatores! ô potentiſſimi apud Deum Legati! ô aſtra mundi! ô flores Eccleſiarum! ô patentes atque explicatæ Paradiſi portæ! ô ſupremo Numini! ô altiſſimis cœlorum Intelligentiis! Iuſtis omnibus, digniſſimum ſpectaculum!

O *ſanctum*, inquam, *Chorum*; non ineptâ, & ſcurrili lætitiâ laſcivientium; ſed piè, ſanctéque, aut mortalium malis adlugentium, aut in Dei, Divorumq́ue laudibus, jubilantium.

O *inexpugnabilem cuneum!* cui nec vires, nec animus, nec arma deſunt; nec cœleſtis à virtute, gratiáque divinâ commeatus, in quem licèt ex erebo incurſet hoſtis, iramq́ue omnem accendat, impreſſionemq́ue faciat; fruſtrà ſit tamen: quin etiam, & illum, factæ in vanum aggreſſionis, excruciabit dolor, & pudor ſuffundet.

O *communes generis humani cuſtodes!* primùm in hac aurâ mortali; dum ſuos, à luporum, id eſt hæreticorum, dente liberant, & à dæmonum inſidiis, incurſuq́ue cuſtodiunt, ut oves ſolet vigilans paſtor; tum etiam è cœli regiâ, è quâ, velut è ſpeculâ, dum imminentia nobis pericula deſpiciunt, ea quoque à cervicibus noſtris avertunt, & quàm longiſſimè propulſant, cuſtodes optimi, vigiles opportuni.

O *potentiſſimos apud Deum Legatos!* ac veluti ſacra quædam noſtri generis ora, diſertáſque linguas, quæ apud Deum pro nobis orent, atque exorent. Rerum publicarum, Magiſtratuum, Populorumq́ue Tutores facti, aures, oculiq́ue Regnorum, & quidem in causâ multù graviſſimâ, in quâ de ſalute, de vita, atque de ipſâ, quanta quanta eſt, agitur æternitate.

O *Aſtra mundi!* quæ ſcilicet ex loco eminentiore ſua effundunt lumina, ſeu ea eſſe velis melioris ſapientiæ; ſeu virtutis arduæ, ac ſanctitatis; ſeu denique cœleſtium influentiarum, ac munerum, à quibus & vitam hauriant & ſalutem ii omnes, qui vim earum beneficam experti fuerint.

O *flores Eccleſiarum!* quos ſummus ille cœli, terræq́ue Colonus, in tot diviſit areolas, quot religioſas ab illis plantavit familias, in quibus amabili, amœnáque varietate, & candida à Virginibus lilia, & rubeæ à Martyribus roſæ, & purpureæ à Confeſſoribus violæ, naſcuntur, efflorefcunt, ac rident.

O *Patentes, atque explicatas paradiſi portas!* per quas in cœleſtem aulam, in divorum atria, ipſumq́ue, veluti Dei Omnipotentis, ſinum, via pateſcit, daturq́ue ingreſſus in beatam æternitatem, nullo unquam fine terminandam.

O denique ipſi Deo, ipſiſque cœlorum Intelligentiis, Patriarchis, Prophetis, Divíſque omnibus, ut digniſſimum, ſic & jucundiſſimum ſpectaculum! quo dum oculos, animoſq́ue paſcimus: ſimul etiam, & ſuſpicimus, & amamus, tot erectas à Vobis eſſe *virtutum Scholas*; tot *gymnaſia Sapientiæ*; tot *Sanctorum ſeminaria*; tot *Dei caſtra*; tot *Arces refugii*; tot militantis *Eccleſiæ propugnacula*; tot *Mundi ſidera*; quot Orbi Chriſtiano Religioſas dediſtis familias; pro quibus (ut cum *D. Baſilio*, à quo cœpi, ita etiam finiam) *unum pro pietate omnes trophæum erigentes, unâ etiam Iuſtitiæ coronâ ornati eſtis in Chriſto IESV.* *Supra in fine.*

DE

DE
SANCTO AVGVSTINO
HIPPONENSI EPISCOPO;
ECCLESIÆ DOCTORE,
ET ANTIQUISSIMI ORDINIS FUNDATORE.

PROŒMIUM.

DIVI Patris AVGVSTINI Ordo, ut antiquiſſimus eſt, ſic & Orbe toto longè celeberrimus. In eo fuere tum *Canonici Regulares*, qui & Clerici nominati: tum *Monachi*, quos *Eremitas S. Auguſtini* appellari placuit.

Clerici fuiſſe videntur jam inde ab ipſis Apoſtolis inſtituti: deinde lapſis aliquot ſæculis, Regula à D. AVGVSTINO donati, eâque ad ſublimius vitæ genus evecti. De his ille ipſe S. Pater, jam Infula Pedoque clarus:

Perveni ad Epiſcopatum, & ideo volui habere in iſta domo Epiſcopi meum Monaſterium Clericorum. Hi primùm in Africa, deinde in Hiſpania, Gallia, Germania, Polonia, Italia, Europáque tota longè latéque diffuſi, & hoc Principum, Regum, ac Pontificum gratia, favore, opibus; quibus mirum quantum aucti.

Ei quidem (ut alios Pontifices in præſentia taceam) à GELASIO Pont. Max. in Italiam evocati, deinde à LEONE Papa in Lateranenſem Eccleſiam inducti, in qua & fuere, & floruete per annos octingentos, eóque ampliùs, ſub ſanctiſſimis Divi Patris AVGVSTINI inſtitutis. Ita mihi author eſt Genebrardus, & Onuphrius: ex quibus, aliiſque, pauca mihi erunt delibanda, in laudem, & commendationem religioſiſſimi, & præſtantiſſimi hujus Ordinis.

Prima petetur ab illius alumnis, è quibus extitere longè plurimi, quà doctrina, quà virtute, quà dignitate illuſtres, atque conſpicui.

Certè *Ticinenſis* in ſuo propugnaculo Ordinis Canonici hoc aſtruit, quod mirè facit ad ſplendorem, honorémque illuſtriſſimi Ordinis Canonicorum Regularium: Aſtruit, inquam, ex eo prodiiſſe Romanos *Pontifices* quatuor ſupra quinquaginta: *Cardinales*, autem mille quingentos, ſexaginta ſeptem. Et hæc à Tiarâ Pontificia majeſtas fuit; ille à Purpura nitor, decorque: ſed audeo dicere, major ab illis, quos Beatorum faſtis adſcriptos, ſuſpicit univerſus terrarum Orbis. Fuerunt autem illi *ſedecim mille ducenti. Breve elogium; ſed prolixum totius laudationis, quæ nulli unquam religioſæ congregationi attributa fuit, ſuffragium*, inquit ille ipſe Ticinenſis.

Ei hæc D. AVGVSTINI Inſtituto, à Canonicis Regularibus, addita lux eſt, & claritudo: Suppar illi alia à *Monachis*, & *Eremitis*, quorum etiam & parens, & author, fuit ille ipſe S. Eccleſiæ Doctor; qui ſic aliquando contra *Petilianum*, petulanter ſibi inſultantem, ſcripſit:

Perrexit ore maledico in vituperationem Monaſteriorum & Monachorum, arguens etiam me, quod hoc genus vitæ à me fuerit inſtitutum.

Ore verè *maledico*, quale & hæreticis eſſe ſolet, & impugnatoribus Ordinum Religioſorum, dum eam, quam vel à doctrinâ, vel à moribus ac ſanctitate, habent lucem, non ſuſtinent; *ore maledico* carpunt; & quà poſſunt dilacerant famam: Sed fruſtra ſunt. Stat enim, ſtabitque in ævum omne, illi ſacro Ordini, ſua lux, ſua gloria, ſuus ſplendor.

Stabit, inquam, à Viris doctrinâ, & virtute illuſtribus, *Alipio*, *Eutropio*, *Paulino*, *Poſſidio*, *Evodio*, *Fulgentio*, *Hilario*, *Vincentio*, *Proſpero*; aliiſque.

Stabit & à Martyribus, verè Purpuratis Patribus: meliore utique purpura, ideſt ſanguine, ceu murice nobili, tinctis: *Liberato*. *Rogato*. *Septimo*, *Bonifacio*, *Servio*, *Ruſtico*, *Maximo*, in Wandalica perſecutione Martyribus, Aliiſque quamplurimis, qui victrices cœlo palmas intulerunt.

Stabit & à ſanctis Confeſſoribus: *D. Nicolao Tolentinate*, ſui ævi Thaumaturgo; qui & ſedecim mortuos vitæ reddidit, & huic luci; innumera inſuper alia patravit miracula; ut teſtantur appenſa ſacris illius aris anathemata, quæ vidi, & ſuſpexi, in ea Urbe, cui ipſe nomen famamque fecit.

Stabit denique, etiam ab ipſa ejuſdem magni Præſulis (ideſt AVGVSTINI) *Regula*, quam Ordines Religioſi omninò quadraginta, complexi ſunt, quos inter *Equitum Militenſium*, *Præmonſtratenſium S. Trinitatis*, *S. Mariæ de Mercede*, *S. Hieronymi*, *D. Dominici*, aliique, quos in præſentia taceo, ne longior ſim, quàm patiantur ipſæ Proœmii, (hoc eſt compendii) leges.

Deſcendo ad AVGVSTINVM, Præſules inter, atque Doctores, facilè principem: & ut quidam loquitur, *inter Sanctos doctiſſimum; inter Doctos ſanctiſſimum.*

Doctorum eſt, primò profunda tum naturæ; tum gratiæ, tum etiam ipſius Divinitatis (quantum mortali fas eſt) ſcrutari; deinde eadem è tenebris, altáque nocte, in lucem ſolemque evocare: quod cæteros inter feciſſe vel maximè viſus eſt D. AVGVSTINVS. quod ut pateat, pauca delibabimus

EX D. THOMA.

IPſâ luce D. AVGVSTINO dicata, ac ſolemni, argumentum ſumpſit ex illo Iobi:

Profunda fluminum ſcrutatus eſt. & abſcondita in lucem produxit; quod ut explicet, quatuor, inquit, ſunt *flumina*, videlicet, *Scriptura*, *Creatura*, *Culpæ*, & *Gratiæ*; quorum *profunda ſcrutatus eſt* D. AVGVSTINVS. Cap. 28.

Ei quidem primò *Scriptura*, etiam triplicis, *Philoſophorum*, *Hæreticorum*, & *Sanctorum*.

De primo ſic olim Hieremias: *Quid tibi vis in via Aſſyriorum, ut bibas aquas fluminum?* fluminum dico profanæ ſapientiæ, in via *Aſſyriorum*, ideſt *mundanorum*. Cap. 2.

De ſecundo ſic ille ipſe Vates: *Quid tibi in via Ægypti?* id eſt, hæreſeos, *ut bibas aquam turbidam?* errorum ſcilicet, turbata ab illis mente, atque intelligentia.

De tertio ſic Vates Regius: *Elevaverunt Domine flumina vocem ſuam.* Flumina, inquam, divinioris ſapien- Pſal. 92.

Digitized by Google

ſapientiæ: ex hoc flumine hauſit uberiùs D. AVGUSTINVS, qui ex aliis prius infæliciter hauſerat, Primò Philoſophus, dein Hæreticus, denique Catholicus.

Scrutatus deinde *profunda* creaturæ, & quidem triplicis: *Spiritualis*, *Corporalis*, *& Compoſitæ*. *Spiritualis* quidem, ſeu Angelicæ in libro de Hierarchia Angelica. *Humana* verò, in eo, cui titulum fecit, de *Spiritu*, *& Anima*. *Compoſitæ* demum, in libro de *Geneſi ad litteram*.

Tertiò, *Scrutatus eſt profunda culpæ*, & quidem triplicis videlicet *Originalis*, lib. 1. Confeſſionum. *Actualis*, à ſecundo ad nonum. *Mortalis*, *& Venialis*, lib. decimo.

Denique, *Scrutatus eſt profunda gratiæ*, etiam triplicis; ſcilicet, *Prævenientis*, *Subſequentis*, *& Perficientis*: hæc gratiarum flumina pervaſit, expanditque libro de gratiâ, quem poſteris reliquit.

Et hoc primum profundi Doctoris, id eſt AVGUSTINI, officium; cui acceſſit & alterum, in abſconditorum manifeſtatione; quæ enim humanis mentibus erant abſcondita, ea produxit in lucem cognitionis. Videlicet *Trinitatis*, libro, quem illi inscripſit. *Cœleſtis civitatis*, libro de Civitate Dei. *Scripturæ*, in expoſitione Iſayæ, Ioannis, Canticorum, Geneſis, & aliorum, quæ pro ea, qua valuit ingenii luce, aperuit, atque explicuit. Et hæc ex D. Thoma.

EX EVANGELIO.

Eccleſia, quam Deus in terris conſtituit, velut altioris Sapientiæ ſedem, & columnam Veritatis; die Doctoribus ſacro ac feſtivo, prælegit: Primo illud Matthæi: *Vos eſtis ſal terræ*; tum etiam hoc: *Vos eſtis lux mundi*. Matth. c. 5 v. 13 & 14. Ut hac, & illa ſimilitudine ſub ſenſum ponat, qui, qualéſve mundo ſint Eccleſiæ Doctores; hoc ſcilicet quod ſal cibis eſſe ſolet; quod lux univerſo; quod oſtendere noſtræ hîc erit curæ, ac laboris, pro quo ſit

QUÆSTIO PRIMA

MORALIS.

Ad illa verba: *Vos eſtis ſal terræ.* Matth. c. 5 v. 13.

CUR SACRÆ ECCLESIÆ DOCTORES SAL TERRÆ?

PRIUSQUAM eò delabar, pauca de ipſa ſalis Etymologia; ex qua intelligemus quid nominis: tum de ipſa natura, ex qua ſciemus quid rei.

Sunt qui velint *ſal* dici à *ſaliendo*, quod in igne ſaliat ac reſiliat.

Alii à *ſalo*, id eſt, mari, quod ſalſum eſt: naſcitur enim ex illius ſpuma ſole decocta.

Alii denique à *ſole*, vel à *ſalo*, *ſoléque*: ex quo manavit illud Iſidori: Lib. 16. Ethymol. c. 2. *Nihil utilius ſale*, *& ſole*; Et hæc de nomine. De re, deque natura, hæc accipe. Eſt ſal aqueæ, igneæque naturæ, continetque ignem, & aquam: hinc igneſcit in igne, & in aqua ſolvitur.

His ex nomine naturáque conſtitutis, in quæſtione eſt cur ab Incarnata Divini Verbi Sapientia, & Apoſtoli, & Doctores dicti Sal terræ? cur non potiùs argentum, aurum, gemmæ? Certè ſi à rebus hujus mundi inferioris petenda ſit comparatio, ab his profectò petenda quæ ſunt in pretio.

Ita petiere Divi Patres, ita ſacri Vates, *Aurum* hi dixere, & quidem *optimum*, & *lapides ſanctuarii*, hoc eſt pretioſiſſimos.

Ita SS. Cyprianum, & Ambroſium lapides pretioſos appellavit ipſe AVGUSTINUS: Serm. 118. *Sunt*, inquit, *in Eccleſia lapides pretioſi*, *& ſemper fuerunt*, *docti ſcilicet*, *abundantes ſcientia*, *& eloquentia*.

Ita Euſtachium Antiſtitem, atque Doctorem Lib. 8. c. 45. *Caſtitatis margaritam*, appellavit Nicephorus.

Quod ſi neque hæc, neque illa ſatis ampla, ſatis magnifica videatur appellatio, altiore verbo utere, & illud pronuntia. Doctores *Aram* eſſe *Divinitatis*. Lib. 20. contra Fauſtum cap. 3. Et ita pronuntiavit ille ipſe, de quo ſcribimus, AVGUSTINUS: *Aram eſſe Divinitatis*, *mentem bonis artibus*, *& diſciplinis imbutam*.

Cur igitur ipſa Dei ſapientia, nec aurum eſſe dixit, nec gemmas? nec clariore metaphora uſus, Aram Divinitatis? enimvero potuit; ſed à ſale maluit & appellari, & eſſe *Sal terræ*. Quæ cauſa? hic mihi ſolvendus erit quæſtionis nodus.

Primò, *Sal* eſt quaſi *balſamum naturæ*, quod ipſa omnibus propè mixtis inſervit, ut ea condiat, & à corruptione præſervet; ſic & Doctores, veluti *terræ balſamum* balſamum animarum, ne in lutea illa carnis mole, à peccati corruptione putreſcant.

Secundò, *Sal* ſapientiæ ſymbolum eſt; condit enim cibos ut ſapidi ſint: ſic & Doctorum ſapientia condit animos, ut altiora, ac divina ſapiant. Hinc illud Comici, *Si quis haberet ſalem*, *qui in te eſt*; hoc eſt ſapientiam. Hæc enim ſapor eſt mentis, ut ſal ſapor cibi.

Tertiò, *Sal*, ut aqueæ eſt naturæ, humectat; ut igneæ, accendit: ſic & Doctores melioris ſapientiæ fluentis animos imbuunt, atque irrigant: & tamen etiam incendunt igne divini amoris.

Quartò denique, *Sal* acredine mordicat, & pungit: ſiccat, & urit. Plinium audi: *Salis natura* Lib. 31. c. 9. *per ſe ignea*, *& inimica ignibus*, *fugiens eos*, *omnia erodens*, *corpora verò aſtringens*, *ſiccans*, *alligans*. *Defuncta autem & putreſcentia ita vendicans*, *ut durent*, *etiam per ſæcula*. *In medendo verò mordens*, *adurens*, *repurgans*, *extenuans*, *diſſolvens*. Sic & Doctores, acriore ſuo, igneóque ſermone, vitâque, & vitia hominum pungunt, emordicant, ſiccant, atque exurunt.

§. 1. *D. AMBROSIUS SAL TERRÆ.*

MIrabitur fortaſsè unus aliquis, quod die D. AVGUSTINO ſacrâ, ac ſolemni, de D. AMBROSIO ſermonem injiciam, probémque ſalem terræ fuiſſe: at mirari deſinet, ſi ex me audiat, tum temporis terram fuiſſe AVGUSTINUM, cujus proinde ſal fuit AMBROSIUS, ut deinde etiam ab illo ſal aliis eſſet ipſe AVGUSTINUS.

Terra, inquam, erat AVGUSTINUS; ſed terra aquoſa, paludoſa, totáque in venerem, & molliculæ carnis voluptates ſoluta.

Terra erat infœcunda, & maligna quadam ſterilitate damnata, in qua ſcilicet nil niſi tribuli peccatorum, & infœlix lolium hæreticæ pravitatis, erroriſque Manichæorum.

Ut porrò ea terra naturam mutaret, & aquâ opus fuit, & igne, ex quibus deinde ſal eſſet: At unde aqua, unde ignis? Aquam dabit bona mater MONICA; ignem verò AMBROSIUS: ex hoc, & illâ fieret ſal quàm optimum: & ita factum eſt, & factum opportu-

opportunè: Sal fuit, eritque in ævum omne Divus AVGVSTINVS.

Ut autem eſſet, aquam ſuperinfudit MONICA pro ſalute filii piè ſollicita: at quam, inquis, aquam? & unde? Aquam lacrymarum, è gemino deductam oculorum fonte: O aquam! ô fontem! ô lacrymas! quo vos appellem nomine?

An cum HIERONYMO *diluvium peccatorum?* His certè non detergi tantùm, ſed & mergi peccata potuere.

An cum RVPERTO *Paradiſi fontes?* Nunquam utiliùs, nunquam ubetiùs è Paradiſo fons effluxit.

An cum BERNARDO *dælicias Angelorum?* Nunquam ſuaviùs dælictari cœleſtes illæ mentes potuerunt.

An cum HIEREMIA *Vox cordis?* Enimverò per illas altùm loquebatur & clamabat MONICA, & cœlum inclamabat: *Bonæ lacrymæ, quæ pondera vocis habent, quæ impetrant, non ſupplicant*, ut rectè D. ANSELMVS.

Lib. 1. de Gubern. Dei. De Hebraico populo pœnitente dixit olim SALVIANVS: *Officioſa undarum patientia liberatus eſt*; quæ ego, imò quæ & MONICA de ſuo AVGVSTINO: *Officioſa undarum patientia liberatus eſt.* Et ita liberandum ſpopondit aliquando D. AMBROSIVS, qui ſic ad MONICAM pro filio ſupplicem, ac lacrymabũdam: *Vade, impoſſibile eſt, ut filius tot lacrymarum pereat.*

Vaticinio reſpondit eventus; imò reſpondit etiam illicò Deus, qui hanc anxiæ matri ſpeciem objecit.

Vidit illa in exceſſu mentis, atque orationis, juvenem pulcherrimum, & humanâ formâ majorem, qualem ſcilicet decebat cœleſtem genium; ac deinde ſe in eadem linea, ſeu ſemitâ, cum filio ſtantem, ac denique ex illo audit: *Vbi tu, ibi & ille.*

Ex quibus intellexit MONICA futurum aliquando, bono Angelo duce, ut filius in eadem Fidei, ſalutiſque ſemita conſiſteret. Et ſanè brevi conſtitit duce AMBROSIO, qui illi fuit, quod *ſal terræ*: ut enim aquam AVGVSTINO affudit MONICA; ſic & ignem injecit AMBROSIVS, ut ex aqua, & igne *ſal* etiam eſſet D. AVGVSTINVS.

At quem, inquies, ignem? Illum utique, de
Luc. c. 12. v. 49. quo Salvator Optimus: *Ignem veni mittere in terras*: utque mitteret audit à Propheta præſago ſpiritu,
Ezech. c. 10. v. 2. *Imple manum tuam prunis ignis, quæ ſunt inter Cherubim, & effunde ſuper civitatem.* Implevit enimverò Filius Dei, effuditque ſuper civitatem Jeruſalem.

Implevit deinde ex illo D. AMBROSIVS, & Dei verbum, ceu prunas ignis effudit in AVGVSTINVM. Prunas, dico, ignis, non profani, non impuri (quo incaluerat, & malè arſerat AVGVSTINVS) ſed ejus, qui erat inter Cherubim, qui calebat, qui ardebat etiam inter beatos illos ſpiritus. Ab hoc incenſus eſt ipſis AMBROSII verbis, ceu prunis ignis ſacri; ab hoc Manichæorum hæreſis, ceu infœlix lolium, exarſit; ab hoc divinus amor AVGVSTINI animum invaſit, occupavit incenditque, ut ipſe deinceps eſſet aliis, quod ipſi AMBROSIVS, *Sal terræ*; & hoc ipſum eſt, quod ſequentes pagellæ docebunt, ſi tamen priùs ad Vos, ô divini verbi Præcones: *Sal eſtis terræ*; ſed, an ex veritate Sal, ut olim AMBROSIVS?

Mediolanum, ampliſſima & nobiliſſima Civitas, in præſentia videt, ſuſpicit, & amat pulpitum, è quo & aquam AVGVSTINO infudit AMBROSIVS, & ignem ſparſit; ſed aquam acriori pœnitentiæ ſale conditam, & ignem cœleſti flamma promicantem.

Videt & locum, in quo etiam lacrymas, ceu aquam ſalutis, effudit AVGVSTINVS. Ficus olim erat, at modò Sacellum eſt, in quo & DEO, & AVGVSTINO divina offertur hoſtia.

Videt & Sacellum, in quo dum calet ardétque, tam AMBROSIVS, quàm AVGVSTINVS, & in illud quoque exarſit divini amoris canticum: *Te Deum laudamus.*

At unde ardor? unde & aqua? Utique ab AMBROSIO, qui tunc AVGVSTINO fuit quod *Sal terræ.*

Et tu quoque, quiſquis es, ô Sacer Eccleſiaſtes, *Sal eſto terræ*, ſal dum è pulpito dicis; qui & aquam ſalutaris pœnitentiæ effundat infundatque Auditorum animis, & ignem inſuper jaciat divini amoris. Hoc & ſi feceris, eris aliis quod AVGVSTINO fuit AMBROSIVS.

§ 2. *D. AVGVSTINVS SAL TERRÆ.*

Primò, Voluptuoſis & Carnalibus

IPſo D. AVGVSTINI ævo pars mortalium potiſſima à voluptate, & putida carne infecta; in ea volutabatur ut ſus in volutabro luti, ut de iis jactari poſſet illud, quod de ſue Romanus Orator: *Sus quid habet præter eſcam?* Cui quidem ne putreſceret, *animam pro ſale* datam eſſe dicit Chriſippus. *Lib. 2. de Nat. Deor.*

Quod ſi carnales, luteique homines, veluti ſues, iis certè ne omninò putreſcant, Apoſtoli & Doctores ſunt pro *ſale*; imò & pro anima. Et talis hominibus ſui ſæculi & dici, & eſſe potuit AVGVSTINVS *anima mundi.*

De Alipio dixit Ennapius, quod *totus eſſet anima*; hæc, inquam, dixit ex adulatione, quæ ego ex veritate de D. AVGVSTINO, quòd *totus* eſſet *anima*, & *anima mundi*, ceu magni corporis; ſed à lue venereâ corrupti.

Hanc ut tolleret, primùm in ſeipſo damnare adoleſcentiæ ſuæ ab illa corruptelam; deinde concionibus, acrique orationis ſtylo in eam invehi; tum ad vitæ purioris commendationem, nitorémque caſtitatis, opera quædam inſcribere: unum *de Virginitate*; alterum *de bono viduitatis*: tum denique (quia *efficacius vita, quàm lingua teſtimonium eſt*) vitam reliquam omnem in ſummâ continentia ac caſtitate exigere.

Hinc primò ſtudioſiùs evitare omnes libidinis illecebras, atque etiam minimas occaſiones, quas *Lib. 1. de*
febriculam appellabat, à qua remaneret inanis & *Catech. rudibus c. 17.*
ſaucia conſcientia.

Inde etiam ſedulò declinare omnem cum mulieribus familiaritatem; ſic ut fœminarum, intra domum ſuam, nullam admitteret, ne quidem germa- *Poſſidon.*
nam ſororem, quæ vidua erat, & Deo ſerviens; *cap. 26.*
ſed nec patrui filias, quas tamen perſonas in exceptis Concilia poſuerunt.

Tum etiam nunquam ſolus cum ſola fœmina
colloqui; ſed ſemper clericos adhibere teſtes, ne quâ *Lancilottus in vita S.*
etiam aut ſecretorum, aut boni ſpiritualis ſpecie *Auguſt. l. 3.*
intercederet familiaritas: cujus rationem hanc red- *c. 33.*
dere ſolitus; quia *amor ſpiritualis generat affectuoſum, affectuoſus obſequioſum, obſequioſus familiarem, familiaris ſæpè generat carnalem.*

Itaque non tatù accidit (quod deplorat, damnat- *Ad Gal.*
que Apoſtolus) ut *cum ſpiritu quis cœperit, carne con-* *c. 3.*
ſummet.

Ne tu aliquando, ex illis ſis, omnia libidinis incitamenta, omnes illecebras declina, oculorum maximè, probè memor illius, quod olim Tertullianus: *De Idol.*
Oculum impingere luxuriosè; & hujus quod Salvianus, *c. 12.*
Oculos, naturales eſſe animi cuniculos; à quibus ſcilicet *Lib. de*
incenſo igne concupiſcentiæ, & ipſe quoque incen- *Prov.*
datur, atque evertatur animus.

Ubi ſic ab oculorum cuſtodia tibi benè cautum erit; moneo, ut etiam à familiari colloquio caveas,
præſertim juvenum, ac fœminarum; admittaſque *De Cont.*
altè in animum illud Iſaaci Syri: *A fiducia juvenum*, *mũdi, c. 45.*
& allocutione fœminarum fugio, ſicut ab amicitia diaboli. Sed hæc verbulo indicaſſe ſit ſatis; revertor ad AVGVSTINVM, qui etiam *Sal* fuit

II. *Eccleſiaſticis ſcandalum dantibus.*

Ea ſalis eſt natura, ut acredine ſua mordicet, purget, imò & diſſolvat; & ea quoque Doctorum,

atque imprimis D. Avgvstini, qui Eccleſiaſticis vitæ ſolutioris pro *Sale* fuit, mordicando, purgando, imò (& cùm opus fuit) diſſolvendo.

Sic acriore primùm reprehenſione pupugit *Abundantiam* Preſbyterorum; deinde etiam (cùm ea non profuiſſet) diſſolvit, privavitque officio Preſbyteri, ob malam famam, & ſcandalum malæ converſationis.

Sic etiam *Antonium Epiſcopum Fuſſalenſem*, qui primis annis ſub tanti magiſtri ferula vixerat; & quem Eccleſiæ Fuſſalenſi præficiendum curarat, exau- *Lib. 4. c. 3. § 2.* ctoravit, atque Epiſcopalibus muniis interdixit, quod in vehementem graviorum criminum ſuſpicionem veniſſet; adeò ſalis inſtar, & purgare, & diſſolvere ſolitus erat.

Sic denique *Paulum Cataguenſem*, contubernalem olim ſuum, & quem ad illius Eccleſiæ regimen promoverat; cùm ſe plus æquo curis ſæcularibus, & ab officio ſuo alienis, implicuiſſet, graviter ac ſeverè objurgavit. Ita enim ad illum:

Epiſt. 124. *Tibi maximè debeo (quia in Chriſto IESV per Evangelium ego te genui) ſalubrem mordacitatem charitatis veraciter objurgando.* Ecce, Avgvstinvs, etiam illi *Sal terræ* mordicando, objurgando, purgandoque.

Utinam ii quoque eſſent Epiſcopi, aliique Eccleſiæ Præſules, & ſi quem forte ex inferiori ordine agnoſcerent, vitam ducere abhorrentem ab ea, quæ in Eccleſiaſticis eſſe debet, morum innocentia, eſſent illi pro *Sale*, morderent, purgarentque, neque noxia nimis indulgentia diſſimularent; memores illius, quod olim magnus Eccleſiæ Pontifex, S. Leo Papa:

Epiſt. 31. *Inferiorum ordinum culpa, ad nullos magis referendæ ſunt, quàm ad deſides, negligenteſque Rectores, qui multam ſæpè nutriunt peſtilentiam, dum neceſſariam diſſimulant adhibere medicinam.*

Adhiberent certè ſi expenderent illud, paucorum Eccleſiaſticorum vitio jacere pietatem, ſacramenta vileſcere, & ordinem ipſum, plenum alioqui excellentiſſimæ gloriæ ac majeſtatis, contemni. Verum enimverò, etſi dolendum illud Sidonii Apollinaris:

Lib. 7. in Concil. *Eſt hæc quadam vi malis moribus, ut innocentiam multitudinis devenuſtent ſcelera paucorum.*

Quid facias? ea modò ſunt tempora, ea mentis humanæ infirmitas, ut qui Clericum, qui Sacerdotem petulantem viderit, ac diſſolutum, & de Sacerdotio ſentiat malè, & à templis etiam arceatur.

Hinc illæ D. Hieronymi querelæ nimiùm quàm verè, & juſtæ: *Propter vitia Sacerdotum, Dei ſanctuarium deſtitutum eſt.* *Epiſt. 48.* Ne porrò ita ſit deſtitutū, ſint illis Epiſcopi pro *Sale*: uti fuit Avgvstinvs, qui is fuit

III. *Hæreticis & quidem Primò Manichæis.*

Ex quibus nonnullos ab erroribus, & hæreſi, ceu putredine, purgavit, ut *Honoratum* amicum ſuum, quem à Manicheiſmo revocavit, etiam ſcripto libro; uno quidem, *De utilitate credendi*; altero *De gratia novi Teſtamenti.* Tum etiam *Felicem*, illius ſectæ coriphæum, qui mox convictus præeunte Avgvstino Manichæum, ejuſque doctrinam ejuravit. Tum denique alios propè innumeros, partim *Romæ*, partim etiam *Carthagine*, partim *Hippone*; cæteros autem, quos expugnare non potuit, acriore ſtylo, ceu *Sale*, pupugit ac momordit. Ita *Secundum* Romæ agentem ſcriptis exercuit. Ita *Fauſtum* Manichæorum anteſignanum refutavit libris triginta tribus. Ita Hippone *Fortunatum* peſſundedit. Ita & *Adimantum* Manichæi diſcipulum, *mali corvi malum ovum*, ſcriptis acrioribus evertit; Ita denique Manichæos omnes; quibus fuit, quod *Sal terræ*: nec illis tantùm; ſed

Deinde Donatiſtis.

Hos partim ſtylo notare cœpit Avgvstinvs, & ſalis adinſtar mordicare; partim publicâ diſputatione eorum argutias diſſolvere, ac refutare.

Ita pupugit *Petilianum Cutenſem*, Donatiſtarum Epiſcopum, cujus epiſtolam etiam tribus libris oppugnavit.

Ita *Parmenianum Carthaginenſem*, etiam Donatiſtarum Epiſcopum, cujus epiſtolam tribus libris refutavit.

Ita *Creſconium*, hominem argutum & vafrum, ejuſque argutias detexit, & publico exſibilandas dedit; ea ingenii vi, ea ſubtilitate argumentorum, eo maſculæ eloquentiæ nervo, ut Donatiſtæ paſſim Avgvstini Dialecticam exhorreſcerent, ac formidarent; illi ſcilicet reſpondendo impares. Et hæc pleraque geſta ſunt in umbrâ; quæ ſubjicio, in ſole, & publica *Concilii* luce. Fuit illud *Carthaginenſe*, primò coactum ad Donatiſtas à fide devios, in eam revocandos; deinde etiam ſecundò celebratum, ad collationem publicam authoritate Imperatoris habendam. Ea porrò habita eſt Carthagine, ubi ex parte *Donati* ſtetere ducenti ſeptuaginta novem Epiſcopi: ex Catholicis autem ducenti octoginta ſex; è quibus hinc & inde electi ſeptem, qui de re inter hos & illos controverſa diſputarent.

E Catholicis omnium calculo delectus Avgvstinvs, iſque unicus, qui eo rationum pondere, eâ difertæ mentis facundiâ, diſſeruit, ut muti, atque elingues *Donatiſtæ* conticeſcerent; victi penitus, atque etiam damnati *Cognitoris* ſententiâ, expreſſâ his verbis:

Confutatos à Catholicis Donatiſtas omnium documentorum manifeſtatione: quam dum ab Avgvstino enatam ſuſpicit, amat, gratulaturque D. *Hieronymus*, ſic ad illum: *Collat. 3. c. 21.*

Macte virtute, in orbe celebraris, Catholici te conditorem antiquæ rurſum fidei venerantur, ac ſuſpiciunt, & quod ſignum majoris gloriæ eſt, omnes hæretici deteſtantur; *Epiſt. 21. ad Auguſt.* nec mirum quia ab illo, ceu *Sale*, pungunt, mordicantur, imò & uruntur. Quod illis evenit, hoc

Etiam Pelagianis, & aliis

Quibus D. Avgvstinvs pro *Sale* fuit. Et quidem primùm *Timaſio*, & *Iacobo*, à *Pelagio* ſeductis, quos ut in veræ Fidei viam reduceret, ad eos ſcripſit libros *De Natura & Gratia*, quos deinde ad *Innocentium* Papam tranſmiſit, tum etiam ad *Ioannem* Jeroſolymitanum Epiſcopum, *Pelagio* adhuc faventem, quem ſalis inſtar ab errorum, & Pelagianæ hæreſis putredine præſervavit, ut etiam *Pinianum*, *Albinam*, & *Melaniam*, quibus inſignem *Pelagii* hypocriſim detexit in libris *De Gratia Chriſti, & peccato Originali*; denique *Leporium*, ac *Vitalem*, quos à Pelagianiſmo ſic revocavit, ut Eccleſiam univerſam ſervarit ab illâ lue, & à putredine: & hoc in orbis ſoliſque conſpectu.

Appello fidem atque authoritatem trium Synodorum: *Palæſtina*, *Milevitana*, *Carthaginenſis*, quibus contra *Pelagium*, ac Pelagianos habitis ſic interfuit, ut omnem propè controverſiæ molem ſuſtineret ipſe ſolus, & prava Pelagii dogmata refutaret, & veram, Catholicámque doctrinam ſtabiliret, ex vero *Sal terræ*, Sal Orbis univerſi.

Appello, quæ in lucem, ſolémque emiſit opera, *De Natura & Gratia*; *De Gratia Novi Teſtamenti*; *De Spiritu & Littera*; *De Gratia Chriſti, & peccato Originali*; *De Nuptiis & Concupiſcentia*; *De Fide, Spe, & Charitate*; *De Gratia, & Libero arbitrio*; *De Correptione, & gratia*; *De Prædeſtinatione Sanctorum*; *De Dono perſeverantiæ*: aliaque opuſcula, quæ in tota generis humani maſſa fuerunt, quod in carnea mole *Sal* eſſe ſolet: quam ſcilicet & à putredine liberat, & ſervat illæſam,

intrgram-

integrámque: & ſic Orbem univerſum ſervavit D. AVGVSTINVS totis viginti annis, quibus pro Gratia contra *Pelagium*, ac Pelagianos decertavit; nec certare deſtitit, niſi cùm ſimul vivere deſtitit. Abſoluto quippè *De Hæreſibus libro primo*, & ſcribere deſiit, & terris vivere, ut cœlo æternùm viveret.

Mitto cætera, quæ (obtritis *Manichæis*, *Donatiſtis*, *Pelagianis*) contra *Arianos*, *Priſcillianiſtas*, *Origeniſtas*, *Marcioniſtas*, *Neſtorianos*, alioſque hæreticos & diſertè, & nervosè, & piè ſcripſit: imò & contra *Paganos*, quorum in Chriſtianam fidem enormes calumnias ut refutaret, *Libros de Civitate Dei*, publico dedit, & luci; ad diſſipandas errorum tenebras, & amœnum fidei jubar Orbe toto fundendum.

Et hæc fuere AVGVSTINI pro fide certamina, hæ palmæ, quas & in terris legit, & leget etiam in cœlis omni retro æternitate: ut & ipſe colligas aliquando, qui ingenio polles, ac ſtylo, age illum acue, atque in hæreſim ſtringe.

Et certè acues, & ſtringes, ſi æqua lance expenderis, quæ de hæreſi ex veritate Divi Patres.

Epiphanius hæreſim dixit, *Ferale commentum*, *de ſacrilegis*, *& fabuloſis mendaciis textum*; imò & *furioſa mendacia ac prodigia falſitatum*. *Serm. 4. de Epiphan.*

D. Leo Pont. Max. de eodem hæreſis monſtro, ſic olim & verè, elatè: *In ea lex eſt mendacium*, *diabolus religio*, *ſacrificium turpitudo*. *Serm. 8. de Nativit.*

Quod ſi ea ſit hæreſis, & ea quoque illius placita, *ac Doctrina*, videlicet *doloſa*, *ſub nomine Dei blaſphema*, *ſub prætextu religionis impia*, *ſub veritatis ſpecie fallax*. Dubitabis eam impetere, pungere, mordicare, & ſaniore doctrina, ſeu *Sale* exurere? Non dubitabis certè, ſi AVGVSTINVM æmulari velis. Et quidni velis? fuit ille *Sal terræ*: fuit & *Lux mundi*, ut patebit ex quæſtione ſequenti, in qua eum cum luce, ſoléque componemus, & meritò: eſt enim *Sal* & *Solis* affinitas, ex qua *Sal*, & eſt, & dicitur *à Sole*, pro quo erit *Serm. 5. de Jejunio.* *Hilarius in Pſ. 130.*

QUÆSTIO SECUNDA

MORALIS.

Ad illa verba: *Vos eſtis Lux mundi.* Matth. c. 5. v. 14.

CUR ECCLESIÆ DOCTORES AB INCARNATA Patris Æterni Sapientiâ dicti Lux mundi?

VIRI Apoſtolici, Eccleſiæque Doctores, appellatione plena gloriæ ac majeſtatis, modò dicti ſunt *Cœli*, modò *Lux*, modò vel ipſi quaſi *Soles*.

In Pſal. 22. *Cœli enarrant gloriam Dei*, inquiebat Regius Propheta; in quæ verba ſic Ambroſius: *Sunt etiam in terris Cœli*, *qui enarrant gloriam Dei*. Qui ſint illi ſi quæris, audies eſſe Apoſtolos & Doctores. Ii ſunt *Cœli*, in quibus Chriſtus habitat, & reſidet: in quibus, *verbis miris tonitruat*, *miraculis fulgurat*, *gratia rorat*, inquiebat olim Calixtus Pontifex; à quo nomine ſanè glorioſo, appellati ſunt *Radii veri Solis*. *Serm. de vit. S. Iacobi.*

Ut enim Sol ille aſpectabilis, per radios ſuos mundo illuceſcit: ſic & Chriſtus, ceu Sol ille novus, per Apoſtolos, atque Doctores, parvo mundo, ideſt, homini inclareſcit, atque irradiat.

Si porrò quæſieris, quæ ab illis radiis ad hominem lux emanet? ſtatim intelliges, Sapientiæ lucem atque doctrinam: & hæc lux eſt aurea, quam ſequitur etiam ardor quidam igneus divini amoris.

His ita ex Interpretum ſenſu, & ſaniore Theologia conſtitutis, videamus quî

§. I. *D. AVGVSTINVS LVX MVNDI, Ab indito illi, nomine præclaroq; ingenii lumine.*

Rivius in vit. D. Auguſt. l. 1. c. 1. IN nominibus ſæpè ludit, & futuris eventibus præludit amabilis Dei providentia: ita (ut alia taceam) luſit, præluſitque in AVGVSTINO, cui duplex inditum nomen: Uno, dictus AVGVSTINVS, felici omine, ab *augendo* quòd ejus ingenio, doctrina, gratiaque mirum quantum augenda erat aliquando religio, veráque Dei ter Opt. ter Max. fides. Altero, appellatus *Aurelius* ob ingenii nitorem, & præclara doctrinæ lumina.

Lib. 2. c. 9. Refert Alexander ab alexandro, Romæ familiam eſſe perilluſtrem, cui nomen *Aurelia*, cui proprium erat, ac ſingulare, in Solis templo ſacrificium offerre, quaſi ſola devota, dicatáque Soli.

Et D. AVGVSTINVS dici potuit *Aurelius*, vel quia Deo ſuo, ſeu Soli, ceu fonti omnis luminis, dicatus erat totus; vel quia ab illo, clarus, lucidus, & quaſi ſolaris totus. Et hæc de prima *Aurelii* Etymologia.

Alia Feſto placuit, vult enim ut *Aurelius* dicatur quaſi *Auſedius*, hoc eſt, aureâ ſede dignus: & eâ quoque dignus fuit AVGVSTINVS: Dignus, inquam, aurea Doctoris cathedra, dignior eâ, quam inter Græcos Socrates aureo tripode, inter Hebræos Salomon ſolio aureo.

Venio ad innatum illi à natura, Deoque ingenium, quod ex eo colliges, quòd vix dum natus annos viginti, Ariſtotelis categorias & legerit, & intellexerit ſolus ſine magiſtro, ſine interprete. Quod artes omnes liberales, quod Mathematicam, Arithmeticam, Geometricam, Aſtronomicam, Phyſicam, Muſicam ſit complexus. Fœcundo ſanè ingenii, mentiſque ſinu, ea præſertim in dicendo facundia, ea in argumentando ſolertia, ut ejus Logicam, arguendique vim ſuſtineret nemo, formidarent omnes, ac reſugerent. *Lancilott. in vit. D. Auguſt. l. 1. c. 1. §. 2.*

Ab hac porrò, ejuſque captioſis argumentis ita moleſtus, infeſtuſque erat Orthodoxis omnibus etiam acutiſſimis, quibuſque, ut in Litaniis juſſu *D. Ambroſii* addi ſolitum eſſet illud: *A Logica Auguſtini*, *libera nos Domine*; quarum Litaniarum extant etiamnum *Mediolani* nonnulla exemplaria. *Rivius, l. 2. c. 1.*

Ex quibus duo conficies: Primò acutum D. AVGVSTINI ingenium, atque in diſputando acre, & lubricum: deinde etiam Catholicis permoleſtum; ob illius acumen, vimque urgendi, quam uti primis annis malè implicuerat; ita ſibi, Eccleſiæ, Deoque redditus, quàm optimè explicuit. Tantum intereſt, quî ingenium applices. Sed ea, ſeu nominis, ſeu ingenii lux, etſi naturæ debeatur, ejuſque authori, non tamen gratiæ: hæc in primis cutis eſſe debet, illa verò in poſtremis. Et ſanè graviore jam ac ſenili ætate illam in poſtremis repoſuit D. AVGVSTINVS, ideóque & ipſe conſultò multum remiſit de primo ſtyli nitore, elegantia, atque elatione:

elatione: & ſeſe ad humiliorem demiſit; ut etiam vulgo ſerviret, & popello rudiori. Hinc in illud Pſalmiſtæ:

Pſal. 31. *Non eſt occultatum os meum. Melius eſt*, inquit, *ut nos reprehendant grammatici (dicendo oſſium loco os) quàm non intelligant populi.* Nimirum eò loci ac temporis, animia ritè formandia ſtudebat AVGVSTINVS: & non demulcendis auribus.

Quod velim attenderent in præſentia ſacri Oratores, è quibus nonnulli (quod hujus ſæculi vitium) ſtudent habere genus orationis pictum, florens, variegatum, velut auro, purpura, gemmiſque diſtinctum, quod à D. Gregorio Nazianzeno *Sermo meretricius* appellatur, *Orat. 32.* hoc eſt, fuco, & purpuriſſa comptus, & illicio blandæ voluptatis animos titillans: quem ævo etiam ſuo dum audit D. Hieronymus, ſic eum inſequitur, & gravi atque aculeata oratione perſtringit:

Iam in Eccleſiis iſta, videlicet lenocinia, *quæruntur*, *Proœm. l. 3. in Epiſt. ad Galat.* *omiſſaq; Apoſtolicorum ſimplicitate & puritate verborum, quaſi ad Athenæum, & ad auditoria convenitur, ut plauſus circumſtantium ſuſcitentur, ut oratio rhetorica artis fucata mendacio, quaſi quædam meretricula procedat in publicum, non tam erudiſtura populos, quàm favorem populi quæſitura.* Hæc D. Hieronymus, à quo diſcedo, ut redeam ad AVGVSTINVM.

§. 2. *D. AVGVSTINVS LVX MVNDI à divinis luminibus ſeu illuſtrationibus.*

Epiſt. 31. DE ſolitudine, in quam ſubinde ſecedebat Seneca Philoſophus, jactare ſolebat magnificum illud, atque perutile: *Poſterorum negotium ago*; nimirum in ea ſtudebat, ſcribebatque poſteris: at meliùa, atque utiliùs in ſua AVGVSTINVS: in hac enim non poſterorum (quod fortè erat vanitatis) ſed ſuum ipſe, imò & æternitatis negotium egit; quod illi ſaluti, gloriæque fuit. In hortum fortè cum *Alipio* deſcenderat AVGVSTINVS, cùm eo relicto, ad interiora receſſit ipſe, ut ſibi vacaret, ſibi loqueretur in ſolitudine, in qua ſeſe abjecit ſub ficu, non ſine Numine. ſub qua enim potiùs?

Eſt *Ficus arbor funerea*, cujus ſcilicet uſus erat in funere luctuque: hinc poëtæ dicitur, *Pulla ficus*; ut pulla veſtis, veſtia lugubris. Et certè prima hominis veſtis *Ficus* fuit, & pulla veſtis; veſtis ſanè lugubris, utpotè data homini jam à ſuo crimine mortuo.

Et hujus mortis meminiſſe fortè voluit AVGVSTINVM ipſa Dei providentia, ut in Adami morte, veſtéque, quæ erat à *Ficu*, etiam ſuæ mortis (quæ erat à peccato) meminiſſet AVGVSTINVS.

Alii (qui credunt *Adamum* & *Evam* ſub *Ficu*, & à ficu peccaſſe, & ſumma cum inſipientia affectaſſe ſcientiam boni, & mali) etiam opinantur AVGVSTINVM ab illa *Ficu*, ſub qua ſeſe inſtravit, probè monitum de affectata à ſe hactenus profana ſapientia, ut exinde *Adami* inſtar & *Evæ* aperiret oculos, exitiumque ſuum & videret, & deploraret.

Alii denique, dum ſub *Ficu* jacuit AVGVSTINVS, credunt etiam admonitum occulto quodam inſtinctu; videret enimverò, quæ in *Ficum* infructuoſam à Chriſto jacta fulmina maledictionum, quæ ab ignibus incendia, cum etiam ſeipſe cum illa *Ficu* componeret, inciperétque meritò ſubvereri, ne ſe, adinſtar illius omni fructu vacuæ, æternis adjudicaret incendiis, quaſi illi in aurem diceret; ſed aurem cordis, & animi.

Jam anni fluxêre plures, ex quo à te, ceu Evangelica *Ficu* expecto fructum aliquem virtutis, & hoc ſtate juventutis, ceu veris, ceu æſtatis, tempore; & tamen nihil invenio niſi folia, niſi inania quædam profanæ eloquentiæ verba; fructus autem, ſive opera, non reperio: Quid igitur? An, ut illa, in maledictionis meæ jacula, in fulmina, in flammas, & ignes incurret? Et hos & illa hactenus ſuſtinuit invicta malis tuis mea patientia: at non ultra ſuſtinebit.

Dixerat, cùm ad ſe, velut è profundo quodam ſopore redit AVGVSTINVS, redit & ad Deum, jactavitque in Cœlum illud:

Et tu Domine uſquequo iraſcêris in finem? Verè enim iraſceris, dum ſic perditum jacere permittis. Vſquequo hoc *Lib. 8. Conf. c. 12.* *in cœno hærere patieris? uſquequo & hæc mea calamitas?* Hæc ubi ad Deum; tum illa ad ſe:

Quamdiu, quamdiu cras, & cras? quare non modò? quare non hac hora finis turpitudini meæ?

Ecce ut diva quædam lux ejus menti illabitur, à qua illuſtratus videt ac damnat moras illas longiores, & cœlo, ſalutique inimicas procraſtinationes. Videt, & horret turpitudinem illam ſuam, in qua longùm jacuit velut inſepultus. Hinc illæ voces, illi impetus ad lucem aſpirantia animæ: *Quare non modò? quare non hac hora?* Nimirum jam tum incipit eſſe in luce; imò & *Lux* velut ipſa, quæ ſolis inſtar ſenſim aſſurgit: utque aſſurgat magis, Ecce vox à vicina domo ad aures allabitur: *TOLLE LEGE, TOLLE LEGE.*

Aures hìc arrigit, & animum AVGVSTINVS: videbatur ea vox pueri, aut puellæ cantantis: at neque hujus, neque illius erat; ſed boni alicujus genii, qui eaſdem voculas iterum, ac tertiò repetit, unáque menti illabitur ea cogitatio, ceu lux quædam cœleſtis, eundem omnino tollendum, legendúmque Apoſtoli codicem: eum fortè apud *Alipium* reliquerat; ad eum ergo celeri pede regreditur, codicem tollit humo, manibus prenſat, aperit, legitque quod primùm occurrit, & ecce in oculos illud:

Non in comeſſationibus, & ebrietatibus: non in cubilibus, & impudicitiis: non in contentione, & æmulatione: *Ad Rom. c. 13.* *ſed induimini Dominum IESVM Chriſtum, & carnis providentiam ne feceritis in concupiſcentiis.*

Quot Apoſtoli verba, quot ſyllabæ, tot veluti ſolares radii, qui ad animum appellerent, tot fulgura, quæ terrerent, tot fulmina, quæ concuterent: his porrò territus, his concuſſus, veritati, fidei, Deóque vocanti ceſſit, & in alium virum abiit AVGVSTINVS, ut in eum quoque caderet illud Apoſtoli: *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*; Et Lux quidem mundi.

Primò terreſtris à gratiæ luce, ac candore: deinde etiam cœleſtis à lumine gloriæ, ac beatitatis.

Ut & ipſe *Lux ſis mundi*, benevolè Lector, AVGVSTINVM imitare, vide ne ſurda aure Dei vocea excipias, vide ne procraſtines, ne in annos, imò ne in diem pœnitere differas, & ad ſaniora vocantem Deum ſequi: hoc enim ſi feceris, non eris ut ipſe *Lux mundi*, neque terreſtris à gratia, neque cœleſtia à gloria; ſed meræ *tenebræ*, mera nox, primùm, à peccato, (quod verè nox eſt) tum etiam ab æterna nocte, denſiſque in inferno tenebris: ac ne ſola verbis ſit fides, exemplo uno ediſce; illud è doctioribus ingenii ſui monumentis ac ſcriptis tibi dabit S. Antoninus. Adoleſcens, non infimæ inter ſuos *3. Part tit. 24. c. 9. §. 4.* notæ, de ſuſcipiendo S. Franciſci habitu conſilium inierat, imò & votum conceperat, eóque ſe jam obſtrinxerat: tum, ut varia ac mutabilis illa eſt ætas, mutata mente, ac conſilio, ad Canonicorum inſtitutum, ordinemque tranſierat. Quid deinde? Deus, qui ſibi illudi non patitur, ad pœnam tranſiit, morbumque lethalem immiſit; cum quo dum luctatur, inter vitæ mortiſque metas, monetur de expiando per exomologeſim animo. Renuit ille, & ſe jam *damnatum* proclamat, vel ipſa ſupremi Judicis ſententiâ; ac ne crederent ea eſſe ſomnia, & aberrantis turbatique à morbo cerebri deliria; hæc ad benè monentes:

Apparuit

Apparuit mihi Dominus iratus, dicens: Vocavi, & renuiſti, ideò vade ad portas inferni. Ecce *tenebræ*, ecce nox ſtygia, quæ illos occupat, cingit, perdit, qui Deum vocantem non audierint: attende, quomodo etiam procraſtinantem.

Ad Ciſtercienſem Ordinem cœlo benigniore vocatus erat nonnemo; ſed de die in diem differebat. Quid tum? Alia atque alia ſunt Dei vocantis judicia: hæc in pœnas, debitáque ſupplicia, illico proruunt: illa etiam in miſerationem inclinant: & ita hîc inclinarunt.

Juveni enim in amœna noctis imagine apparuit ipſe Chriſtus comite Petro & Jacobo Apoſtolis. Explicabat Petrus librum, eumque pulcherrimum; in quo aureo cœleſtique caractere ſcriptum erat adoleſcentis hujus (hoc eſt *Ioannis*) nomen: dum illud legit, eóque mirè capitur, ac ſeſe oblectat. Sic ad Petrum Dominus: *Dele iſtum de libro meo.* Ecce noctis æternæ horror, quo dum terretur, & propè fatiſcit; audit pro ſe (ſuo utpotè peregrino) ſupplicem Chriſto fieri D. Jacobum, melioráque de illo polliceri; imò, & ſe ſponſorem ac vadem facere.

Hic verò reſpirare, ac deinde à ſomno excitari, moxque in eum relabi: & ecce iterum eadem ſeſe objicit, offertque imago, & Chriſti Servatoris & Apoſtolorum Petri, ac Jacobi ſpecies; ſed amœnior & hæc, & illa: imò & amœniores in eodem libro typi; aureis litteris ſic expreſſi:

Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento. Et hæc è canticis verba, ceu pulchra & cœleſtis ad oculos lux appulit, & mirum quantum recreavit: dum porrò ſic recreat, & ſibi & vigiliæ à ſomno redditur: nec mora, promiſſorum memor, & objectæ ſimul viſionis, Ciſtercienſem Ordinem ingreditur, in quo & vixit, ut *Lux mundi* terreſtris, à virtute & gratia; & piè obiit, futurus *Lux mundi* cœleſtis, ipſa quanta, quanta eſt æternitate. Sed ad alia tranſeamus.

§. 3. *D. AVGVSTINVS LVX MVNDI à Doctrinâ & Prædicatione.*

DIvus AVGVSTINVS tribus potiſſimùm viis aditum ſibi fecit ad aliam, id eſt ſanctiorem vitam.

Prima fuit, per ſecretiores animi motus impulſúsque, per cœleſtia lumina, per ſacros codices, & D. *Pauli* Oracula, ut jam vidimus.

Altera fuit ab exemplis Sanctorum, qui mundo aulâque valere juſſis, cœleſtem in terris vitam inſtituerant; qualis *Victorini*, *Antonii*, & aliorum fuit; de quibus ſic & ipſe ad Deum ſuum, ejus amore jam ſaucius:

Lib. 9. Conf. c. 2. *Sagittaveras cor noſtrum caritate tua, & geſtabamus verba tua transfixa viſceribus, & exempla ſervorum tuorum quos de nigris lucidos, de mortuis vivos feceras, congeſta in ſinum cogitationis noſtræ, urebant & abſumebant gravem torporem, ne in ima vergeremus, & accendebant nos validè.*

Deſcendebant porrò ea exempla in *ſinum*, inquit, *cogitationis*; & ecce ab illis *lucem*: Deinde *urebant*; ecce *ardorem*.

Rivius l. 1. c. 1. § 31. Poſtrema denique ſalutis via D. AVGVSTINO aperta, à mellitâ ac ſuavi D. *Ambroſii* linguâ, ſacriſque concionibus, quibus evictus, tandem manus dedit, Fidem admiſit, Baptiſmum ſuſcepit; Eccleſiæque Catholicæ eſt additus, non ſine bonorum omnium plauſu, feſtiváque gratulatione; quam illico cygneâ voce teſtatus Mediolanenſis Præſul AMBROSIVS; qui ſtatim accinere cœpit lætum illud *Te Deum laudamus*, AVGVSTINO reſpondente: *Te Dominum confitemur*; ſicque alternis vocibus ad finem uſque. Et inde ſuaviſſimus ille Hymnus initium habuit, finem nullo unquam ævo habiturus.

Et hæ ſunt viæ, quibus AVGVSTINVS & à ſe diſceſſit totus, & ad Deum acceſſit, atque ex errorum tenebris ad lucem tranſiit veritatis, ut eſſet deinceps *Lux mundi*, à ſaniore, cœleſtique doctrinâ, ſacriſque concionibus.

Doctrinam loquuntur & clamant ipſius opera, in quibus quot ſyllabæ, tot veritatis oracula.

Loquuntur & prædicant Orthodoxi Patres, D. *Hieronymus* et coævus qui eum ut *conditorem Antiquæ Fidei* & veneratur, & ſuſpicit. Epiſt. 25. ad Aug.

D. Paulinus, qui *Eccleſiæ Lucernam* appellat, *Fiſtulam aquæ vivæ, & venam fontis æterni.* Epiſt. 31. apud Aug.

Poſſidius, cui AVGVSTINVS, *Homo cœleſtis, Imago Divinitatis, Pater Patrum, Doctor Doctorum, Abyſſus Sapientiæ, Præco veritatis. Par Angelis in fervore, Par Prophetis in abſconditorum myſteriorum revelatione, Par Apoſtolis in Prædicatione.* In Epiſt. ad Maced.

Remigius Antiſiodorenſis, cui AVGVSTINVS eſt *inter Doctores, quod Sol inter Planetas.* In 2. ad Cor.

Rupertus, cui AVGVSTINVS, *Columna veritatis, Columna nubis, in qua Thronum ſuum poſuit Sapientia Dei.* Lib. 7. de oper. Spiritus ſancti, c. 19.

Denique, Eccleſia ipſa, cui ille ipſe AVGVSTINVS, *Lux Doctorum, Firmamentum Eccleſiæ, Malleus hæreticorum, Summum vas ſcientiæ.* Vas, inquam, plenum ac redundans. Teſtor oblatam aliquando D. Bernardo Imaginem. Vidit ille nocte media, ſub preces matutinas, ipſamque lectionem, de *Tractatu D. Auguſtini.* Vidit, inquam, in medio Monachorum adoleſcentem, amœnâ quadam ſpecie amabilem (quem S. AVGVSTINVM eſſe non dubitavit) ex cujus ore tantus inundantium aquarum impetus erumpebat, ut omnem illam Eccleſiam implere videretur. *Ecce Vas ſcientiæ*, ecce Doctrinæ fluenta, ecce *Venam fontis æterni.* Lancillot. l. 3. c. 69.

Vis etiam Doctorum lucem? aſpice quis, qualíſve emoriens ſit viſus. Vix è corpore ſolverat illius anima, cùm nube lucida excepta eſt, raptaque ad Deum, ceu fontem lucis, & quidem oculis adinſtar radiorum effulgentibus: ita nimirum, & oculi, & radii, Doctrinæ illius oculum radioſque ſignabant. Lib. 3. c. 4.

Ecce ergo Lucem, ecce Solem alterum â Doctrina, & Prædicatione; & tu quiſquis es Orator ſacer, *Sol* eſto, eſto *Lux mundi.*

Manat à Sole lumen, & ardor: & à te profluat cœleſtis Doctrinæ ac Fidei lumen; eò quippè vocatus es ad Ordinem Sacerdotalem, quem *illuminantem* appellat D. Dionyſius. Eò locum habes inter electos à ſuperis Divini Verbi præcones, quos altiore voce Clemens in Conſtitutionibus Apoſtolicis vocat *Doctores cognitionis Dei*; à qua ſcilicet ad animas lumen emanat: ubi porrò ſic emanarit, accedat & ardor quidam divini amoris; & is quidem igneus, primùm à re in imò corde conceptus, tum etiam in os effuſus. 1. Cor. 12. Lib. 2.

Ita certè fuſus à Jeremia, in cujus ore poſuit Deus *verba ſua ignem.* Jeremiæ c. 5. v. 14.

Ita quondam etiam ab Origene, cujus hoc votum dignum tanto Oratore:

Vnde mihi hoc, ut lingua ignis veniat in cor meum, & de lingua ignea ego quoque proferans ſermonem, ut ex me velox ſermonibus meis accendatur ignis in cordibus auditorum. Homil. 1. in Pſ. 39.

Ecce ut lingua ignis (qualis & in Apoſtolos deſcendit) primò veniat in *cor*, dein in os, & linguam; ſum in *aures* auditorum; denique etiam in animos.

Sed hæc attigiſſe ſit ſatis, inſtitutum proſequamur

§. 4. *D. AVGVSTINVS LVX MVNDI ab ea, quam Religioſis condidit, & ſcripſit Regulâ.*

DE ſancta Genovefa Virgine, celebratur illud dignum cetis, quod illius digiti inſtar cerei lucere ardereque viderentur, utique non alia luce, alio igne quàm cœleſti. Bollandus 3. Jan. in ejus vita c. 9.

De

Bollandus 9. Ian.

De ſancto Filano, in Scotia Abbate longè ſanctiſſimo, jactatur & iſtud, quod denſiſſimis in tenebris, ſiniſtra manus adinſtar luciſſimæ facis dextræ ſcribenti præluceret.

Quod huic, & illi cœlo auſpice datum; hoc propè dixerim AVGVSTINO, cui ſcribenti Regulam, præluxit Divinus amor. Et certè quidni præluceret, cùm non aliam, quàm amoris Regulam ſcriberet? Inde in illius fronte lectum iſtud:

B. Iordo. l. 3, c. 3.

Ante omnia, Fratres Chariſſimi, diligatur Deus: deinde Proximus. Ecce *lucem*, ecce *ardorem* à Regula; nec alium quàm divini amoris: Ecce *Regulam*, & quidem *Auream*. Quam enim potiùs?

Religioſi ſui inſtituti Regulam meditabatur D. *Norbertus*, cùm ei ſeſe viſendum dedit D. AVGVSTINVS. Regulam auream dextrâ prætendens, quam & ei porrexit, & ait: *Auguſtinus ego ſum, Hipponenſis Epiſcopus: Ecce habes Regulam quam ego ſcripſi, ſub qua ſi benè militaverint, Confratres tui, Filii mei, adſtabunt ſecuri in extremo Iudicii terrore.*

Lancillot. l. 2. c. 12.

Et quidni adſtarent ſecuri, quibus *aurea Regula, Regula charitatis*, quam deinde ſecuti alii Religioſi ordines quadraginta, eóque ampliùs, qui primum in terris D. AVGVSTINVM, ceu fundatorem, ceu Parentem cinxerunt, veluti dilecta Filiorum corona: deinde etiam & in cœlis cingunt, cingentque in omnem retro æternitatem.

Iſidor. l. 5. vita B. Veronicæ.

Appello oblatam aliquando *B. Veronicæ* triumphi effigiem: Erat illa ex Ordine D. Patris AVGVSTINI, quem in exceſſu mentis aſpexit ornatu Pontificio, mythrâ verendum, ædiculam auream manu præferentem, & quidem medium inter *S. Nicolaum Tolentinatem, & S. Guielmum*, quos deinde ſequebatur effuſa Eremitarum turba, tum Canonici Regulares, albicanti veſte nitentes; tum propè innumerabiles turmæ, ac veluti militares cunei, diverſorum Ordinum ſub iiſdem D. Patris AVGVSTINI ſignis militantium, quibus ſcilicet in terris aliquando *Regulam* prætulit, ceu *Mundi lucem*, ceu *Columnam nubis, & ignis*, quæ in terram promiſſam, terram æternæ fælicitatis educeret.

Bollandus in ejus vita 25. Ian. c. 4.

Brendino Regis cognato, filium, & filiam eripuerat mors immatura, & dum ſepulchro locus quæritur, ad *S. Furſei* cellulam depoſita cadavera; quæ ut vidit Vir ſanctus, miſeratione commotus, ad Deum ſupplex accidit, ut vitam redonaret, animamque exanimi corpuſculo: mirum dictu, viſuque! eos & ſibi reddidit, & vitæ; tum ex iis quæſivit, ecquod deinde votum? illi ut in patriam redire liceret, ad parentes, & notos: hoc ſcilicet exulibus deſiderium eſt: at mare trajiciendum erat, nec naviserat, nec naucletus. Quid ergo conſilii? *Regulam ſcriptoris* fortè manu tenebat Vir Dei, quam illicò abjecit in mare, juſſitque in nomine ejus, qui & ambulavit ſuper aquas, & Petrum quoque ambulare præcepit, irent & ipſi, & *Regulam* ſequerentur: nec mora, parent illi, præviaque regula ſicco veſtigio calcant maria, & patriam repetunt, intrantque incolumes optatum diu portum, non ſine miraculo, & aſtantium ſtupore.

Quod datum *Regulæ* S. Furſei: hoc & Ordinum omnium *Regulæ* dabitur: & eſt illa *Regula ſcriptoris*; ſed cœleſtis, ſed divini, videlicet Spiritus ſancti: hac prævia, hac duce, per hujus vitæ maria, longoſque tractus ibimus ſalvi, ibimus incolumes ab hoc in terris exilio, in cœleſtem patriam, in portum æternæ fœlicitatis.

Ibimus, inquam, ad palmas, ad coronas, ſi modò illa ſervetur probè.

Præclarè olim ſapientes *Coronam Civitatum* Leges appellavere, tum quòd eas cingerent, ac tuerentur, ut corona ſolet; tum quòd fœlicitatem portenderent, cujus ſcilicet ſymbolum eſt corona.

Quod Civitatibus Leges; hoc Religioſis Ordinibus eſt *Regula*. Corona utique Religioſi inſtituti; pro qua ſervanda, velim obſerves & illud arcanum Pythagoræ. *Coronam ne vellices*, hoc eſt Regulam, & Religioſas leges ne offendas, ne violes: hoc ſi feceris, erunt illæ tibi in hac aura mortali pro *Corona*, pro ſalutari firmóque præſidio, erunt & in vita immortali pro *Corona*, pro felicitate

§. 5. *D. AVGVSTINVS LVX MVNDI, ex apertâ claráque Dei viſione, etiam in hac aura mortali.*

DE claritate, quæ emanat à Chriſto, ceu fonte lucis, pronuntiavit illud Apoſtolus, *Revelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem.* *2. Cor. c. 3. v. 18.*

Ita nimirum, qui revelatâ facie Dei Incarnati gloriam, id eſt, glorioſam Divinitatem, ſpeculatur, in eandem velut imaginem (non quidem eſſentialiter, ſed accidentaliter) transformatur, tranſitque de claritate in claritatem, hoc eſt clariùs, ac clariùs videt, & uſque ad claritatem viſionis beatificæ. *Ita Ambr.*

Et ita transformatus fuit D. AVGVSTINVS: Primùm enim revelata quaſi per fidem facie, gloriam Incarnati Verbi ſpeculatus eſt: tum ab illa quaſi quali fidei claritate, tranſiit in claritatem beatificæ viſionis; etiam ex hac mortali vitâ, quod datum eſt cœleſti in eum indulgentiæ, & ſingulari amoris divini privilegio, quod omninò paucis conceſſum.

Audax, inquies, effatum: audax omninò, niſi niteretur & authoritate, & ratione, & exemplis.

Authoritatem peto ab *Ægidio de Præſentatione*, viro doctiſſimo, & *R. P. de S. Martino* Ordinis S. Auguſtini Religioſo, & ſacræ Theologiæ in Academia Tuloſanâ Profeſſore Regio, qui aſſeruit donatum illud amori, quo totus in Deum ferebatur, totuſque æſtuabat AVGVSTINVS. Donatum, inquam, ut facie ad faciem videret, ſaltem per tranſennam, objectum illud amoris beatifici, Divinam dico eſſentiam, ut eſt in ſeipſa clarè, & intuitivè. *In vita S. Auguſt. num. LXI.*

Ut autem illud ſibi perſuadeant, ducuntur ratione petita ex ipſis D. AVGVSTINI verbis, ingenuáque confeſſione, in qua meminit alicujus viſionis, & momenti intelligentiæ, ſimilis illi, quæ eſt in vita æterna, quod intelligentiæ momentum, ait illud eſſe, cujus mentionem facit Scriptura; cùm ſic ad ſervum fidelem, *Intra in gaudium Domini tui.*

Juvat eum audire in colloquio, quod habuit cum Beata Matre MONICA de Regno Cœlorum, deque æterna Sapientia; primùm in creaturis cognoſcenda; tum etiam in ſeipſa: de hac, quam tum uſurpaſſe videtur, ſic ait:

Subtrahantur aliæ viſiones longè imparis generis, & hac una rapiat & abſorbeat & recondat in interiora gaudia ſpectatorem ſuum, ut talis ſit ſempiterna vita, quale fuit hoc momentum intelligentiæ, cui ſuſpiravimus: Nonne hoc eſt, Intra in gaudium Domini tui. *Lib. Conf. c. 10.* *Matth. 25.*

Hactenus S. Præſul, ex quo habes, primò ſubtractas alias Dei viſiones, longè imparis generis, quales ſcilicet ſunt *abſtractivæ*. Secundò relictam eſſe unam, quæ raperet, quæ abſorberet, quæ conderet in interiora gaudia ſpectatorem ſuum: ea autem eſt *intuitiva*. Tertiò talem eſſe ſempiternam vitam, quale & fuit momentum illud intelligentiæ: at ſempiterna vita eſt Increatæ Sapientiæ viſio; igitur & illud momentum intelligentiæ.

Et hæc eſt ea, quæ ex illis verbis duci poteſt ratiocinatio, ex qua tamen (ut ingenuè dicam quod ſentio) conficitur & illud, etiam D. MONICAM eò loci, ac temporis, ſaltem ad *momentum*, evectam eſſe ad claram apertamque Divinæ Eſſentiæ viſionem: quam ne in AVGVSTINO, ne in MONICA rejicias, etiam viſum eſt exemplis aliis decertandum.

Sunt

Digitized by Google

Sunt Theologi (& quidem è primis ſubſelliis) qui docent id privilegii datum aliquando *Moyſi*, ut Deum facie ad faciem videret: quod ipſum innuere videntur ſacræ paginæ. Sunt & alii qui *D. Paulo* in ſuo ad Cœlos raptu. Sunt qui *D. Benedicto*; ſunt qui *S. Ignatio*; ſunt qui & aliis: Quidni igitur & D. AVGVSTINO? Certè cùm fortè Sanctorum nemini ceſſerit in Dei ſui amore, cur ceſſiſſe dicamus in ea, quæ Dei fuit amabilis in eum conniventia?

§. 6. *D. AVGVSTINVS LVX MVNDI, & quidem ardens ab incenſa in proximum Charitate.*

EA in duobus potiſſimùm explicari ſolet: Primùm ad aliquod corporum, & indigentiæ levamen; deinde ad ſolatium & ſalutem animorum: Et horum, & illorum cura fuit AVGVSTINO, maximè poſtquam Epiſcopatum adiit; quamquam nec illi defuit etiam in privata fortuna: cujus argumento erit iſtud.

Seceſſerat in interiora deſerti, ut ſibi Deoque vacaret impenſiùs, liber à turbis & undis populorum in ea ſolitudine; non tamen liber à pauperum cura: hos enim (ſi fortè adventarent) excipiebat cellula, & quà poterat etiam reficiebat, recreabatque.

Lancilott. l. 2. c. 13. Probata Cœlo eſt ea Charitas, probata & Chriſto Salvatori qui ut ea uteretur, ad illam charitatis, & hoſpitalitatis ſcenam, etiam peregrini habitum induit, cellulæ fores pulſavit, excipi petiit, ac refocillari, velut itinere longo exhauſtus, atque confectus.

Hìc oportunam exhibendæ charitatis occaſionem nactus AVGVSTINVS, hoſpitem illum ſuum benignè excepit, amplexu dignatus, & oſculo; illi enim & pedes lavit, & exoſculatus eſt, charitate magna, demiſſione majore. Et hæc, & illa cùm tanto hoſpiti (id eſt Chriſto) mitè placuiſſet; ſic ad illum: *Magne Pater Auguſtine, Filium Dei in carne hodie videre meruiſti, tibi commendo Eccleſiam meam*: dixit, & evanuit.

Lib. 3. c. 47. Quæ in humili, privataque fortuna AVGVSTINVS; eadem, & majora, in Infula, Pedoque. Nactus erat Epiſcopatum Hipponenſem omninò pinguem, atque opimum; cujus ſcilicet annui reditus cenſerent quadraginta ſcutatorum millia: è quibus nihil in ſumptus aulicos, nihil in pompam inanem, nihil in amicos derivari unquam eſt paſſus; ſed quidquid ſuæ, & ſuorum ſuſtentationi ſuperfuit, in pauperes effudit, *Cap. 49.* ea profuſione, ut cùm è paupere penu nihil pecuniæ ſupereſſet, etiam calices, & Eccleſiæ vaſa conflari juberet, atque pauperibus erogari. Ita nimirum altè in animum admiſerat illud AMBROSII:

Serm. 30. de diverſis. *Aurum Eccleſia habet, non ut ſervet; ſed ut eroget.* Nobile effatum, & dignum AMBROSIO, cujus amans, obſervansque AVGVSTINVS & illud jactare ſolebat:

Serm. 49. de diverſ. *Non eſt Epiſcopi ſervare aurum, & revocare à ſe mendicantis manum.* Hæc Præſul Hipponenſis, quem utinam audirent, Infulati Patres; non ea eſſet in pleriſque vel auri fames, ſitisque; vel in amicos parentesque profuſio, & ſordida in egenos parcitas. Sed quid? abierunt aurea illa vel AMBROSII, vel AVGVSTINI ſæcula, & in ferrea quodammodo degeneraſſe videntur. Sed ne his querelis aures fatigemus, redeamus ad inſignem D. AVGVSTINI in proximum charitatem: ea vel maximè enituit, in curandis animis à gratia & virtutum ſupellectile vacuis, atque à cœleſtibus egenis, quibus juvandis potiſſimùm incubuit: & hoc, quia, ut diſertè Poſſidius:

Cap. 19. *Zelo Dei ſuccenſus, Dominicis ſemper damnis mœrebat, & lucris gaudebat.* Damna porrò Dominica, damna ſunt animarum; & lucra, earumdem etiam lucra: quæ ut faceret,

Primùm ceris incubuit totus, cartis impalluit, & totâ ferè vitâ literis aſſedit, ſcribendisque voluminibus ſic immoratus eſt, ut etiam immortuus ſit; & hoc, vel ut hæreticos, paganosque à Fide devios, errantesque in eam aut adduceret, aut revocaret; vel ut Orthodoxos probè inſtitueret, firmaretque in gratia: quod & inde fecit concionibus, ſacer & facundus Orator, eo animarum lucro, proventuque, quem & tota retro antiquitas ſenſit, & poſteritas ipſa, poſt longa ſæcula ſentiet; vivet enim, ſpirabitque in ævum omne in ſcriptis ſuis AVGVSTINVS, atque per ea, etiam in ſcholis docebit, & detonabit in pulpitis: nec mirùm, quia ſic vivit, ſic ſpirat in cœlis ævo beatiore; ut ſine aliis, nec ibi vivere, nec beatitati ſpirare velle videatur.

Dum hìc in terris mortalem vitam ageret; dicereque è pulpito ad ſuos auditores, ſæpiùs ingeminabat illud: *Nolo ſalvus eſſe ſine vobis, nolo ſalvus eſſe ſine vobis.* *Lib. 3. c. 16.*

Iactavit olim Lex antiqua, eximiam in *Moyſe* charitatem, cujus hæc ad Deum oratio: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro, quem ſcripſiſti.* *Exod. c. 32. v. 32.*

Iactavit & Lex nova ſupparem *D. Pauli* in fratres charitatem, quæ eò duxit, ut pro illis optaret eſſe *Anathema.* *Ad Rom. c. 9.*

Et jactabit in ſæcula propenſiſſimam D. AVGVSTINI in proximos voluntatem quæ eò delapſa eſt, ut ſine illis etiam ſalvus eſſe nollet: adeò eorum ſalus erat in amoribus, primisque curis.

Ut & tibi ſint, quiſquis hæc aſpicis, age, zelum indue animarum; ſed zelum, qui (ut ait D. Dionyſius Areopagita) *Generatur ab amoris fervore.* *De Divin. Nom. c. 4.*

Ubi porrò eum indueris, exclamabis cum Elia Propheta: *Zelatus ſum pro Domino exercituum.* *3. Reg. 19.*

Et cum Evangeliſta: *Zelus domus tuæ comedit me.* *Ioan. c. 2.* Comedit enimverò eum, quem occupaverit, *ut mala, quæ viderit, corrigere ſatagat; quod ſi nequeat, toleret, ac gemat*: *Gloſſa.* uti gemebat & AVGVSTINVS. Et hic primus illius amoris eſt effectus.

Alter, eſt gaudium enatum ex *lucris animarum.* Quantum porrò ſit illud, & quàm immenſum, conjice ex ejus pretio, quod non aliud eſt, quàm Dei hominis vita, & ſanguis per extrema ſupplicia expreſſus. Et hinc bonis mentibus, hinc Angelis, hinc Deo ipſi gaudium etiam ab unius animulæ lucro: Et tale viſum eſt in AVGVSTINO, qui animarum *lucris gaudebat.*

Et inde illis inhiabat, ut cibo famelicus ſolet: nempè, ut D. Gregorius Pontifex: *Eſca juſtorum converſio eſt peccatorum*: *Lib. 31. Mor. c. 22.* pro qua ſcilicet, & quidlibet agere, & pati certus, etiam beatitatis æternæ privationem, quæ tamen extremum eſt malorum, ſicut ejus poſſeſſio ſummum bonum.

Ne porrò vel ipſe, vel alii, eam privationem aliquando paterentur, totus erat in eorum ſalute procuranda, probè conſcius illius, quod aliquando extulit D. Dionyſius:

Omnium divinorum diviniſſimum cooperari in ſalutem animarum. *De Cœleſt. Hier. c. 3.* Quod ſi non poſſis verbo, non poſſis elaboratis ad populum concionibus, non ſcriptis & doctis ingenii tui monumentis: at votis potes, & emiſſis in cœlos precibus.

Ita potuit, ita & fecit *D. Tereſia*, quæ totis quadraginta annis orationi inſtitit, & noctes etiam inſomnes duxit quà orando, quà flendo: & hoc ut vel unicum peccatum dilueret, vel unicam cœlo redderet animulam; pro qua, ut aiebat, & *mille vitas* profudiſſet. *Didacus Iepeſius in ejus vita l. 3. c. 25.*

Ita deinde fecit *B. Maria Magdalena de Pazzis*, maximè poſtquam ad illam à Dei Matre emiſſus eſt

B. Ignatius, qui cùm ei multa de humilitate dixiſſet, addidit extremum & iſtud de profuſa in proximos charitate.

Puccius in ejus vita. 2. P. c. 12. *Quemadmodum Verbum Incarnatum conſtituit Apoſtolos piſcatores hominum: ita conſtituit ſuas ſponſas, ut faciant prædam animarum.* O divitem, ô nobilem, ô gratam Superis Deoque prædam: in eam totis animi viribus involа, ſubnixus alis altiſſimæ in proximos charitatis.

§. 7. *D. AVGVSTINVS LVX MVNDI, & quidem ardens ab inflammato in Deum amore.*

CHriſtus è terris in cœlos abiturus, primùm explorat quàm in ſe propenſa, quàm ardens eſſet *Petri* voluntas, & amor. Deinde tum oves, tum agnos paſcendos committit: ſic enim ad illum:

Ioan. c. 21. v. 15. *Simon Ioannis diligis me plus his?* Cui PETRVS, *Etiam Domine tu ſcis, quia amo te.* Dicit ei, *Paſce agnos meos.*

verſ. 16. Tum iterum: *Simon Ioannis diligis me?* ait illi, *Etiam Domine tu ſcis, quia amo te.* Dicit ei, *Paſce agnos meos.*

verſ. 17. Denique dicit ei tertiò: *Simon Ioannis amas me?* Cui PETRVS ſubtriſtis ait: *Domine tu omnia noſti: tu ſcis, quia amo te.* Tum illi Dominus, *Paſce oves meas.*

Bellarm. Paſce, inquit, primùm *agnos*, id eſt fideles ſimplices: tum etiam *oves*, id eſt Magiſtros, Paſtores, Epiſcopos, Apoſtolos, qui quaſi Matres ſunt fidelium: *paſce* ait, ut Summus Paſtor, & Paſtor Paſtorum,

Lancilott. l. 3. c. 42. *Ecce*, inquit AVGVSTINVS, *ut interrogatur amor, & imperatur labor*: quia ſcilicet ubi eſt amor, ibi debet eſſe labor.

Quod olim D. PETRO Servator Optimus: hoc deinde D. AVGVSTINO; hanc enim vocem, velut è cœlo lapſam, ter audit:

Vega Serm. in Dom. 12. poſt Pent. *Auguſtine amas me?* cui ille, *Domine tu noſti, quia amo te.* cui Chriſtus, *Agedum, ediſſere, quantùm me ames?* cui Auguſtinus:

Walderam. in Theatro. *Domine ſi omnia corporis oſſa forent lampades aureæ, & ſanguis omnis per venas, perque membra diffuſus balſamum foret: Et lampades arderent, & balſamum conſumeretur in tuū ſolius honorem, ſicque totus in holocauſtum tibi conflagraret Auguſtinus.*

Reſignol. de Diſcip. Chriſt. perf. l. 5. c. 20. Cui deinde CHRISTVS: *An ne quidquam faceres ampliùs?* excepit AVGVSTINVS: *Si & venæ meæ omnes, & nervi vincula forent aurea, te utique illis cordi meo alligarem, & æternùm quidem.*

Ad hæc tertiò illi CHRISTVS: *Et majorem inſuper à te amorem exigo, & illum mihi dona.* Cui AVGVSTINVS reddidit illud paradoxon, & adynaton:

Tanta te, ô Rex gloriæ, dilectione proſequor, ut ſi (quod eſſe nunquam poteſt) ego Deus forem, & tu Auguſtinus eſſes, omnino vellem ego fieri Auguſtinus, ut tu fieres Deus.

Dixit, & amore victus obticuit; quid enim ampliùs aut cogitare, aut eloqui potuiſſet? omninò nihil. Summum nempè illud eſt amoris faſtigium, exceſſus eſt, & raptus, & extaſis amantis, à quo & illi deinde relictum pro inſigni, ſcutoque amoris: *Cor ſagittis transfixum*; ut inde noſcet Orbis univerſus, Cor AVGVSTINI ſagittis divini amoris fuiſſe transfixum. Quod & ipſe agnovit, extulitque, dum ſic ad Deum:

Lib. 9. Conf. c. 2. *Sagittaveras cor noſtrum charitate tua.* At quibus inquies ſagittis? Sagittis amoris, & à quibus vulnera relicta ſunt amoris. Ut hæc, & illa videamus, agedum mi Lector, ex AVGVSTINI pectore, divini amoris ſacrario, cor educamus; ſed religioſa, ſed pia manu: ex eo quippe patebit, quàm verum illud quod extulit aliquando: *Sagittaveras, ô Domine, cor meum.*

Rex Saracenus in paucis barbarus, & impius, Taurominio capto, etiam illius Urbis Epiſcopum, *Procopium* nomine, in paucis Sanctum ceperat: qui cùm multa ex imo corde funderet de Deo, diviniſque amoribus; ſic ad ſatellites, & ſicarios Rex truculentus: Agedum, inquit, è pectore cor educite, atque in os ei ponite, ut vel etiam inde loquatur, & arcanos Chriſti ſui pandat amores, & ſenſa. *Bollandus ad 7 Ian. in Tranſlatione S. Severini Norico. Apoſt.* Parent illi, diſciſſoque per medium pectore, cor extrahunt, atque in os injiciunt. Mirum dictu, viſuque! Cor etiam tum palpitare, & quà licebat loqui, & altùm inclamare Chriſti ſui amores.

Quod illi efferâ manu, ferróque; hoc nos ipſi pia quadam æmulatione: Cor AVGVSTINI (ſedem olim ac domicilium ſacri amoris) educamus ex imo pectore, luſtremusque, quæ in eo ſagittæ, & quæ ab illis plagæ. Quamquam quid educemus ipſi, cùm jam inde à felici illius obitu, vel à bono genio eductum, ſit, vel certè ab intimis illius familiaribus, ut in poſterorum oculos aliquando veniret. Et verò etiam venit non ſine amabili ſtupore, & prodigiis, quorum meminiſſe juvabit.

Sigisbertus Epiſcopus Lugdunenſis D. AVGVSTINI *Landin l. 3. c. 45* ſtudioſus in paucis, multis à Deo votis, precibusque ſupplex expetierat aliquas illius Divi reliquias (exuvias unique magnæ mentis) quas dum ambit, amatque, ſub horam primam in oratorio ſuo de more, dum in eadem vota, precésque animum explicat, ſubitò indormit. Et ecce ſopito & dormienti adeſt Angelus, qui manu præfert vaſculum cryſtallinum perlegans, cujus pedunculus ex auro obryzo, circuli circumquaque aurei, pyxis autem ipſa gemmarum luce nitoreque: quam cum in ipſo ſacelli altari repoſuiſſet, ſic ad Epiſcopum:

Ecquid dormis, Siguberte? dixit, & Sigiſberto ſomnum excuſſit, qui ſibi redditus: *Ecquis*, inquit, *es?* cui ille, *Ego ſum Angelus, Auguſtini quondam Tutelaris, qui & illius in vita curam habui, & à morte etiam cordis, quod Deus in cineres redigi non eſt paſſus.*

Qui enim in cineres iret cor illud, quod adeò arſit divinis amoribus; quod Dei ſedes, quod officina altiſſimorum de SS. Trinitate & ſenſuum, & affectionum? *R. Pater de S. Martino in ejus vita num. 62.*

Exurge igitur, & quod tibi cælum donat munus, accipe. Dixit, & evanuit. Tum ſibi à ſomno redditus Epiſcopus, altarique jam proximus, in eo conſpicit velut urnulam vitream, & in ea Cor Divi AVGVSTINI, adeo recens, integrum, vividumque, ac ſi modò eductum è pectore.

Vidit, & obſtupuit, Deoque gratias egit, pro tam nobili, ſacróque pignore; ad quod viſendum etiam alios accivit, primùm domeſticos, tum populares ſuos, tum ſubditos Diœceſi tota. Ubi convenêre tam hi, quàm illi; tum Epiſcopus ad publicam gratiarum actionem ab univerſo Clero accini jubet illud ſolemne lætumque acroama: *Te Deum laudamus.* mirum dictu, viſuque! Cùm ad eum verſiculum deventum eſt: *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Ecce cor palpitare, exilire, exultareque in Deum ſuum, & quaſi muta voce eloqui, atque inclamare illud SS. Triadi, *Sanctus, Sanctus, Sanctus.*

Similes motus, ac palpitationes pari dicitur illud ipſum *Cor* die anniverſaria SS. TRINITATIS. Imò quoties in altari deponitur ad eaſdem voces in Præfatione legi ſolitas, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, derepentè palpitat, atque exilit, ac veluti os cordis expandit. Diceres etiam *SS. Triadis* nomen & exprimere, & eloqui, & laudare velle.

Quid enim aliud indicet ea cordis micatio, palpitatio, ſaltusque? Et hunc, & illa etiam notari aſſerit *B. Iordanus* è Saxonia, quoties vel ſolum SANCTISSIMÆ TRINITATIS nomen coram eo exprimitur: *Serm. 149. de Sanctis.* vel ipſe (quem de SS. TRINITATE ſcripſit) liber expanditur; crederes etiam tum cor AVGVSTINI expandi, atque explicari in eaſdem SS. TRINITATIS laudes, atque encomia, quæ, ut doctis ingenii

ſui

ſui monumentis explicuit vivus; ſic & mortuus, eo cordis motu explicat, panditque: quod dum in eo amat, ac veneratur Eccleſia: illius divi feſtivo ac ſolemni die, præfationem de SS. TRINITATE in Miſſa prælegi voluit, ut ejus in illam pietati velificari videretur.

Vide Lancelot. l. 4. c. 43. in initio.

Ad hoc porrò divini amoris, ceu cœleſtis ſagittarii, miraculum, addo & aliud, cujus meminit *Lancilottus*, *Florus Batavus*, *Ioannes ab Angelo*, *Vincentius Ferrerius*, aliique. Cor ipſum D. AVGVSTINI factis Chriſti ſtigmatibus, ceu vulneribus, notatum, de quo *Emanuel Corea* ſecunda parte hiſtoriæ *S. Ioannis Saguntini*, ſic cecinit:

Gentis Eremicolæ Pater Auguſtinus, amore
Divino accenſus, Chriſtum meditatus, ab illo
Fonte capit plagas, ex illo fonte ſagittas.

Et fortè hoc ipſum eſt, quod D. AVGVSTINVS amore divino ſaucius edidit, dum ſic ad Dominum: *Sagittaveras tu Domine caritate tua Cor meum.* Felices enimverò ſagittæ, felicioreſque ab illis plagæ; utinam & illis peti, & bis ſauciari poſſet cor meum; utinam & tuum, *amice Lector*, utinam & hæreticorum omnium, quos etiamnum miraculo tangit, ſteruitque Cor illud D. AVGVSTINI, de quo & illud imprimis memorabile.

Manuſcriptum ſalmantica.

Eò loci, ac temporis, quo in arâ publicè venerandum exponitur, ſi quis hæreticorum, auſu temerario ſubintret, vel illicò emoritur, vel ad ſacra templi limina proſternitur: crederes Cor AVGVSTINI, etiamnum averſum ab hæreſi, & hæreticis, quos & impugnavit vivus, & mortuus expugnat.

Et hinc factum exiſtimo ut Auguſtinus à pictoribus effingi ſoleat unà cum corde in dextra, & ad pedes proſtratis longè lateque hæreticis. Ut indicio ſit, quod & proſtrarit vivus, & proſternat etiam mortuus; tanta in illo vis eſt, & tanta vis amoris, qui etiam in corde exanimi & vivere, & ſpirare videtur.

Atque utinam ſic in tuo viveret, ac ſpiraret: Jactare poſſes & illud cum Apoſtolo: *Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Chriſtus.*

Jactare poſſes & iſtud Sponſæ: *Ego dormio, & cor meum vigilat*; vigilat utique in caſtos ſpōſi ſui amores.

Ita vigilavit *S. Franciſcus Xaverius*, de quo ſic Turſellinus: *Ne ſomnus quidem vacabat ab oratione*, & incenſis ad Deum votis, atque amoribus.

Ita vigilavit, hoc quo vivimus ævo, *R. P. Petrus Cottonus*, Henrici IV. Regis Chriſtianiſſimi Confeſſarius, in cujus vita manu-ſcripta habetur, quod ſingulari Dei beneficio, decem circiter annis ante mortem, id eſſet aſſecutus, ut etiam dormiens liberi arbitrii uſum haberet, ad orationem, & incenſam cœleſtium, ac divinorum meditationem; quam ea vi eo vigilantis animi impetu faciebat, ut ex dormientis ore frequenter erumperent ejaculatoriæ orationes, ceu ſagittæ divini amoris, ceu ſcintillæ caritatis, ceu cœleſtis ſponſæ voces: Voces, inquam, amantis, & mirum quantum amantis.

Romæ anno 1629. lib. 2. c. 10.

Lancicius tom. 1. Opuſc. 4. c. 4. p. 301.

Certè, eæ voces auditæ ſæpiùs à vicinis, etſi cubiculis, etſi muro disjunctis, ac diviſis; eò nempe accenſi cordis niſu, impetuque ferebantur, ut ad aliorum, etſi remotiſſimorum, aures appellerent, animoſque commoverent eadem divini amoris aura, atque afflatu. Et ſanè quidni commoverent, quidni incenderent, ea cœleſtis amoris in Dei famulo etiam in ſomnis incēdia? Sed revertamur ad AVGVSTINVM.

§. 8. *D. AVGVSTINVS LVX MVNDI, etiam cæleſtis & quidem Lucens & ardens à gloria & beatitate.*

VUlgatum illud divini Spiritus oraculum, *Qui ad juſtitiam erudiunt multos, fulgebunt ſicut ſtellæ in perpetuas æternitates.* Et ita fulget D. AVGVSTINVS, qui & lingua, & calamo multos ad juſtitiam erudivit: fulget, inquam, adinſtar ſtellæ; imò & Solis.

Fulget, primùm in mente, doctàque intelligentia ab ipſa viſione beatifica; Fulget deinde, ardetque in voluntate, ab amore beatifico; Fulget denique, ardetque in anima ævo donatâ beatiore.

Hanc è corpore, ceu ergaſtulo, dum excederet, vidit Religioſus unus aliquis, nube candida, lucidàque exceptam in cœlum efferri Pontificis inſignibus ornatam.

Petr. de Natal l. 7. c. 128.

Vidit, & illius oculos adinſtar radiorum ſolarium Eccleſiam quà longè lateque patebat, cœleſti quodam lumine perfundere, atque illuſtrare.

Notabant oculi, notabant & radii, mentis aciem, & altioris intelligentiæ vim; à qua Orbi univerſo ſua quondam Lux fuit: Lux Fidei & doctrinæ ſanctioris; quâ quoniam in terris effulſit AVGVSTINVS, effulget etiamnum in cœlis, effulgebitque in omnem retrò æternitatem; in qua quàm gloriæ, ac beatitatis ſedem nactus ſit, ex uno alteróve diſce.

B. Iordan. ſerm. 128.

Chindaſuindus Hiſpaniarum Rex incredibili deſiderio, dum flagrat, videndi Moralia *D. Gregorii Pont. Max.* *Taionem* Cæſar-auguſtanum Epiſcopum, Romam emittit, qui ea quæreret, referretque. Hic in ſacrâ *D. Petri* æde dum orationi ferventiùs inſiſtit, concubia nocte: primò vidit derepentè Eccleſiam inſolito lumine compleri: tum longâ ſerie virorum, ingentem omninò multitudinem, qui ſacra ſubirent limina, & bini ac bini, ad *D. Petri* aram aſcenderent. Hanc dum oculis & animo luſtrat non ſine ſtupore, ſacroque horrore; tum ex illa duos ad ſe adventare conſpicit; è quibus rogavit unus, Ecquis eſſet? & quorſum eò veniſſet. Poſtquam ad ſingula paucis reſpondiſſet, tum digitum exporrigens: *In hoc*, inquit, *quod cernis ſcrinio, inſunt libri quos inveſtigas.*

In Præfat. in Moral. S. Gregor.

Cui ille, *Bona tua venia, ô mi Domine, ecquænam virorum illorum quam intueor proceſſio?* Tum ille:

Primi illi duo, quos innexis invicem manibus proceſſiſſe vidiſti, ſunt Apoſtolorum Princeps *Petrus* & *Paulus*: alii verò Pontifices, in eadem Petri Sede ſucceſſores, ſervato quoque temporum ordine; qui uti hanc ædem frequentarunt in vitâ; ſic etiam & mortui ſæpiùs inviſunt.

Cui deinde Epiſcopus: *Quod cum gratia petitum ſit. Ecquis es tu, ô Domine.* Ad quæ ille: *Ego ſum Gregorius*, cujus libros per tot viarum ambages, ac diſcrimina quæſiviſti, eoque huc veni, ut & labori tuo, & votis facerem ſatis. Tum rurſus ille: *An hîc fortè D. Auguſtinus*, & ſi hîc: *Ecquis ille?* cui D. Gregorius: *S. Auguſtinus, virum excellentiſſimum, de quo quæris, altior à nobis continet locus.*

Lancilott. l. 3. c. 70.

Ecce teſtimonium, ecce oraculum magni Pontificis, quo teſte D. AVGVSTINVS in Cœli regia, altiorem à Pontificibus locum obtinet, ſi Apoſtolorum Principes exceperis. Ecce gloriam, ecce beatitatem, in quam aſcendit AVGVSTINVS, ex vero *Lux Mundi*, etiam *Cæleſtis*: aſcendit ille adinſtar Solis, & in ſummo cœlorum vertice conſtitit, ſic ut ferè cæterorum conſpectum effugiat; quod teſtatur objecta cuidam alteri viſio. Spectavit ille Beatos, à cœleſti gloria, in qua dum AVGVSTINVM non aſpicit. Ex illis quærit: *Vbinam eſſet Auguſtinus?* cui illi: In editiſſimis Empyræi locis, in quibus SS. TRINITATEM (de qua olim magnificè diſſeruit) irretorto mentis oculo aſpicit; eâque fruitur quàm feliciſſimè. Hæc illi, ex quibus diſce, *mi Lector*, quàm verùm illud Chriſti de AVGVSTINO oraculum: *Vos eſtis Lux Mundi.* Primùm in terris, viâque hac mortali; tum etiam in cœlis, ſupernæque Patriæ ſede. Ut is quoque ſis, pagellam hanc meam, qui oculo decurris, age, vide ut in terrâ *Lux* ſis *mundi*, à virtutum nitore, ac gratia: tum enim & in cœlis eris aliquando *Lux mundi*, & cœleſtis quidem, ac beati.

DE SANCTO BENEDICTO ABBATE.

PROŒMIUM.

BENEDICTINI Ordinis laus & gloria è variis capitibus, veluti fontibus, deduci poteſt: & quidem

Primùm, ab ipſo Parente & Authore D. BENEDICTO, in cujus virtutes, atque encomia calamum infrà latiùs explicabimus, ideóque hîc aliquanto parciùs.

Lib. 2. Dial. c. 36.

Deinde à *Regula*, quam D. GREGORIUS Pont. Max. *Diſcretione præcipuam, ſermone luculentam* appellat. Et certè quidni ea eſſet, quæ non tam fluxit è calamo D. BENEDICTI, quàm è Dei ſpiritu emanavit? quod aliquando *D. Birgittæ* aperuit ipſa Dei Mater, & Auguſta cœli terraque Regina; cujus hoc effatum:

Lib. 3 Revel. c. 30.

Benedictus compoſuit ſuam Regulam, de Spiritu Dei, per quam multi perfecti ſunt facti, ſicut Benedictus. Ecce magnæ Matris, de D. BENEDICTI *Regula* ſacrum ac cœleſte oraculum: in quo hæc duo memori mente notari velim. Primò eam eſſe de *Spiritu Dei*, quid altiùs dici potuit? Deinde, *per quam perfecti facti ſunt multi, ſicut Benedictus.* Quid ſanctiùs excogitari? prope nihil. Quid enim ſanctiùs D. BENEDICTO? cujus etiam laus maxima in filiis fuit, & ſacra, eaque numeroſiſſima generatione.

Ut ei meritò accinere poſſimus, quod olim Eccleſiaſticus Patriarchis ac ſapientibus:

Cap. 44.

Laudemus Viros glorioſos, & parentes noſtros in generatione ſua; Quæ ſit illa quæris, & quanta? Quanta ferè magno Gentium Parenti Abrahamo, cui Deus: *Multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli, & ſicut arenam maris, quæ pro multitudine numerari non poteſt*: Ea propè fuit D. BENEDICTO; quæ quia nec à me, nec à quoquam alio (quod quidem exiſtimem) tota recenſeri poteſt, ex illa tantùm illuſtriores attingam: alios ſilentio hîc involvi patieris, *benevole Lector.*

Baldwinus Præfatione ad Regulam D. BENEDICTI, inter filios magni illius Parentis, ait numerari: *Imperatores tres, Imperatrices undecim, Reges maximos & ſtrenuos duos ſupra viginti, Reginas unam & quadraginta, Principes viros ac fœminas ferè innumeras.*

Addit deinde quod ad ſacratiſſimi illius Ordinis encomium plurimum facit: *Quod ſicut cælum Sanctis; ita libris, & ſcriptis mundum; Eccleſiam optimis moribus, variis, & perutilibus inſtitutis, abundè replevit, locupletavit, propagavit.*

Quî autem factum ſit iſtud; ex ea, quam hoc loco ſubjiciemus quæſtione, clariùs aperietur: Ubi tamen priùs pauca ex Angelico Doctore, qui argumentum ſacræ dictionis, ex aliis, atque aliis ſcripturæ locis deſumpſit. Sit itaque

EX D. THOMA.

DUm fuſiùs excurrit in D. BENEDICTI laudes, atque encomia, in prima concione, pro themate aſſumpſit ea Eccleſiaſtici verba: *Dilectus Deo*

Cap. 45.

& hominibus. Quæ, ait, intelligi de Moyſe, magno illo Iſraëlis Duce, ac Legiſlatore, quocum D. BENEDICTUM componit, ut figuram cum prototypo. Et hoc quidem.

I. Quia ille Ægyptum deſeruit; hic mundum. *Con. 2.*

II. Ille deſertum dilexit; iſte Eremum.

III. Ille filios Iſraël in deſertum introduxit; ille Monachos.

IV. Ille dedit Legem; iſte Regulam.

V. Ille multa miracula fecit; & iſte quàm plurima;

VI. Ille fuit Moyſes, re & nomine; re quidem, quia ex aquis extractus; nomine verò quia *Moyſes*: ſcilicet infanti Hebræo Hebræum nomen indidit eum adoptans Ægyptia mater, vocavitque nomen ejus *Moyſes*, dicens, *quia de aquis tuli eum.* Iſte autem BENEDICTUS re & nomine; quia aſſumptus de aquis carnalis concupiſcentiæ; & in hoc re etiam ipsâ BENEDICTUS.

Exod. c. 2. v. 10.

Ubi hæc de *Moyſe*, ac *Benedicto* dixit; tum quærit cur *dilectus Deo?* & quæ hominem Deo faciant dilectum?

Primum eſt *Cordis puritas*, & hæc in D. BENEDICTO fuit quàm maxima.

Secundum *Humilitas*; & illa in eodem profundiſſima.

Tertium *Charitas* tum in Deum, tum in proximum, & iſta fuit in eo accenſa vel maximè.

Subjicit deinde cur etiam *Dilectus hominibus*; hunc faciunt pariter tria, è quibus primum eſt *Sapientia*: alterum *Benignitas*: poſtremum *Dulcis loquela.* & hæc, & illa in D. BENEDICTO eluxêre, ut videre licebit in omni vita, ſerieque rerum ab illo geſtarum.

Secunda concio ducitur ex illo loco: *Nemo lucernam accendit, & in abſcondito ponit; neque ſub modio: ſed ſuper candelabrum.*

Luc. c. 11. v. 33.

Candelabrum eſt *Iuſtus*, qualis & D. BENEDICTUS. *Lucerna* primò eſt *Ratio*, lux utique bonæ mentis. Secundò, *Divina inſpiratio.* Tertiò, *Verbum, & lex divina.* Quartò, *Bona operatio*, quæ lucis, ac ſolis inſtar in domo tota, id eſt, Eccleſia, emicat. Quintò, *Recta intentio*, quæ eſt veluti lucerna corporis. Sextò, *Chriſtus* ipſe. *Lucerna* enim eſt *Agnus.*

Apoc. c. 2.

Et D. BENEDICTUS *Candelabrum* fuit in domo Dei: ſed aureum ab infuſa charitate. Huic *Lucerna*, primò fuit rationis dictamen, quod in omnibus ſecutus. Secundò, Inſpiratio divina, cui ſemper obſecutus. Tertiò, Lex cœleſtis, ac Regula, quam poſteris omnibus tradidit. Quartò, Bona operatio, & magnarum virtutum exempla, quibus Orbi univerſo illuxit. Quintò, Recta intentio, qua velut oculo ſimplici Deum unum ſpectavit. Sextò denique, Chriſtus ipſe, cujus Fidem, ceu Lucem quamdam, diviniorem mundo, & cœcæ gentilitati extulit.

EX

EX EVANGELIO.

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa verba: *Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet.* Matth. c. 19. v. 29.

QUOD ILLUD CENTUPLUM?

SANCTI Patres, atque Interpretes in alias, atque alias diſcedunt ſententias: *D. Gregorius Pont. Max.* in eo conſtituit *Centuplum*, Quod Chriſti causâ atque imitatione egenus, plus exultet, ac triumphet in ſua illa egeſtate; quàm ſæculi hujus divites in omni ſua opulentia.

Hom 19 in Ezech. *S. Hieronymus*, *Beda*, aliique *Centuplum* reponunt *in ſpiritualibus*, quæ ſi comparentur cum temporalibus, æſtimantur ſicut unum ad centum.

Origenes, *Theophilactus*, *Euthymius*, aliique, *Centuplum* illud planiùs intelligunt, atque ut ſonat, ferè in iis ipſis rebus, quas reliqueris. Dixi *ferè*, quantum ſcilicet patitur honeſtas, & ſana verborum iſtorum intelligentia, uti fuſiùs explicabo in feſto D. BERNARDI, ubi de hoc Evangelio etiam latiùs. Interea ad propoſitam initio quæſtionem. Attendamus quomodo D. BENEDICTUS, *Centuplum* à Deo, (cujus gratiâ omnia dimiſerat) acceperit.

CENTUPLUM IN TEMPORALIBUS.

§. 1. *Centuplum in Patre & Matre.*

POſſet hic initium laudis peti à *Nurſia*, antiquiſſima Italia Civitate, quæ D. BENEDICTO Patria fuit, adeoque quodammodo mater.

Poſſet & duci à majoribus, qui illi & antiquitate, & ſanguine, & rebus geſtis longè clariſſimi.

Certè hi Romæ, Urbium principe, & Orbis capite ita quondam nominati, ut ex una D. BENEDICTI familia, prodiiſſe dicantur Romani Conſules ſexaginta (& quod princeps eſt, & potiſſimum laudis, ac gloriæ caput) quod ex eadem fuerit primus Conſul, qui Chriſto nomen dedit, ac fidem; anno trecenteſimo vigeſimo ſecundo. Nomen illi fuit *Anicius Iulianus*. *Valderama ſerm de S Benedicto.*

Poſſet & copia laudis trahi ab illius parentibus, Patre ac Matre: qui ut genere ac proſapia illuſtres: ſic & virtute illuſtriores.

Sed bona eorum venia, ab illis in præſentia mihi abeundum cenſeò, neque per Patrem intelligendum eum, qui corpori gignendo ſervit; neque verò eum intellexit Chriſtus ipſe, Magiſter Opt. ſed eum, qui aut dignitate Pater eſt, aut officio, aut ſpiritu. *Dignitate* atque officio Patres, ſunt Præſules omnes, atque imprimis Papa, qui ex vero Pater eſt, & Pater Orbis Chriſtiani. *Spiritu* Pater eſt, qui alterum Deo gignit, & ſaluti ac beatitati; ut Apoſtoli, virique Apoſtolici, qui tum exemplo vitæ ſanctioris, tum verbo prædicationis animas Deo, Cœloque pepererunt.

Mater autem, eſt ipſa Religio, quæ Religioſos, ceu filios, gignit, lactat, & fovet in ſpiritu.

His ita ex ſaniore Theologia conſtitutis; videamus, quos & quo numero, mirabilis Dei providentia Patres dederit, ſeu D. BENEDICTO, ſeu ejus filiis; tot certè, quot Romanæ Eccleſiæ Pontifices. Hoc eſt, octodecim Trithemio teſte; viginti-quatuor Genebrardo; aliis viginti-octo; aliis denique quadraginta-ſeptem: nec enim inter ſe conſentiunt Authorum ſententiæ: ego in illis ſequar quod veroſimilius videtur, & octodecim dumtaxat Summorum Pontificum nomina hîc attexam ad omnem poſterorum memoriam, lucémque ſancti Fundatoris.

Inter eos primus, quà doctrina, quà ſanctitate eminet *D. Gregorius* qui *Magnus* audit, audietque in ævum omne à meritis & rebus præclarè geſtis. Hic Patriâ Romanus, Patre Gordiano viro Senatorio natus, ex Monacho Monaſterii *S. Andreæ*, quod ipſe in Urbe extruxerat, ad Petri Cathedram evectus, & Anglorum Apoſtolus, & primus, qui inſigni cum demiſſione hunc ſibi, & ſucceſſoribus titulum fecit: *Servus ſervorum Dei.*

Secundus, *Bonifacius quartus*, natione Marſus, ex Monacho *S. Sebaſtiani* in Pontificem aſſumptus; hoc pius, quòd paternam domum in Monaſterium ſui Ordinis commutarit; hoc clarus, quòd templum Pantheon à Phoca Cæſare & impetrarit, & Divæ Matri, ac SS. omnibus conſecrarit.

Tertius, *Adeodatus*, patriâ Romanus, ex Monacho Cœlii-montis Pontifex creatus.

Quartus, *Agatho primus*, natione Siculus, ea vir ſanctitate & miraculorum gratia, ut leproſum ſibi obvium vel ſolo oſculo ſanarit.

Quintus, *Stephanus tertius*, primò Monachus *S. Chryſogoni* Romæ, tum Pontifex, vir eruditionis ſingularis.

Sextus, *Leo quartus*, & ipſe ex Monacho *S. Martini* in Urbe Summus Pontifex, ob eximiam vitæ, morumque integritatem in Sanctorum numerum deinde relatus.

Septimus, *Leo quintus*, ex Monacho de *Brandalo* Pontifex.

Octavus, *Sylveſter ſecundus*, natione Gallus, & Monachus olim Floriacenſis.

Nonus, *Stephanus nonus*, gente Lotharingus, frater Godefridi Ducis Lotharingiæ, Abbas olim Caſſinenſis.

Decimus, *Gregorius ſeptimus*, patriâ Hetruſcus, Monachus Cluniacenſis, qui pro Eccleſiâ multa agere, multa pati ſucceſſores docuit.

Undecimus, *Victor tertius*, Abbas antè Caſſinenſis, qui Henrici Imperatoris fraude ſublatus, injecto in calicem, dum celebraret, veneno.

Duodecimus, *Urbanus ſecundus*, Monachus Cluniacenſis, qui in Concilio Claromontenſi inter alia inſtituit, ut Horæ B. Virginis quotidie à Clero legerentur.

Decimus-tertius, *Paſchalis ſecundus*, gente Italus, ex Abbate in Pontificatum aſcitus.

Decimus-quartus, *Gelaſius ſecundus*, patria Cajetanus, Monachus Caſſinenſis.

Decimus-quintus, *Anaſtaſius quartus*, natione Romanus ex Abbate *S. Ruſi* Pontifex creatus.

Decimus-ſextus, *Adrianus quartus*, patria Anglus, è Monaſterio *S. Ruſi* ab Eugenio in Norvegiam miſſus, ejuſque gentis Apoſtolus, deinde Abbas, tum Albanenſis Epiſcopus; ac Cardinalis, denique & Pontifex.

Decimus-ſeptimus, *Clemens ſextus*, natione Lemovicenſis, Abbas Fiſcanienſis, Rothomagenſis Archiepiſcopus, ac Cardinalis, denique Pontifex.

Decimus-octavus, *Urbanus quintus*, Abbas *S. Victoris* Maſſilienſis, quem & Romæ convenit *S. Birgitta*, multaque ei prædixit. Et hi ſunt, quos in Petri Sedem extulit Dei manus, ut eſſent illius Ordinis Religioſis, (uti & Eccleſiæ) Patres; Patres, inquam, dati pro uno, quem ipſi reliquiſſent.

Trithem. l. 1. c. 5. Illis ſuppares accenſeri poſſent *Purpurati Patres*, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ *Cardinales*, quos centum & octoginta numerarunt ad ſplendorem lucemque ſacri illius ac religioſi Inſtituti, quod & ornarunt ubique ferè locorum *Archiepiſcopi* mille quingenti ſexaginta quatuor: *Epiſcopi* verò tria millia quingenti duodecim. *Abbates* autem eruditione & ſcriptis illuſtres quindecim millia ſeptingenti. Ex quibus omnibus, etiam in aperto eſt, quæ illi Mater, hoc eſt Religio, quàm ſancta, quàm auguſta. Certè quàm auguſta fuerit vidimus, tum in Pedo & Infulâ, tum in Purpura, tum denique in Tiara Pontificia, cui ſplendorem quoque ſuum addent Imperatores Auguſti, numero duodecim illi Ordini quondam aſcripti. Mitto cæteros inferioris ſubſellii, ne longior ſim. Et hæc faciunt ad illius Inſtituti majeſtatem; videamus, quæ etiam ad ſanctitatem: ea patebit in Beatis, quos Eccleſiæ primùm, deinde & Cœlo dedit ſacer Ordo D. BENEDICTI.

§. 2. *Centuplum in Fratribus.*

DIVO BENEDICTO, multorum filiorum parenti, id uſu venit, quod olim Ioſepho, quo *Exod. c. 1.* mortuo filii Iſraël *creverunt & quaſi germinantes multiplicati ſunt, ac roborati nimis impleverunt terram.* Etſi enim dum in vivis eſſet, & monaſteria longè plurima viderit, & in iis uberem filiorum progeniem: tamen à morte, è cœli ſpeculâ ſpectavit multò uberiorem: Filii quippè illius *creverunt* in gentem magnam, & *quaſi germinantes multiplicati ſunt*; ut enim terra germen reddit ingenti fœnore; ſic & ejus Religio, ceu terra viva filios reddidit, & inſtar germinis multiplicavit; & ita quidem, ut à virtute roborati nimis, terram impleverint, & utrumque Orbem: ut in D. BENEDICTUM cadere poſſit illa benedictio data quondam Abrahæ ipſo divinæ vocis oraculo: *Faciam te in gentem magnam, & benedicam tibi,* *Gen. c. 12.* *& magnificabo nomen tuum, eriſq; benedictus*; vel ut alii legunt: *Eriſq; benedictio.*

Quod ut pateat, ex Trithemii, aliorumque Hiſtoricorum fide, paucis recenſebo, quot illi aliquando Monaſteria, quot Prioratus, & quis ſubinde in his, & illis Religioſorum numerus.

Antonius Iepes in Cent. ad ann. Chriſti 545. D. Benedicti. 65. *Folengius* Hiſtoriographus, è ſacratiore D. BENEDICTI inſtituto, aſſerit aliquando fuiſſe Monaſteria, ſeu Abbatias ad triginta ſeptem millia: Prioratus autem ad quatuordecim millia, & inſuper Aſceteria Monialium ſupra quindecim millia. Et hic *Folengio* numerus placet, nec diſplicet *Genebrardo.*

Ut autem hæ Abbatiæ, & Cœnobia, aliquo inter ſe nexu contineri poſſent, placuit primùm dividere in Provincias triginta ſeptem, & hoc authore *Benedicto III. Pont. Max.* Complectebantur autem ſingulæ Provinciæ Regna integra, & Diœceſes vaſtiſſimas, in quibus, quis Monaſteriorum numerus fuerit, ex hoc collige, quòd in uno Epiſcopatu Moguntino (ut author eſt Trithemius) fuerint centum viginti quatuor Monaſteria, non numeratis aliis decem, ibidem lapſu & injuria temporum deſtructis. *Lib. 1. de Viris illuſt. S. Benedicti c. 2.*

Et hæc de Provinciis, in quas Monaſteria primùm partiri placuit: pauca modò de Congregationibus, in quas deinde diviſæ Provinciæ: illæ enim & plurima ſub ſe Monaſteria continebant. Ita *Congregatio Cluniacenſis* numeravit pluſquam duo millia Monaſteriorum, præter Prioratus propè innumeros; & *Cõgregatio Ciſtercienſis* quatuor millia Cœnobiorũ, præter Aſceteria Monialium ad ſex millia.

Ex quibus conficies, *Amice Lector*, quis ſeu Religioſorum, ſeu Religioſarum debuerit eſſe numerus, quem etiam colliges ex numero, qui vel in unico Cœnobio aliquando fuiſſe legitur: è multis pauca cenſebo, & hoc ex aliis, atque aliis Orbis partibus.

In Hiſpania Monaſterium, *Alcobaſſe* nomine, recenſuit Religioſos nongentos nonaginta novem.

Alia in Galliis recenſebant, modò quingentos, modò etiam ſexcentos in unico Cœnobio.

In Normandia teſte Meyro, in Monaſterio *Gimeſienſi*, numerabantur Monachi nongenti, præter mille quingentos ſervos, qui ſic operi ſervili vacabant, ut ſimul ſervirent Religioſum in morem, Religioni Deoque devoti.

In Germania in unico *Fuldenſi* Monaſterio, præter eos, qui Choro vacabant, aliiſque domeſticis miniſteriis, erant inſuper quadringenti Monachi, qui ſtudiis inſudarent, & liberalibus diſciplinis, ad commune Eccleſiæ bonum, atque utilitatem.

Denique, ne omnia perſequar, & Orbe toto vager (quod longum foret, & à propoſitâ mihi brevitate alienum.) In Hybernia, quæ nec adeò vaſta, nec opulenta, Cœnobium fuit, cui nomen *Bencor*, quod incolebant Monachi ad tria millia, quos etiam moderabantur Prælati ſeptem, ea Lege, eo Ordine, ut in illo diu noctuque perenne eſſet officium, laus perennis, alternantibus, & ſibi invicem ſuccedentibus, aliis atque aliis; ne quæ ſcilicet horula, imò ne quod momentum à divina laude vacaret.

Et hæc de fratribus, quos Deus D. BENEDICTO dedit, & in iis etiam *Centuplum*. Hæc, inquam, generatim dicta ſint; ſpeciatim addendum erit de Sanctis, qui & illi jure potiori Fratres, quia ferè ab illo alteri, imò quod ille; gratia ſcilicet, ac vitæ morumque ſanctimonia, perfectâque conſenſione, ac ſimilitudine.

De his aliqua eſt inter Authores controverſia; quot illi & quo numero? in qua eam in præſentia ſequar ſententiam, quæ dicitur fuiſſe *Ioannis* hujus nominis *Vigeſimi ſecundi Pont. Max.* cujus nutu, juſſuque excuſſi, luſtratique faſti Sanctorum, quos Eccleſiæ dedit Benedictinus Ordo, & in iis inventi quinquaginta quinque millia Divorum catalogo adſcripti, vel à Summis Pontificibus, vel ab Epiſcopis, prout tunc uſus ferebat, & recepta Eccleſiæ primitivæ conſuetudo, cùm ſcilicet id officii & auctoritatis necdum ſibi Romani Pontifices reſervaſſent, prout deinde factum ſæculis longè conſequentibus. *Anton. Iepes ſupra.*

Hujus porrò numeri etiam meminit *Paulinus* 19. concione habita *Cluniaci* in Capitulo generali, uti & diligentiæ Sum. Pontif. in excutiendis faſtis Sanctorum, ex quibus horum fides aſtruitur. Neque hic numerus aberrare à vero ei videbitur, qui expenderit, quot ex eodem ſacratiore Inſtituto Martyres: ex uno, alteróve diſce omnes.

In uno Monaſterio *Turonenſi*, Normannorum ferro cecidere ſedecim ſupra centum.

In Cœnobio *Bencornenſi* (cujus ſupra meminimus) à pyratis Hyberniam infeſtantibus, Fidei causâ cæſi omninò nongenti, nobiles cœlo victimæ.

In Monaſterio *Demeticenſi*, Danorum ferro & flammis ceſſere etiam mille & amplius, ut, qui cœleſti divini amoris igne prius arſerant, jam Danicis arderent incendiis, quibus etiam Cœnobium ipſum arſit: ſic nimirum & in homines, & in terram tum temporis ſævitum eſt.

Denique in Monaſterio *S. Vincentii* impia Saracenorum rabie, quà ferro, quà flammis abſumpti, teſte Baronio, nongenti, eoque plures: ſunt enim qui recenſeri non potuiſſe credant: verùm ut ut ſit de immani illa cœde, ex hac, & illis conficiemus iſtud; ſi è tribus quatuórve dumtaxat Cœnobiis tot SS. Martyrum catalogo ſint additi, quot ex aliis Orbe toto ſparſis. in quibus pleriſque datæ ejuſmodi cœlo victimæ. Quod ſi tot millia vel in una Martyrum ſerie; quot in Confeſſorum catalogo? quot in ſacrarum Virginum albo numerari eſt neceſſe? Certè ut de illis etiam pauca,

In Monaſterio de *Liexeux*, cujus auctor fuit *S. Columbanus*, fuerunt Monachi omninò quadringenti, iique ſanctis Confeſſoribus adlecti omnes.

In *Caſſinenſi* recenſentur ad quinque millia, quingenti, quinquaginta quinque, quorum corpora, ſacræque exuviæ, vel in ipſo Monaſterio, vel in Præpoſituris, ac locis ab eo pendentibus religioſè aſſervantur. *Baldwinus præfat. in Reg. S. Benedicti.*

Neque in *Cluniacenſi* aut *Ciſterſienſi* minor eſt ſanctorum Confeſſorum numerus; dum & hoc, & illud ad plura millia computat, & beatis aſcribit. Et hoc quidem ad numerum, ac multitudinem illuſtre: ad modum rationémque, qua cœlis additi illuſtriùs illud, quod in Monaſterio *Gimeſienſi* contigiſſe memorat Surius, & hoc *S. Aycardo* Abbate, qui ſub imminentis Paſchæ ferias vidit partem unam è ſuis procedere ad montem præcelſum, alteram adhuc ſiſti in ſubjecta valle: dein audiit ab Angelo eam, quæ ad montem læta ac feſtiva pergit, evocari in montes æternos atque ad Cœnam Agni invitari; alteram verò, quæ in valle hæret, eam eſſe, quæ adhuc in vivis carceri debet. Dixit, & eos, qui erant à morte, ceu ſomno, evocandi, ne dubia eſſet fides, virga, quam manu geſtabat, deſignavit. *15. Sept. in vita S. Aycardi.*

Hæc ut ab Angelo audiit *S. Aichardus*, ſuis omnibus expoſuit; hinc quatriduanâ inediâ aliiſque corpuſculi afflictationibus ad mortem ſe parare omnes, atque ad extremum Sacramentis Confeſſionis atque Euchariſtiæ communire, ſibique invicem oſculo pacis, vale longum dicere, & in locum Capitularem cogi, expectaréque avidè amabilem ex hac ærumnosâ vitâ tranſitum.

Dies erat Veneris, qua & ad Crucem iit, & in ea expiravit Chriſtus, cùm eorum facies, qui evocandi erant, ſubitâ & cœleſti luce inclareſcere viſæ: & mox, pars una veluti ſuavi ſomno reſolvi cœpit, & hoc hora diei tertia, mox hora ſexta pars altera, denique & hora nona pars alia; univerſim omnes, quadringenti quinquaginta; media ſcilicet pars Fratrum (erant enim, ut ante dixi, nongenti.)

Ecce quot vel unica D. BENEDICTI familia cœlo dedit, etiam vel unico die, quot aliæ omnes, ſæculis longè conſequentibus? nec enim alibi minor virtus, ac religio, quæ aperta eſt ad ſuperos via. Et hæc de *Centuplo* in Fratribus.

§. 3. *Centuplum in agris.*

NOn eſt hujus loci ac temporis ſub Lectoris oculos ponere agros, villas, oppida, urbes, caſtella, aliaque ejuſmodi, quæ liberalis Principum, ac Regum manus; ſeu potiùs ipſa Dei providentia, in D. BENEDICTI ſinum effudit: hoc enim & volumen integrum requireret, & à ſcopo, quem mihi propoſui, eſſet alienum. Ad hunc ſufficiet ſummatim attingere, & quaſi digito notare, quæ, & quàm immenſa bona, quàm amplas poſſeſſiones dederit Deus D. BENEDICTO, ejuſque Filiis, qui ejus causâ pauculas dimiſiſſent, ut liquidò appareat, etiam in agris *Centuplum* reddi, & accipi.

Apparebit autem illud, primùm è numero Monaſteriorum, quæ Orbe toto extulit: hæc, ut ante dixi, recenſent Abbatias virorum ad triginta ſeptem millia, virginum autem ſupra quindecim millia, hoc eſt in univerſum quinquaginta duo millia, præter quatuordecim millia Prioratuum: quibus omnibus, ſi reditus annuos, ſi agros, ſi villas attribuas, quantum neceſſe fuit, alendis ſeu Religioſis, ſeu Monialibus, ſeu ſervis, ac peregrinis adventantibus; neceſſum eſt ea bona, eos reditus ac poſſeſſiones in immenſum excreviſſe, maximè poſito eo perſonarum numero, quem in ſingulis fuiſſe ex pauculis Monaſteriis ſuprà notavi, ut de aliis facilis eſſet conjectura.

Deinde id ipſum liquet ex eò, quod *Trithemius*, liberè, verè tamen, pronuntiavit, de Abbatiis, Præpoſituris, Prioratibus, & Cœnobiis Monialium. *Si unuſquiſque ſua poſſideret, tertiam partem Chriſtianitatis S. Benedictus habere crederetur.* *Lib. 1. c. 2.*

Neque ei mirum videbitur audax illud *Trithemii* de Ordine univerſo pronuntiatum, qui attenderit, quid de ſolo *Cluniacenſi* Monaſterio dixerit Petrus Venerabilis, qui ſcilicet illud appellare auſus eſt: *Publicum Reipublicæ Chriſtianæ ærarium.* *L. 2. Ep. 34.*

Mitto cætera, quæ ad hanc veritatem aſtruendam afferri poſſent, & præcipuorum Monaſteriorum (puta *Caſſinenſis*, *Cluniacenſis*, *Fuldenſis*, & aliorum) fundationibus, quas & regias, ac cæſareas amavit, ſuſpexitque antiquitas; atque ex iis ſacram iſtius Ordinis opulentiam, de quo jure meritiſſimo jactari potuit illud:

Suges lac Gentium, & mamillâ Regum lactaberis; & *Iſay. c. 60. v. 16.*
hoc: *erunt Reges nutritii tui, & Reginæ nutrices tuæ.* Ex *Cap 49. v. 23.*
vero enim & BENEDICTVS ipſe primùm, deinde & Filii (digna tanto Parente ſoboles) lac Gentium exſuxerunt, & mamillâ Regum lactati ſunt; & Reges ipſos nutritios experti ſunt, & Reginas nutrices, quod ad illius opulentiam fecit, & ad dignitatem, & inſuper ad commendandam DEI ter Opt. ter Max. in ſuos liberalitatem, qui ut det *omnibus affluenter*; maximè tamen viris religioſis. *Iacob. c. 1.*

Dat enimverò *omnibus*, quod regiæ, quod cœleſtis, quod divinæ eſt munificentiæ.

Dat *affluenter*, quod beneficentiæ ſingularis: nimirum, ut disertè D. Ambroſius: *Deus opulentæ largitatis eſt, nec avarus munerum, nec beneficii parcus, nec gratiæ anguſtus.* *2. Apolog. David.*

Nimirum ad eam bonorum omnium profuſionem inclinat vel ipſa Dei natura; ac bonitas, cui (ut annotat S. Gregorius Nazianzenus) *Nihil eſt tam proprium, quàm in omnes eſſe munificentiſſimè liberalem.* Et inde factum ut vel ipſo Sapiente teſte, Dei *manus tornatiles* & dicantur, & ſint *aureæ, plenæq; hyacinthis*, vel ut habet Hebræa verſio: *Manus ejus orbes aurei*, quæ ſcilicet aurum effundant, *plenæ hyacinthis*, vel ut Sixtina editio: *plenæ chryſolitis*; quod & chryſolitos, & hyacinthos, hoc eſt, & optima, & pretioſiſſima quæque ex ſe pariant, ac donent, ut ſunt gemmæ, hyacinthi, & chryſoliti; vel denique *plenæ Tharſis*, quæ vox in divinis literis cum mare ſignificet, ſimul & ſignificat, in Dei ſinu, ac manu, velut in mari, immenſoque liberalitatis oceano eſſe bonorum genus omne, quod egenis ſpargat, dividatque mortalibus; maximè autem egenis (non à miſerabili illa, & coacta egeſtate; ſed ab ingenua & voluntaria, qualis eſt in Religioſis) in quos proinde diffuſa magis eſt cœleſtis munificentia; ut & ipſi quoque in Dei ſui amores atque obſequia libe- *Orat. 26.* *Cant. c. 5.*

rales

Digitized by Google

rales ſint ac profuſi: ad quod certè provocantur; imo & compelluntur vel ipſa *Centupli* etiam in temporalibus mercede. Ecquid enim (ut teipſe alloquar ô Religioſe) quàm operæ ſuæ prodigi, quàm laboris patientes ſunt, vel agricolæ, vel vinitores pauperculi, vel ob id unum, quod exiguo ſtipendio conducti ſint: & te in Religionis ſanctæ, vel agrum, vel etiam vineam, conduxit Deus, & pro mercede diurna non nummos pauculos dedit; ſed montes aureos, ſed gemmarum, ſed bonorum omnium oceanum: & piger eris, ac laborum parcus? Non eris enimvero, ſi teipſe, ſi Deum noveris, eris ut ille liberalis, & piè prodigus.

CENTVPLVM IN SPIRITVALIBVS.

§.1. *Præſagium illius centupli* D. BENEDICTI *vox, & cantus vel ex ipſo matris utero.*

Bonifacius Simonetta l. 4. ep. 20.

MIrum illud, & à ſæculis inauditum, quod de D. BENEDICTO legimus; nempe vel ex ipſo Parentis utero auditus eſt ceciniſſe: quod naturæ aſcribi nec debet, nec etiam poteſt; ſed potius miraculo.

Prodigio datum illud, quod *S. Joannes Baptiſta* exultarit etiam in ipſo Matris utero. Exultavit enimvero, quod geſtiens animulæ fuit ad præſentiam Divæ Matris, vel Divini Filii, qui in D. Eliſabethæ uterum quodammodo evaſit vi altiore, cœleſtique virtute, & infantulum etiam in materno carcere exilire, exultare, geſtiréque docuit, & Domino ſuo quodammodo adgratulari. Miraculum fuit illud, & ſupra omnem viam naturæ; ſed audeo dicere majus iſtud, quod in matris utero canere D. BENEDICTVS.

At unde, inquies, & quorſum canere? Naſcentium aliorum vox prima fletus, & tenellulæ lacrymæ, quæ pondera vocis habent: at D. BENEDICTI, vox prima cantus, & quod mirere in ipſo matris utero, carnalique illo ergaſtulo. Quæ cauſa? Hæc certè eſſe potuit, ut vel inde inciperet Dei laudibus accinere, qui deinde in omni vita divinis laudibus vacare debuit, & chorum ducere, chorum fingere, in quo & ipſe, & Religioſi illius filii, ceu terreſtres in terris Angeli hymnis perſonarent, & ſpiritali cantico: cœpturi in terris ævoque mortali, quod & proſequeutur in cœlis, & tota quanta quanta eſt æternitate. Et hæc prima ratio.

Altera quod & matri quàm ſanctiſſimæ, & aliis deinde labentibus longè ſæculis, cauſa eſſe debuit cœleſtis cujuſdam, ac profuſæ lætitiæ, cujus index, & ſymbolum eſt ipſe cantus.

Alia quod vix natus & ſibi, & mundo mori debuit, & hinc cantus, hinc exultatio illius animulæ.

Dicitur *Cygnus cantor funeris eſſe ſui*, & ſui quoque fuit D. BENEDICTVS; ſed ſacri funeris, funeris religioſi, à quo mundo mori, Deoque deinceps vivere debuit. Et hæc paucis ex illo prodigioſo D. BENEDICTI cantu, veluti quodam futurorum præſagio. veniamus ad alterum.

§. 2. *Præſagium illius Centupli in ipſo nomine.*

ITalia, Gentium Domina, BENEDICTVM Orbi dedit. *Nurſia* naſcentem excepit, *Anicio* patre, & *Abundantia* matre; antiqua & illuſtri proſapia; ſed illuſtriore à gemella prole, quam *Abundantia* uno partu enixa, ſcilicet BENEDICTO & SCHOLASTICA, in quibus, ut & in parente, amabilis Dei providentia, luſit in nomine, & futuris eventibus præluſit.

In *Abundantia* quidem: quæ tam in Filio, quàm in Filia abundantem ſobolem poſteritati dedit; ille virorum; hæc Virginum DEO ſacrarum.

In BENEDICTO autem, qui, ut ſcitè notavit D. *Gregorius Pont. Max. Gratiâ Benedictus, & nomine*; cui aptari poteſt & illud Iſaaci de filio ſuo Iacob: *Benedixi ei, & erit benedictus.* *Lib. 2. c. 1.* *Gen. c. 27. v. 34.*

At qua, inquies, benedictione? eadem, qua olim Iacob, cui Parens Iſaac, *Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguetudine terræ abundantiam frumenti, & vini.*

Quæ *Iacobo Iſaacus*; hæc & BENEDICTO dedit Deus, univerſi Parens. ſcilicet *de rore cœli*, hoc eſt, de gazis divinioribus, atque imprimis de gratia; quæ veluti *ros cœli*; & de Virtutibus, quæ inſtar cœleſtis pluviæ in BENEDICTI animum, ceu molle ſolum, illapſæ, abundantem illum, fœcundumque reddiderunt cœleſtibus bonis, à quibus prima & princeps benedictio.

Altera eſt à *pinguedine terræ*; abundantia ſcilicet frumenti, & vini, hoc eſt bonorum omnium, quæ terra fertili gratoque ſinu effundit. Et hic cœli ludus fuit in BENEDICTI nomine.

Alius in *Scholaſtica*, quam bono omine ſic appellatam vult *S. Bertarius*, vel ex eo, quòd ſcholas aperire debuit, è quibus Virgines, & diſciplinis melioribus eruditæ, & virtute excultæ prodierunt. *Serm. de S. Scholaſtica.*

Et hæc à nomine petita laus, ſeu *Abundantiæ* matri ſeu Filio ejus BENEDICTO, ſeu Filiæ SCHOLASTICÆ; major ab animo altiore, & rebus præclarè geſtis, à quibus cœlo judice *Centuplum* recepit: ut & ipſe recipias aliquando, vide ut nominis tui menſuram impleas, & is ſis re etiam ipſa, qui es nomine.

Chriſtianus diceris, atque etiam es; & quidem à Chriſto, adeoque & ferè alter Chriſtus, vitæ ſcilicet ac morum conſenſione, & ſimilitudine: eſt enim Chriſtianiſmus quædam *Chriſti imitatio*: ut rectè annotat S. Gregorius Nyſſenus. Et ea fuit in Apoſtolò, qui *formam animi ſui in prototypum ipſum exemplarq; transtulit*, ut ſcilicet à Chriſto Chriſtianus eſſet. *De Profeſſ. Chriſtian.*

Monachus es? attende an ſolus cum teipſo, an ſicut paſſer ſolitarius in tecto. *De form. per Chriſt.*

Religioſus es, & à religando dictus? expende an regulis, ceu vinculis aſtrictus, an amans, & tenax diſciplinæ religioſæ.

Prælatus es? tecum ipſe cogita, tecum loquere, an verè præſis? hoc eſt, an *præſis ut proſis*; hoc enim eſt Prælatum eſſe.

Et hæc ſunt nomina, quæ plerique gerimus; ſed an rem ipſi præſtamus? ſi præſtamus benè habet: ſin minus *per ipſum nomen rei ſumus*, ut clarè Tertullianus. Sed ad D. BENEDICTVM recurrat oratio.

§. 3. *Centuplum à fugâ ſæculi.*

AGebat BENEDICTVS annum ætatis decimum tertium, cùm Româ exceſſit, & ſtudiis humanioribus valedixit, ut vacaret divinis. Excedentem comitata eſt nutrix, ſeu caſto illius amore capta, ſeu altiore Numinis impulſu, ut oculis uſurparet, quod ei à gratiâ miraculorum parabatur *Centuplum*. Fortè *Afilam* venerat BENEDICTVS, ubi ſolitariam vitam agebant viri Religioſi non pauci, à quibus exceptus, non puelluli genio, moréque; ſed Angeli: hunc enim præferebat vel ipſa facies, & frõs index animi: apud hos dum pauculis diebus hæret, nutrix capiſterium mutuo accipit, & dum eo grana à paleis diſcernit, atque excutit, fortè elapſum è manibus, frangit, erat enim è luto meliore, opus figuli. Quid hic fœmina? ut effractum vidit, ingemuit enimvero, flevitque: flentem ut vidit puer BENEDICTVS, illius miſertus, capiſterii partes in manus ſumit, paulùlum ſecedit pius orator, & mox redit exorator: ecce enim ita coaleſcunt inter ſe partes, ut integrum & appareat, atque etiam ſit. Integrum redditur nutrici non ſine inuſitato gaudio, *Chron. Ord. S. Benedict. per Anton. Iepes, c. 2.*

& ama-

& amabili ſtupore. Et hoc primum BENEDICTI miraculum, cœli ſavor, & gratia? atque in hac etiam *Centuplum*. Hoc abiit in vulgus omne, & circumjectos populos. qui ad perennem tanti miraculi memoriam, nomenque BENEDICTI capiſterium ipſum è tholo templi ſui ſuſpenderunt.

§. 4. *Centuplum à pueritia altáque ſpeluncæ nocte.*

MIrabitur fortaſsè unus aliquis, quod puer id ætatis, id eſt tredecim annos natus, & in ſolitudinem ſecedat, & vitæ ſolitariæ ſe dedat, & in alta ſpeluncæ nocte deliteſcat.

Anno 49. Et verò miratur *Baronius*, creditque iſtud vitæ genus in BENEDICTUM eâ ætatulâ cadere non potuiſſe; ideoque in adoleſcentiam, & maturiorem ætatem rejiciendum putat. Verùm, bonâ veniâ tanti authoris, cum aliis ſentiendum exiſtimo, & BENEDICTUM anno ætatis ſuæ decimo-tertio in aviam ſolitudinem veniſſe credo, Dei unius impulſu, ut vitæ illius authorem & in ea magiſtrum, atque Doctorem haberet Deum ipſum, in quo etiam *Centuplum* repono; atque imprimis in eo quod (ut ait D. Gregorius) *ætatem moribus tranſiens*, id meditatus ſit, id que egerit, quod vix meditantur viri, vix agunt ſenes. Solitarium ſcilicet vitæ genus, quod & auſterum, & difficile; verùm auſterum nihil, nihil difficile, ubi ſupra ætatem; imò & ſupra naturam, naturæ gratiæque author Deus operatur.

Et ita operatus in D. BENEDICTO adhuc id ætatis; in qua ſcilicet erat *Cor gerens ſenile*, ut ait D. Gregorius, in quo ſane repoſitum illi *Centuplum*, quòd puer ætatem *moribus tranſiret*, quòd ab ipſo pueritiæ tempore *cor gereret ſenile*.

Deinde etiam in hoc, quòd eò loci ac temporis, Spiritum Sanctum Doctorem habuerit, atque Magiſtrum: uti & magnus ille Baptiſta, uti deinde & alii in eadem ſchola probè docti.

Et hæc de pueritia, datóque illi *Centuplo*: pauca ſubjiciamus de ſpelunca. viſitur hæc in deſerto, cui nomen *Sublacus*, eſtque inter abruptas rupes, ſeptem pedes longa, lata quatuor; non tam hominis domicilium, quàm ſepulchrum. In hac deliruit BENEDICTUS annos omnino tres, notus uni Deo, & *S. Romano* Monacho, qui & illi habitum religioſum dederat, & victum tenuem ſubminiſtrabat.

Hæc in præſentia non tam horrori eſt, quàm venerationi; nec tam horrida ſpecus, quàm Paradiſi limen, miraculorum ſedes, & prodigiorum cœleſtium officina, de quâ ſic Petrarcha, teſtis oculatus:

Petitq; puer, non modò ſolitudinem; ſed deſertum, & illud inane; ſed devotum ſpecus, quod qui viderint, vidiſſe quodammodo Paradiſi limen credunt.

Devotum, appellat *ſpecus*, quod in eo ſe cœlo devoverit BENEDICTUS; imò, & quiſquis ingreditur, ſentiat & ipſe moveri ſe, ut & ſe Deo devoveat: & ecce *Centuplum*, quod D. BENEDICTO reddit indulgens Deus; ſenſum ſcilicet divinorum, ſaporem cœleſtium delitiarum, quem guſtant etiam poſteri omnes longè conſequentes.

Et certè quidni guſtent in illo ſpecu, quod etiam *Paradiſi limen*, quod miraculorum officina. E multis unum accipe.

Anno milleſimo quingenteſimo octogeſimo nono, ea ſpelunca viſa eſt guttatim effundere liquorem adinſtar olei; ſed concreti in globulos, & ſpeciem margaritarum. Et certè margaritæ dici poterant, & quidem pretioſæ: Religioſi Sublacenſes *manna* appellabant: alii quaſi *ſudorem* petræ, malis noſtris ingemiſcentis ac deſudantis. Fuſus ille liquor per intervalla, diſcretiſque dietum ſpatiis: cùm enim fluxiſſet diebus omninò tribus, decem aliis quaſi ſicco alveo exareſcebat, tum deinde tribus aliis fluebat, & decem aliis curſum ſiſtebat: denique & rurſum diebus tribus manabat, tum penitus ſiccabatur. Fuit autem fluxus ille, ſemper mali ominis: portendit enim orbi grande malum; imò mala omninò tria. Primùm, *mortem* quatuor Pontificum exiguo temporis intervallo. Alterum, *famem* ingentem, quæ annos tres tenuit, mortaleſque graviter afflixit. Poſtremum, *bellum* Galliæ inteſtinum, bellicoſque tumultus. Ecce ut verum illud, ſpeluncam D. BENEDICTO ſacram, inſignem eſſe, & feracem prodigiorum officinam; in qua & *Centuplum* illi cœlo annuente datum. Quidni enim à prodigiis *Centuplum*? ut quæ manent è ditioribus Dei Gazis, Theſauróque Divinæ potentiæ. Verùm & in ea ſpelunca illi datum

CENTUPLUM A VIRTUTIBUS.

§. 1. *Ab auſtera pœnitentia, & tentationum victoria.*

BEnè cenſuit qui dixit, quod corpus homini ſit quod jumentum, & animus quod ſeſſor: hic, illud modò calcaribus adigit, & flagris; modò fræno regit, ac verſat: ſic & animus; modò corpus pungit, aut flagellat; modò ratione, ceu fræno, moderatur, ac regit: nec mirum, quia corpus quod jumentum; animus quod ſeſſor. Et tale: D. BENEDICTO fuit corpus, licèt tenellulum.

Illud primò afflixit extrema rerum omnium inopia; nulla enim ei ſuppellex fuit, niſi Crux ænea, palmo uno longa, & digitis duobus lata; in cujus medio viſebatur imago Crucifixi. In hoc illi ſchola, & ſtudium omne; diceres nil ſcire niſi *IESUM*, & hunc *Crucifixum*. Et ſanè aliud ſciebat nihil, hoc uno ſatis cœlo doctus. *Chron. D. Bened. Anno 17.*

Ad hanc rerum omnium penuriam, accedebat maceratio corpuſculi, quod nodoſum cilicium non tam tegebat, quàm torquebat. Cibus herbæ, potus aqua pura, niſi ſubinde, ſed rariùs, modicus panis, quem fune longiore in antrum demittebat *Romanus* Monachus.

Spectabat è cœlo Deus hanc ſervi ſui in cibo parſimoniam, cujus etiam miſertus, Sacerdoti, viro ſimplici & recto (qui fortè prandiolum ſolito lautius in diem Paſchæ parabat) apparuit, & haec illi. Tibi prandium paras etiam ad lautitiam, & delitias; interea temporis, Servus meus fame extenuatur, & propè moritur: dixit, & evanuit. At ille dicto obaudiens in viam ſe dedit, & per avia, & invias per abruptas rupes, & ſaxa, BENEDICTUM quæritat, ac tandem invenit, & prandiolum offert, non tam ſua, quàm Dei manu & amabili providentia, à qua etiam in hoc pars bona *Centupli*; quod ut vidit, atque invidit malus dæmon; in eum incurrit toto impete, objecitque adoleſcenti caſtiſſimo ſpeciem aliquam mulieris, quam olim uſurparat oculis; objecit, inquam, animo, & eos in illo motus excitavit, eos æſtus, atque ardores, ut ferè impar eſſet reſiſtendo. Quid ageret? Quò ſe verteret in vaſta illa ſolitudine? Unde conſilium? Unde auxilium peteret? Fortè incurrit in oculos dumetum, ſpinis & ſentibus horrendum; nec mora, veſtes ponit, corpus nudat, & ſe in illud projicit, volvit, cruentatque totum: ſic nimirum libidinis, & concupiſcentiæ aculei, aliis retunduntur aculeis; ſic ignis igne vincitur; ſic amoris æſtus, ipſo doloris ſenſu ſuperatur. Et hinc edomita penitus concupiſcentia, hinc ſopiti, imò extincti Veneris ignes, & de hoſte crudeliſſimo inſignis parta victoria, à qua deinceps nullum BENEDICTO bellum; ſed alta, æternáque pax, atque ab illa etiam *Centuplum*: hoc ambis, *Amice Lector*, & certè quidni ambias? Sed age, BENEDICTUM imitare: te malus ex erebo genius, te molli-

te mollicula caro ad peccatum incendit atque exſtimulat? Pugna eſt, à qua ad victoriam alia, atque a ia tibi aperitur via.

Bollandus 19. Ian.

Una eſt oratio, quæ cœlos petat, indeque etiam auxilium. Eam bonus genius edocere voluit *S. Potitum* Martyrem, addito etiam amabili IESV nomine, & Crucis ſigno, quod dum non ſuſtinet tartareus hoſtis, evanuit.

Altera eſt alicujus è Beatis patrocinium, ejus maximè, qui ab eo vitio, ad quod impelleris abhorruerit magis, & in virtutem illi contrariam inclinarit.

Bollandus de Reliquiis S. Agnetis 21. Ian.

Sacerdos unus aliquis nomine *Paulinus*, in Eccleſia Divæ Agnetis ſacris vacabat officiis, cùm ecce invidus malus dæmon, ei ardentes à venere faces injecit, & eò quidem, ut illarum impatiens à Summo Pontifice petierit liceret ſibi uxorem ducere, & ſic flammas illas non tam vincere, quàm extinguere, veriùs accendere. Subriſit Pontifex, & hominis ſimplicitati compatiens, annulum aureum ſmaragdo illuſtrem ei miſit, juſſitque ut eum digito ſtatuæ S. Agnetis immitteret, eamque ſibi ſic deſponſaret. Paruit enimvero, annulum Divæ illius digito inſeruit; admiſit illa annulum, & quaſi illius avida, ac retinens digitum illico contraxit, utique retentura ſponſalem annulum. Ita *Paulinus* ſponſus, & ſponſa *Agnes*: ſponſa utique Virgo, & Virginitatis in paucis amans, à qua etiam ſtatim, velut affusâ aquâ, extinctus eſt ille libidinis ignis, & accenſa caſti amoris incendia.

Sed hæc, inquiea, pugna incruenta eſt, adeoque etiam incruenta victoria: expectabis fortè cruentam, imò & hanc à te cœlum ipſum expectat. Eam ſpectantibus, imò & plaudentibus ſuperis, dedit BENEDICTVS; eam dedit & Macarius Abbas Alexandrinus.

Agitabatur hic ſtimulis carnis, & *ſpiritu*, ut aiebat, *fornicationis* exſtimulabatur. Quid conſilii? Quid remedii? Stimulus ſtimulo vincendus, ut cuneus cuneo. Et certè vicit Athleta Chriſti; ſeipſe enim ad ſex omnino menſes damnavit, & nudus ſedit ad paludem *Scetes* in avia ſolitudine; ut culicibus & veſpis obvius eſſet, & infixos ab iis aculeos pateretur, & ſic ſeipſe, & *ſpiritum fornicationis* vinceret. Ita porrò vicit; ſed cruentus totus, & turgentibus undique membris; leproſum dixiſſes, & elephantiacum. Et is videri poterat oculo judice; at cœlo teſte victor erat & ſui, & mali dæmonis; ſed non ſine ſanguine. Ita nimirum pugnare, ita vincere, ita triumphare ſolent præcelſæ mentes.

Bollandus in ejus vita 19. Feb. c. 2.

Ita lapſis deinde aliquot ſæculis, & pugnavit, & vicit *B. Conradus* Eremita. In alta eremo, inviaque ſolitudine & gulæ, & carnis tentationes patiebatur: Quid deinde? poſitâ tunicâ nudos artus vepribus, & rubetis tamdiu volutat donec fluente ſanguine, & gulæ, & libidinis æſtus omnis deferveſceret. Sed à Chriſtianis illis Athletis redeo ad D. BENEDICTVM, à quo paululum abii, & imbutas ejus cruore ſpinas tibi in manibus repono

Silveſter Petraſancta Taumaſia Tom. 3. c. 25. in fine.

Aſſervantur illæ etiamnum in *Sublaci ſpecu* veluti quædam ſanctitatis illius monumenta. Eas aliquando *S. Franciſcus Aſſiſius* religionis ergo ſpecum inviſens, in roſas inſeruit, quæ etiam hodie culturam præ ſe ferunt, retinentque dumtaxat authore Deo. Imo, quod mirere magis, frondes ipſæ, ipſæque roſæ, atque ex his expreſſa aqua roſacea uſui magno ſunt ad ægros in morbis juvandos; quod ſanè mirum eſt: ſed & illud magis, frondeſcere illa roſarum germina & quidem perpetuò: etiam dum hyeme (quæ ibi eſt acerrima) cætera omnia inhorreſcunt, & arent.

Crederes profectò ideo virere, ac frondeſcere; ut in poſteria omnibus vireat, & floreat ſervandæ caſtitatis amor, curáque vel D. BENEDICTI exemplo, vel ipſo roſarum vireſcentium, ac florentium aſpectu, in quo & illud mireris, & ames, quod alibi conſitæ vigere nec ſolent, nec etiam poſſint; adeo redamant terram illam, quam S. BENEDICTVS caſtitatis ergo ſui cruoris rore irrigavit, ut nonniſi in ea germinent ac floreant, ut experientia ipſa compertum eſt.

§. 2. *Centuplum à perſecutionibus.*

Marc. c. 10.

FOrtè Petrus intulerat Chriſto hæc paucula: *Ecce nos dimiſimus omnia, & ſecuti ſumus te*; Cùm ei Chriſtus: *Nemo eſt, qui reliquerit domum, aut fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter me, & propter Evangelium, qui non accipiat centies tantum, nunc in tempore hoc cum perſecutionibus*; Accipit nimirum pro una domo centum, pro agello uno etiam centùm; ſed unà *cum perſecutionibus*, quæ ſcilicet etiam veniunt in aliquam partem *centupli*, quod fortaſſe cuiquam mirum videri poterit. Ecquid enim? An perſecutio pro re benè geſta merces? An præmium? Omninò & merces ampliſſima, & pretium cœlo dignum: Ingens enim, ac pretioſum Dei donum, pro eo non tantùm agere, ſed & pati fortia.

Chron. D. Bened. Anno 30.

Et ita paſſus eſt D. BENEDICTVS etiam in ipſo vitæ Monaſticæ limine, etiam à ſubditis, etiam à Filiis, qui cùm tanti Patris ac Præſulis diſciplinam ferre non poſſent, oblato vino (quod de more benedicebat Abbas) venenum immiſcuerunt, ut tacitè per viſcera ſerperet malum, atque è vivis, lentâ morte tolleret; ſed aliter ſuperis viſum: nam ut manum extulit, ut benedixit, illicò effractum vitrum in partes diſſilit, dixiſſes ad ſaxum duriuſculè alliſum. Nimirum pro ſaxo fuit tanti Præſulis benedictio. Et hæc prima illius *Centupli* pars *cum perſecutionibus* etiam à domeſticis.

Altera ab extraneis: fuit Sacerdos unus aliquis, cui nomen *Florentius*, captabat ille famam ſanctitatis, quam D. BENEDICTO invidebat, hinc iræ truces, rancor acerbus, odiumque efferatum: cui dum paret, BENEDICTO mortem meditatur & parat; eoque ſpecie amicitiæ, & charitatis panem illi ſubmittit; ſed veneno præſenti infectum. At fruſtra *jacitur rete ante oculos pennatorum*; & fruſtra ante BENEDICTVM: occultatur venenum, quod illius mens oculata detexit: diſſimulavit tamen, nec infandum ſcelus aperuit; ſed panem in prandium ſervari juſſit, tum corvo (qui de more advolabat ad Sancti manus, ex iiſque cibum ſumebat) objecit; addens & illud in mandatis, ut eò loci deferret, ubi nec inveniri poſſet, nec nocere. Sed corvus etiam toxicum præſentire viſus, circumvolitare, alis concutere, & quaſi facinus impium damnare, quà licebat punire; nec tamen roſtro prenſare: crederes etiam à veneno malè ſibi metuere; ſed iterum mandatum ingeminat Vir ſanctus, ſecurumque ſui prenſare jubet, atque longiùs efferre, paruit corvus, prenſavit, extulit, & poſt duas horas, quaſi ſoluto penſo rediit, & portionem de more à Viro Dei accepit: & hæc fuit pars *Centupli cum perſecutionibus*.

Chron. Benedict. Anno 42.

Aliam accipe: etiam machinator ille *Florentius*, qui cùm corpori luem aſpergere non poſſet; paravit in animum per oculos immittere. Convenit enim cum ſeptem mulierculis, quibus venalis eſt pudor, & frons effrons, ut nudæ ſubintrarent Monaſterii hortos, infamique tripudio ac garritu Religioſis vel ſcandalum afferrent, vel ruinam. Indoluit enimverò BENEDICTVS, erutumque è ſtyge facinus damnavit; utque ſe, ſuoſque illi periculo ſubduceret, ſedem mutavit, non ſine Numine, cœleſtique inſtinctu, à quo ad montem *Caſinum* vocabatur, ad multorum ſalutem, in qua etiam *cum perſecutionibus Centuplum* invenit; & hoc quidem à malo dæmone,

qui

qui illi ſeſe in conſpectum dabat, modò formâ ſtygiâ, id eſt, borribili ad ſpeciem, ac truculenta; modò ignem evomens, ac minas ſpirans; modò voces, clamores, ac rugitus terribilem in modum edens; & hos inter, etiam hæc: *Non Benedicte, ſed maledicte; Non Benedicte, ſed maledicte.* Enimverò *maledicte* ſtygi, & malo dæmoni; at *Benedicte* cœlo, Deóque. *Benedicte* etiam *cum perſecutionibus*, in quibus & palmas inveniebat, & coronas, & in his etiam *Centuplum*. Quod BENEDICTO, hoc & tibi, *benevole Lector*, centuplum erit in *perſecutionibus*.

Anno D. Bened. 49.

B. Angela de Fulginio (cujus corpus adhue integrum, ſpectavi Fulginii non ſine ſtupore amabili, & intimo piæ voluptatis ſenſu) à Chriſto, quocum agebat familiariùs, petit aliquando: *Ecqui eſſent Filii Dei?* Et audit eos eſſe, qui ad cœleſtes invitati nuptias, ad illas etiam veniſſent. Tum illa, & quæ, inquiebat, ad illas via? Quæ ſemita? Non alia reſpondit, quàm *tribulationis*.

Bollandus 4. Ian. in ejus vita.

Hic venêre Virgines, caſtæque animulæ: hac Confeſſores, longâ utique patientiâ; hac inclyti Martyres, fortia pectora: & hi quidem per equuleos, cataſtas, cruces, rogos: ecce, quæ ad cœleſtes nuptias paratur via.

Tum illi Chriſtus viſus aſſidere menſæ; ſed cœleſti, ſed divinæ, viſus deinde è calice bibere liberaliùs, ac deinde illi aſſidere alii non pauci, ex eodemque calice bibere; nec ſine ſenſu, ac voluptate amabili, quæ etiam ex oculis, ex vultu ſpirabat.

Hæc dum ſpectat *B. Angela*, ſic ad Chriſtum, ſeu ſponſa ad ſponſum.

Ecquæ menſa? Ecquis calix? Ecqui etiam illi convivæ? Subjecit Chriſtus, *menſa*, cœleſtis, divina, hoc eſt ipſa beatitas: *Calix* inebrians, voluptas ex eo hauſta, è quo tamen nemo bibit, niſi qui priùs cum Chriſto biberit è calice paſſionis: *Convivæ* Sancti omnes.

Et hæc fuit ſcena, exhibita ſeu oculis, ſeu animæ *B. Angelæ*, à qua ſic capta fuit ut nunquam exultaret, ac triumpharet magis, quàm in tribulationibus, certa per illas ſibi aperiri viam ad cœleſtes Agni nuptias, ad centuplum æternæ felicitatis: à qua dum in præſens diſcedo, recurro ad D. BENEDICTI cellulam, quæ illi veluti cœlum, in quo etiam acceptum

§. 3. *Centuplum ab Oratione.*

TErtullianus, altiore ut ſolet ſtylo, voceque; Orationem eſſe dixit *Dotem animæ*; quod huic ſit quod ſponſæ dos eſſe ſolet: hoc eſt, omnis ipſius poſſeſſio, divitiæ, theſaurus.

Lib. 1. ad Vxorem. c. 4.

Alii Orationem dixere *Gazophilacium Chriſti*, quaſi ex ea, velut ex opulentiore gaza, petantur opes Chriſtianæ, hoc eſt, gratia Chriſti, ac virtutes, quæ ſunt animi divitiæ.

Hujus veritatis probè conſcius D. BENEDICTUS, primum, ac princeps in oratione ſtudium poſuit; ut tam ſibi, quàm filiis meliores, id eſt cœleſtes divitias compararet.

E *Sublacu* in montem *Caſinum* eductus Dei nutu, & duobus Angelis comitibus, etiam viſibili ſpecie; in aſſumptâ duorum juvenum forma, ſanè amabili. Inſtituenda illi nova Religio, in qua homines, ceu terreſtres Angeli & in ſe deſcenderent; ſuiipſorum humili conſideratione, atque deſpectu, & in ſublime aſcenderent alta rerum divinarum contemplatione, cui dum vacat D. BENEDICTUS, ſcalam vidit, atque in ea deſcendentes, atque aſcendentes Angelos; uti quondam Patriarcha *Iacob*.

In ejus vita.

De hac *Iacobi* ſcalâ, iſta Hebræi ſapientes: Habebat illa gradus duos ſupra triginta: & in infimo ſcriptam voculam *Leb*, quod idem eſt atque triginta duo: hæc enim prima illi ſignificatio; altera eſt *cor*: *Leb* enim *cor* ſignificat: ut inde notis illius ſcalæ gradus omnes vel à corde duci, vel eſſe *cor* ipſum, hoc eſt æſtus cordis, æſtus divini amoris, quibus veluti ſcalæ gradibus, in Deum aſcendit BENEDICTUS, aſcendit & juſtus omnis, aſcendit & vir beatus, qui ut ait Pſaltes: *Aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit.* Et ita diſpoſuit D. BENEDICTUS, & hoc in orationis æſtu, atque ardore, in quo ſcribenda Regula, & quaſi tabulæ novæ Legis; hinc adinſtar alterius Moſis in montem aſcendit, in eoque dies omninò quadraginta in oratione exegit; & in hac mentis oculis uſurpavit ideam aliquam illius Ordinis, quem condere debuit.

Pſal. 83.

In hac longam Filiorum ſeriem vidit, & ſpiritualem progeniem, variam ac multiplicem adinſtar ſtellarum firmamenti.

In hac Orbem hunc univerſum conſpexit, non ut in ſe; ſed ut eſt in divina mente, in quam abreptus inuſitato quodam orationis æſtu, atque ardore.

In hac denique Divinam eſſentiam vidit, ad eam elatus altiſſima luce contemplationis: juvat illius diei, cœleſtiſque luminis meminiſſe.

Fortè feneſtram aperuerat BENEDICTUS, ut libero ac patenti æthere cœlum inſpiceret, cùm ecce lux inſolita per aërem diffuſa, objecit animo lucem aliam altiorem Empyrei cœli, cujus *claritas* eſt *Agnus*, & Deus ipſe, fons luminis; à quo deinde lumen gloriæ accepit; quo elevati poſſet, ut & creaturas videret in illo, & illum in ſe.

Chron. D. Bened. Anno 30.

De hoc ita D. Gregorius: *Quod autem collectus mundus ante oculos ejus dicitur: Non cœlum, & terra contracta ſunt; videntis animus eſt dilatatus, qui in Deo raptus, videre ſine difficultate potuit omne, quod infra Deum eſt.* Hæc magnus Pontifex.

Ex quo hæc velim digito notes, & oculo, quod D. BENEDICTI *animus dilatatus*, quod *raptus*, & ut dicit ille Pontifex *ſublevatus in mentis lumine extra mundum*, utique orationis beneficio, & hauſti ex ea cœleſtis luminis. De quo ſic etiam Seraphicus Doctor, in ea D. Gregorii verba:

Mundus non fuit coanguſtatus in uno radio Solis; ſed ejus animus dilatatus, quia vidit omnia in illo, cujus magnitudine anguſta eſt omnis creatura. Hic oculum ſiſte, *Mi Lector*, & illud attende.

L. de Luminaribus, Serm. 20.

Vidit omnia in illo, vidit *utique non in ſuo; ſed in lumine Creatoris*, de quo etiam Dionyſius Carthuſianus:

Serm. de S. Bened.

In divitiis gloriæ Dei fuit uberrimè raptus, & in lumine Creatoris ita expanſus, quod faciliter in ejus luce conſpicere quivit, quidquid ſub illo fuit.

In divitiis, inquit, *gloriæ Dei.* At ubi illæ divitiæ? Ubi *raptus*? Ubi *expanſus*? In *lumine* utique *Creatoris*, lumine gloriæ, quo illi perfuſus animus per tranſennam; & hoc, quia priùs perfuſus, effuſuſque in lumine orationis, à quo deinde & ipſum lumen gloriæ. Eſt enim oratio *catena magna cœleſti luce fulgens*, qua ſcilicet ad divinum ſolium conſcendimus, & ipſam Numinis radiantem majeſtatem; ut rectè D. Dionyſius Areopagita.

Cap. 3. de Div. nom.

Eſt *divinæ gloriæ demonſtratio*, ut præclarè D. Ioannes Damaſcenus, qua ſcilicet occluſis omnibus ſenſibus, aperitur quodammodo animus, & à ſe abit, ut in Deum aſcendat, Deum videat, divinamque gloriam, quantum homini viatori fas eſt.

Orat. de Transfig.

Eſt denique oratio, quædam veluti *Deificatio*, ut loquuntur myſticæ Theologiæ principes, quia hominem quaſi tranſformat, & alterum propè Deum facit.

Et hinc Doctoris Gentium magnifica illa vox: *Gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem tranſformamur*; in Græco eſt metamorphoſim patimur, arcana quadam ratione transfiguramur, & divinam ſimilitudinem induimus.

2. Cor. 3.

Et hanc induit D. BENEDICTUS, cui oratio & *catena* cœleſtis fuit, & *divinæ gloriæ demonſtratio*, &

ipſa quaſi *Deificatio*. Erit & tibi, ſi magni Patris, magni Præſulis æmulus, orationi atque contemplationi, uti ille, inſtiteris.

§. 4. *Centuplum à ſingulari Deiparæ cultu & favoribus.*

INter eas, quæ cœlo uberiore in mortales defluunt benedictiones, hæc non infima: Virginis amor, & cultus, cujus hoc primum in D. BENEDICTO argumentum.

Conſtantius Caetan. in opere de Præſtantia Religionis Benedictinæ

Viſitur etiamnum Romæ in Eccleſia, quæ D. BENADICTI in Piſcinula dicitur: Viſitur, inquam, illius oratorium, in quo & imago Divæ Virginis periti artificis manu bellè expreſſa: ad quam BENEDICTVS, etiam puer ventitare ſolitus venerationis ergo: huic enim à primis annis aſſuetus, non ſine Virginis amore, favore, gratia; hanc oſtendit, & probat primum miraculum, quod à D. BENEDICTO, etiam puero, patratum. Ejus nutrix, ac gerula capiſtrum mutuo acceptum incauta confregerat, non ſine mœrore, ac luctu, cujus miſertus BENEDICTVS, ſolutas illius partes in manus aſſumpſit, & mox ante Virginis imaginem ſtetit, oravit, & vas illud priſtinæ integritati reddidit, ecce centuplum à Deiparæ cultu, gratia ſcilicet miraculorum.

Alterum argumentum ſingularis in Virginem amoris, ac venerationis fuit Cœnobium ab illo ædificatum, cui nomen eſſe voluit *S. Mariæ ex Portiuncula*: ad cujus exemplar (ut author eſt Guilielmus Narnienſis) longo poſt tempore extructum fuit Aſſiſii in Umbria, Cœnobium aliud, dictumque etiam *S. Mariæ ex Portiuncula*, quod cùm monaſterio Caſſinenſi ſubjectum eſſet, donatum deinde fuit ſanctiſſimo viro, *Franciſco Aſſiſio* Fratrum Minorum fundatori, ejuſdem Cœnobii Caſſinenſis pia beneficentia.

Marcantius in fund. Marian.

Tertium argumentum ejuſdem D. BENEDICTI in Dei Matrem amoris, & cultus id fuit, quod ſorori ſuæ S. SCHOLASTICÆ, & ſelectis ab ea Virginibus Aſcetetium ædificarit, cui nomen fecit *Sanctæ Mariæ de Plumbariola*; adeo redamabat auguſtum illud *MARIÆ*, ceu Matris ſuæ quàm optimæ nomen, ut illud omnibus propè à ſe erectis monaſteriis inſcribi vellet.

Antonius Balinghem in Kalendar. Marian. 21. Martii.

Quartum argumentum illuſtris in D. Virginem religionis, id fuit, quod ſacra quædam illius pignora, quas Reliquias dicimus, religioſè ſemper aſſervarit, & coluerit, in capſa eburnea reconditas, veluti pretioſum cœlo, terriſque theſaurum; quem paulo antè obitum *S. Mauro*, diſcipulo ſuo in Gallias proficiſcenti tranſmiſit, veluti cœleſte quoddam munus, ac donum; cui adjecit brevem epiſtolam, in qua etiam hæc:

Accipe dilectiſſime, extrema Inſtitutoris tui dona, quæ & longum teſtentur amorem in te meum, & tibi, ac commilitonibus tuis contra omnia mala perpetuum munimen præſtent.

Henriquez in Faſtis SS Ordin. Ciſter l. 1. Diſt. 4.

Quintum argumentum Virginei in D. BENEDICTVM favoris eſt, quod cœlo jam additum, veluti ſocium aſſumpſerit miraculorum, ac favorum; quos in mortalium capita ſpargere volebat; cujus indicio ſit unum illud è multis.

Gravi corporis ægritudine tenebatur *D. Bernardus*, jamque ad extrema propè devenerat, cùm ei opportunè adfuit Dei Mater comite D. BENEDICTO, qui ei manus imponentes, & cœleſti, medicóque tactu loca dolori obnoxia tangentes, ægritudinem omnem illico depulerunt, & integræ ſanitati reddiderunt.

§. 5. *Centuplum à Miſericordia in pauperes.*

CUm Vitigis Gothorum Rex Romam cinxiſſet exercitu centum millium armatorum; & inde Italiam ferè totam vaſtaſſet, annis proximè inſequentibus fames ubique valida, & ea, quâ majorem vix ulla vidit ætas, & orbis regio. In ea quippe cùm cætera ad explendam famem deeſſent omnia; in humana corpora ſævitum eſt.

Hinc viatores paſſim non ſpoliati tantùm; ſed & vita exuti, ut graſſantium famem, ac rabiem ſatiarent.

Lib. 2. de bell. Goth.

Hinc etiam in hoſpitiis peregrini fœdè diſcriſſi, & quidem ut refert *Procopius*, etiam à fœminis viri, quos inter ſeptemdecim à duabus fœminis inter dormiendum jugulati primùm, ac deinde dentibus laniati, ad vitam immani illa eſca miſerabiliter ſuſtentandam.

Hinc denique ipſæ matres oblitæ materni nominis & amoris, infantes, quos utero effuderant, in uterum rurſum cogere, ut in eo, unde vitam hauſerant, & mortem invenirent, & tumulum.

Chron. D. Bened. Anno 39.

Senſit illud D. BENEDICTVS, & indoluit; imò & quà potuit miſerorum famem levare eſt aggreſſus; & eò quidem profuſionis; ut nihil ferè ſibi ac ſuis relinqueret. Hinc die quodam, cùm alendæ familiæ numeroſæ nihil omninò ſupereſſet præter panes quinque, & inde ſubtriſtes eſſent boni parentis boni filii; ut eos vidit BENEDICTVS, primùm paternè increpuit; tum bono animo eſſe juſſit. Sicque ad illos: *Hodie egetis annona, cras abundabitis.* Prædictioni reſpondit eventus. Die enim inſequenti, ad Monaſterii portam inventi ducenti modii farinæ in ſaccis probè clauſis; nec reſcitum unquam, quis eos apportaſſet.

Ut tanti beneficii memoria iret in poſteros, eò loci erectum altare, & in illo ſtatua marmorea D. BENEDICTI cujus in pauperes beneficentiæ, liberale Numen *Centuplum* reddidit: imò & ducētuplum.

Quod BENEDICTO: hoc & aliis. Ad *D. Adelardi* Abbatis Corbienſis Cœnobium, ceu commune egenorum perfugium, advolarat ingens mendiculorum turba: quam ut vidit, pulmentum omne, quod Monachis alendis excoctum erat, diſtribui juſſit.

Bolland. 2. Ian.

Eam, ut videbatur, Abbatis ſui profuſionem ægrè tulit Cellarius, imò & in Præſulem ſic invectus. Miror, inquiebat, quid velit, quidve ſpectet ea tua in pauperes, non dicam liberalitas; ſed prodiga effuſio. Ecquid enim? ab illa nihil fratribus eſt reliqui: Cui ille: *Dominus dabit.* *Dabit*, inquit, & futuri illud temporis, & longum quidem, interea jejunent fratres, & illud *dabit*, præſtolentur.

Hæc cœlum audiit, nec longum illud, ac jejunum *dabit* diu paſſum: eodem quippe momento, duo plauſtra, & quidem ingentia, ad Monaſterii fores ſubmiſit, unum piſcibus, caſeis alterum onuſtum probè.

In ejus vit. 23. Ian. c. 7.

Ecce ut cœlo dives eleēmoſyna, ut nunquam ab illa pauper aliquis, atque egenus. Et certè quî egenus eſſet is, cui pro uno nummo datur centuplum? Quod experientiâ etiam ſuâ didicit *D. Ioannes Eleemoſynarius*: Huic objecta quondam Eleemoſyna; ſed Virginis ſpecie: cui decus addebat corona è ramis olivarum bellè contexa: quam ut amat, ac demiratur, ſimul audit, Eleemoſinam eſſe, quæ cœlo utique dives, centum pro uno reddat: quod ut probaret Vir ſanctus, nummum unum pauperi largitur, & ecce mox Vir alba veſte indutus fit illi obvius, & pro uno nummo centum reſtituit, ac donat: adeò verum illud à miſericordia in pauperes referre te poſſe etiam centuplum. Quam cœli indulgentis munificentiam dum vident, amantque ſancti, & ipſi in opera miſericordiæ proni, ac profuſi.

Teſtem

Teſtem è multis unum produco. Is erit *S. Serapion Sidonites.* Hunc occurrerat pauperculus unus
Ibidem n. 2. aliquis, quem ut tegeret pallium dedit: occurrit deinde & alter, isque nudus, & huic tunicam offert, & ſeipſe nudat: adeſt & tertius, egenus in paucis; & cùm nihil ſupereſſet, niſi Evangelii codex, & hunc vendit, illique pretium donat: advolat denique vidua & ipſa cùm filiis omnium indiga; cumque nihil omnino reſtaret, quod in illam effunderet: ſeipſum effudit; ſeipſum illi dedit, ut venderet ad mimos Græcos. Et porrò vendidit.

Et hæc Sanctorum eſt effuſa, imò prodiga in egenos liberalitas; quam ſi ſpectarent ævi noſtri Præſules, Abbates, Epiſcopi, in nullum horum caderent illæ *D. Bernardi* querelæ, quas in Synodo ad Paſtores olim jactavit:

Serm. ad Paſtores. *De patrimonio Crucis Chriſti, non facitis codices in Eccleſiis, ſed paſcitis pellices in thalamis veſtris, impinguatis canes, adornatis equos, phalerantes pectora.* Sed iſta modò parciùs; ad D. BENEDICTI laudes atque encomia redeat oratio: hæc enim in præſentia ex inſtituto proſequimur, & quidem fuſiùs, alia verò per tranſennam dumtaxat attingimus.

§. 6. *Centuplum à Gratiis gratis datis.*

DE D. BENEDICTO hoc Oraculum extulit D. Gregorius Pontifex Max. *Iuſtorum omnium ſpiritu plenus fuit.* Diceres, & ex vero quidem, ſpiritum omnem, gratias omnes, dona omnia, quæ in alios ſparſit Dei manus; in unum BENEDICTUM collegiſſe, ut eſſet & nomine, & re etiam ipſa BENEDICTUS.

Et ne videatur illud aliqua oratoriæ artis licentia liberiùs, quàm veriùs prolatum; placet illum cum aliis propè omnibus utriuſque Legis, tam antiquæ, quàm novæ Sanctis, ſaltem illuſtrioribus, componere.

Ex iis primus in lucem, ſolemque prodiit *S. Ioannes Baptiſta*, qui & novi Teſtamenti fundamenta poſuit, & fuit velut *Horizon* quidam Legis veteris,
3. Part. Quaſt. 38. art. 1. & novæ. *Terminus Legis, & initium Evangelii*; ut ſcitè D. Thomas. *Legis & gratiæ fibula*; ut aureè D. Chryſologus. Ille à teneris annis avia deſerti petiit,
Serm. 91. amans ſolitudinis, ne ab urbium tumultu, & undis populorum aliquid ſordis humanæ appelleret. Et BENEDICTUS à pueritia, *Sublaci* deſerta loca penetravit, ut Deo eò propinquior eſſet, quò remotior ab hominibus, utque illibatum ſervaret virgineæ mentis nitorem & gratiam.

Magnus ille Patriarcha *Iacob*, & nomine *ſupplantator* & reipſa, etiam duodecim Iſraeliticæ gentis tribus extulit, veluti totidem capita populorum: & BENEDICTUS duodecim erexit Monaſteria, veluti fontes Monaſticæ vitæ, ac diſciplinæ.

Moyſes, magnus ille Legiſlator, & Iſraëlis dux; ex Ægypti tenebris, & ſqualłore, in lucem, nitoremque promiſſæ terræ populum eduxit, & ſiti ſuorum extinguendæ è petra fontes elicuit, & lympidas aquas. Et D. BENEDICTUS innumeram propè multitudinem è mundo, velut altera Ægypto, in Religionem, ceu terram promiſſionis, vocavit, eduxitque; & cùm deeſſet aqua, etiam è ſicca rupe, ſaxóque duriore lympidiſſimos fontes emanare fecit.

Eliam pavit corvus, & corvum BENEDICTUS, cui & imperavit ipſe, & hic dicto audiens ad nutum paruit; imò cùm è *Sublacu* in *Caſſinum* montem excederet, dux comesque viæ fuit.

Eliſæus ferrum eduxit ex imo fluminis in ſummas aquas, ac natare fecit: amplius & BENEDICTUS, qui & ferrum natare fecit, nec aquis tantùm eminere; ſed & ſeipſum manubrio ſuo reſtituere.

Eliſæus in cœlos extolli rapique vidit *Eliam* in curru igneo; Et BENEDICTUS *S. Germani* animam in globo igneo efferri ſpectavit in cœlum.

D. Petrus Apoſtolorum Princeps ſuper aquas ſicco veſtigio perambulavit; dixiſſes illi maria, & fluens elementum pro ſolido fuiſſe marmore: Et verè ad inſtar illius fuit. Et *D. Maurus* rapidi torrentis fluenta calcavit, ut duriorem petram; & hoc ad D. BENEDICTI impetium.

D. Petrus Tabitam vitæ reddidit, & huic luci; & multos à morte excitavit BENEDICTUS, & vitæ reſtituit.

Mitto cætera, ne chartam onerem prodigiis, ac miraculis tanti Præſulis: qui ea volet, conſulat illius Ordinis Chronicon: hæc enim pauca ad inſtitutum noſtrum ſunt ſatis.

§. 7. *Centuplum à Gloria & beatitate.*

DE vita, deque morte juſtorum aliter, atque aliter cenſuere Antiquiores. Hoc ad præſens inſtitutum.

Vita eſt ſcala, per quam ſcilicet à terra in cœlos facilis paratur aſcenſus. Ita *Pittacus*, inter Græciæ ſapientes & dictis, & factis nobilis.

Mors autem *Porta ad Deum*, per hanc enim animus, corporeis vinculis ſolutus, ad Deum intrat, & cœli *Lib. 4.*
regiam. Ita Clemens Alexandrinus. *Strom.*

Quod ſi juſtis omnibus *vita* eſt *ſcala*: & virtutes, illius veluti gradus, fatendum D. BENEDICTO vitam omnem ſcalam fuiſſe, & gradus in eâ, virtutes.

Quod ſi *vita* illi *ſcala* fuit: & mors etiam *Porta ad Deum* ac beatitatem, quæ ut ei aperta, ut patens fuerit, paucis erit explicandum.

Vertebatur à Chriſto nato annus quingenteſimus quadrageſimus tertius: dies autem *Palmarum*; quo etiam recolitur annua patientis Chriſti memoria, cùm D. BENEDICTUS, præſcius ſuæ mortis, ſibi ſepulchrum aperiri juſſit, ut ſcilicet priùs terra corpori; dein animo cœlum ipſum aperiretur.

Vix apertum illud, cùm violenta febri ſe tangi ſenſit; cum ea luctatus ſex diebus, à quibus è cellula efferri ſe voluit, & in Oratorium *S. Ioannis* deportari: ſic enim decebat virum ſanctum in loco ſancto emori.

Hic abituriens pius Pater, Filiis ſuis benè precari, & inter extrema monita, benedicere. Hic certatum quis quem vinceret. An gáudio excedens Pater; an mœrore orbandi tanto Parente filii: vicit ille, vicerunt & hi; ille lætitiâ geſtientis animi: hi verò mœrore concepto, vel de futura ſua orbitate, vel de ſacro amoris impete.

Et huic & illi ſui gemitus; fuſæ & lacrymæ, quibus ubi datum aliquid, accepto cum ingenti pietatis ſenſu Sacro-ſancto EUCHARISTIÆ SACRAMENTO; ſe in pedes erigi voluit, ut ubi decumbunt, & ſternuntur alii, & ſtaret ipſe, & erigeretur; probè memor, *Imperatorem non niſi ſtantem mori oportere*; & ita mortuus D. BENEDICTUS: Et hoc, ipſo *Sabbato ſancto*, bono ſcilicet omine, ut eo die, quem ſibi Sabbatum, id eſt quietem, ab initio fecit Dominus; faceret & ſervo ſuo *Sabbatum*, id eſt, quietem: & quidem æternam; & ab illo *Paſcha*, hoc eſt,
tranſitum ad vitam beatiorem, quem etiam oſtendit *Chron D.*
oblata à ſuperis viſio, & quidem primò *B. Mauro*, *Benedict.*
qui tum in Gallia degebat; deinde & alteri Religio- *Anno 61.*
ſo in monte *Caſſinenſi*; denique & tertio, cujus nomen reticuere hiſtorici.

Eo ipſo momento, quo terris vivere deſiit BENEDICTUS, ſpectarunt illi veluti ſemitam aliquam latam, & mirè ſpecioſam, & innumeris propè luminibus illuſtrem, quæ ab Oratorio, ubi felicem animam emiſerat, ad cœlum uſque pertingebat: quam dum oculis, & animo legunt non ſine ſtupore, ecce ſe in conſpectum dedit unus aliquis, aſpectu

& canitie venerabilis, qui ſic ad illos: Noſtis quid ea portendat, quémve demonſtret via? Quibus, cùm illi, enimverò minimè. Tum ille, *Hac eſt via, qua dilectus Deo Benedictus aſcendit.* Aſcendit, inquam, ad Cœli regiam, ad DEI ter Optimi ter Max. thronum, ad beatitatem; & hoc quidem inuſitato & à ſæculis inaudito miraculo, parata ſibi ab Angelis via: hanc nimirum parant, hanc aperiunt Angeli, caſtis illis ac puris mentibus, Angelorum æmulis.

Ita aperuerunt *S. Henrico Eremitæ* in Anglia, in cujus exceſſu feliciore, auditi ſunt Angeli, alternantibus choris, ſuaviſſimoque concentu, accinere lætum illud: *Te Deum laudamus.* *Bollandus 16. Ian.*

20. Ian. Ita *S. Magno* iidem cœleſtes genii, ad ipſum lectuli caput, in morientis aurem ſuaviter immittere illud: *Veni magne, veni, ſuſcipe coronam, quam tibi Dominus præparatam habet.*

Quanquam quid Angelos ad illud extremi officii compello. Dominum ipſum, Chriſtum ipſum appellare debui; adeſt ille caſtis mentibus, etiam non vocatus.

Sic adfuit *B. Angela de Fulginio:* quam in ultima vitæ linea, & veſte glorioſâ dignatus eſt, & amplexu, & his, ceu ſponſi ad ſponſam vocibus: *Veni dilecta mea, ſponſa mea, veni.*

Sic apertis cœli portis *S. Wulſino* Epiſcopo Chirehutnenſi, ſi non adfuit in terris, adfuit ſaltem in cœlis, velut certanti Agonotheta. Hinc illæ Sancti jam expirantis voces; *Ecce video cœlos apertos, & IESVM ſtantem à dextris Dei.* *2. Ian.*

Et hæc eſt via, qua felices animæ Divorum ſubintrant atria. At quo modo aperitur illa? Non alio, quàm caſtitate, morum innocentiâ, luce vitæ ſanctioris, & virtutum magnarum exemplis.

Sed ardua, inquies, eſt via? Nec aperitur niſi magno, nec emitur niſi magno. Falleris enimverò, falleris. Cœlum *parvo venale eſt*, aiebat, *S. Tillo* Monachus. *7. Ian.*

In hac mortali vita, æqualia ſunt pro rerum commutatione commercia, nec majora recipit ab emente qui vendit: æquale ſit pretium oportet omni rei venditæ. At non ſic in vita immortali: in qua ſic ſe res habet, ut qui *pro drachma ærea, centum aureas ſibi compararet.*

Serm. 8. *Da pauperi terram, ut accipias cœlum; da nummum, ut accipias regnum*, inquit Chryſologus.

In Pſal. 50. *Præbe tectum, & recipe Paradiſum, da modicum ut accipias centuplum*, ait Auguſtinus; quo judice rectò emitur Paradiſus, & modico centuplum? Et tamen illud ſic emere renuunt cœci, ſtultique mortales, & inferos carò emunt: an non ea eſt immanis dementia? Eſt enimverò dementia, cœcitas, & improbus furor hominum, à quo longiùs abire te velim, *Amice Lector*, & ad BENEDICTVM accedere, primùm via virtutum *lactea*, atque amabili; deinde *ſpecioſa*, ac luminoſa, æternæ lucis ac beatitatis.

Hom. Ecce nos relinquimus omnia. Et hoc, inquies, mihi eſt in votis. At ſurſum, quæ ad hanc eſt via? Eadem, quæ D. BENEDICTI, hoc eſt, interprete D. Bernardo, *Forma vitæ Religioſæ*, quam inducit exacta Regularum obſervantia: hac paratur facilis ad ſuperos aſcenſus; ut enim in argumento ſimili *S. Orieſieſu* à D. Hieronymo laudatus: *Traditiones Patris noſtri, ſcalas putemus ad Cœlorum regna ducentes.* *Biblioth. PP. p. 40.*

Scio Traditiones Patrum noſtrorum, ſive Regulas, aliis, atque aliis appellationibus notari, atque deſcribi.

D. Auguſtino *Speculum* ſunt, in quo ſe quiſque inſpiciat, videatque pulchérne ſit, an fœdus. *In Reg. c. ult.*

D. Hieronymo *vincula* ſunt, & quidem *æterna*, quæ nos cœlo Deoque aſtrictos teneant. *Epiſt. 127.*

D. Franciſco *Sepimenta*, quibus cingitur ac munitur Religio. *Cap. 26.*

Euthymio, & Theophilacto *Nervi ſunt & oſſa Religionis.* *In Matth. c. 21.*

Hieronymo Plato *Aphoriſmi ſpirituales*, quibus ſuperior, ceu medicus, utitur ad ſpiritualem ſuorum ſanitatem. *De bon. ſta. Rel. c. 27.*

At D. BENEDICTO *Viæ* ſunt, quæ rectà ad cœlum ducunt.

D. Romualdo *Scala*, quâ è terris ad cœleſtia fit aſcenſus: cui appellationi favet oblata illi ſcalæ ſpecies à terra ad cœlum uſque pertingentis, per quam in veſte candida viſi conſcendere magni illius Patriarchæ filii: quod ſi illi, eâdem & nos aſcendamus oportet.

Spectaſti, *benevole Lector*, quî in cœlos aſcenderit grandis illa D. BENEDICTI anima; oculos demitte in terras, & aſpice quid ſacro illius corpori? quid agatur pretioſis illius animæ exuviis?

Baronio ſcriptore vivere deſiit D. BENEDICTVS anno Chriſti 542. Leone Oſtienſi interprete Anno 543. 21. Aprilis, quo anniverſarium illi diem colit, ac celebrat Eccleſia. Corpus in ſacello Beati Joannis Baptiſtæ, quod ipſe adhuc ſuperſtes in monte Caſſino extruxerat, inhumatum: ſed Vaſtato deinde à barbaris ejus loci monaſterio ſacra ejus lypſana, à monachis Caſſinenſibus in Gallias tranſlata ad Floriacenſe Monaſterium, in qua ſacri illius pignoris tranſlatione, multa cœlo benigniore edita miracula, quæ illius Divi nomen, famamque mirum quantum auxerunt. E multis unum in præſentia recenſebo; ex quo intelliges quomodo illi faverit æther, faverit & terra, & muta quadam voce commendarit.

Cùm inſtituta fuit ea ſacri corporis tranſlatio, hyems erat aſpera, annique tempeſtas perfrigida, quâ arbores foliis, & prata amœna ſua viriditate, ceu nativa quadam veſte, ſpoliata erant: languere omnia, mortua dixiſſes omnia: at ubi primùm accedere ſacrum illud pignus, ſimul accedere viſa eſt nova quædam terris facies, & ſubitò arboribus redditus eſt honor, & pratis decor: virere enim omnia, perinde ac ſi fuiſſet amœna veris temperies; quam D. BENEDICTO debuit terra, uti & ea quæ morbidis reddita valetudo, & corporis integritas, aliaque miracula, quæ in præſens taceo, ne longior ſim, quam patiantur panegyricæ orationis leges.

DE

DE
SANCTO BRVNONE
CARTHVSIANORVM PATRIARCHA
AC FUNDATORE SANCTISSIMO.

PROŒMIUM.

NON eſt, quod huic Ordini Religioſo, ejuſque alumnis, lucem aliquam affundere laborem, cùm ipſe ſibi ſit Lux, & quidem cœleſtis, jam inde ab incunabulis, à quibus quot Religioſi, tot ſtellæ, & velut adnaſcentia terris ſidera, quæ tamen in ſuo ortu aut extinguere, aut ſaltem denſis obtegere tenebris, atque obſcurare tentavit mali dæmonis invidia; ſed fruſtra: adfuit enim è cœli regia Apoſtolorum Princeps, & Dei Omnipotentis auxiliatricem manum adfuturam oſtendit, & inſuper magnæ Matris, magnæque Virginis patrocinium adpromiſit. Ita hic Ordo, ceu alterum in terris firmamentum, & illius alumni, ceu totidem ſidera, illi ſtetere infixa, ſtabuntque in ævum omne, ſub DEI ter Opt. ter Max. tutelâ, ſub Deiparæ clientela, ſub Petri Apoſtolorum Principis adjutorio. Et hæc prima iſtius Ordinis laus, primáque gloria, cui etiam à D. BRVNONE accedet altera. At quis, inquies, & quantus ille? paucis accipe, atque ab *Eccleſia Carnotenſi* diſce, quo eum nomine poſſis, ac debeas appellare.

Chron. Chartuſ. l. 1. c. 1.

Eo certè, quo illa priùs: videlicet, *Murum Eccleſiæ, Florem Patrum, Semitam Iuſtitiæ, Lucem & Speculum Mundi, Sublime cacumen.*

L. 27 ſpec. Hiſt. c. 8. Eo rurſus quo Vincentius Bellovacenſis: *Religioſo, ſcientiáque famoſiſſimum.*

Lib. 22. de ſign. Eccl. c. 31. Eo denique quo Thomas Boſius: *Virum de cœlo lapſum.*

Ecce quali, & quanto, Sacer ille Ordo, Parente gloriatur; ſed qui, qualéſve tanti Parentis filii? quod iis vivendi genus? Quàm remotum à vulgo, quàm arduum, quàm illuſtre, & ſanctum? Ex Pontificum de illo elogiis, aut veriùs oraculis, ediſce.

Alexander III. Carthuſianorum Ordinem in amœniſſimo Eccleſiæ horto, areolam eſſe vult, cujus flores odorem exhalent optimum & ſuaviſſimum.

Clemens III. Balſamum, quod *inter Virtutum aromata, & Sanctorum fragrantiam ſuo odore diſcernatur, ut balſamum ſolet.*

Cœleſtinus III. pronuntiat eſſe poſitum *in altiſſima Contemplationis arce*, procul à terra, *terrenorumque tumultu.*

Honorius III. veluti *Columbas*, quæ, *in arâ cordis mactatis carnalibus deſideriis, in mentis fortitudine evolarint, illicque pro ſuis gemant, & aliorum peccatis.*

Clemens IV. (ut qui Patrem ſuum, *Petrum Frecoldum* Carthuſianos inter, piè diem obiiſſe meminiſſet) eos vocitabat *Aquilas*, quæ *nidum poſuerunt in arduis*, hoc eſt, *in præruptis ſilicibus, & rupibus inacceſſis.*

Ioannes XXII. Lapides vivos, qui *ſpiritales domos adificant per lucra ſanctorum operum, altâ & ſolida fabricâ.*

Innocentius VI. dinore uſus metaphora, *rutilantes*, ait eſſe *margaritas*, quibus & ornetur, & diteſcat, & coruſcet Eccleſia, Chriſti ſponſa.

Martinus V. Fontem parvulum, qui crevit in fluvium, & in lucem, Solemque converſus eſt, & in aquas plurimas redundavit.

Alexander IV. clariore voce, *Lumen* eſſe dicit, ac veluti Solem alterum, quo Eccleſia illuſtretur univerſa.

Gregorius XV. vult eſſe *Chriſtianæ pœnitentiæ caſtra, invictumq; exercitum*, qui *ſub S. Brunonis vexillo ſtipendia faciat, & præclaras de inferis perduellibus victorias reportet.*

Vrbanus VIII. altiore ſtylo, vocéque, *In taciturnis Carthuſianæ humilitatis clauſtris, Angelorum choros ad cœleſtium virtutum ſpectaculum evocat*; Spectaculum utique dignum cœleſtibus illis geniis, imò dignum & omnipotente Deo; quia, *cœleſtium virtutum ſpectaculum.*

Ecce quæ Summorum Pontificum, hoc eſt, Vicariorum Chriſti, de eo, ſeu elogia, ſeu oracula, per illos, tanquam per tubos divini Spiritus, ad nos derivata.

Taceo alia, memor mihi propoſitæ in ſcribendo brevitatis, ſi tamen unum illud, veluti coronidis causâ, adjecero. Triginta Romanos Pontifices ſanctiſſimum illum Ordinem & variis privilegiis muniviſſe, & inſignibus encomiis exornaſſe.

A Summis in Eccleſiâ Præſulibus, deſcendere poſſem ad Viros quà doctrina, quà dignitate, quà etiam ſanctitate conſpicuos, à quibus uberrima & laudis, & gloriæ ſeges exurgeret.

Dicere poſſem cum *Laurentio Leodicenſi* Carthuſianorum Ordinem *Florem eſſe Mundi.* *In hiſtor. Epiſc. Verd. Anno 1196.*

Cum *Arnoldo Boſtio*: *Florem Monaſtici germinis, decus, atque ornamentum vitæ ſpiritualis, & Ordinem non lapſum*: imò & *Paradiſi veſtibulum, ac cœli lumen.* *In Encom. Carth.*

Cum *Franciſco Petrarcha*, ipſum eſſe *Paradiſum*; ſic enim ſcribit de ſuo in Carthuſiam itinere ad videndum Germanum ſuum: *Veni ego in Paradiſum, vidi Angelos Dei in terra, & in terrenis corporibus habitantes, ſuo tempore habitaturos in cœlis.* *Præfat. ad Lib. de Otio Relig.*

Hæc, inquam, aliáque illis affinia proferre poſſem; ſed iis in præſentia omiſſis, in unico *D. Bernardi* teſtimonio conquieſcam: erit illud mihi inſtar omnium; Carthuſianos ille more ſuo, id eſt mellitiſſimè, appellat *Collegium cœleſte, & numerum Apoſtolicum.* *Lib. 4. epiſt. 22.* Ecce à cœlo, & Apoſtolis petita laus & commendatio; ſeu ipſius Inſtituti, ſeu etiam Religioſorum. Petamus aliam ab ipſâ Regulâ, & vivendi normâ. Ea potiſſimum in tribus eminet, *Solitudine, Clauſurâ, Silentio*, à quibus quantum religioſæ perfectionis accedere neceſſe ſit, habes ex *Epiſtolâ ad Fratres de Monte Dei*, quæ *D. Bernardo* tribuitur. Sic in illa:

Altiſſima eſt profeſſio veſtra, cœlos tranſit, par Angelis eſt, Angelicæ ſimilis puritati. Non enim vovistis omnem ſanctitatem; ſed omnis ſanctitatis perfectionem, & omnis conſummationis finem. Quid clarius dici potuit, ſimulque quid explicatius? hoc certè, quod *D. Gregorius Nazianzenus* Oratione in laudibus D. Athanaſii, ex qua in rem meam, primò traham illud de *Solitudine* Carthuſianorum: *A Mundi conſortio diſtracti, ac ſolitu-*

dineam

dinem amplectentes, Deo vivunt magis, quàm cæteri omnes. atque hanc dumtaxat partem pro mundo habentes, quam in ſolitudine cognoſcunt. Quid deinde? *A domibus ab-* Ad Helleonium. *horrent, urbium frequentiam fugiunt, cognatamq́; cœleſtis ſapientia quietem amplectuntur.*

De ſilentio autem iſtud: *Silentium peculiariter ſibi vendicant, & garrulam linguam quaſi vinculis quibuſdam aſtringunt, labiáque ſilentio comprimunt: illud ſemper uſur-* Pſal. 38. *pantes. Dixi, cuſtodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea.*

Denique de *Clauſura*, hoc, quod alibi idem Sanctus: *Vinculis perpetuæ clauſuræ preſſi, & liberi; qui re-* Orat. 1. adverſ. Iulian. *tenti ſunt, & teneri non poſſunt; quorum nihil in mundo, & quorum omnia mundo ſuperiora ſunt: Hi, inquam, propter mortificationem immortales, propter ſolutionem Deo conjuncti; quorum angelici Pſalmorum cantus, & pernox ſtatio, & mentis ad Deum exceſſio; ante mortem in cœlum ſe rapientes, qui nullum aſcenſus, & deificationis modum ſibi conſtituunt: quorum ſolitudo, & quorum ſæculi alterius frequentia; quorum lacryma peccati diluvium, & mundi expiamentum.*

Hæc Sanctus Orator de Aſcetis illius ævi, quæ ego de Carthuſianis, eodem, imò & potiori jure dicere poſſum. Sed ne longiùs: ſentio me tacitè moneri, ne procemii, id eſt, brevitatis leges, excedam, pareo lubens, & unum illud moneo, plura, qui volet, legat R. P. Theophluin Raynaudum, Societatis noſtræ Theologum, in opere, cui ritulum fecit: *Trinitas Patriarcharum*; ubi de S. BRVNONE multa, eaque præclara (ut aliàs aſſolet) eleganter, doctè, pièque in in medium profert.

QUÆSTIO PRIMA

MORALIS.

Ad illa verba: *Quis dabit mihi pennas ſicut Columbæ?* Pſal. 54.

QVÆ SIT ILLA COLVMBA?
Et cujus ſymbolum?

DUM calamum paro, ducóque in laudes primi Sanctiſſimæ Carthuſiæ Parentis; incurrit in oculos illud Prophetæ Regii, imò, & ipſius BRVNO-
Pſal. 14. NIS votum: *Quis dabit mihi pennas ſicut Columba, & volabo, & requieſcam?*

Pennas amat; ſed *Columbæ*: quas enim potiùs? Eſt columba miri candoris, ſimplicitatis amabilis, fœcunditatis admirandæ, adeóque ſymbolum bonæ mentis.

Eſt denique *Columba*, ſymbolum illabentis in animam Spiritus Sancti, eamq́ue alio atqoe alio virtutum magnarum partu fœcundantis. Et cùm ea ſit *Columba*, quid adeò mirum ſi Vates Regius? Si S. BRVNO illius ſibi pennas, ac volatum; imò & genium dari velit, atque ex eo quietem amabilem? Ut autem voluit; ſic & annuente cœlo accepit, ut paucis more noſtro, exponemus, ubi primùm hanc à *Lectore benevolo* gratiam & petierimus, & impetraverimus, ut tantiſper abire liceat ab Evangelio, à quo ut abeam faciunt potiſſimum duo:

Primum eſt, quod illud non ſemel jam obmolerim, adeoq́ue verendum ſit, ne ſimilitudine argumenti nauſeam pariam, ſtomachumq́ue moveam, ferculo, etſi optimo, iterum tamen, iterumq́ue ingeſto. Quid facias? eſt illud ſtomachi, imò & genii humani vitium, ut novis libentiùs paſcatur, & antiqua faſtidiat, atque etiam *Occidat miſeros Crambe repetita magiſtros.*

Alterum, quod illud Davidis votum, & ipſi D. BRVNONI, & ſanctiſſimo illius Inſtituto, meliùs conveniat, quàm ipſa Evangelii ſeries, quæ aliis quoque SS. Confeſſoribus communis eſt; & ego ipſe, ea magis amem, quæ uni alicui ſunt propria. Quod cùm ita ſit, bonâ *Lectoris* veniâ, Primò quæram, quæ columba? Tum quæ illius pennæ? Tum etiam quis volatus? Denique ecquænam requies?

Amabilis Dei Sapientia uno eodémque Symbolo, alia atque alia mortalibus oculis exhibere voluit, quod ut aliquo rerum dicendarum ordine pandam, ſit

§. 1. *Columba ſymbolum Spiritus Sancti in D.* BRVNONEM *illabentis & ducentis in amicam Solitudinem.*

DIgnum illud ceris melioribus, omniq́ue poſterorum memoria, quod *D. Neophyto*, adhuc puellulo, deinde inclyto Martyri contigiſſe legimus.

Agebat ille nonum ætatis annum, cùm ecce advolans columba lectulum dormientis ambire pri- Bollandus
mùm cœpit, deinà ſomno excitare, poſt humanum 20. Ian. in
in morem ei loqui verba plena ſalutis, tum etiam in eius vita.
montem Olympum, inq́ue ſpeluncam profundiorem ducere, in qua & immanem belluam, quæ iſtic ſtabulabatur, occidere, & denique domicilium ibi figere, veſciq́ue non alio cibo, quàm Angelicâ manu delato paratóque.

Quod illi objectum oculis, hoc D. BRVNONIS animo. Agebat ille Pariſiis, urbe regia, Academia nobili; & Theologicis ſtudiis dabat operam: utq́ue erat præclaræ indolis, acris ingenii, judicii maturi, tenacisq́ue memoriæ, per omnes ſcientiarum humanarum gradus evectus, ad honores, & dignitates ſibi gradum faciebat. Jam Rhemenſis Eccleſiæ Canonicus; ita ſæculo, mollioribusq́ue mundi curis indormiſcere potuiſſet, niſi eum à ſomno illo excitaſſet advolans illicò columba, hoc eſt benignior, citatiorq́ue Spiritus Sancti illapſus, duxiſſetq́ue à mundi ſtrepitu, tumultúque in amicam Solitudinem, ac quietem. Ita porrò duxit & citiſſimè, & feliciſſimè.

Pariſiis vivere deſierat Doctor percelebris, & à doctrina nominatus, & à vita (ut credebatur) Chriſtianè exactâ: & ea paſſim habebatur ab hominibus, qui ea, quæ patent oculis vident, atque ex iis metiuntur cætera; ad ea verò, quæ animi ſunt non pervadunt: at alia hominum judicia, alia Dei: hic enim intimos animi receſſus penetrat, & ex iis judicia fundit, & Orbi parat univerſo.

Ita porrò fudit, paravitq́ue in hoc homine, de quo mihi incidit mentio. Cùm huic de more ſolemnes in Eccleſia fierent exequiæ, frequenti populo, Doctorum coronâ, Nobilium conſeſſu. Ecce dum è ritu ſacro accinitur illud: *Reſponde mihi.* Is, qui vitâ functus exanimis jacebat in feretro, aſſurgit illicò,

illicò, caput erigit, vocemque lugubrem explicat in illa verba: *Juſto Dei judicio accuſatus ſum.* Dixit, & caput illicò, corpuſque in feretro depoſuit.

Ad tantæ rei novitatem, tonitruque vocis, excitari omnes: Primùm ſtupere, horrereque; tum artubus totis cōtremiſcere; tum ſuſpenſis animis hærere, initòque conſilio, in lucem ſequētem eventum tanti prodigii expectare, funuſque procraſtinare.

Spargitur interea tota urbe fama, & innumerabilis propè multitudo utriuſque ſexus ad ſpectaculum excitur. Innovatur pompa funebris, officium de Defunctis pro more canitur, inſonatque è choro rurſum illud: *Reſponde mihi.* Et ecce rursùs ferale ſpectaculum, feralis vox, erecto capite intonat illud: *Juſto Dei judicio judicatus ſum.* Moxque feretro ſeſe inclinat, jacétque exanimé.

Hic ſtupor dolorque omnes invadit, ſuſpenſoſque dennet, ecquid illud, ecquid portendat. Eſt qui ſiniſtrum aliquid, ac fatale, eſt qui anceps, & dubium; nec enim aut accuſari, aut etiam juſto Dei judicio judicari, eſt condemnari.

Eſt certè, inquiebat unus aliquis, eſt dæmon invidus, eſt calumniator, qui accuſet, eſt deinde Deus, æquus Judex, qui decernat, & judicet. Itaque in diem craſtinum differri placuit exanimis cadaveris ſepulturam, dum conſtaret quid tandem de ejus anima apud ſupremum Numen eſſet actum, an inferis, an ſuperis deſignata.

Hic (ſi unquam aliàs) ingens unda populorum, & undique urbe tota, atque etiam è vicinis locis concurſus. Adeſt decretoria dies, perſolvitur ritu ſacro officium, ex eoque rurſum auditur illud: *Reſponde mihi.* Cùm ecce defunctus ingenti niſu ſeſe erigit, caput attollit, os diducit, immanique mugitu, vocéque deſperabili, inclamat mœſtum illud, ac fatale: *Juſto Dei judicio condemnatus ſum.*

Hîc porro (ſi aliàs unquam) ſtupor, dolor, gemitus, comploratio, & quà dolentis, quà gementis populi lamenta, & ad Dei judicia contremiſcentis, quibus ubi ſatis datum eſt, infame cadaver extrahitur, & à loco ſacratiore in ſterquilinium abjicitur: ubi enim potiùs? Decebat enimverò ut cujus animæ infernus erat pro tumulo; pro corpore eſſet ſterquilinium, infamiſque cloaca.

Et hæc rei tum geſtæ ſeries, cujus meminerunt

Lib. 2. c. 1.

Chronicon Carthuſianorum, Laurentius Surius, Franciſcus à Puteo Præfectus Generalis Carthuſiæ, aliique Scriptores quàm plurimi. Eſt certè, qui ſexaginta quatuor recenſeat; ut amplior ab illis eſſet fides, quæ etiam confirmatur ex *Tabulario* majoris Carthuſiæ, in qua viſebatur olim *Cartha* (ut

Anno 1084.

vocant) *fundationis Ordinis*, & cauſa inhabitatæ à S. BRUNONE, & ſociis, aviæ illius & aſperæ ſolitudinis: ea ſcilicet, quam Infœlix, & miſerabilis Doctoris illius exitus intulit, de quo etiam extat & aliud vocaliſſimum teſtimonium, ductum ex denominatione ſacelli, in quo hæſit ad tempus infame ipſius cadaver, quod nunc quoque monſtratur, diciturque *Damnati Sacellum*, antiquiſſima, & per manus majorum accepta nuncupatione, quam confirmat & illud, quod annotat, ac monet *Jacobus de Breuil*, Pariſinus, libro ſecundo Antiquitatum Pariſienſium. In Officio Defunctorum, juxta ritum Eccleſiæ Pariſienſis, initium primæ Lectionis ſecundi Nocturni, verbis illis conceptum: *Reſponde mihi*; à tempore, quo Doctor damnatus, ad horum verborum prolationem, caput extulit, eraſum fuiſſe uſque ad annum 1607. quo Canonici Pariſienſes curarunt ea verba reponi. Qua de cauſa hic non diſputo: addo tamen & aliud teſtimonium, à picturis antiquiſſimis petitum, & oculis datum, ut ab his quoque ſua illi narrationi ſit fides, atque authoritas.

Theoph. Rayandus de S. Brun. punct. 3. n. 7.

Gratianopoli haud ita pridem, in ſede ſacra majore, ſacellum erat, quod fuerat olim magnæ Carthuſiæ poſſeſſio; & in eo pictura damnati Doctoris, & inde cōmoti ad ſolitudinem capeſſendam S. BRUNONIS.

In *Valle Benedictionis Ville-nova*, juxta *Avenionem*, inſignis eſt Carthuſia, ab *Innocentio VII.* Pontifice erecta, ante annos ab hinc trecentos; in cujus cœnaculo nobilis ea ætate pictor, juſſu ipſiuſmet Pontificis, expreſſit ortum, progreſſionemque Ordinis Carthuſienſis, initio ducto à converſione S. BRUNONIS, territi ſpectaculo Doctoris damnati, qui ibi è feretro ter caput attollens, & ſe accuſatum, judicatum, damnatumque pronuncians, exhibetur. Fuit nonnemo, qui hoc antiquitatis monumentum obduci voluit, & obliterata antiqua pictura, ac veluti tabeſcente, recentem, vividam, & mulcendis oculis opportuniorem ſubſtitui; ſed *P. Byſantus Paulinus*, inibi *Prior*, id non eſt paſſus: etſi enim ævi injuria, de flore (ut ita dicam) pictura plurimum remiſiſſet: at non remiſerat de antiquitate, quæ in hoc, uti in aliis omnibus ſemper eſt veneranda.

Denique (ne omnia conſecter) in Carthuſia Pariſienſi à S. Ludovico conſtituta proſtabant olim publicè ejuſdem ſpectaculi perantiquæ imagines, in oculis Pariſienſis Academiæ, & nobiliſſimæ Civitatis, in quibus tum temporis nemo fabuloſitatem narrationis aut deprehendit, aut arguit. Sed erit unus aliquis, qui inde arguet. Eſt Pontificia reciſio hujus narrationis ex Romano Breviario, in quod intruſa fuerat in officio S. BRUNONIS authoritate Gregorii XV. ſed Urbanus VIII. recognoſcens Breviarium eam expunxit. Paucis reſpondeo, neque Gregorius XV. eam in Breviarium Romanum intulerat: neque Urbanus VIII. expunxit; ſed ſacra Rituum Congregatio, concreditâ ſibi ab illis authoritate, intulit primùm, & poſtea expunxit: & hoc tibi concedo; nego tamen, ex ea reciſione, quicquam decedere narrationi, quam conſtantiſſima Carthuſianorum traditio habet pro veriſſima; neque enim reſecuit, quòd falſam crederet: & omnes, ut eam reſpuerent, edocere vellet; ſed alias ob cauſas.

Certè *Janus Nicius Erythræus*, epiſtola ad *Bartholdum Nihuſium*, affirmat conſultam abs ſe, de hoc negotio ſacram Rituum Congregationem: reſponſumque habuiſſe, eâ reciſione nihil præjudicatum voluiſſe adverſus narrationis veritatem; ſed alias ob cauſas eam à Breviario removiſſe. Quæ verò fuerint illæ, non addidit.

Venerabilis Pater *Puteanus*, cùm pro munere Procuratoris Generalis, quod obit, mandante R. P. Generali, ſacræ Congregationi, in eam rem libellum ſupplicem obtuliſſet, reſponſum tulit. Mentem S. Congregationis nunquam fuiſſe, improbare, aut in dubium vocare narrationis hujus veritatem; ſed conſultius viſum eſſe, eam expungere, quòd mos Eccleſiæ ferat in ſacris officiis Sanctorum, qui religioſas familias inſtituerint, recenſere eorum vitam, reſque præclarè geſtas; non autem cauſas, ex quibus ipſi ad Ordinem inſtituendum impulſi fuiſſent.

Alia habetur, atque aſſervatur Romæ in Bibliotheca Vaticana, in quâ extat liber majorum authoritate, ad omnem poſterorum memoriam cōſcriptus, de rebus, in ea Romani Breviarii recognitione, mutatis. In eo authentico opere, cùm ad mutationem factam in Lectionibus officii S. BRUNONIS devenitur, exprimitur hujuſce reciſionis cauſa; diſerteque ac liquidò proditur, ſublatam eſſe narrationem de Doctoris damnati anaſtaſi: non quòd ea narratio falſitatis eſſet inſimulata; ſed quòd Lectionem efficeret longiuſculam: nec locum relinqueret propriis S. BRUNONIS ornamentis atque virtutibus.

Et hæc paucis adnotanda duxi, tum ut Cenſoribus Opuſculi mei facerem ſatis, tum ut Lectori eximerem ſcrupulum, ſi quis inde eſſet injectus. Redeo ad S. BRUNONEM, qui ut hujus tragœdiæ ſpectator fuit, atque auditor; ita ex illâ, alios, atque

alios animos induit, alia vitæ ineundæ conſilia, quæ nimirum illi ingeſſit intulitque advolans cœleſtis Spiritus, ceu *Columba*, in eum, unà cum illâ lamẽtabili voce illapſa; ab hac, à tumultu populorum, à ſæculi pompa in aviam inviamque ſolitudinem eductus: juvat illius temporis, locique meminiſſe.

In Sabaudiæ finibus, ſolum eſt inacceſſis rupibus vaſtum, ac terribile; cui *Carthuſia* nomen fecit. Hîc perennes, propè nives, & horrentia frigora, abruptæ rupes, immania montium juga, minæque ſaxorum ingentes, vel ſolo aſpectu formidabiles; eò tamen evadit BRVNO, evadunt & ſocii omninò ſeptem, & *Carthuſiam*, non armis, ſed animis invadunt, atque expugnant, & cùm ibi deeſſent cellulæ, quæ eos caperent, pro cellulis utuntur abruptis petrarum faucibus, in iiſque, non tam habitant, quàm vivi ſepeliuntur: crederes enim (& ex vero quidem) non cellulas eſſe, ſed tumulos: & tamen in hos evadunt; imò evolant duce *Columba*, id eſt, Spiritu Sancto, ejuſque impulſu, & cœleſtium alarum, hoc eſt deſideriorum, remigio.

Ii porrò fuere ſeptem, quos inter omnium primus & vitæ ſolitariæ anteſignanus S. BRVNO; tum *Landwinus*, & duo *Stephani* Canonici Regulares; tum *Hugo* Sacerdos; tum denique Laïci duo, *Andreas*, & *Guarinus*, nova naſcentis Inſtituti, imò & mundi columina. Quibus aſcribi potuit hæc Epigraphe: *Ecce elongavi fugiens, & manſi in ſolitudine.*

At unde fuga? unde etiam adamata ſolitudo? Utique ex metu, & horrore divini Judicii, quod longè diſtat à noſtro: ſæpiùs enim, *Quod hominibus altum eſt, abominatio eſt ante Deum.* Et inde timor, inde horror, etiam plerumque in Viris quàm ſanctiſſimis: & is fuit in S. BRVNONE, qui viſo eo ſpectaculo ſic ad ſocios: *Quis ergo poteſt ſalvus fieri, niſi fugiat mundum?* *Bzov. tom. 13. Annal. Eccl. Anno Dom. 1254.*

Is in D. Hieronymo, qui hæc de ſeipſo: *Quoties diem Iudicii recolo, toties corde & corpore contremiſco.*

Is etiam, quod mireris, in Apoſtolo, qui licèt nullius ſibi conſcius eſſet, in hoc tamen non videbatur ſibi juſtificatus; quia, inquit, *qui judicat me, Dominus eſt*; & quia alia Domini judicia, alia hominum. Et hinc vel ſola judicii divini conſideratio terret, & quatit etiam ſanctos: quod eleganti emblemate ſub oculos poſuit pictor non ignobilis. *1. Cor. 4.*

Pinus erat præalta, & firmis adhuc radicibus Solo infixa, quæ tamen flantibus hinc inde ventis concuſſa tremebat, & toto vertice nutabunda perſtrepebat: adjecta erat hæc Epigraphè: *Quid erit in pelago?* hoc eſt: Si Pinus ita quatitur, dum adhuc in fixo firmoque Solo conſiſtit; quid erit, cùm in formam navis redacta, ſuper inſtabiles, & fluxas ducetur undas?

Sic in præſentia: Si viros ſanctos, præcelſaſque mentes, ita concutit vel ſola extremi Judicii conſideratio; quomodo concutiet cùm ipſum in oculis erit, cùm etiam reipſa eos impetet, atque involvet, ceu validus ventorum turbo? Vel ſi mavis, dic age, *Mi Lector*, ſi Pinus præalta ſic tremit ſic nutat à ventis: quî tremet, quî nutabit leviuſcula arundo? hoc eſt, ut apertiùs eloquar. Si Sancti, ſic ad Domini judicium contremiſcunt, quid peccatores? *Rectè egiſſe me recolo*, inquiebat D. Gregorius, *attamen de meritis non præſumo, quia ad ejus examen vita noſtra ducitur, ſub quo fortitudinis noſtra oſſa turbantur.* *Lib 5. Mor. c. 29.*

§. 2. *Columba ſymbolum bonæ mentis atque imprimis illius, quæ in* D. BRVNONE *debebat eſſe virtutis.*

ADmirabilis in ſervis ſuis Deus, ut mortalibus oculis exhiberet ecquinam illi; ſæpiùs elegit *Columbæ* ſymbolum, è quo noſces, quàm candidi illorum mores, quàm fœcunda mens, quàm excelſus à divinorum contemplatione animus.

Ita *S. Aldegundi* Virgini, ſacrum velum impoſuit *Columba*, ſpectantibus non ſine ſtupore, qui aderant, Pontificibus; in eóque ſymbolo legentibus, quàm illi candida mens, quàm virgineum corpus. *Bollandus 8. Ian.*

Ita cùm in Epiſcopum eligendus eſſet *D. Polycarpus*; candicans *Columba*, cœleſti quadam luce conſpicua, viſa illius capiti circumvolitare, index illius fœcunditatis, à qua novus Antiſtes, ceu fœcundus animarum parens, tot cœlo daturus eſſet proles, quot animas Chriſtianæ religioni. *26. Ian.*

Ita *B. Gualtero* Brugenſi miſſam celebranti in ſidere viſa eſt *Columba*, teſtis utique altioris animi, & in cœlum evolantis in illo orationis æſtu, entheoque ſacrificii ardore. *22. Ian.*

Ita denique apud *Emeritam* urbem, ubi paſſa eſt *S. Eulalia* Virgo & Martyr, cujus mens puriſſima Columbæ ſpecie in cœlum abvolavit, quot annis ipſo anniverſario ejus martyrii die, etſi ex bruma rigidiore Decembri menſe rigeſcant omnia, ante ſepulchrum ejus flores germinant ſuaviſſimi odoris, qui & ipſi formam referunt Columbæ, ut ſub hac veluti ſpecie in oculos rurſum veniat *Eulalia*, ceu candicans Columba. *Gregor. Turon. lib 1. de glor. Mar. c. 91.*

Quod illis, hoc & D. BRVNONI, cui Spiritus Sanctus, ceu *Columba* inſidens, index fuit virgineæ mentis, niveique pudoris, quem ut ſervaret ſeros in annos, à primo ſurgentis adoleſcentiæ flore, *Carthuſiæ* ſolitudinem amavit, ac petiit; idque ſub feſtum naſcentis magni Joannis Baptiſtæ, cujus æmulus Eremum intravit, ne levi vitam maculare poſſet afflatu, afflatu dico Babylonicæ meretricis, putidæque voluptatis, quo afflari & maculari ſolet illa ætas, carni, venerique indulgentior. Huic ne conniveret aliquando, ſolitudinem amavit, vel ut umbraculum ab æſtu libidinis, vel ut forte atque inexpugnabile propugnaculum caſtitatis, quam ut illibatam ſervaret, fœminas arceri voluit, etiam à primo *Carthuſiæ* limine: Hinc duas inter rupes, abruptaque ſaxa pontem, ac domunculam extrui voluit *Hugonis* Epiſcopi Gratiopolitani pia liberalitate, ut ea claudi poſſent fœminæ, & à *Carthuſia* procul arceri: & ſanè quidni ab ea arcerentur etiam quàm longiſſimè? *Vltoniæ* cœmeterium eſt ſanctorum quorundam virorum dormitione conſecratum, quod fœminas non admittit. *Nieremberg. de Mirac. nat. Europ. lib. 2. c. 2.*

Et Carthuſia veluti cœmeterium quoddam eſt virorum, qui & mundo mortui, & Chriſto conſepulti ſunt; quî ergo fœminas admitteret? quî ſuo ſuo quaſi ſinu clauderet? non benè viris cum fœminis convenit, nec Carthuſia tot Sanctorum quaſi ſacra dormitione ſacrata, fœminas recipit: quî enim reciperet ea, quæ caſtitatis eſt ſedes, & caſtorum veluti dormitorium; adeoque à fœminis alienum quàm maximè.

In Hibernia Inſula eſt, quæ *viventium* appellatur, & à fœminarum ingreſſu adeo eſt abhorrens, ut in ſaxum converſa mulier ſit quæ temerè illud intravit. *Silveſter Thaumaſia Tom. 3. c. 25.*

Et Carthuſia hoc in mundo ceu mari magno, Inſula eſt: ſed cœlo, Deoque *Viventium* Inſula, quæ ut illa à fœminis abhorrere debet, ſi modò ea eſſe velit, quæ reipſa eſt, caſta ac virginea; ſi in ea caſtus ac virgineus Carthuſiani animus.

Certè, qui à libidine, ceu igne, intactus eſſe volet, procul à fœminis ſit oportet: è vicino enim facilè concipitur ignis. Quod *B. Gualterus*, è Fratrum Minorum Ordine, illuſtri facto edoctos nos voluit. Rogatus erat, & quidem ſæpiùs à nobili Virgine, cui nomen *Maria Garcia*, ad ſuas veniret ædes, ſeu ſolatii, ſeu conſilii, ſeu pii colloquii causâ: recuſarat id non ſemel vir ſanctus: tandem evictus, ſeu precibus, ſeu lacrymis venit, ignem una manu geſtans, & alterâ paleam exſuccam, quam ut propiùs admovit, ignem illicò concepit, atque in flammas,

& cineres

& cineres abiit. Ubi hoc ſpectaculo illuſit oculis vir Dei, tum animo adjecit illud, dignum poſteris monitum: *O domina, ſcias velim, quod paleis igni proximis; hoc religioſis ex mulierum alloquio, & familiaritate;* Ignem illæ concipiunt, ignem & hi; ſed ignem libidinis, facéſque impuri amoris. Dixit, & illicò rubore ſuffuſa ſe mulier ſubduxit; ſubduxit & *Gualterus*, & ſibi cellæque ſuæ redditus.

Wadingus Tom. 1. Annal. Minor. Anno 10.

Quod hic deinde ſenſit, fecitque: hoc priùs S. BRUNO, qui inde & ſibi, & ſuis fœminarum acceſſum prohibitum eſſe voluit, ut puriore ſemper cœli arderent igne; impuro nunquam.

Et hæc puritas, prima BRUNONIS virtus fuit, petita à ſymbolo candicantis *Columbæ*. Altera fuit fœcunditas à religioſâ, & numeroſâ ſobole, ut poſtea fuſiùs explicabimus. Illam primò excepit *Carthuſia*, dein orbis propè univerſus, dum ubique locorum Carthuſianorum Ordini excitantur Monaſteria, replenturque numeroſâ prole, & cœleſti quodam ſemine; in quod cecidit data quondam Abrahamo benedictio: *Benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum, ſicut ſtellas cœli.*

Gen. c. 22. v. 17.

Benedixit enimverò Deus D. BRUNONI, & ſemen illius (hoc eſt Filios, & religioſæ vitæ æmulatores) multiplicavit: ſed *ſicut ſtellas cœli.*

Multiplicantur alii hoc in ſæculo; ſed *ſicut arena maris.* Vos, *ô Patres Reverendi*, ab ipsâ Parentis veſtri benedictione multiplicabimini; ſed *ſicut ſtellæ cœli*, quæ ut numero propè ſunt innumerabiles; ſic & luce, nitoréque ſpectabiles.

Et hoc (ut equidem opinor) jam inde à primis Inſtituti veſtri incunabulis portendit objecta, ſeu ipſius BRUNONIS, ſeu primorum ejus filiorum imago, ſpeciesque, ſtellarum lumine ac fulgore expreſſa.

Lubet illius meminiſſe: Grationopolitanum Epiſcopatum regebat *S. Hugo*, & à doctrina, & à vitæ integritate notiſſimus, ad quem ſe contulit S. BRUNO cum ſociis, eo conſilio, ut ab illo peteret, impetraretque locum oportunum amicæ ſolitudini, quam ambiebant. Et verò petierunt, impetraruntque; & certè quidni impetraſſent, & deſignatam ſibi à cœlo ſedem, & ipſi *S. Hugoni* exhibitam?

Viderat ille in amœnâ noctis unius imagine *ſeptem ſtellas*, ex eadem ſolitudine, ceu cœlo novo, ſurgentes, imò & in eâmdem ducentes; viderat, inquam, & deinde BRUNONEM cum ſex ſociis videns, agnoverat ſeptem illos fratres, ſeptem eſſe ſtellas, eaſque Principes, quæ novum illud vitæ genus, ceu cœlum novum, veſtire, ornaréque debuerant, & à quibus minores aliæ ſtellæ in lucem erant evocandæ; hoc eſt Religioſi alii, qui & ipſi ſtellæ, & vitæ nitore, lucéque amabiles; & numero ſtellis ipſis pares. Ita nimirum fœcunda fuit magna illa D. BRUNONIS mens atque intelligentia, quam ideo portendit *Columba*, & ipſa ferax, atque in partus multiplices naturalem expandens atque explicans fœcunditatem.

Chronic. Carthuſ. l. 2. c. 2.

Et hæc altera S. BRUNONIS laus erit, ipſa nimirum fœcunditas in religioſa ac numeroſa progenie; cui accedet laus alia, petita tum à gemitu, tum à volatu *Columbæ*; & hic, & ille pios orantis gemitus deſignabat, & elatum à divinorum contemplatione animum: ut is porrò eſſet, cum Propheta Regio, & dixit, & fecit illud: *Ecce elongavi fugiens, & manſi in ſolitudine.*

Pſal. 54.

Elongavi, inquit, & procul abii à tumultu, & undis populorum, & quidem celeri pede fugiens; & *manſi*, hoc eſt, ſedem mihi fixi, oportunamque ſtationem, in avia, & invia mortalibus ſolitudine; notáque, & pervia ſolis immortalibus, quibuſcum mihi agere, meiſque volupe fuit in alto ſilentio, lectioni, orationi, & præcelſæ divinarum rerum contemplationi inſiſtendo. Et ecce D. BRUNONIS, ceu *Columba*, pios gemitus, atque in æthera perni, cem volatum; ortum (mole corporis nonobſtante) ab orantis æſtu, ac contentione, in qua indubiè *optimam cum Maria partem elegit*, vitam planè contemplativam ſibi ac ſuis retinens: Practicam aliis libenter cedens, quod miraculo etiam perenni probatum voluere ſuperi.

Non procul à Monaſterio *S. Stephani*, ubi ſub ara principe conditum D. BRUNONIS corpus, inter aſpera montium juga, locus viſitur illius receſſui & orationi quondam ſacer. Ibi fortè laſſo jam corpore, quietem aliquam cœperat nuda in humo, quæ in hunc uſque diem expers manſit herbæ & graminis, etſi undique loca vicina herbeſcant.

Silveſter Petra ſancta in Thaumaſia. Ver. Relig. c. 27.

Sic nimirum ipſa tellus, quæ in D. BRUNONE, fructum pii ſenſus, & æſtus quodammodo ſenſit; alios omninò fructus renuit; nec herbeſcere vult, quæ à Viro Dei floruit.

Habes hîc, *Amice Lector*, in *Columba*: habes & in S. BRUNONE magnarum virtutum & ſymbola & exempla, *Caſtitatis*, ſimul & *fœcunditatis* cujuſdam *ſpiritalis.* Et hanc, & illam bellè expreſſit S. Hieronymus, qui ſic olim ad *Euſtochium* Virginem:

Laudo nuptias, laudo conjugium; ſed quia mihi Virgines generant: lego de ſpinis roſam, & de terra aurum, & de concha margaritam.

Epiſt. 22.

Laudat nuptias S. Doctor; ſed Virginitatem magis: Et hoc quia *nuptiæ terras replent*; ſed *Virginitas Paradiſum.* Quantum ergo intereſt inter illud, terras replere carnea prole, & Paradiſum ſpirituali ſobole: tantum inter nuptias, & Virgines intereſſe neceſſum eſt; imò tantum, quantum terram inter, & Paradiſum.

Terris generant nuptæ, at Virgines cœlis. Et hinc inquit S. Doctor, *lego de ſpinis roſam*, quid mollius? quid amantius? *& de terra aurum*, quid ditius? *& de concha margaritam*, quid pretioſius? *Roſa* Virginitas, quæ etiam *de ſpinis* legitur. *Aurum* Virginitas, quæ *de terra* eruitur. *Margarita* Virginitas, quæ *de concha* corporis exit, & colligitur.

Ecce ut partu nobili, ac multiplici, fœcunda Virginitas: illam ama, illam ſerva ſeros in annos, ſerva ad tumulum uſque, & caſtos cineres. At ſerva cautè ut *Roſam* ſoles, ne vel levi attactu marceſcat, vel Sole æſtuvè areſcat; ſerva, ut avarus *aurum* aſſolet, hoc eſt operosè, omnique curâ, & cautelâ, etiam ſub arcâ, & clavi. Serva, ut *margaritam* inſtitor conſuevit in gazis ſuis melioribus. Si ita ſerves; erit ab illa tibi quàm optimè, & æternùm quidem.

§. 3. *Columba ſymbolum fœcunditatis, utique illius, quæ D. BRUNONI fuit à religioſiſſima, & numeroſiſſima ſobole.*

COlumba ſymbolum eſt multarum virtutum, ut antè vidimus; ſed imprimis innocentiæ, contemplationis, ac fœcunditatis.

Innocentiæ quidem, manſuetudinis, atque inſignis patientiæ; quia, ut annotat Honorius Auguſtodinus, *Columba felle caret, & roſtro non lædit*, etiam læſa. Hinc D. Chryſoſtomus: Jobum, patientiæ miraculum, componit cum columba.

Vir, inquit, *erat in terra Hus nomine Iob, columba in medio accipitrum, ovis in medio luporum, ſtella in medio nubium, lilium in medio ſpinarum, & juſtitiæ germen in oppido iniquitatis.*

Hom. 4. de Patientia.

Eſt etiam Columba ſymbolum *Contemplationis*; ea potiſſimùm, quæ agreſtis eſt; hæc enim nidificat in foraminibus rupium, in cavernis maceriarum; eſtque fœcunda vel maximè, ideoque etiam ſymbolum *fœcunditatis.* Et inde factum autumo, ut apud profanos illos, ac gentiles, *Columba* fuerit in tutelâ Veneris, quod fœtui ferè ſemper indulgeret.

Et D. Bruno Columba fuit; ſed imprimis fœcunda, ut jam paucis inſinuaſſe me memini, optaremque hìc paulò fuſiùs proſequi, & religioſiſſimam juxta ac numeroſiſſimam tanti Parentis ſobolem luci dare, & publico; ſed nec eam dediſtis ipſi, *Reverendi Patres*, nec tot viros ab inſigni vitæ innocentia, morum ſanctitate, rebusque præclarè geſtis, imò & miraculis, illuſtres, expoſuiſtis, ut eſſent in omnium oculis, & admiratione: hoc modeſtiæ veſtræ fuit, quæ etſi vobis fortè ſit officioſa; at certè (quod pace veſtrâ dixerim) injurioſa eſt poſteris, qui tantæ ſanctitatis luce ac ſplendore dum carent, nec ad æmulationem provocantur magnarum virtutum exemplis, nec ſtimulis aguntur, ut in religioſæ vitæ ſtadio, eos ſe præſtent, quales alios in eodem viderint præſtitiſſe.

Ne tamen eos etiam ipſi omninò deſtituiſſe videamur è viris, ſeu ſanctitate, ſeu dignitate, ſeu Martyrii palmâ illuſtribus, iisque quàm plurimis, & propè innumerabilibus, paucos dumtaxat in præſentia educemus, qui viam ad virtutem, ad gloriam, ad ſuperos demonſtrent.

Ex his, ut loco, ſic & victricibus palmis eminent primùm octodecim Martyres, generoſiſſimi Fidei pugiles, qui Anno Chriſti 1535, 1537, & 1542. rugientibus in Catholicam fidem Leopardis, tantæ immanitatis præda facti, luculentum veritati teſtimonium etiam effuſo ſanguine reddiderunt, nobiles cœlo terrisque victimæ.

Tum etiam illi, qui *Londini*, enaſcente primùm hæreſi, ceu immani hydrâ, paſſi ſunt, vitamque religionis causâ profuderunt. quos inter Venerabilis Pater *Joannes Hotton* ibidem Prior, qui ut gradu cæteris, ita fortitudine, & alacritate ad Martyrium præivit.

Denique & alii, qui *Ruremunda* in Geldriâ, furentibus ac ſævientibus hæreticis, ſub Guielmo Auriaco, per ſummam immanitatem interfecti ſunt, futuri in terris & veræ Fidei teſtes, & in cœlis ejuſdem gloriæ conſortes.

Et hæc tua laus, tua gloria, ô fœcunda Martyrum parens Carthuſia, & hi quóque filii tui, & hæc tua corona, ô magne Divorum Pater, ô Martyrum, ô Confeſſorum gloria Bruno: tibi enim, tuisque legibus id omne debent, quod ſunt, ſeu glorioſi Martyres, ſeu Confeſſores ſanctiſſimi: ad hos enim modò delabor.

De Vit. Carthuſ. l. 5. & 7.

Arnoldus Boſtius, Carmelita Gandenſis, quinque ſupra triginta lectiſſimos Dei ſervos compertæ ſanctitatis publico dedit: profeſſus ingenuè, proferre ſe ex meſſe plenâ manipulum; cùm ſuperſint alii propè innumeri, quos eodem jure, eadem ſanctimoniæ lege, in medium afferre potuiſſet.

Ego, quoniam & catalogo, & nominibus, tot illuſtrium Virorum in præſens deſtituor, pro eo ſyllabo, vel unam à totâ Carthuſiâ familiam producam, ex quâ de reliquis facilis erit conjectura.

In illâ, Tyro unus aliquis, in vocatione ſuâ vacillans, imò ſollicitanti ad fugam ſatanæ, jam victas dans manus, cùm per Carthuſiæ cœmiterium tranſiret, ſuum in ſpiritu magiſtrum, eâ ipsâ die vitâ functum, cum alio Monacho pridem mortuo conſpexit: exhorruit primùm: tum ſeipſe collegit, tum iis docentibus comperit, omnes, qui in eâ ſepulchrali areâ tumulati erant (erant autem quamplurimi) æternâ jam requie gaudere, dempto unico fratre laico proprietatis leprâ olim infecto. Viſum transfugæ profuit; ubi tantam ſanctorum multitudinem uno capi ſepulchreto deprehendit; ſic enim & ſibi, & religioni, à quâ jam mente abierat, eſt redditus.

Quod ſi vel in unicâ Carthuſiâ tot Sancti, tot Beati; quot in omnibus orbe toto ſparſis? Tot certè, quot nec magna volumina caperent. Ego ad tres reſtringi me patiar, qui è Carthuſiâ ad Inſulas evecti, & ſanctimoniâ, & miraculorum gloriâ cæteros antecellunt.

Primus eſt, *S. Hugo*, ex Procuratore magnæ Carthuſiæ Lincolnienſis Epiſcopus, Epiſcoporum ſpeculum, & vindex Eccleſiaſtici Ordinis indefeſſus, cui hoc ſepulchrale lemma à Clerico eſt appoſitum:

Pontificum baculus, Monachorum norma, Scholarum
Conſultor, Regum malleus, HUGO fuit.

Alter, *S. Stephanus*, Dienſis Præſul, à morum innocentiâ, zelo animarum, & miraculis nominatus.

Tertius, *S. Anthelmus*, Bellicenſis Antiſtes, & ipſe à virtute, & prodigiis, tum in vitâ, tum à morte celebetrimus.

Taceo cæteros, quorum corpora tellus tegit, & animas cœlum capit, ac celat: virtutes autem, ac merita novit Deus, ea aliquando producturus in publicum, & lucem Univerſi.

Deſcendo ad nobiles in eandem D. Brunonis familiam adlectos; ab his enim etiam accedit decus, atque ornamentum Religioſi cœtus, quod etſi extrinſecum ſit; non tamen prorſus evanidum.

Certè *S. Paulinus*, à Melaniâ, quæ avis, proavisque Conſulibus nobilis, nobiliorem ſe, calcato ſæculo fecerat, duxit aliquod Chriſtianæ religionis ornamentum, & prolixâ etiam diſputatione probavit. Quod & hìc fecero; ſi oſtendero, viros illos genere, & avito ſanguine præſtantes; ita nobilitatem in Carthuſiam invexiſſe, ut etiam ſimul præclara magnarum virtutum decora, ac præſertim religioſæ demiſſionis ornamenta, videantur induxiſſe; quod præſertim feciſſe dicendi ſunt hi, quos paucis recenſebo. Epiſt. 22.

Eraſmus, Comes de Wittem, inter Germaniæ comites, & opibus, & gradu præcellens.

Guido, Rogerii Comitis, ac Calabriæ Principis filius, qui in ipsâ D. Brunonis Carthuſiâ omnem ſæculi faſtum, ac pompas calcavit, Anno 1185.

Humbertus, ex uxoris jure Delphinus, qui conjuge defunctâ in Carthuſiâ vallis beatæ Mariæ, nuntium mundo remiſit, Anno 1295.

Tertius, Frederici I. Imperatoris filius, qui in Cœnobio Sylvæ-Benedictæ, Anno 1170. ſæculo calces illiſit, quod & fecit *Gerardus*, Comes Nivernenſis, aliique primariæ nobilitatis longè plurimi, quos inter (ut alios omittam) *Petrus Frecoldi*, Clementis IV. Pont. Max. pater, qui cùm pertæſus ſæculi, ſub ſignis D. Brunonis militare decreviſſet, laicis accenſeri voluit, quod & fecerunt ii omnes, quos ſuprà recenſui, qui licèt juxta ſæculi Canones nobiliſſimi, & juxta ipſum Inſtitutum aptiſſimi, ad Sacerdotium aſpirare potuiſſent, maluerunt tamen recumbere in noviſſimo loco, & laicis adnumerari: rati negligendam eſſe in domo Dei prærogativam omnem, præterquam virtutum, imprimisque religioſæ demiſſionis, ac humilitatis, quæ virtus Chriſti eſt, & ſimul etiam ſingulare religioſiſſimi hujus Ordinis decus, atque ornamentum; quod & plurimum augeri poſſet ex illis, qui ex eodem ad Inſulas, aut Purpuram ſunt educti; iis maximè, quibus non tam purpura ſplendori fuit, quàm ipſi purpuræ. Et tamen ut ii fuerint, quàm plurimi; in præſentiâ patiar reticeri: non tamen alios, qui oblatas ultro dignitates, & recuſarunt ipſi; & poſteros omnes recuſare docuerunt, raro ſanè religioſæ virtutis, & magnanimitatis exemplo, quod ſuos inter primus extulit S. Bruno, qui in Rhemenſem, ac Rhegienſem Præſulem electus, maluit eſſe ſub modio, quàm in hujus, illiusque Eccleſiæ candelabro conſiſtere; cujus modeſtiam ſecuti, non degeneres à tanto parente filii; è quibus

Bernardus ex Priore Portarum Carthuſiæ Generalis præfectus, & populi, & Cleri ſuffragiis ad

Medio-

Mediolanenſem cathedram poſtulatus, induci nunquam potuit, ut eum honorem admitteret: Ea viri virtus ac modeſtia, quæ Mediolanenſium vota reſtringere potuiſſet, accendit magis: hinc ab illis actum apud *Innocentium II.* ut etiam renitentem adigeret, jamque Pontifex juſſa fortia, & ineluctabilia interpoſiturus erat, niſi pro *Bernardo*, alter *Bernardus*, Clarevallenſis Abbas, intercesſiſſet, & pro eâ, quâ valebat gratiâ, atque authoritate evicisset.

Bernardus alius cognomento à *Turre*, & ipſe ex Priore Portarum in Generalem promotus, delatum ſibi Archiepiſcopatum Biluntinum conſtantiſſimè repudiavit. Cumque cognati aſtrepere pergerent, & importunis querelis, precibuſque fatigare, ad aliam domum inter avia montium juga ſe recepit, dum ea ſeſe tempeſtas remitteret: adeò illi amica ſolitudo, & inimica ſæculi pompa, amicorumque turba.

Quod ille: hoc & *Gaifredus*, qui Viennenſes Inſulas generoſiſſimè rejecit; in quas tamen alii toto animi impete incurrunt, atque involant.

Et ne tantùm inferioris ordinis dignitates, cùm adiri poſſent, repudiatas quis exiſtimet: ab his, de quibus egimus, ſuppetunt exempla, non admiſſi, etiam cùm ingereretur gradus eminentiſſimi in Eccleſia Dei.

Fecit hoc æterna cum laude *Ioannes Birellus*, quem in quadam epiſtolâ Franciſcus Petrarcha *Sæculi ſui Luciferum* appellat; fecit, inquam, & ab *Innocentio* hujus nominis ſexto, oblatam non ſemel purpuram ſemper à ſe conſtantiſſimè amovit, nec ut eam indueret, ullis Summi Pontificis deſideriis adduci unquam potuit. Dignus omninò, pro cujus veneratione & amore idem *Innocentius* Carthuſiam Vallis Benedictionis munificentiſſimè erigeret, & ejus mortem inaudiens, exclamaret: *Hea! ſanctior religioſus, & præſtantior totius mundi Clericus defunctus eſt.*

Hujus in declinandâ purpurâ exemplum æmulati quamplurimi. *Guilielmus Raynaldi*, & ipſe Præfectus Generalis delatum à Bonifacio IX. Cardinalis decus, recuſavit.

Id ipſum fecit *Elizarius Grimoaldi*, cùm urgeretur ab Urbano V. Patruo, ut cum Narbonenſibus Inſulis galerum Cardinalitium admitteret, omninò renuit, maluitque in fruitione ſancti otii ad Domini pedes abjectus jacere, quàm in ſublimi Eccleſiæ candelabro, & in omnium oculis, ac luce eminere.

Eadem quoque mens fuit *Franciſci Marieſme* Carthuſiæ Præfecti, cùm & ipſe ab Eugenio IV. ad Cardinalatum vocaretur.

Et hi profectò omnes calcatis eminentiſſimarum dignitatum faſtigiis glorioſiores, quàm alii captatis, vel admiſſis. Suppares illis alii; imò & fortè ſuperiores, qui honores jam aditos à ſe removerunt, tactique amore ſolitudinis, in Carthuſiam ſeceſſerunt.

Superiores dico, quod auctius eſſe decus videatur, dignitatem jam acceptam dimittere, quàm ultro oblatam admittere: duriuſque ſit, degustatâ honorum dulcedine excidere, quàm nonniſi ſperatâ carere.

Ex horum numero fuere *Gaufridus de Loriolo* Burdegalenſis Archiepiſcopus.

Humbertus, Baugiaci comes, Archiepiſcopatu Lugdunenſi, inter Gallicanas ſedes ſublimiſſimâ, pontus.

Galterius, Ducis Burgundiæ filius, ex Epiſcopo Lingonenſi Carthuſianus.

Hugo, Epiſcopus Aurelianenſis.

Guielmus de S. Maria ex Ladonienſi Epiſcopo Carthuſianus.

Didacus de Sarmiento, ex Cabilenſi Epiſcopo Monachus Carthuſiæ de Conis in Hiſpania.

Guillelmus de Chesolmius, Epiſcopus Dublanenſis in Scotia; aliique longè plurimi, qui ſummâ cum laude relicto eo dignitatis Eccleſiaſticæ ſplendore, Carthuſianas latebras captaverunt; & in his optatam quietem, feliciſſimumque vitæ terminum invenerunt; futuri poſteris omnibus, & documento, & exemplo: ut & ipſi aliquando idem audeant, idemque moliantur.

Et certè quidni audeant? quidni moliantur? Memores illius, quod olim etiam in Inſulâ, Pedoque extulit Auguſtinus, ſuâ doctus experientiâ. *Quo* *In Pſal. 100.* *plus honoramur, tanto plus periclitamur*; & hujus, quod D. Hieronymus: *Si te ad Ordinem pia fratrum blandi-* *Epiſt. 1.* *menta ſollicitant; gaudebo de aſcenſu, timebo de lapſu.* Rationem adjicit ſui illius timoris, & juſti metus: quia *non eſt facilè ſtare loco Pauli, tenere gradum Petri, jam cum Chriſto regnantium: ne fortè veniat Angelus, qui ſcindat velum templi tui, qui candelabrum tuum de loco moveat.*

Hæc ſi attenderent infelices illi ſacrarum dignitatum candidati, non ita proni ac præcipites ad eas convolarent, neque, ut cum D. Bernardo loquar, *tantâ fiduciâ, & alacritate currerent ad honores, ſi eſſe* *Epiſt. 42.* *ſentirent & onera. Gravari profectò metuerent, nec cum tanto labore, & periculo, quarumlibet affectarent Inſulas dignitatum. Nunc verò, quia ſola attenditur gloria, & non pœna, purum eſſe Clericum in Eccleſia erubeſcitur; ſeque viles æſtimant & inglorios, qui quocumque eminentiori loco non fuerint ſublimati.*

§. 4. *Columba ſymbolum beatæ mentis è corpore ceu ergaſtulo in Cœlum cœleſtemque patriam ac libertatem evolantis.*

Cum hominis anima ſpiritus ſit, adeoque ſub aſpectum non cadat; ut caderet, eum in ſpecie candicantis *Columbæ* exhibere ſubinde Deus voluit. Sic olim animam *B. Devotæ* Virginis & Martyris, oculis corporeis ſpectandam quodammodo dedit.

Hæc Virgo vinculis primùm, manicis, ac compedibus onuſta: dein pedibus, manibuſque ligata per petras acutiſſimas fœdum in modum raptata, tum etiam equuleo torta quàm immaniſſimè, è quo dum pendet, ſic ad Dominum profatur:

Domine IESU Chriſte, ſuſcipe ſpiritum meum, quia *Bollandus 27 Ian. in ejus vita.* *propter Nomen tuum hæc patior.* Cui Chriſtus è cœlo: *Famula mea exaudita eſt oratio tua, quia quidquid petiſti, obtinebis.*

Vix ea de ſuperis ſedibus vox audita, cùm *Columba* (index utique virginei ſpiritus abeuntis) ex ejus ore egreſſa, rapido curſu aſtra petiit, atque in ea evolavit.

Quod illi; hoc in ipſa propè naſcente Eccleſia datum eſt *D. Polycarpo*, Præſuli vigilantiſſimo, invictiſſimo Martyri. *26. Ian. in ejus vita.* Damnatus hic erat ad flammas, immanemque rogum, quo dum cingitur in modum fornacis, illæſuſque manet, probaturque ut in fornace aurum: lictor impatiens, nec ſuſtinens innoxias B. Martyri eſſe flammas, ferro pectus transfigit, & per hians apertumque à vulnere latus viam facit beatæ menti, qua è corpore in cœlum, ſinumque beatitatis excedat: exceſſit porrò, & in forma *Columbæ* evolavit.

Uti etiam deinde *S. Benignus* Martyr, qui ſub *Bollandus 27 Ian. in ejus vita.* Aureliano Cæſare, poſt multos agones, tandem militis lanceâ transfixus eſt, beatumque ſpiritum in forma *niveæ Columbæ* in cœlos emiſit. Ecce ut beati Spiritus amant videri, atque in ſublime ferri *Columbæ* ſpecie; ut proinde mirum non ſit, ſi & Propheta Regius, atque ex illo etiam D. BRUNO, emiſerit votum illud in cœleſtes auras: *Quis dabit mihi pennas ſicut Columbæ*; quibus ſcilicet à terrâ in cœlum ſublimis evolem. Dedit porrò eas propitium Numen.

Vertebatur à Chriſto annus centeſimus primus

ſupra milleſimum, diesque erat Dominica, dies benè ominata, quâ nimirum candida illa D. BRVNONIS anima, ceu *Columba*, è corpore, ceu nidulo, in cœlôs evolaret, ſinumque beatæ æternitatis. Quî autem evolarit, paucis accipe.

Primùm, ab ipsâ propè infantiâ vitam omnem excuſſit, & ſacrâ purgavit exomologeſi, ut purior evaderet ex luteâ hac corporis mole. Ecce candorem columbinæ mentis.

Deinde, Fidei articulos decurrit, primù eos, qui de SS. Trinitate; tum qui de Sacramentis, nominatim de Venerabili Euchariſtia; tum alios, quorum Fide, ceu alis quibuſdam ſubvehi poſſet in altum, ibique clarâ donari eorum omnium viſione, quæ priùs obſcurâ notitiâ conceperat.

Denique, totus abiit in divini Amoris actus, quibus & à terrâ, & ſeipſo diſcedens, in ipſum Dei ſinum excederet *duabus* evectus *alis*; Dei ſcilicet *cognitione*, & *amore*. Ecce *volatum Columbæ*, id eſt niveæ D. BRVNONIS animæ.

Poſt immenſam illam eluviem, qua merſus aquis fuit Orbis, qui priùs flagitiis immerſus fuerat: *Columba* à Noëmo ex arca emiſſa, cùm non inveniret ubi requieſceret pes ejus, ad Arcam, & ad Noëmum rediit; utique ſymbolum bonæ candidæque mentis, quæ cùm non inveniat in terris, ubi pes, ceu affectus, conquieſcat, ad Arcam, ideſt, cœlum; ad Noëmum, hoc eſt, Chriſtum converſo curſu redit, imò revolat: ita rediit revolavitque beata D. BRVNONIS anima, ceu illa quondam Noëmi *Columba*.

Ut ſic & tua revolet anima, *Benevole Lector*, age, & eſto ſicut *Columba*. Geme primùm ut illa.

Et certè quidni gemas, cùm fortè à Deo, ceu Noëmo, per peccatum receſſeris, etiam ſupra maris, ideſt mundi hujus undas, pravis tuis affectibus evectus. Geme, inquam, utque gemas magis, Auguſtinum audi tibi exprobrantem:

Suntnè in te, ô Chriſtiane, viſcera miſericordiæ, qui plangis corpus, à quo receſſit anima; & non plangis animam, à qua receſſit Deus? Imò quæ à Deo prior ipſa receſſit? quod grande eſt, & malorum omnium ſummum: geme ergo primùm; ſed ſalutari pœnitentiæ gemitu: deinde ad Arcam redi, id eſt Eccleſiam, Fidei remigio: tum ad Noëmum, hoc eſt Chriſtum revola, per Euchariſtiæ ſacram & piam ſumptionem: denique in cœlum evola pernicibus pennis divini amoris, & incenſo Deum videndi deſiderio. Huic ſi te commiſeris, abibis è corpore, evolabis è terra, & in cœlum involabis, ut purior illa *Columba*, id eſt, S. BRVNONIS anima.

Serm. 10. de Verb. Apoſt.

QUÆSTIO SECUNDA
MORALIS.
Ad illa verba: *Quis dabit mihi pennas ſicut Columbæ, & volabo, & requieſcam.* Pſal. 54.

QVÆ SINT ILLÆ PENNÆ?
Quiſve ab iis volatus? Et quæ tandem requies?

SANCTVS FVRSEVS in exceſſu mentis, primùm vidit explicari cœli valvas, & beata Divorum atria, tum ad ſe advolare è cœleſtibus geniis unum aliquem, quatuor iisque niveis ſubvectum pennis, & ipſe à terra levari, atque in altum ſuſtolli videbatur, denique interprete eodem Angelo, didicit, duas pennas quibus corpus ipſum tegebatur, indicare *Timorem*, & *Pœnitentiam* fidelis animæ: duas autem, quæ in cœlum erant exporrectæ, ſignificare incenſum ejuſdem in Deum *Amorem*, & *Spem* certam futuræ aliquando beatitatis.

Bollandus 16 Ian in ejus vita

Pennæ quatuor;

Ecce quibus & à ſe, & à terra ſublimis in cœlum evolat mens Deo ſacra, *Timore*, *Pœnitentiâ*, *Amore*, atque *Spe*.

Et his quoque, terris, ac ſeipſo ſuperior evaſit D. BRVNO, his ad cœleſtia ſublimis evolavit.

I. Dei timor. Primùm *Dei Timore*, & horrore quodam ſacro divinorum Iudiciorum: cùm enim è demortui illius Doctoris cadavere audiſſet funeſtas ac fatales illas voces, *Iuſto Dei judicio accuſatus*, dein *Iudicatus*, denique *Condemnatus ſum*. Primò percelli ſe ſenſit ac commoveri, quaſi tonitru quodam funereæ vocis; Tum ad occulta Dei judicia contremiſcere, dum alia ſentit eſſe à judiciis hominum, tantumque ab his diſtare, quantum à terra cœlum.

II. Pœnitentia. Ex hoc porrò *Timore* enata *Pœnitentia*, velut prima, ac germana illius ſoboles; qui enim ad judicia Dei pavet ac horret, vitæ antectæ labes eluit ſalutari Pœnitentia, eáque paſſiones edomat, ac frangit; & per flagella cilicinaſque veſtes, velut oportuna pœnitentiæ inſtrumenta, quaſi per ſpinas, ac tribulos, viam ſibi facit ad ſuperos, ubi mundani homines, per roſas, & violas vitæ mollioris, iter ſibi parant ad inferos.

Hos in odio ac horrore dum habet D. BRVNO, illos autem in amoribus, ac dæliciis, pœnitere ſeriò ſtatuit, atque ut ſocii ſtatuant, author exiſtit.

Et hinc unà cum illis mundo valere juſſo in Eremum ſecedit, & aviam *Carthuſiæ* ſolitudinem, commodam pœnitentis animæ ſedem, fidamque à ſæculo fugienti ſtationem, in qua, ut pedem, id eſt affectum, firmius figeret, placuit perennem corpuſculi afflictationem adhibere, perpetua ſcilicet à carnibus abſtinentia; à qua ſic illi ſacro Ordini abſtinere certum, ut ne morbi quidem tempore; imo ne mortis etiam periculo iis veſci licere, ſentiant multi: adeo ſeveræ illius abſtinentiæ leges; quæ indubiè, uti animo ad ſuperna tendenti ſalutares; ita & Deo, ſuperisque gratiſſimæ.

Propè *Sipontum* (Manfredoniam noſtri jam vocant) monaſterium eſt, ubi Heremicolæ complures ſeverioribus inſtitutis, atque aſperrimis pœnis ſponte obitis exercent ſe, miráque vivunt abſtinentia. Ibi toto eo tractu, quem incolunt, nunquam aut feræ, aut aves carnivoræ ſpectari ſolent, quaſi religio ſit intrare, ac ſanctimoniam religionis polluere, in qua cœleſtes delitiæ dumtaxat animum ſaginant.

Silveſter Petraſancta Taumaſia Tom. 3 c. 24.

Quod illi regioni à miraculo datum eſt; hoc Carthuſiæ à virtute, à qua nec feris, nec avibus carnivoris, ideſt guloſis, & abdomini à carnibus ſaginando deditis, locus ullus conceditur: quia ſcilicet religio eſt ſacram ab illa abſtinentia ſanctimoniam polluere, imo & obnoxium gravi culpæ, cœlique irati minis, atque fulminibus.

Nolam

Silveſter ſupra.

Nolam inter, & Beneventum nobile Aſceterium eſt Monachorum S. Guilielmi, in quo quia non licet veſci niſi ſolis jejunii eduliis, nefas omnino eſt ex carne, aut lacticiniis obſonia importare; quod ſi illud aut errore, aut dolo fiat, illico cœlum veluti indignari, audiri tonitrua, micare fulmina, nimbos effundi; imò & cibos eos vetitos putreſcere, & gravius olere conſtans eſt fama, & perſuaſio etiam probata miraculo, cui non abſimile eſt illud, quod vidit, amavitque Carthuſia; in quam cum aliquando carnea inferrentur ad cibum ſæcularium, qui eò convenerant, in piſces de repente ſunt commutatæ; tantum non proclamante Deo proſcriptas prorſus oportere à Carthuſia carnes; multóque magis à Carthuſianis etiam ægris, etiam moribundis, quod oſtenſum voluit Deus etiam ſubductis per miraculum carnibus.

Raynaudus in Trin. Patriarch. de S. Brunone puncto 7. §. 3.

Sic Carthuſiano Colonienſi, viro optimo, & inſtituti tenaciſſimo, cùm in ægritudine graviſſima, de Medicorum ſententia perdices ad cibum fuiſſent appoſitæ, urgente ſuperiore, ut inde cibaretur, indultum divinitus eſt, ut ad cibi illius admotionem ex obedientia ori factam, perdices in piſces optimos verterentur, ut refert Dorlandus, aliique, ex quibus liquet quàm accepta Deo, ſuperisque ea à carnibus abſtinentia, quam D. BRUNONI, ſociiſque pennam eſſe diximus, quâ ſubvectus à terris in cœlos efferretur; cui accedent & aliæ duæ, *Spes* ſcilicet, & *Amor* æternæ beatitatis.

Lib. 5 Chron. Carthuſ. c. 38.

III. Dei Amor.

Poëtæ veteres, in docta commenta faciles, ac fœcundi, amorem pinxerunt alatum; nec immeritò, quia quod avibus eſt pennarum remigium; id homini eſt Amor.

Ubi terris, vel uno pede inſtitit avis, ubi ab aucupe periculum eſt, alas explicat, ſeſeque tollit in ſublime, & libera libero fruitur aëre, ridetque aucupum malè ſtructas inſidias: ſic & homo, luteus ſit licèt, & mole carnea gravis, terræque inſiſtens: ſi tamen ab amore Dei probè inſtructus; mox ejus veluti remigio in cœlum ſeſe erigit, & terris evolat abitque quodammodo in Dei ſui ſinum. Adeò celeres, adeò leves ſunt amoris Divini pennæ. Has dum amat, ambitque D. BRUNO, ſic ad ſuperos: *Quis dabit mihi pennas ſicut Columbæ?* Rectè *ſicut Columba*; ſunt enim aliæ, atque aliæ volucrum pennæ.

Abdiæ c. 4.

Sunt corvi, ſeſe paſcentis inter cadavera; hoc eſt, luxurioſi, & guloſi, quibus ad cadavera impuri amoris pennæ: has odit D. BRUNO.

Sunt milvi, in prædam avidi ac præcipites, id eſt, avari, & terrenorum cupidi; & has fugit D. BRUNO.

Sunt & ſtruthionis, hoc eſt in alios efferi, atque crudelis: & has deteſtatur S. BRUNO.

Sunt denique & aquilæ ponentis inter ſidera nidum, id eſt, elati ac ſuperbi: & ab his abit quàm longiſſimè S. BRUNO: utque abeat, à cœlo poſtulat pennas; ſed Columbæ, caſtas illas, liberales, mites, humiles, quales & ſunt *Amoris Divini* pennæ, quibus adduntur & aliæ, eæque *Spei firma*.

IV. Spes.

Spei dico; ſed cœleſtium, ſed æternorum, quam ut in ſe concipiat, firmetque, & dives patrimonium dimittit, & majorum titulos, ceráſque nobiles, & bona omnia, quæ Orbis parit ſublunaris; probè conſcius ea eſſe *retinacula ſpei noſtræ*, ut altiore ſtylo Tertullianus. Et *onera* (ut mellitè D. Ambroſius.) & *vanam*, gravémque *ſarcinam* (ut doctè Theophilactus.) & *rejectamenta* (ut ſolidè D. Hieronymus.) denique *ſtercora* (ut verè Paulus, Vas electionis.)

De Cultu fam. c. 13. Lib. 1. Epiſt. 69.

Et hæc breviter de quatuor illis pennis, quibus in cœlos evolavit magna illa mens, & cœli novi, id eſt novi Ordinis Intelligentia, videlicet *Dei Timore, Pœnitentia, Amore, Spe*; quibus alias adjicit *D. Bonaventura*, eaſque etiam quatuor de quibus ut candida mente; ſic & candido, ſimplicique ſtylo, atque ad pietatem compoſito:

Pennæ aliæ etiam quatuor:

Volatus Sanctorum perficitur quatuor pennis, ſcilicet Dilectionis, Cognitionis, Devotionis, Orationis; his terram, & terrena deſerunt, & in cœlum ac cœleſtia feruntur Sancti, & quidem primò penna *Dilectionis*, ſeu puri in Deum amoris: Hæc enim ex vero penna eſt; ſicut è contrario, Amor creaturarum eſt pondus, & quidem immane.

Serm. de SS. Simone & Iuda.

I. Dilectionis.

Poëta nobilis, terrenum, ac cœleſtem amorem expreſſit eleganti Emblemate: Adoleſcens erat in primo ætatis flore, & quidem in aëre ſublimis, affixo ad humeros duplici alarum remigio, adjectaque hac Epigraphe: *Hu attollor*: & appenſo ad pedes ingenti pondere, & plumbi maſsâ cum hoc Lemmate: *Hu deprimor*. Ecce cœleſtem, ecce terrenum amorem, apto ſanè ſymbolo repræſentatum.

Alæ, quæ in æthera tollunt, cœleſtem oſtentant: adjectum pondus; & plumbi maſſa, terrenum exprimunt; quia ut alis, id eſt creatoris amore, tollitur in altum; ſic pondere, & plumbi maſſa (id eſt prono in creaturas affectu) ad ima trahitur.

II. Cognitionis.

Altera penna, eſt *Cognitionis*, non exſuccæ, ac ſterilis: (qualis pleromque eſſe ſolet illa, quæ communius dicitur *ſpeculativa*) ſed cœleſti ſucco plenæ, ac fœcundæ; qualis eſt ea, quæ appellatur, & eſt *practica*, & quæ ferè ſequitur ad *Amorem*. De hac Propheta Regius: *Guſtate, & videte quoniam ſuavis eſt Dominus.* Guſtare proprium eſt *Amoris*, videre *Cognitionis*, inquit D. Bonaventura.

Pſal. 33. v. 9.

Et hæc eſt penna Aquilæ, id eſt excelſæ ac cœleſtis animæ, de qua Habacuc: *Volabunt quaſi aquila feſtinans ad comedendum.*

Cap. 1.

Ubi medio in æthere prædam aſpicit Aquila, eò convolat quàm velociſſimè; etiam ad ipſam propè Solis domum, quem etiam irretortis oculis aſpicit: ſic & mens præcelſa, terram non intuetur, ſed cœlum; non creaturam, ſed Creatorem: in hoc velut altiore Sole oculos ac cogitationes omnes ſuas defigit, dumque defigit, in eo paſcitur.

Ita paſcebatur is, cujus olim hæc vota: *Quis mihi tribuat, ut cognoſcam, & inveniam eum, & veniam uſque ad ſolium ejus?* Cognoſcere, intellectûs eſt; invenire, ac complecti, voluntatis; quæ ad ſolium Dei venit, non greſſu corporis; ſed animi pedibus, id eſt affectibus: & hæc de ſecunda penna.

Iob. c. 23.

III. Devotionis

Tertia, eſt *Devotionis*. Eſt autem ea devotio, guſtus quidam, atque appetentia rerum cœleſtium; ex eaque enatus fervor, æſtuſque, quo tota ab Dei, ceu ſummi boni, amore incaleſcit, ac colliqueſcit anima; atque ad Deum exultationis *Iubilo* ſuſtollitur. Et hæc eſt alia *Columbæ* penna.

IV. Orationis.

Quarta, eſt *Orationis*, ſeu altiſſimæ contemplationis, à qua vigili atque explicato mentis oculo in Deum, ac divina totus abit homo; & quantum hæc vita mortalis patitur, apertâ quaſi facie, ipſum Numen aſpicit, ac contemplatur.

Et hæc ſublimiſſima, ac celerrima eſt *Columbæ*, id eſt animæ, penna, quâ primùm volat, id eſt, Dei ſui deſiderio flagrat; tum etiam requieſcit, amœna quadam, ſuavi ac delirioſa mentis ſerenitate, ac pace; dum nihil ultra videt, quod appetat: Et hæc ex Doctore Seraphico dicta ſint, de pennis, volatu, ac quiete *Columbæ*, id eſt, fidelis animæ. Supereſt, ut ea ad D. BRUNONEM transferamus, videamuſque quæ illi pennæ? quis ab illis volatus? quæ requies?

Penna prima D. BRUNONI fuit arduæ in Deum *Dilectionis*: hanc teſtatus, vel in primo limine ſuæ ad Deum converſionis, in qua & ſeipſe, & ſua omnia illius amore exuit.

Antiquiores Poetæ, hanc cæteras inter fabulas effinxere, ad veritatem, quæ latebat, eruendam, ponendamque in oculis, altâque luce.

Solem inter & Aquilonem certamen fuit, quis viatorem veſte exueret ſua, In apertum ætheris

campum

campum primus exivit Aquilo, validóque impete, pleniſque buccis flatus immiſit ſuos, tum in viatorem, tum in implexos veſtis ſinus, quos dum implet, multùm renitens ille, quà ſiniſtrâ, quà dexträ veſtem prenſat, ſtringit, corporique apprimit, victor Aquilonis, ac ventorum, qui campo tandem exceſsêre victi, profundumque ſiluere.

Ubi data aëri à ventis quies; tum amœnum Solis jubar altiore inſiſtens cœlo, noctis profundæ victor, ac diei parens; puriores radios in caput, in oculos, in os, in pectus viatoris immiſit: hos ut ſenſit ille, primùm explicare veſtis ſinus, tum etiam laxare liberiùs, tum denique exuere ac deponere, impatiens ſcilicet illius æſtus, atque ardoris.

Fabella eſt, & ingenioſum commentum; è quo petenda hæc ad inſtitutum noſtrum veritas. *Viator* eſt *homo*: *Aquilo* periculoſi perſecutionum afflatus: *Sol Amor* eſt, & veluti parens cœleſtis æſtus, atque ardoris: *Veſtis*, quæ corpus circumſtat, ſunt bona temporalia, quæ nos quaſi cingunt, atque circumſtant: quis illis viatorem, quis hominem cœlo natum, quis D. BRUNONEM exuet? Non alius quàm ſol, quàm ignis Divini amoris. & ita factum eſt, & factum quàm optimè.

D. BRUNONI Patria erat Colonia Agrippina, Divorum Colonia; parentes ut genere, ita virtute nobiles; ingenium ad altiores diſciplinas factum; doctrina ſacra, non vulgaris, ſed eximia; Canonicatus Eccleſiæ Rhemenſis futurus gradus ad Infulas; aliaſque dignitates Eccleſiaſticas: verùm & his, & aliis omnibus, ceu veſte quadam urbana, ſeſe exuit ad primos Orientis ſolis, hoc eſt, cœleſtis luminis radios, ad primos æſtus Divini amoris. Ita nimirum de Mundo, de Carne, de BRUNONE, evicit Amor; & omni rerum terrenarum poſſeſſione exuit, ut Chriſtum in ſolitudine, in veſte pannoſa, in religioſa paupertate indueret. Et verò induit, & hoc amore Dei, ceu pennâ adjutus, cui addita eſt altera,

Eaque *Cognitionis*, non ſterilis, atque effœtæ, qualis eſſe ſolet mundi ſapientûm; ſed fœcundæ, & ſapidæ, qualis eſt eorum quibus cœleſtia ſapiunt, ac divina: & ea fuit D. BRUNONIS, cui primùm beneficio Fidei, altiſſima cœlo affulſere lumina, dein etiam *Orationis*, à qua neſcio quæ menti illabi ſolent illuſtrationes, à quibus & ignorantiæ, errorumque tenebræ depellantur, & dies lucidus ſupernæ veritatis illuceſcat: & ita illuxit S. BRUNONI, qui adinſtar aquilæ, cognitionis altiſſimæ pennis evectus, Deum irretorto quaſi mentis obtutu ſemper aſpexit: & hinc adjecta illi

Tertia penna *Devotionis*, ſeu ſapor, & guſtus quidam divinorum, à quo & deſipere humana omnia, & ſapere aſſolent cœleſtia: & inde etiam

Quarta illi addita penna *Contemplationis*, à quâ non tam agere, quàm pati divina videbatur. Et hinc frequentes illi extaſes, & animi in Deum exceſſus, ſimplici quodam divinarum veritatum aſpectu. Et hæc de quatuor pennis *Columbæ* noſtræ, id eſt, Animæ D. BRUNONIS, quibus elatus volabat ipſe, atque à terrâ longiùs excedebat, omniáque infra ſe poſita deſpiciebat, etiam Infulas, primaſque in Eccleſia dignitates.

E ſua ſolitudine, ceu nidulo excitus à Summo Pontifice, Urbano hujus nominis ſecundo, Romæ aliquamdiu degerat, ſtrenuamque Sanctæ Sedi navarat operam, cùm vacare cœpit ſedes Eccleſiæ *Rheginenſis*: eſt ea *Calabriæ Metropolis*, Archiepiſcopatus benè pinguis. Ad hunc & populi voce, & Cleri ſuffragio, & Pontificis ipſius nutu, atque authoritate evocatur; ſed evolat illicò & pennis *Columbæ* ſubvectus, in *Turrim* revolat. Erat autem illa *Turris* eremus profunda, & invia Calabriæ ſolitudo; in hanc ſe recipit, ut ſolet in nidulum *Columba*. Ibi reſidet, ibi quieſcit; ibi mundo moritur, & Deo vivit; illud dicere, illud ſervare ſolitus: *In nidulo meo moriar*; moriar mundo, moriar & mihi, dumque ſic moriar, conquieſcam, primùm in profunda conſcientiæ pace; tum in altiore mentis exceſſu; tum in ſuavi quodam ac cœleſti jubilo, animique in Deum exultatione, in quâ vera ſolidaque requies.

Ad hanc ſi aſpiras, *Amice Lector*, (& quidni aſpires?) age D. BRUNONIS acta, vitamque imitare; eſto, ut ille, *Columba*, & columbinis moribus.

Eſt *Columba* ſymbolum illabentis Spiritus Sancti: ut in te quoque illabatur, animi ſinus explica, intimis ſenſibus admitte, ejuſque ductum in omni vita ſequere; ſequeris autem, ſi occultos illius motus, & ſecretas inſpirationes excipias.

Eſt *Columba* ſimplicitatis, & candoris ſymbolum: eſto & tu candidis moribus, & ſimplici, ut *Columba*, genio: eris autem, ſi à virgineo candore, ruboreque, candidus ſis totus, ac rubicundus.

Eſt *Columba* miræ fœcunditatis, partus enim & pullos edit quot annis longè plurimos: eſto & tu in bona opera (quæ nobiles animi partus ſunt) fertilis, ac fœcundus.

Eſt *Columba* amans ſolitudinis, & niduli ſui, ideoque urbes ferè fugit, & urbana tecta, ſtrepituſque populorum; & tu ama ſolitarius eſſe, ama non videri, & latere in caverna maceriæ, in foraminibus petræ, in foſſâ humo. Foramina petræ, & foſſam humum dabit ipſe Chriſtus, qui eſt petra, & in qua foramina petræ erunt hiantia vulnera; foſſa humus, apertum à lancea latus: in hoc, & in illis, ſedem tibi pone, ac nidulum para, in quo conquieſcas. Ubi porrò ſic conquieveris, tum adinſtar *Noëmeticæ columbæ*, redibis ad Arcam; ad Chriſtum, inquam, ſinumque beatitatis, & hoc multiplici pennarum remigio, hoc eſt, *Dei Timore*, *Amoreque*, *Pœnitentia ſalutari*, *ac Spe firma*, hoc eſt, *Dei Dilectione*, *Cognitione*, *Devotione*, *Oratione*. His ad Arcam, ad Chriſtum, ad cœlum evolavit D. BRUNO, ceu *Columba* puriſſima: & illis quoque ipſe evola; æternumque conquieſce.

DE

DE SANCTO BERNARDO ABBATE.

PROŒMIUM.

DE Ciſtercienſi Ordine multi multa: ego paucis & brevi compendio, quale ſcilicet ferunt ipſæ Proœmii leges: & quidem primò de ipſo Inſtituto, quod ſit, & quàm illuſtre: tum de Viris, in eo, ſeu à ſanctitate, ſeu à genere, & proſapia nominaris, ſeu etiam ab Eccleſiaſtica dignitate conſpicuis; hæc enim omnia ad lucem, & commendationem ſanctiſſimi illius Ordinis plurimum facere mihi videntur.

Ad primum quod attinet, petetur ex elogiis, quæ, in illius quaſi fronte, inſcripſere magni Præſules ac Summi Pontifices.

Privil. 12. *Innocentius IV.* *Columbam* appellavit, *mitem, humilem, electam Domini ſpecialem, & pulchram per totum.* Columbam à fœcunditate, pulchram ab amœna virtutum omnium varietate.

In Bulla. *Benedictus* hujus nominis XI. *Stellam matutinam in medio nebulæ*: quæ ſcilicet Orbi, etiam Univerſo, præluceret, nebulasque, ſeu ignorantiæ, ſeu peccatorum diſſiparet, ſolemque, id eſt Chriſtum, ſua luce & præveniret ipſa, atque etiam in animos induceret.

In Bulla. *Clemens IV.* *Fontem* eſſe dixit, & quidem *amœnum varietate virtutum, præclarum munditiæ puritate, pietate patentem, indeficientem ſanctitate, qui ſic excreſcere meruit, ut fontis nomen excedens, fluvius cenſeatur*, qui terram irriget univerſam.

Et hæc Summorum Pontificum de Ciſtercienſi Ordine, ſeu elogia, ſeu etiam oracula, à quibus ad alios Præſules deſcendo; nam & ab his ſua quoque laus, atque authoritas.

Epiſt. ad Robert. Pōtiniac. *Stephanus*, Epiſcopus Tornacenſis, credidit eſſe *Lucernam ſuper montem poſitam*; à quà ſcilicet aliis, ceu vallibus, lux affulgeret; lux doctrinæ ſcilicet atque exempli quàm optimi.

P. 2. tit. 15. c. 23. *S. Antoninus*, Archiepiſcopus Florentinus: *Magnam Eccleſiæ Columnam* nominavit, quæ ſcilicet eam ſuſtineret; ut columna incumbentem ædificii molem.

S. Petrus, Abbas Cluniacenſis cenſuit eſſe *Lacteam, fortemq; columnam, cui innitatur Monaſtici Ordinis ædificium.* Eſt porrò ea columna *lactea*, à virgineo candore, nitoréque: eſt *fortis* ab inſigni animi magnitudine, & invicto in adverſis robore.

Ep. ad Nicol. Anglum. *Petrus*, Epiſcopus Carnutenſis, ipſa Ciſtercienſis Ordinis *clauſtra*, voluit eſſe *Caſtra Dei*, è quibus ſcilicet in campum, in arenam prodirent tot milites, imò tot ſacræ militiæ duces, quot religioſi: prodirent, inquam, atque, ut cum Scriptura loquar, *bellarent bella Domini.*

Hiſt. Occid. c. 14. *Cardinalis de Vitriaco*, pronuntiavit eſſe *Vineam electam*, quæ palmites ſuos longè, latéque etiam per mundum propè univerſum extenderet.

Et hæc de Ciſtercienſi Ordine, magnis illis Præſulibus mens fuit, hæc una vox omnium, hauſta indubiè ex illa luce, ſplendoreque virtutum omnium, & abſolutiſſimæ ſanctitatis, quæ in ejus alumnis, ac filiis emicabat. Et hinc mihi laudis, ac commendationis ſeges uberrima, videlicet à Beatis & Sanctis, qui in eo floruerunt, & quidem tanto numero, ut etiam decreto Capituli Generalis cautum ſit, ac ſeverè inhibitum, ne quis cujuſquam Canonizationem promoveret, *Ne multitudine, ſancti viloſcerent in Ordine.* Sunt ipſa Decreti verba, ex quibus facilè colliges, quot in eo Ordine eſſent illius honoris, ac cultus, qui ſanctis debetur, veluti candidati; quos etiam, ut illi Decreto paream & ipſe, tacebo in præſentia; atque ex innumeris paucos dumtaxat producam. Et quidem

Primò Beatos illos, primosque in ea Religione Præſules: *Robertum, Albericum, & Stephanum*, è quibus hic D. BERNARDUM unà cum triginta ſociis, & ſibi, & Ordini adjunxit, futurum in eo quod lucerna in domo, quod ſtella in cœlo. *Henriquez De 'S Ord. Ciſter. l. 2. Diſt. 26.*

His acceſſere ex omnibus propè Orbis univerſi partibus & Martyres inclyti, & Confeſſores longè clariſſimi, è quibus tibi dabit Gallia in uno Clarevallenſi Monaſterio ſanctitate illuſtres facilè nongentos; Scotia Martyres ducentos; Hibernia nongentos etiam in unico Benchornenſi Monaſterio; Hiſpania bis mille, à Mauris pro Fide, pro Religione, cæſos, ut omittam alios, quos Polonia, Bohemia, illa à Tartaris, hæc ab Huſſitis hæreticis occiſos, cœlo intulit, ceu nobiles victimas: à quibus delabor ad alios, quos etiam, illi dedit Europæ pars altera.

Anglia *S. Thomam*, & *S. Etmundum*, Cantuarienſes Archiepiſcopos, & Eccleſiæ fortiſſimos defenſores.

Hibernia *S. Malachiam Archiepiſcopum*, illius regni decus, & lumen clariſſimum.

Francia *S. Hugonem* Abbatem, *S. Godefridum* Lingonenſem Epiſcopum, *S. Guilielmum* Aquitaniæ Ducem.

Hiſpania *S. Maurum* Abbatem, & *S. Bernardum* Vincentinum Epiſcopum.

Sabaudia *S. Petrum* Archiepiſcopum Tarantaſienſem: ut alios plures omittam, quos dedit India, & Orbis novus.

Ecce, quod à Sanctis iſtis, ſeu Martyribus, ſeu Confeſſoribus illi Ordini decus. Vis noſſe quod etiam à genere, & ſacris Officiis? paucis excipe. Et primùm à Pontificia majeſtate, & Eccleſiaſtica dignitate, quæ ferè virtutem ſequitur, ut umbra corpus.

Ab illa, in Petri Sede, Pontifices quatuor; Patriarchæ quatuordecim; Cardinales ſex ſupra quadraginta, Archiepiſcopi octingenti; Epiſcopi mille quadringenti: ecce, quot à Tiara, Inſula, Pedoque ſpectabiles. Addamus alios, à genere, & avita proſapia nobiles; afferent illi etiam ſacro Ordini lucem aliquam, ac dignitatem.

E Regibus, *Alfonſus* in Portugalla, *Ericus* in Dania, *Guſmarus* in Sardinia. E Regum filiis *Petrus*, & *Henricus* in Francia; *Henricus*, & *Ferdinandus* in Portugalia; *Alexander*, *David*, & *Gualterus* in Scotia. Et, quod mirere, *Bernardus* è Turcia, qui Fidei primùm additus, tum Ciſtercienſi Ordini, cui & ſorores duas, *Gratiam*, & *Mariam* adjunxit, ipſe deinde Inclytus Chriſti Martyr.

Tum etiam è Ducibus *Humbertus* in Sabaudia; *Theobaldus* in Campania; *Vlpho* in Suecia. Et hi ferè nobiliſſimi Ordinis Principes, è quibus, ſi mihi unus aliquis exciderit, venia dabitur; nec enim brevi compendio omnia complecti vel animus mihi, vel facultas fuit.

Venio ad Religioſas familias, quæ è Ciſtercienſi prognatæ ſunt, ſeu bonæ filiæ è matre quàm optima. Ordo *S. Guilielmi* Ducis Aquitaniæ, à quo & *Guilelmitæ*. Ordo *Vallis Caulium* in Francia. Ordo *Montis Virginis* in Apulia. Ordo *Gilbertinorum* in Anglia. Ordo *Conceptionis B. V. Mariæ* in Hiſpania. Ordo *Calatravæ* in Caſtilia. Ordo *D'Alcantara* in Leonis Regno. Ordo *Templi* in Judæa. Ordo *Grandimontenſis*; ac denique (ne omnes conſecter, quod longum foret) Ordo *Militum Chriſti* in Luſitania, cui & ſeipſe addidit *Alphonſus* primus Luſitaniæ Rex, qui & Regnum ſuum Monaſterio Clarevallenſi tributarium fecit, inſigni profectò pietate, quæ, ut eat in poſteros, viſum eſt illius verba hîc attexere:

Henriquez in Faſc. SS. Ord. Ciſter. Diſt. 14.

Meipſum, regnum meum, gentem meam, & ſucceſſores meos, ſub B. Maria de Claravalle protectionem, defenſionem, & patrocinium conſtituo, & conſtituta fore decerno: ordinando, & mandando omnibus, & ſingulis Succeſſoribus meis, in hæreditatem hujus Regni legitimè intrantibus, ut ſingulis annis, eidem Eccleſiæ S. Mariæ de Claravalle quæ eſt Ciſtercienſis Ordinis, poſita in Regno Franciæ, in Diœceſi Lingonenſi, tribuant in modum feudi, & vaſſalitii quinquaginta Marabitinos auri probati, & boni, & digni, quod recipiantur.

Et hæ Alphonſi voces, dignæ cedro, hæc Religio, & in Ciſtercienſem Ordinem obſervantia, à quâ & illi gloria ſingularis acceſſit, & decus profectò æviternum; quod etiam petendum mihi foret ab iis, qui à doctrina, & ſcriptis nominari ac celebres, è quibus unicum hîc adjungam, ut ex uno diſcantur omnes: Is erit *Alanus*, qui etiam *Doctor Univerſalis* audiit, & contra Albigenſes, Waldenſes, ac Judæos calamum ſtrinxit & doctè, & feliciter. Vir omnino magnus, & eò major, quò à ſui demiſſione minor; fuit enim Ciſtercii humilis converſus, utque in vita ſeipſe abjecit, ſic & in morte, tumuloque; utpotè ad ipſam Eccleſiæ portam ſepultus, adjecto hoc brevi elogio: *Qui duo, qui ſeptem, qui totum ſcibile novit.* Et hæc pauca è multis: jam

Henriquez ſupra l. 2. Diſt. 26.

EX D. THOMA.

ANgelicus Doctor, ut D. BERNARDI laudes in luce, ac ſole ponat, ea ſubjicit oculis, quæ vel in ſeipſe, vel in aliis expreſſit: quod ut faciat, ſimilitudinem deſumit ab auro, gemmis, & vaſe pretioſo, veluti quibuſdam virtutum magnarum ſymbolis, & inde hoc ſibi thema proponit: *Aurum, & multitudo gemmarum, & vas pretioſum, labia ſcientiæ:* Tum ait: *Prov. c. 20.*

Auro, aurea D. BERNARDI charitas exprimitur, *multitudine gemmarum* amœna quædam virtutum multiplicitas: *Vaſe* denique *pretioſo* virginea illius puritas: & hæc ſunt illuſtrium virtutum decora, atque ornamenta, quæ in ſeipſe extulit. Quæ verò etiam in aliis, iiſdem ſymbolis notantur.

Auro Divinitas, & Deus ipſe, quem ore aureo prædicavit, & ad cujus amorem, cultumque omnes incendit.

Gemmarum multitudine, amabilis quædam ac ſtupenda varietas virtutum, quas ore gemmeo in ſubjectam ſibi concionem, populumque ſparſit.

Vaſe denique *pretioſo*, cœleſtis contemplationis, ac devotionis dulcedo, qua alios refecit, potavit, inebriavitque. Et hinc, inquit, D. BERNARDI *labia aurea, gemmea, pretioſa.*

EX EVANGELIO.

QUÆSTIO UNICA

MORALIS.

Ad illa verba: *Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet.* Matth. c. 19. v. 29.

QVOD ILLVD CENTVPLVM?

DUo hîc adpromittit bonorum remunerator Chriſtus: Primùm, Apoſtolis ſpondet futurum aliquando, ut ſedeant ſuper thronos duodecim, judicaturi duodecim tribus Iſraël: deinde aliis & ſe, & ſua Chriſti gratiâ relinquentibus, *Centuplum* offert, ac deinde vitam æternam.

Hinc mihi incidit ea quæſtio, quod illud Centuplum, in qua aliæ, atque aliæ occurrunt opiniones, in re ſcilicet quam non evolvit Incarnata Dei Sapientia; ſed nobis evolvendam reliquit.

Per *Centuplum*, Chiliaſtæ, ſive millenarii, intelligi credunt *annos* omnino *mille*, quibus à communi reſurrectione huic vitæ, ac mundo aſpectabili redditi ſancti delictabuntur & *Centuplum* omnium, quæ hîc Chriſti gratiâ dimiſerint, recipient.

Error eſt, & delirantium Hæreticorum ſomnium, qui nihil ſapiunt niſi quod terram ſapit, & carnem olet; quod ex eo confutat D. Hieronymus, quòd etſi fortè *in cæteris digna videri poſſet repromiſſio, in uxoribus appareat turpitudo, ut qui unam pro Domino dimiſerit, centum recipiat in futuro.* Ideoque ab hoc genere hominum diſcedere, atque ad Sanctos Patres accedere viſum eſt, huic argumento magis opportunum.

D. Gregorius, Pont. Max. in eo putat repoſitum eſſe *Centuplum*, quòd amore Chriſti pauper, centies plus gaudeat benè abdicatis omnibus; quàm hujus ævi divites malè retentis exultent. *Hom. 18. in Ezech.*

Sic paupertate ſua ſe involvens *B. Franciſcus*, & in ea piè geſtiens, hanc modò *Matrem*, modò *Sponſam*, nomine amoris pleno; modò *Dominam*, quod erat reverentiæ, appellabat. *Wadingus Tom. 1.*

Sic *B. Syncletica* Virgo, rogata quid eſſet ſpontanea paupertas, & bonorum omnium abdicatio? Reſpondit *Bonum eſſe perfectum*, quod amare omnes, odiſſe nemo poteſt, ſi modò noverit. *Bollandus 5. Jan.*

Sic Beatos *Macarios*, *Alexandrinum* unum; alterum vulgò *Magnum*, beatos prædicavit militum tribunus, vel eò tantùm, quòd pauperes eſſent: ſic enim ad illos, *15. Jan.*

illos, *Beati eſtis vos, qui mundo illuſiſtis.* Cui Macarius: *Nos quidem mundo illudimus; vos autem mundus.* Quod ſi diviti illudit mundus, & pauper mundo; ut ille meritò triſtetur oportet: hic autem gaudeat, & eò quidem magis, quòd vel ſua paupertate beatus.

D. Hieronymus, Beda, aliique exiſtimant *Centuplum* illud, intelligi *in bonis*, ut aiunt, *ſpiritualibus*, quæ ſi cum temporalibus componantur, ita ſe habent, ut unum ad centum.

Origenes, Theophilactus, Eutymius, cæterique communiùs, contendunt *Centuplum* iſtud in iis ipſis rebus, quas Chriſti gratiâ dimiſeris, eſſe recipiendum.

Hoc ipſa naſcentis Eccleſiæ infantia experti fideles omnes Religionis ac Fidei cauſa, ſi matrem illi reliquerant, Eccleſiam inveniebant, quæ illis & affectu, & curâ mater erat; ſi patrem, tot illis Patres, quot Præſules; ſi domum unam, tot diverſoria, quot fidelium tecta; ſi agros pauculos, regiones, provincias, regna, Orbemque propè univerſum ſibi apertum ac patentem habebant: ut meritò
Epiſt. 89. dixerit Auguſtinus: *Fidelis totus mundus divitiarum eſt.*

Quod fidelibus, in ipſis Eccleſiæ cunis, datum eſt; hoc deinde omni ſæculo Religioſis. Abeunt illi à Matre, accedunt ad Religionem, quæ illis verè mater eſt, & nimium quàm bona mater. Recedunt à Patre, tot nacti Patres, quot Superiores. Domunculam ſubinde relinquunt, & quidem unicam; & tot obtinent, quot Cœnobia, hoc eſt centena: imò & millena. Agrum deſerunt, & pauculas in patrio ſolo poſſeſſiones, & in omni propè ſolo, ſubque omni ſole, ampliſſimas inveniunt villas, caſtella, oppida, ditioneſque totas. Denique ſi (ut rectè annotat Caſſianus) decem, aut viginti ſervorum miniſteria, eaque infida, & coactitia derelinquunt: tot ingenuorum, atque nobilium ſpontaneo fulciuntur obſequio; imò & longè plurium. Tanto nimirum fœnore reddidit Deus, quod illi dederis.

In Pſal. 118. D. Ambroſius, ingenioſa ut ſolet, ac mellita eloquentia, per *Centuplum* accipit Deum ipſum, qui omnia relinquenti, & pater, & mater, & uxor, & frater, & ſoror eſt; imò & omnia. *Cui enim portio Deus eſt; totius poſſeſſor eſt naturæ.* Quid hac, & illa poſſeſſione amplius, quid pretioſius eſſe poteſt? omninò nihil.

Et hæc ſpontaneæ, ac religioſæ paupertati cœlo benigniore parata merces, quam in D. BERNARDO, viro religioſiſſimo, Præſule ſanctiſſimo, oſtendere mihi eſt animus; & quidem hoc Ordine.

Primùm in *temporalibus*, puta domo, agris, ac poſſeſſionibus; tum etiam patre, matre, ac fratribus: hæc enim omnia huic tempori, id eſt vitæ, ſerviunt.

Deinde in *ſpiritualibus*, hoc eſt virtutibus, quæ veræ divitiæ ſunt, & ampliſſima bonæ mentis poſſeſſio.

Tum etiam in ipſa *Virgine, Chriſto, Deoq;.* Hæc quippè univerſa D. BERNARDO omnia relinquenti, annuente cœlo etiam in terris conceſſa.

Denique in *vita*, eaque *æterna* ac *beata*, quæ omnis hæreditatis, & terminus, & finis, & perfectio,

CENTVPLVM IN TEMPORALIBVS.

§. 1. *In Religione, meliore utique Matre.*

TErris vivere deſierat, & cœlo jam cœperat D. BERNARDI mater, cùm ad Religioſum Ordinem, ceu matrem optimam, aſpirare cœpit, in eâ inventurus etiam *centuplum.* Fuerat illi mater *Aleph:* ut nomine, ut virtute, ita genere nobilis, ex caſtro gentilitio, cui nomen *Mons-barrus*; unde & avita & longa ſerie ducere ſtemmata, & fumoſas majorum imagines oſtentare poterat; atque etiam oſtentaſſet, ſi ex mundi genio vitam exigere voluiſſet: at minimè voluit: ſpectabat nimirum matrem aliam, priore illa longè nobiliorem; Ordinem ſcilicet Ciſtercienſem, cujus in ipſis cunis, ea ſanctitas, ac Religio fuit; ut *Eccleſiæ columna* eſſe ac dici poſſet.

Appello *S. Mechtildis* fidem, atque authoritatem. Beatis jam additus erat BERNARDVS, cùm luce illi ſacra caneretur ſolemnis ille in Miſſam ingreſſus: *In medio Eccleſiæ aperuit os ejus.* Quem dum apud ſe tacita cogitatione expendit, piáque indagine quærit, quod illud Eccleſiæ medium, audit iſtud à Chriſto:

Medium S. Eccleſiæ eſt Ordo S. Bernardi, ſuſtentans Eccleſiam, velut columna, cui tota domus innititur. Henriquez. De SS. Ord. Ciſter. l. 1. Diſt. 1. c. 6.

Hoc effatum, hoc Oraculum primæ veritatis, quo, quid ad ejus Ordinis laudem elatius, quid ad dignitatem illuſtrius non video, quàm ut dicatur Princeps *Eccleſiæ columna*, cui tota innitatur: & hæc eſt illa mater, illa parens altera, quàm invenit, & probante cœlo, pro priore alterâ; à Deo accepit D. BERNARDVS. *Ciſtercienſis* ſcilicet *Ordo*, *Eccleſiæ columna*, ac ſuſtentaculum, in quo indubiè *centuplum* reperit, ingenti profectò fœnore.

Quod etiam vel inde auctum, quod & ipſe BERNARDVS Eccleſiæ *Columna* dici poſſit.

Ad *Antonium* cùm aliquando veniſſet *S. Hilarion* Abbas; ſic ad illum Antonius: *Benè veniſti Lucifer, qui mane oreris*; cui illico Hilarion: *Pax tibi columna lucis; quæ ſuſtines orbem terrarum.* Bollandus in vita S. Anton. 17. Ian.

Ecce ut ſeſe invicem extollunt Sancti, dum ſeipſe deprimunt. S. Hilarionem *Luciferum* appellat S. Antonius, & S. Antonium *Columnam* eſſe dicit S. Hilarion, & quidem amœnæ ac divinæ lucis, quæ & ipſum terrarum Orbem ſuſtineat.

Vidiſti quomodo S. Antonius *Columna lucis:* ſpecta quomodo & alii Sancti *Columna ignis.* Certè alios inter is fuit *S. Kentigernus Epiſcopus Glaſcuenſis*, qui ſacris operans, viſus eſt adinſtar *Columnæ igneæ.* Ita nimirum Sancti *Columnæ* ſunt, & *Lucis*, & *ignis*: *Lucis* quidem à cognitione rerum cœleſtium, ac divinarum: *Ignis* autem ab æſtu, flammáque purioris, hoc eſt, divini amoris, & is indulgente cœlo fuit D. BERNARDVS: *Columna lucis*, & *ignis*: *Lucis* à ſcientia, *Ignis* à Dei amore: & tam in hoc, quàm in illo conſecutus *Centuplum.* In ejus Vita 13. Ian.

Quod & conſequêris ipſe, ſi modò cum BERNARDO Religioſus eſſe voles: non nomine tantùm; ſed re etiam ipſa: eris *Columna lucis*, & *ignis*; *Lucis* à cognitione cœleſtium, *Ignis* ab amore divinorum: quod tibi dum apprecor, ac voveo, ad D. BERNARDVM redeo: fuit illi etiam

§. 2. *Centuplum in Patre ac Fratribus.*

DIvo BERNARDO patria Burgundia fuit, eo fœru nobilior ac fœlicior, quàm ſolo. Pater autem *Theſſelinus*, vir antiquæ militiæ, armis nominatus, & ſanguine: ab hoc ut genus; ſic & nomen ſibi facere potuit, ac decus illuſtre: at non fecit, ſcilicet alius illi parens; imò parentes alii, Abbates longè ſanctiſſimi. Primùm *B. Robertus* Ciſtercienſis inſtituti Fundator ac Parens, primuſque Præſul, vir miræ ſanctitatis, quam ut vita omnis, ſic & mors prodidiſſe, & prodigiis viſa eſt illuſtraſſe. Hæc inter eſt illud: ſuper ipſam cellulam, in qua piè obdormierat Vir ſanctus, primo noctis crepuſculo apparuerunt Irides duæ, magna colorum varietate, ac ſplendore ſpectabiles. Quibus imminebat circulus mirè lucens, & in hoc Crux aurea, index utique Crucis, quam in omni vita, ceu circulo, deſcripſerat, atque oſtentarat.

Et hic primus D. BERNARDO in ſpiritu parens; alter ab illo fuit *D. Albericus*, & ipſe Ciſtercienſis ſecundus Abbas, vir eximæ virtutis, & gratiæ apud Divam Matrem ſingularis: hanc primo loco probat illud;

illud; quòd à Deiparæ manu cucullam albam admiſerit, veſtem unique religioſam, de qua infrà fuſiùs.

Deinde & iſtud, quòd conſtitutiones, quas primò condidit, ab ipſa Virgine acceperit.

Denique quod in ultima vitæ linea, illius & præſidium implorarit, & habuerit præſentiſſimum: cùm enim & ſymbolum Apoſtolicum, & Litanias emoriens decurriſſet, ad illas ſupplicis voces, *Sancta Maria ora pro nobis*, exceſſit è vivis, & facies ipſa ſolis adinſtar ſplendeſcere, ac radiare viſa, teſtis ſcilicet illius lucis æternæ, qua jam anima perfundebatur in cœlis. *Diſt. 2. c. 2.*

Tertius ab illo Abbas, fuit *B. Stephanus*, qui D. BERNARDVM, & in ſuum Ordinem recepit, & fovit paterna pietate, & ſacratiori aptavit inſtituto, cujus ſtatuta, regulamque ſcripſit ipſe, & toti Ordini transmittens, ſic inſcripſit: *Charta caritatis.* quod ſcilicet in ſua Regula, maximè mutuam ſpectaret Charitatem. Et hic etiam ſingularis apud Superos & Deum meriti. Argumento ſit illud unum: cùm debili, infirmoque ſecta eſſet vena, nec eſſet unde vires fractas erigere, ac refocillare poſſet, Avis grandior juſtæ molis piſcem attulit, atque ad illius pedes abjecit, moxque, quaſi peractâ bellè ſcenâ, avolavit, non ſine amabili aſtantium ſtupore. *Diſt. 3. c. 6.*

Ei hi ſunt, quos D. BERNARDO majores, ac progenitores dedit ſuaviſ Dei Providentia, & in illis pro relicto uno patre, etiam *Centuplum*.

Vis etiam, ut in fratribus? recenſe, quot Orbe toto ſparſos habuerit; & non dico centenos, ſed & millenos, ac millenos numerabis; ut mox patebit.

§. 3. *Centuplum in domo & agris.*

NOn eſt hujus loci, ac temporis; imò nec conſilii mei, aut etiam hujus inſtituti, diſcurſuſque panegyrici, ſigillatim recenſere, quot ſacratiores domos, & Cœnobia numerarit Ciſtercienſis Ordo, quot in iis poſſeſſiones, agros, ac dominia; hoc enim nec volumen integrum caperet; & ut caperet, hic à me explicari nolles, *amice Lector*. Ad rem qua de agimus, ſatis erit, ſi protulero quod annotavit *Henriquez*, accuratus illius Ordinis Hiſtoriographus, eum brevi tempore, ita longè, latéque diffuſum ut numerarit Monaſteria virorum, ad quatuor millia; Monialium autem ſex millia; quibus deinde lapſis ſæculis acceſſère alia, atque alia millia, atque ex agris, vineis, ſylvis, vivariis, aliiſque ejuſmodi poſſeſſionibus ii proventus, ut illorum ratione de ſacro Ciſtercienſi Ordine jactari poſſit illud, quod olim de Eccleſia Iſaias: *Suges lac gentium, & mamillâ Regum lactaberis.* Et hæc paucis de *Centuplo* in temporalibus; adde quod amplius, atque illuſtrius. *Diſt. 1. c. 6.* *Iſaye c. 6. v. 16.*

CENTVPLVM IN SPIRITVALIBVS.

§. 1. *Centuplum in Vocatione habitúque Religioſo.*

INter ſpiritualia recenſeri poteſt ac debet *Vocatio* ad ſtatum Religioſum, & *Sacer* in eo *habitus*, index unique ſanctitatis illius, quam in eo aut exigit aut etiam donat liberalis Dei manus. Et is Ciſtercienſi familiæ fuit, jam inde ab illius infantia: juvat illius meminiſſe.

S. Albericus, ſecundus illius Abbas, in choro de more unà cum ſuis accinebat, cùm ecce in conſpectum venit Virgo Dei Mater, ſtipata longâ ſerie beatorum Spirituum, & cucullam, candicantem illam, atque mundiſſimam, ejus capiti impoſuit. Et hoc primum à Deipara beneficium, cui mox ſucceſſit alterum: miro quippe prodigio, omnium aliorum Monachorum (erant illi numero tredecim in Monaſterio Moliſmenſi) cucullæ colorem mutaſſe viſæ ſunt; erant enim antea nigræ (quales ſcilicet è Cluniacenſi Monaſterio extulerant) & albæ apparuerunt; & certè etiam fuerunt adinſtar nivis: Ubi hoc Virgineo amori datum eſt beneficium, evanuit illa, ſeſeque mortalibus oculis ſubduxit, reliquitque novellæ familiæ, & beneficentiæ in eam ſuæ monumentum, & ſymbolum illius candoris, & niveæ puritatis, quam in ea requirebat. *Henriquez. Diſt. 2. c. 2.*

Et hic eſt habitus, quem unà cùm Angelica caſtitate induit BERNARDVS. Mundo quippe æternùm valere juſſo, Ciſtercienſi familiæ nomen dedit, in eam aſcriptus à *B. Stephano* tertio Abbate, unà cum aliis triginta ſociis: nec enim ſanctiſſimo adoleſcenti ſatis fuit ad Religionem, ceu ſalutis portum, appellere; niſi etiam in eum alios impelleret, duceretque: quod & fecit ſtudioſiſſimè; in ea *vocatione, habituq; Centuplum* inventurus. *Diſt. 3. c. 2.*

§. 2. *Centuplum in Dei protectione.*

DE hac cecinit olim Vates Regius: *Qui habitat in adjutorio altiſſimi in protectione Dei cœli commorabitur.* Hieronymus vertit: *In abſcondito excelſi.* Alii: *In occulto, in ſecreto penetrali:* Quod illud quæris? Eſt Religioſus Ordo, & in præſens, ſacra Ciſtercienſis familia, in qua, qui habitat, verè habitat *in adjutorio altiſſimi; In abſcondito excelſi;* imò *In occulto, in ſecreto penetrali Dei Omnipotentis.* Et inde etiam *in protectione Dei cœli commoratur*; vel ut Hieronymus, *in umbraculo Omnipotentis*, in quo tutus ſit ab æſtu, incurſuque tentationum omnium. Et ita habitavit, ita commoratus eſt D. BERNARDVS, & univerſus Ordo Ciſtercienſis, quod apertè probabit viſio Virgini Deo ſacræ aliquando oblata. *Pſal. 90. v. 1.*

Coactum erat Capitulum generale illius Ordinis, adeoque ex eo lectiſſimi quique è variis Provinciis, & Orbis partibus: cùm Virgo in paucis religioſa, in exceſſu mentis vidit ſcalam miri ſplendoris, ab ipſo Congregationis loco ad uſque cœlum exporrectam, & Dominum Univerſi, ſcalæ innixum, & religioſum illum cœtum benignis oculis aſpicientem. *Diſt. 3. c. 4.*

Quæ fuerit illa ſcala? quis incumbentis illi niſus Omnipotentis, ſi quæris? audies fuiſſe ſymbolum, argumentumque Divinæ protectionis, quæ uti aliis religioſis; ſic & BERNARDO fuit veluti merces quædam ſpontaneæ paupertatis, & adpromiſſum illi *Centuplum*.

§. 3. *Centuplum in Dei benedictione.*

IUſtis omnibus inde ampliſſimam lætitiæ ſegetem aſſurgere dixit Regius Vates: *Quoniam tu benedices juſto.* hæc nimirum eſt ſumma felicitatis humanæ, à Deo benedici. Et ita benedictus olim Ordo Ciſtercienſis. *Pſal. 5. v. 13.*

In Claravalle, primus à D. BERNARDO Abbas regebat *B. Robertus*; & unà cum ſuis de more (id eſt piè ac religioſè) Deo accinebat; cùm ecce feria ſecunda Paſchæ, poſt Nocturnas Laudes; Monachus quidam Deo in paucis acceptus, vidit in aëre, & chori medio dexteram extenſam, quæ illi benediceret: dumque oculos hoc lætiore ſpectaculo paſcit, ſimul audit: *Iſtud eſt brachium Dominantis; hæc eſt dextera Omnipotentis.* *Brachium* ſcilicet *Dominantis*, quod protegit; *dextera Omnipotentis*, quæ benedicit, & in hac protectione, ac benedictione repoſitum eſt *Centuplum*. *Diſt. 2. c. 4.*

§. 4. *Centuplum in ſuaviſſimis Chriſti amplexibus.*

DE cœleſti Sponſo, ſtupendum illud, atque amabile jactavit Sponſa: *Læva ejus ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Et ſanè jure *Cant. c. 2. v. 6.*

meritiſſimo,

meritiſſimo; fuit enim illud magnum, & quidem amantis Sponſi, & nimiùm amantis.

Ar audeo dicere, majus illud, quod D. BERNARDO datum eſt. Quiſquis enim ſponſæ à ſponſo fuit amplexus; is fuit in ſpiritu, favore, gratia.

Chriſtus enim, ceu ſponſus, animam, ceu ſponſam, *Suſtentat læva compunctionis, amplexatur dextera tribulationis*; vel ſi mavis, *Lævâ*, id eſt; *Fide ſuſtinet; dexterâ*, id eſt, *oratione fovet* atque *amplexatur*; vel denique *Lævâ*, id eſt, *altiſſima contemplationis luce* intellectum fulcit, ac ſuſtinet: *dexterâ* autem voluntatem, entheo quodam ardore ſtringit, ac ſibi aſtringit. Et hæc *duo brachia* ſponſi, *Contemplatio* & *Amor*, quibus ſponſam amplexatur.

Verùm, ut dixi, amplexus ille quiſquis is eſt, eſt in ſpiritu, ſpiritu ſit. favore, gratia. D. BERNARDO etiam in corpore. In ſummo Orationis æſtu, dum ſupplex ad aras accidit: ecce in pavimento apparet
Diſt. 4. c. 38. Crux ingens, & in ea affixus Chriſtus, generis noſtri Servator, quem dum pronus odorat, & magno pietatis ſenſu exoſculatur, revulſis à Cruce brachiis, eum viſus eſt amplexari, & arctiùs ſtringere, inſolito amoris prodigio, quod iterum, iterumque accidit, ut jurati depoſuerunt teſtes oculati.

Magna enimverò, magna Chriſti in ſanctos amoris inclinatio, eáque alia, atque alia.

Bollandus in ejus vita 5. Ian. c. 7. *S. Eduardo*, Anglorum Regi, ea quondam data gratia, is favor. Inter ſacra Miſſarum ſolemnia Chriſtum vidit in ara conſiſtentem, qui porrectâ dexterâ ſignum ſanctæ Crucis ei impreſſit, ſignum amoris, ſignum utique venerationis.

30. Ian. c. 1. *D. Aldegundi*, Virgini puriſſimæ, Chriſtus ipſe in formoſi puelluli ſpecie ſtolam attulit candidam, & inſuper victricem palmam: ſtolam utique, indicem caſtitatis, palmam victoriæ, quam illi dabat, etiam teſtem: & hæc; & illa inſigne Divini in eam amoris argumentum.

4. Ian. c. 6. *B. Angelam de Fulginio* ſibi deſponſavit Chriſtus, etiam dato illi, inſertóque in digitum annulo. Et hic Sponſi cœleſtis amor; imò & amoris miraculum: cui acceſſit & aliud, quod admiſſa ſit in amplexum Chriſti Crucifixi: & ex illo amplexu, viſa etiam in ejus latus intrare; ſed *anima*, inquit, *non corpore*. Et hic cœli favor: hæc gratia, hic Chriſti, ceu ſponſi, in eam amor.

At audeo dicere major in BERNARDUM, in cujus amplexum etiam toto corpore venit ipſe Chriſtus, non ſine amabili violentia, vique divini in eum amoris, à quo etiam revulſa à Cruce brachia, & hoc in ejus amplexus, & oſcula: quæ ſunt amantium & mirum quantum amantium. Sed ne longiùs. Vidimus, quæ Chriſti, ceu amantis, in BERNARDUM inclinatio: attendamus, quæ etiam Divæ illius Matris.

§. 5. *Centuplum in Virginea protectione.*

INter maxima indulgentis cœli beneficia, reputari ſolet vel Virginis Matris, vel etiam ipſius Dei, protectio.

Tertis vivere deſierat, & cœlo jam cœperat *S. Salvius Epiſcopus Ambianenſis*, cum ad vitam redire juſſus eſt non ſine doloris ſenſu, quem etiam ſic ad Deum teſtatus: *Heu, heu Domine: cur mihi hæc cœli*
Bollandus 11. Ian. c. 2. *gaudia oſtendiſti, ſi ab illis tam citò fuit abeundum.* Cui Dominus: *Vade in pace: ego enim ſum cuſtos tuus.* Ivit porrò, & à cœli regia in mortales auras rediit: hoc uno de ſalute, de beatitate certus, quòd ei Deus *cuſtos* eſſet. Et certè ad hanc, & illam plus ſatis eſt *Deum* habere *cuſtodem*, audeo dicere etiam ſatis & *Mariam*.

Et hanc jam inde ab ipſis Inſtituti incunabulis habuit Ciſtercienſis Ordo; habuit, inquam, & in terris, & in cœlis.

Argumento ſit primùm illud, quod *B. Alberico*, *26. Ian in Præm.* ſecundo Ciſtercienſium Abbati, aliquando à Virgine: *Ego Ordinem iſtum uſque in finem ſæculi protegam, & defendam.*

Ecce ut promiſſa in terris protectio: vis etiam ut è cœlis? attende quid ejuſdem Ordinis Monacho exhibitum aliquando in ipſa cœli curia. Ad hanc in mentis exceſſu deductus, amabili, jucundóque ſpectaculo, alios atque alios Eccleſiæ triumphantis Ordines ſpectavit, hinc Angelorum, inde Patriarcharum, ac Prophetarum, iſtinc Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum: illinc etiam ex omni Inſtituto, tum Religioſorum, tum Monialium, beata agmina: quibus dum oculos, animumque paſcit; ecce ſtupor mœrorque eum derepentè occupat, vel ex eo natus, quòd in tota illa Beatorum ſede, ne unum aſpiceret è Ciſtercienſi familia.

Hinc, ut dixi, ſtupor, dolorque, & enatæ ex hoc, illóque etiam querelæ, & juſta, ut videbatur, apud D. Matrem expoſtulatio; ſic enim ille:

Ecquid illud, ô D. Mater? Ecquid illud eſt? nemo unus omnium è Ciſtercienſi familia in cœli regia, in ſede beatitatis? an non etiam illi clientes tui? an non accolæ cœli?

Hæc ut audiit Virgo Mater, ſimulque vidit anxium ac mœrentem; ſic ad illum amica ac virginea voce.

Metum pone, ô fili, ſunt enimverò in Empyrei ſede, ſede gloriæ, ſunt è Ciſtercienſi, id eſt familia mea, utriuſque ſexus longè plurimi, iique mihi in paucis dilecti, quod vel ex hoc uno diſce, quòd eos omnes ſub pallio meo foveam, ut ſub alas pullos ſuos gallina:

Dixit, & pallium longè, latéque explicuit, & ſub illo innumeram propè Ciſtercienſis familiæ multitudinem oſtendit.

Ecce quis in illam Virgineus favor, quæ gratia, quæ gloria, ac beatitas; an non etiam in hoc illi *Centuplum?* Enimverò centuplum, & millecuplum: hoc etiam gaviſus BERNARDUS, dum in eum Ordinem admiſſus, qui, jam inde à ſua infantia, gauderet eo Virgineæ tutelæ præſidio ac munimento, cui etiam acceſſit aliud, & quidem D. BERNARDO ſingulare: pro quo ſit

§. 6. *Centuplum in Virgineo lacte, & Virginea Salutatione.*

HOc Sponſæ, id eſt, bonæ mentis, votum fuit; ut & Chriſti frater eſſet, & Matris illius ubera, quà licet, exſugeret: *Quis mihi det te fratrem meum, ſugentem ubera matris meæ?* Quod Sponſæ in *Cant. c. 8. v. 1.* voto datum eſt, hoc D. BERNARDO, re etiam ipſa; nam & Chriſti frater fuit, & Virgineo lacte paſtus eſt. Voluit illum Diva Mater in filium, eumque cariſſimum adoptare, & lac Virgineum è ſtatua, in illius, ceu filii, os effudit: Lac, inquam, omni vino, omni nectare, & ambroſia dulcius: adeóque etiam D. BERNARDO *Centuplum*, cui *Centuplum* aliud ac- *Supra c. 30.* ceſſit, etiam à Virginis voce, & amica ac familiari Salutatione.

In *Affligenienſi* Monaſterio viſitur etiamnum ſtatua D. Virginis, cui, cùm BERNARDUS de more ſalutans, dixiſſet: *Ave Maria.* Eadem Deiparæ ſtatua, reſpondit illicò, & ſic reſalutavit: *Salve Bernarde.* Rei novitate, & miraculo attonitis omnibus, qui aderant, ipſoque imprimis BERNARDO, cui ea ſalutatio & gratiſſima accidit, & fœcunda: nec enim boni vacua eſt ſalutatio magnæ Matris; ſed cœleſtium bonorum affluentiâ dives, atque opulenta; adeóque etiam in ea *Centuplum*: Si hoc amas, ambiſque, *Amice Lector*, age BERNARDUM, imitare, tibi frequens in ore, frequentiùs in corde ſit Virgineum, & amabile MARIÆ nomen.

Bollandus in ejus vita 28. Ian. Ita fuit B. *Margarita Hungarica*, ſanctiſſimæ Virgini, quæ in ſingulis Divæ Matris feſtivitatibus, mille ſalutationes Angelicas offerebat; & ſimul in terram proſtrationes etiam mille.

Ita fuit *S. Petro Thomaſio*, cui MARIÆ nomen ſemper in ore, ſemper in corde: aſſumptus ille fuit è Carmelitana familia ad Infulam, Pedumque Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ, in quâ ut Stella matutina, ſic ille effulſit in domo Dei, maximè verò in Virginis cultu, ac Salutatione, quam omni loco, omni tempore uſurpabat.

In ejus vita 29. Ian. Gratum illud Virgini fuit, & gratum fuiſſe etiam miraculo probavit. Cùm enim à morte cor illi erueretur, inventum in eo inſculptum ſacratiſſimum MARIÆ nomen: ut qui vivus illud toties extuliſſet, efferret & mortuus, in hoc etiam inventurus centuplum, uti & invenies ipſe, ſi cum eo ſæpiùs uſurpatis. Sed revertamur ad BERNARDVM, à quo paululum diſceſſimus: huic erit etiam

CENTVPLVM IN VIRTVTIBVS.

Virtutem, quæ animo inſidet, nonnulli dixere urbanam, & pretioſam animæ veſtem, atque *Epiſt. 73.* ornatum. Ita D. Auguſtinus, cujus hoc effatum: *Verus ornatus Chriſtianorum mores boni.* Ex his nimirum dignoſcitur Chriſtianus, ut olim è pallio Philoſophus, de quo doctè, atque elatè Tertullianus: *L. de Pallio c. 6.* *Etſi eloquium quieſcat, habitus ſonat, auditur Philoſophus dum videtur.*

Alii virtutem, veras animi divitias putavere, & meritò: quod enim corpori, ac fortunis accedit ab argento, auro, gemmis, aliáque ſupellectile pretioſa; hoc animo à virtutibus, ut diſertè notavit D. *Auguſtinus*, qui ſic olim è pulpito ad ſubjectam con- *Serm. 44. de Temp.* cionem: *Tu fortè putas, quod ille ſit dives, cujus arca plena eſt auro; & ille non ſit dives, cujus conſcientia plena eſt Deo?* Hanc ubi quæſtionem intulit, tum ſubjicit, *ille verè dives videtur, in quo Deus habitare dignetur.* utique per gratiam, & caritatem, per quas Deus, & in nobis habitat, & nos è pauperculis facit ditiſſimos.

Et hæ ſunt divitiæ, quas filiis Dei, id eſt præcelſis mentibus, optavit D. *Ambroſius*, cujus hoc vo- *Epiſt. 11.* tum: *Fiant filii Dei de paupertate divites, de patientia fortes, de humilitate ſublimes.*

Alii denique virtutem pro avito genere, illuſtri proſapia, veráque nobilitate poſuere: *animarum* quippe *genus virtutes ſunt*; ut olim pronuntiavit è SS. Patribus nonnemo; & cenſuere viri ſapientiſſimi; tum in Pedo & Infula, tum in Sceptro, & Purpura. Ex illis fuit Urbanus Pont. Max. qui exprobranti ſibi generis ignobilitatem: oppoſuit oraculum illud: *Magni viri, non naſcuntur; ſed virtute fiunt.*

Ex his autem Imperator Maximilianus, qui viro perquàm opulento multa aureorum millia ſibi offerenti, vel ideo tantùm, ut nobilis deſignaretur; reſpondit: *Ditare te poſſum: ſed nobilitare non, ſi te propria virtus poteſt*, quia nimirum unica, & vera nobilitas virtus.

Quod ſi ita eſt; ſi, inquam, virtus, & pro veſte, ornatuque, & pro divitiis, ac nobilitate eſt; nemo miretur, ſi pro *Centuplo*, quod Deus ſpontaneæ paupertati adpromittit, virtutes reponam, atque in D. BERNARDI ſinum ubere manu conjiciam, aſtruámque *Centuplum*: imprimis illi datum

§. 1. *Centuplum in virginea Caſtitate.*

Ordior à Virginitate, quæ antonomaſticè virtus eſt, & à quâ cæteræ virtutes dicuntur. Græci quippe virtutes nominavere *παρθένους*, id eſt *Virgines*, quòd aut virgines eſſe crederent, aut à virginitate haberent, quod eſſent in numero virtutum, cujus probè conſcius D. BERNARDVS, eam in deliciis habuit, primiſque curis.

Argumento ſit illud: fortè cum ſociis ad matronæ cujuſdam ædes diverterat BERNARDVS, eùm illius amore capta eſt, ſurgenſque intempeſta nocte, ad jacentis lectulum acceſſit. Procacia mulieris inſidias ut primùm præſenſit ille, exclamat illicò: *Latrones, latrones*; hac voce inopinatâ perculſa mulier, *Diſt. 4. c. 2.* fugâ ſe ſubducit. Interea à ſomno excitatur familia tota, famuli, famulæque, lucerna accenditur, quæritur latro; nuſquam comparet: Igitur redeunt univerſi, decumbunt, & altùm indormiunt. At non indormit impudens mulier, quam libido, & incenſus ab illa ignis, excitabat. Redit igitur ad BERNARDI lectulum; & hic ad conſuetos clamores: *Latrones*, enim, *latrones* rurſum ingeminat; & ecce rurſum exciti à ſomno univerſi, etiamnum accurrunt, & nuſquam videtur latro, nec quis eſſet aperit BERNARDVS. Sic parcens mulieris honori; ut interim etiam provideret ſuo. Itaque rurſum omnes & lectulos, & ſomnum repetunt: at non repetit improba mulier, nec ſecundò victa, aut pulſa cedit; recurrit, imò revolat ad illius lectulum; & hic ad ſolitos clamores, etiam voce contenta magis; hinc tertiò inſonat illud, *Latrones, latrones*, cùm etiam tertiò ſurgunt omnes, & diligentiùs quàm aliàs unquam, etiam angulos omnes luſtrant, atque explorant, & nullibi viſitur latro: nec verò alius erat, quàm caſtitatis; quam dum ſuffurari poſſe ſe deſperat, exceſſit, evaſit. Hinc die inſequenti BERNARDVM rogare, imò & damnare ſocii, quòd toties importunè per inanes ſomniorum imagines, atque terrores, inclamaſſet horrendum illud, ac pudendum, *Latrones, latrones.*

Quibus ille ingenuè aperuit, dixitque: Verè latro erat; ſed virginitatis, quam mihi hoſpita impudenti auſu, niſuque eripere parabat: ne porrò eriperet, & in ea mihi repoſitum ingentem theſaurum; exclamare viſum eſt, *Latrones, latrones.* Quid enim potiùs? Si enim latro eſt, qui arculam reſerat, qui veſtem, qui aurum, qui theſaurum auferre nititur: non erit latro, qui caſtitatem? Erit enimverò; nam & hæc veſte, auro, gemmis, & theſauro omni potior; imò & fama, vitáque ipſa, quæ tamen in ſummis bonis haberi ſolent.

Virginitatem Deo voverat *S. Vlphia*, illius ſcilicet in paucis amans: verùm ut erat amœna quadam & corporis ſpecie, & morum venuſtate ſpectabilis, & in procorum oculos, & amores, imò & inſidias in- *Bollandus 31. Ian.* currit: & cùm nulla eſſet eas declinandi ratio, amentiam finxit, ut per inſanæ mentis deliria, erroreſque, & famam amitteret, & procos omnes, atque amaſios à ſe dimitteret, fugaretque: Sic famam ipſam, boníque nominis odorem ſparſit, ac prodegit; & ut Virgo eſſet, amens videri voluit. Tanti apud illam erat Virginitas, famâ ſcilicet potior, imò & vitâ.

Appello *S. Eupharſiæ* fidem, pios dolos, & audax omnino facinus. Erat illa, patriâ Nicomedienſis, genere nobilis, eleganti forma; ſed virtute nobilior, *19. Ian.* & virgineo pudore elegantior ac formoſior. Iuſſa primùm idolis immolare, deinde cùm pertinaciter recuſaſſet, homini barbaro, atque impudorato ad contumeliam tradita. Quid illa? aut Virginitati cedendum, aut vitæ; vitæ maluit: utque Virgo excederet, ſic ad barbarum illum.

Eſt mihi unguentum, eſt pharmacum, quo ſi ungeris in bello, & tutus eris, & illæſus ſemper abibis è prælio; incurrat licèt hoſtile ferrum, incurrant haſtæ, jacula, nullus ſub illis patebit vulneri locus. Ac ne ſola verbis meis ſit fides: age atque in me experire; ego mihi cervices inungam, tu ferrum ſtringe, & quà licet feri, totuſque in vulnus incumbe.

Ille,

Ille, ratus, hæc ex arte dici, bonáque mente; non fraude, doloque: ferrum nudat, cervicem virgineam ferit, & caput amputat.

Quid hîc, *Amice Lector*, quis tibi ſenſus, quis animus? Moneo ne homicidii crimen in Virgine ſuſpiceris. Non eſt certè crimen; ſed ardua virtus, & audax, ac cœlo dignum facinus. Moriendum ei erat, etiam violatæ, ſi conſtaret in fide: pio dolo necem præoccupavit, caſtitate retenta. Utque vivere illæſæ licuiſſet, author illi ſtratagematis hujus fuit ipſe Dei ſpiritus, qui, ut ab uſura vitæ ſic abſolvit; ita & à noxæ ſuſpicione liberavit, ſimulque docuit, quantum in terris, quantum in cœlis bonum Virginitas; ut in ea quoque repoſitum eſſe credas promiſſum à Deo *Centuplum*, quod amare, ambiréque debes quàm maximè, atque pro eo, contra latrunculos, ſervando, tanquam pro ingenti theſauro; imò veluti pro famâ, vitâque decertare.

§. 2. *Centuplum in aſſidua mortificatione.*

VIrginitati comes *mortificatio*: imò illius cuſtos fideliſſima. Ea carnem edomat, ut rationi ſemper ſubſit, & ratio ipſi Deo. Ea ſenſus omnes regit, ac frænat; potiſſimùm autem oculos, & guſtum. Ea denique corpus abſtinentiâ & jejuniis perennibus extenuat, inflictiſque gravioribus pœnis ſic obruit, ut propè fatiſcat. Crederes ipſum corpus non tam animæ ſocium, quàm jumentum: ita malè ab illa habetur: & ita habitum eſt à D. BERNARDO, qui ſibi ſeverus cenſor, & judex. Ex uno diſce:

Fortè incautiùs oculos in fœminam conjecerat; cùm erubuit totus, & ſeipſe damnavit: nec damnavit ſolùm; ſed acerrimè multavit: mox enim aëre perfrigido in ſtagnũ aquæ gelidæ ſe collo tenus immerſit, ibique merſus, tamdiu hæſit, dum penitus à frigore, gelúque externo, internus ardor concupiſcentiæ, non langueret modò; ſed & extingueretur. Raro ſanè exemplo, quod mirari omnes, amare quamplurimi; imitari viſi ſunt pauciſſimi. Illud nimirum mortalibus vitium eſt, ad culpam celeres, ad pœnam de ea exigendam tardi. Ne porrò ii ſemper exiſtant, velim cum D. BERNARDO, & SS. Patribus, expendant ſedulò, quid ſint oculi emiſſitii.

De Hilarione — Platoni *Principium ſunt amoris*; ſed *impudici*.

De vera Virginitate. — D. Hieronymo: *Moritura Virginitatis principia*.

D. Baſilio: *Libidinis pronubi, & quaſi lenæ*.

2 Pet. c. 2. v. 14. — D. Petro Apoſtolorum Principi: *Pleni adulterii*.

Cyprian. de zelo & invidia. — D. Cypriano, *Deſtructores caſtitatis*, nimirum ex ſuo genio malus *dæmon offert oculis formas illices, ut viſu deſtruat caſtitatem*.

Ita deſtruxit in Davide, Heroë alioquin fortiſſimo; ita in Sampſone, virorum validiſſimo; ita in ſexcentis aliis.

Ne ſic deſtrueret in D. BERNARDO, eos ſic reſtrinxit; ſic cum eis fœdus pepigit, ut ne cogitarent quidem de Virgine: & ſi leviter cogitaſſent etiam vel ſemel tantùm; ſeverus in ſeipſum, & judex, & ultor fuit: nec enim ei ſatis fuit corpus ipſum quantum quantum erat in pœnam ea vice vocaſſe, aquis frigidioribus immergendo; niſi etiam reliqua vita jejuniis ac vigiliis maceraret, probè conſcius illius, quod olim D. Hieronymus: *Ardentes diaboli ſagittæ jejuniorum, & vigiliarum rigore extinguendæ ſunt*. Et ita extinxit D. BERNARDVS, uti & oculorum; ſic & gulæ generoſus domitor. *Epiſt. ad Furiam.*

Argumento ſit illud, quod & ad cibum, quaſi ad tormentum accederet; & omnem propè illius ſaporem amiſiſſet. Hinc ſegmen crudum per errorem ſibi oblatum multis diebus & ſumpſit, & pro butyro habuit, & oleum pro aqua (qua ferè contentus erat) non ſemel exhauſit: & pane, non tam furfureo, quàm terreo, unà cum fratribus ſuis uſus. Diceres illi nullam corpuſculi curam: & ſanè, aut nulla erat, aut perexigua.

Nimirum in ſeipſe exprimebat, quod aliis prius commendaſſet. Si qui ad Monaſterium adventaſſent illius candidati, aut novitii, hoc monitum ingerebat opportunè; ut ſua corpora foris relinquerent, animas tantùm intus illaturi.

Crederes D. BERNARDVM, non homines velle carnea mole graves; ſed puros, putóſque ſpiritus; non quidem naturâ (hoc enim adynaton) ſed virtute *mortificationis*, quæ carnem ita ſpiritui ſubigit, ut nihil, quod carnis eſt, ſapiat; & ita ſubegit D. BERNARDVS. Nec ille tantùm; ſed quotquot virtutis, ac religioſæ perfectionis fuere ſtudioſi, *mortificationem IESV-Chriſti in corpore ſuo circumferentes*.

Ita circumtulit *B. Henricus Suſo*, qui ſibi Crucem fecit triginta clavis, & ſeptem acubus horridam, eamque nudæ carni admovit, dorſum inter, & ſcapulas, anniſque octo diu noctuque tulit, eadem etiam ſeſe crudeliter flagellans: quod ſupplicii, & propè ſævitiæ genus, crudeliſque laniénæ, ut tolerabilius eſſet, ei Cruci ſalutiferum JESU nomen inſculpſit, ut unà cum illo mortificationem JESU in ſuo corpore circumferret. *Bollandus 20 Ian. c. 10.*

Sed ea, inquies, aut BERNARDI, aut Suſonis *mortificatio* fuit, ea virtus, arduáque in crucianda carne fortitudo; quæ non cadit niſi in Heroas illos, eiſque non abſimiles: falleris enimverò, falleris, etiam in fœmineo, mollique ſexu invenitur: ex hoc unicam produco.

Erit illa, non è ſylvis, & ſaltibus, non è rupibus, & caucaſo, non etiam è ruſtica caſa, agreſtique tuguriolo petita; ſed ex aulæ mollitie, & ſanguine regio prognata, adeoque à natalibus mollicula, delicatula.

Erit, inquam, *B. Margarita Hungarica*, *Belæ* Regis Hungariæ, & Reginæ *Mariæ* filia; quæ in paucis mortificationi addictiſſima, cui ut ex voto ſuo obſequeretur impenſiùs, interdiu aſpero cilicio, & cingulo ferreo tenellula membra domabat: noctu verò, cingulo, pellibus, ſpiniſque Ericii horrido; ut nihil aut die, aut nocte vacuum eſſet à pœna, gravíque ſupplicio, quod augebat quotidiana & crudeli corpuſculi flagellatione, & triduo ante Paſcha etiam horis ſingulis, tam diurnis, quàm nocturnis eam in ſe lanienam repetebat. Et hæc Virguncula, quæ ne tu, ut vir ſis, audeas cogitare, nedum facere, hæc Suſo, hæc Bernardus, hoc eſt in terris Angeli, in carne propè toti ſpiritus: hæc, inquam, ſubigendo corpori exercuerunt illi: & tu, qui totus es luteus, carneus totus, nihil horum moliri, nihil tentare audeas; imò ne mortificationem propè de nomine noſſe. Certè ut & noveris de nomine, & de re etiam ipſa, author tibi ſum, imò eſt ille ipſe BERNARDVS, cui hæc pagella inſcribitur: carnem ille domat, viliſſimam utique ſui partem: dein & animum, quæ potiſſima, ac nobiliſſima hominis portio, ut ex dicendis patebit. *26. Ian. c. 2.*

§. 3. *Centuplum ab honorum fuga.*

HOnorem unus aliquis dixit eſſe ſimilem umbræ, quia ut umbra fugientem ſequitur, & ſequentem fugit: ſic & honor, ſi eum celeri pede, hoc eſt affectu, ſequeris, te fugit: ſecus, ſi fugis, reinſequitur, & aſſequitur. Cujus probè conſcius D. BERNARDVS, hujus ævi honores quà licuit, ſemper fugit.

Ita oblatas Infulas Epiſcopales omninò ſex, declinavit. Videri poterat ſui ſecurus vir ſanctus, cùm primam Infulam declinavit, & à ſuo capite avertit: ſed ecce mox offertur ſecunda, offertur & tertia, & ſic deinceps, univerſim ſex, adeo verum illud etiam in D. BERNARDO, quod honor fugientem ſequitur; *Valderoma in Cohé. de D. Bernard.*

ſed

ſed non ſemper aſſequitur: eſt enim ſubinde adeo humilitatis, & religioſæ demiſſionis tenax, ac retinens animus, ut honorem licet importunè ſequentem, ſemper tamen fugiat, & à ſe quàm longiſſimè rejiciat: & ita rejecit D. BERNARDUS, & hoc impenſo humilitatis ſtudio, atque amore; à quo majores longè honores aſſecutus, cœleſtes certè, atque æternos, quibus dum fruitur, illi etiam in hac aura mortali ſeſe ſubmittunt Inſulata Capita, & Vertices Coronati. Et hoc chriſtianæ demiſſionis eſt præmium, hæc cœlo ſervata merces, quam dum animo ſpectat, legitque D. *Gregorius* exclamat: *Quid humilitate ſublimius, quæ dum ſe ad ima deprimit, auctori ſuo ſuper omnia manenti conjungitur. Humiles enim dum ſe dejiciunt ad Dei ſimilitudinem aſcendunt.* Et ita aſcendit D BERNARDUS: ita & aſcendes ipſe, *mi Lector*, ſi, ut olim Divus ille, honores mundanos fugias, cœleſteſque ſecteris.

De Cura Paſtor. P. 3. Adm. 15.

Et certè quidni & illos fugias, & hos ſecteris memor illius quod aliquando *D. Chryſoſtomus*, qui *dignitates temporaneas haudquaquam dignitates eſſe dixit, ſed dignitatum nomina dumtaxat.* Quod ipſum etiam naturali mentis lumine agnovit, & confeſſus eſt *Seneca*: cui poteſtas etiam regia, non aliter quàm inter hiſtriones nomen eſt.

Hom. 1. in Ep. ad Rom.

Lubet illum hic audire etiamnum in ſcriptis ſpirantem: *Nemo*, inquit, *ex iſtis, quos Purpuratos vides, felix eſt, non magis quàm ex illis, quibus ſceptrum, & chlamydem in ſcena fabulæ aſſignant: cum præſente populo elati inceſſerunt, & cothurnati; ſimul ac exuerunt, excalceantur, & ad ſtaturam ſuam redeunt.* Sic & à vitâ, quæ & ſcena eſt, & veluti fabula, exeunt & Reges, & Pontifices. At non ſic, qui honores illos & Inſulas, & Diademata contempſerunt, ad majora illi provehuntur, hoc eſt ad æterna, cœleſtia, ac divina. Proinde, *quiſquis Divinitatis vult tenere faſtigia, humilitatis ima ſectetur*, ut ſcitè monet D. Ambroſius.

Epiſt. 74.

Serm. 10.

§. 4. *Centuplum in Obedientia Religioſâ.*

VBi hæc Religioſi animum occuparit; ſimul etiam occupat principes ejus potentias. *Intellectum*, ut ſentiat, quod ſuperior ſentit; & *voluntatem*, ut velit, quod ille volet.

Et ita occupavit D. BERNARDUM, qui in manu *B. Stephani* Abbatis, fuit quod cera mollis, quæ impreſſas facilè admittit ac retinet imagines, quod lutum in manu figuli, quod verſari ſe patitur partes in omnes, formas in omnes.

Cuſtodienda erat ex lege cellâ? cuſtodiebat ſedulus.

Eundum erat ad Eccleſiam? ibat certè obedientiæ ductu, illius obſervans in paucis.

Eundum erat in agros ad albam meſſem, ad diurnos de more labores? ibat alacer, infirma licèt ac debili valetudine, nec aliud omni die, vitâque aut voluit aut fecit unquam, niſi quod obedientia voluiſſet; imò quod mireris, nec etiam à vita aliud voluiſſe viſus, adeo illius amans, ac retinens, etiam cœlis additus.

Miraculo non caret illud, quòd ſubjicio. Ut in vita, ſic & à morte clarebat miraculis. Hinc ex omni propè Orbe concurſus & Principum, & populorum; exciti ſcilicet erant famâ miraculorum, & undique Ciſtercium concurrebant: non Monaſterium dixiſſes; ſed urbem populoſam, ſed ſacratiores nundinas, ſed aulam ſanctam; adeo ad illud frequentes erant peregrini. Quos ut videt, ut excipit Abbas, veritus ne ab illis undis populorum, & diſciplina religioſa, & ſilentii rigor, & ſolitudinis amor, aliquid detrimenti pateretur, habito cum Abbatibus ſui Ordinis concilio, ad D. BERNARDI ſepulchrum magno ſubmiſſionis, & reverentis animi ſenſu accedens, eidem in virtute ſanctæ obedientiæ inhibuit, ne ultra eò loci miracula faceret. Videri poterat id præcepti abhorrens à gratia miraculorum, à fide populorum, à communi bono; imò & à Beato ſtatu, quem in cœlis obtinebat magna illa D. BERNARDI mens, Ordiniſque novi Intelligentia. Verùm ut abhorrens videri poſſet, admiſit tamen, & illi etiam ſeſe ſubmiſit. Ex eo quippe momento miracula ibidem patrare deſiit, licèt alia in locis patrare pergeret, & plurima, & maxima. Et hoc obedientiæ religioſæ datum eſt miraculum etiam ex ipſa cœli regia, Deique ter Opt. ter Max. ſinu: ut inde noſſes, quàm probata Superis Obedientia.

Dial. c. 45.

Neque mirum, cùm Obedientia ſit veluti *cœleſtis aulæ ſalutare, & patens oſtium, per quod electus quiſque ingreditur*, ut pulchrè B. Laurentius Juſtinianus. Cùm ſit *unica, & compendioſa via perveniendi ad vitam æternam, & regna cœlorum*, ut piè S. Franciſca Romana, cujus obedientiam etiam miraculo probatam Deus voluit.

L. de Obed. c. 22.

In eius vita l. 1. c. 20.

Legebat illa de more officium B. MARIÆ Virginis, cùm fortè per famulum à marito eſt evocata. Paruit illa, & *Antiphonâ* necdum finitâ accurrit, & propè advolavit: tum ad ſolitum Virgini penſum exſolvendum rediit: & ecce ſecundò, tertiò, imò & quartò devocata, etiam importunè; ſemper tamen Obedientiæ tenax abiit, etiam non perfectâ eadem *Antiphonâ*. Probavit Deus adeo promptam, adeo conſtantem obedientiam: cùm enim ad extremum rediiſſet ad recitandam illam *Antiphonam*, eam invenit litteris aureis pulchrè & eleganter exaratam: Deinde in exceſſu mentis à S. Paulo, qui ſe ei ſpectandum dederat, intellexit, cuſtodem Angelum, Dei juſſu, atque imperio, eam *Antiphonam* charactera aureo notaſſe, ut in eo legeret quàm accepta Deo Obedientia. Ut etiam tibi ſit, ſubjicio exhibitam olim viro religioſo ſpeciem etiam in cœli regia: cùm enim hæc ei patuiſſet, vidit in illa homines in quatuor veluti claſſes, ordineſque diviſos.

Primus erat orantium, & gratias ſupremo Numini agentium. Secundus hoſpitalitatem ſectantium, & infirmis miniſtrantium. Tertius in ſolitudine converſantium, procul à ſtrepitu, procul à turba. Quartus eorum erat, qui ſe Patrum ſpiritualium, ac ſuperiorum obedientiæ ſubjecerant. Et his pendebat è collo torques aurea, & nitebat in capite corona gemmea.

Ruffinus l. 3. n. 14.

Vix oculis exhibita fuerat ea cœleſtis aulæ ſcena, cùm ad aures appulit ea vox, & quidem Angelica. Qui primi, qui ſecundi, qui tertii ſunt Ordinis, etſi bono operi inſiſtant, attamen ex ſua voluntate inſiſtunt: ſed qui in quarto ſpectantur Ordine; ii totos ſe ad obedientiæ divinæ nutum effinxerunt, & hinc majore in cœlis donantur corona gloriæ ac beatitatis.

Roſw. in vit. PP. p. 620. n. 19.

Ut ea doneris & ipſe, obedientiæ te, tuaque committe, memor illius quod etiam ſancti Patres: *Obedientia genitrix eſt omnium virtutum, Regni Cœlorum inventrix, & cohabitatrix Angelorum.*

Supra.

§. 5. *Centuplum in Oratione arctâque cum Deo unione.*

VT obedientia virum Religioſum ſuperiori jungit; ſic oratio ipſi Deo aſtringit; & ita aſtrinxit D. BERNARDUM, vel ab ipſis incunabulis religioſæ vitæ.

Argumento primum ſit illud, quòd annum integrum in cellâ noviciorum exegerit, ſibi, Deoque ſic intentus, ut, an eſſet concamerata, non advertiſſet; adeo tenuis erat oculorum, cui mentis oculus in divina perpetuò defixus; cujus indicio etiam illud, quod ſubjicio.

Eccleſiam

In ejus vita l. 1. c. 4. Eccleſiam de more per diem ſæpiùs adierat, idque tempore quàm longiſſimo, & unicã in ea feneſtram eſſe rebatur, eam ſcilicet, quæ illi in choro imminebat, & lucem miniſtrabat. Diceres ad alias captum oculis; & verò captus erat, quia ab orationis æſtu captus, atque abreptus; & à ſe, & à ſenſibus erat alienus. Et hinc extaſes illi frequentes, raptusque in Deum, quibus & à terra, & à ſe diſcedebat, & totus ad cœleſtia, & divina contemplanda accedebat Hinc etiam illi *cella Cœlum.* Quod in cœlis Angeli, & beatæ mentes: hoc in cellis BERNARDVS, cui divina ſapiebant omnia, & terrena deſipiebant. Hinc denique & illi etiam in populi frequentia, ac negotiorum tumultu, ſolitudo mentis; in qua ſeſe cõtinebat, qua ſeſe claudebat, cingebatque totum, ut crediddiſſes eſſe in aviâ, & horridâ deſerti alicujus ſolitudine. Nimirum Sanctis *duplex ſolitudo: una corporis, mentis* altera; hæc ſemper illis remanet, etſi ſubinde illa, Dei, proximique causâ deſeratur. Et ita ſemper remanſit D. BERNARDO, qui eandem aliis etiam remanere voluit, docuitque: *Secede*, inquiebat, *ſed* *Serm. 40. in Cant.* *mente, non corpore; ſed intentione, ſed devotione, ſed ſpiritu. Sola indicitur tibi mentis, & ſpiritus ſolitudo.*

Hanc alio loco, vocat *Cubiculum cordis.* S. Baſilius *C. 6 Conſt. Mon.* *naturale Monaſterium*, quod ſcilicet natura, Deusque illius author, tibi extruxit; D. Chryſoſtomus *Tẽplum.* *Hom. 79. ad pop.* *Vbicumque ſis*, inquit, *ora, templum es, ne locum quæras;* Templum dicit, imò & *Altare*, in quo Dei ſacrificium offeras; ſacrificium, non tam labiorũ, quàm cordis. *Ibidem.* *Vbicumque ſis, potes altare tuum conſtituere, ſi mẽtem tãtùm ferventem exhibeas, orationis perfectionem conſummaveris.*

Et ita conſummavit *S. Catharina Senenſis*: amabat illa cellulam; ſed ab illa à matre, veriùs noverca duriore, expellebatur, atque ad miniſteria domeſtica, ancillarum adinſtar, compellebatur. Quid deinde? parebat illa quidem, & huc, illucque curſitabat intenta operi; ſed in illis occupationum quaſi turbis, *Lib. 2. Vit. c. 7.* ac tumultu, *cellam mentis, & cordis ingreſſa*, Deo ſuo, ceu ſponſo, jungebatur quàm arctiſſimè. Vidi, & ſuſpexi Senis illius Divæ cellulam, veriùs ergaſtulum; ſed cellam cordis illius & amo, & veneror magis: fuit enim illi cœlum; eritque & tibi ſi velis: & certè quidni velis, cùm in illud venire poſſis etiam in undis populorum, & negotiorum tumultu.

Et ita venit *S. Antoninus* Archiepiſcopus Florentinus, de quo ſic diſertè Vincentius Mainardus:

Cur. 2. Max. *Nulla fuit unquam tanta negotiorum moles, & incurrentium cauſarum implicatio, ut vel tantillum, hominem Deo plenum, retinere poſſet; quin in ſublime totus ſpeculatum cæleſtia raperetur, Habebat ſcilicet reconditum quendam mentis angulum, quem intactum ſervabat, ad quem negotiorum ſtrepitus, & curarum paſtoralium anxietas non irrepebat; ut ubi ab actitandis cauſis deſiſteret, eò, tanquam ad aſilum tutiſſimum, & ab hoc exteriore homine, ad eum, quem Paulus interiorem appellat, recurreret.*

Hæc ille de S. Præſulis interiore *cellula, cubiculo cordis, templo*, imò & *altari*, in quod etiam venire te velim, *Amice Lector.* Et ante me voluit *D. Chryſologus*, orator aureus, qui hoc vocat *Venire ex ſe in ſe.* Sed ad inſtitutam narrationem revertamur.

§. 6. *Centuplum in animabus Religioni Deoq; acquirendis.*

INſignis animarum zelus primùm explicari poteſt ac debet erga ſanguine junctos; tum ad extraneos derivari; tum denique erga eos, qui de ſalute periclitari aliquo modo videntur; denique & ad omnes extendi: nullus enim illi terminus, limes omninò nullus, quia nullus etiam caritati.

Et ita eum explicuit D. BERNARDVS: ubi enim ad religioſum ſtatum animum adjunxit; ſimul etiam adjunxit ad fratres, ac propinquos Deo, ac Religioni adjungendos. Ita primò *Galdricum* avunculum, virum armis, & militia clarum; tum *Bartholomæum*, tum etiam *Andream*, tum *Gerardum*, tum *Nivardum* fratres, Deo ac Religioni peperit; tum denique & ipſum patrem, annis & meritis gravem unà cum ſorore, quæ unica domi ſupererat: ſic è tota familia nemo unus omnium mundo relictus; Religioni, Deoque ſacrati omnes, & hoc BERNARDO duce, atque authore.

Ubi ſic domi laboratum probè; tum ad extraneos converſa cura, laborque. Ex his *triginta* eduxit è ſæculi procellis in optatum Religionis portum, in quem admiſſi à *B. Stephano* tum Ciſtercii Abbate tertio, viro in paucis Religioſo, & Sancto. Et hoc D. BERNARDO adhuc tyroni datum eſt, ampliora veterano militi, imò deinde & duci cœlo propitio conceſſa; inter quæ, & hoc illuſtre, quod ſub imminentis Quadrageſimæ ferias, cùm ad eum jam Ciſtercii Abbatem, diverƚiſſet adoleſcentum nobilium cohors, non alio animo; quàm illius viſendi, *Cap. 11.* ſalutandique cauſa; ſubitò in alios viros mutati omnes, abjectis haſtilibus ludis, quos in eam diem parabant, & mundo illudere docti ſunt, & ſacratiori militiæ aſcripti: tantùm apud eos potuit, vel unus D. BERNARDI congreſſus, & pauculæ voces.

Mitto alios propè innumeros, quos partim exemplo vitæ ſanctioris, partim verbo, & ſuavi ac cœleſti eloquentia, Deo addidit, ac beatitati. Cœleſti dico eloquentia; quia nec è lyceo hauſta, nec è pulpitis *Cap. 4.* Oratorum, nec è doctis Philoſophorum ſcholis: ex his enim, aut illis, neminem unum magiſtrum accepit, ut qui, non alios magiſtros habuiſſet; quàm in ſylvis, ac denſo nemore quercus, & fagos, ut pio joco de ſe dicere ſolebat. Nimirum doctus ille, & probè doctus, cui ſchola cœlum, & magiſter Deus. Sed his in præſentia omiſſis, venio ad eos, quos aut de vita, aut de ſalute periclitantes juvit inſignis zelator animarum.

E Claravalle Cluniacum ſeſe receperat *Robertus* Monachus, & quia inde è ſemita arctiore ad laxiorem deſeciſſe videbatur, ad eum in priſtinam viam revocandum epiſtolam mittere ſtatuit, pro filii ſalute piè ſollicitus Pater: eam igitur *B. Wielmo* diſcipulo ſuo, dein primo Abbati Rievallis, dum dictat ſub nudo jove, apertoque cœlo: ecce derepentè nubes ingruit, cui dũ chartam ſubducere parat diſcipulus; ſic ad eum magiſter Deo plenus, ac fide: *Opus eſt Dei, ſcribere ne timeas.* Scripſit enimverò in medio imbre, quaſi ſine imbre; etſi enim hinc, & hinc ubertim plueret, ne guttula quidem in chartam incidit; diceres Viri ſancti, piique Præſulis Epiſtolam revereri, & verò reverita eſt, nec impluere auſa. Deo ſcilicet etiam hoc prodigio probante atque appro- *Cap. 11.* bante illuſtrem ſervi ſui zelum: qui ne vacuus eſſet, eodem impellente Numine, ad ſe ſuosque rediit *Robertus*, lecta tantùm optimi Præſulis epiſtola.

Et hæc pro filio bonus Pater; nec minora pro ſicario, & famoſo latrone, qui ad furcam ducebatur. Erat illi nomen *Conſtantinus*, ſpecioſum, & auguſtum nomen, quod turpis, & abjecta vita dehoneſtarat, nec fortè expiaſſet furca, ad quam dum raperetur, ſic ad carnificem BERNARDVS: *Dimitte mihi ſicarium iſtum, manibus meis volo ſuſpendere.*

Paret ille reverentia ductus, liberumque dimittit; at eum fune, quo vinctus erat trahit pius Præſul, atque in Monaſterium trahit: tum ſic ad *Theobaldum* Comitem, qui fortè tum aderat: Tu eum brevi ſupplicio; ego verò longâ morte multabo: Tu mortuum in patibulo per dies dumtaxat aliquot, ego vivum, ac ſpirantem per annos quamplurimos in cruce retinebo; ſed bona cruce, qualis nec fuit boni latronis. Et ita factum eſt, & factum quàm optimè: In religione enim, ceu cruce, vixit per annos omnino triginta, pioque furto cœlum deinde rapuit, rapere doctus à D. BERNARDO, cui etiam in illius anima datum eſt *Centuplum.*

Verè enim *Centuplum* eſt in lucro animarum, imò & unius tantùm animulæ, cujus ſalus potior eſt Orbe univerſo, etiam teſte ac judice Incarnata Dei Sapientia, cujus hoc oraculum: *Quid prodeſt homini ſi univerſum mundum lucretur, anima vera ſua detrimentum patiatur.* Ecce ut animam mundo præfert Univerſo. Præfert & aliis omnibus operibus quantumvis bonis; naſcantur licèt ab effuſâ in proximos caritate.

Hom 9. in 2. ad Cor. Ita à Chriſto doctus pronuntiavit D. Chryſoſtomus: *Etſi*, inquit, *immenſas pecunias pauperibus eroges, plus tamen effeceris, ſi unam converteris animam.* Hinc illa ejuſdem Oratoris aurei ad unum è fratribus adhortatio: *Hom 25. in 1. ad Cor.* *Tu igitur, mi Frater, quamvis fame conficiaris, quamvis cinerem comedas, quamvis ſemper lacrymis madeas, & nihil cuiquam proficias, nihil magnum facis*; quia nihil apud Superos, Deumque magnum eſt, præter lucrum animarum. Huic proinde vaca, huic labora, huic inſuda. Ita inſudavit Chriſtus, ita Apoſtoli, Virique Apoſtolici, aliorum omnium immemores, imò & ſui. Ita (ut alios taceam) hoc quo vivimus *Orlandinus l. 11. n. 119.* ævo, inſudavit *S. Franciſcus Xaverius*, qui animas, ſuum eſſe dicebat lucrum, theſauros ſuos, ſuum cibum, *Lib. 31. Mor. c. 22.* ſuas delitias. Et meritò, quia ut rectè S. Gregorius Pontifex Max. *Eſca juſtorum, converſio eſt perverſorum.*

§. 7. *Centuplum à Claritudine quâ Dei beneficio Orbi præluxit.*

HAnc ſanctiſſimi Patriarchæ claritudinem verſibus ſic expreſſit Poëta quidam Anonymus:

Clara ſunt Valles, ſed claris Vallibus, Abbas,
Clarior: his claram nomen in Orbe dedit.
Clarus Avis, clarus meritis, & clarus honore,
Clarus & eloquio, religione magis.
Mors eſt clara, cinis clarus, clarumq; ſepulchrum,
Clarior exultat ſpiritus ante Deum.

Et hæc alia eſt, atque alia claritudo, qua toti univerſo illuxit D. BERNARDUS; & quidem

Prima à loco, quod ab illo audiit *Clara vallis*, à qua & Clarevallenſe Monaſterium. Locus ille prius audierat *Amara vallis*, ab illius incolis, qui toti erant in animi amaritie, ab idololatria, aliiſque propè omnibus peccati generibus, à quibus ſumma mentis amarities enaſci ſolet. In hanc porro vallem venit BERNARDUS, hoc eſt *Nardus bona* (hæc quippè nominis illius etymologia) & miro quodam, ac ſuavi virtutum ſuarum odore replevit; imò & altioris doctrinæ luce, ac claritudine, à qua mutato in melius nomine dicta *Clara Vallis*, & D. BERNARDUS Clarevallenſis Abbas, vallibus omnino clarior, quibus ſcilicet ipſe nomen, famamque dedit. Et hæc prima claritudo eſt à loco.

Altera eſt ab Avis, quippe *Clarus Avis* Bernardus. Hanc claritatem ſic expoſuit Guilielmus Abbas il- *Cap. 1.* lius vitæ ſcriptor: *Bernardus Burgundiæ partibus Fontanis oppido Patris ſui oriundus fuit, Parentibus clarus ſecundùm dignitatem ſæculi; ſed dignioribus, ac nobilioribus ſecundum Chriſtianæ religionis pietatem.* Et hinc duplex D. BERNARDO claritas affulſit: una à Parentum nobilitate, & generoſo ſanguine; altera ab eorundem virtute: *L. 3. de Conſol. Philoſ. Proſa 6.* ut enim ſcitè Boëtius: *Nobilitas eſt quædam laus veniens de meritis parentum:* Sed & ea laus non uni propria; ſed communis: ut enim Author operis Imperfecti, *In Matth.* *qui de claro genere clarus naſcitur, gloria claritatis ejus non eſt ejus ſolius; ſed communis*, & ut eſſet ejus ſolius, non tanti eſſet facienda, niſi accederet à virtute melior claritudo. Primò quia ea vix noſtra eſt reputanda.

Nam genus, & Proavos, & quæ non fecimus ipſi,
Vix ea noſtra puto, ut bellè Ovidius;

Deinde ut noſtra eſſet, nec magnopere æſtimanda, ſi deeſſet illa quæ eſt à virtute: ut enim D. Chry- *In Matth.* ſoſtomus: *Quid prodeſt ei quem ſordidant mores generatio clara? aut quid nocet illi generatio vilis, quem mores adornant? Ipſe ſe vacuum ab omnibus oſtendit, qui gloriatur in Patribus*, horum gloria, ac meritis plenus, cætera vacuus; adeoque & à ſe ignobilis, imo & ſervus, ac vile quaſi mancipium, ideoque ut eleganter D. Hieronymus: *Non eſt, quod ſibi aliquis de generis nobilitate blandiatur, ſi ex meliore ſui parte* (hoc eſt anima) *ſit ſervus.* *In Epiſt.* Et hinc D. BERNARDO alia quærenda claritas, ea petetur à meritis, quippe

Clarus meritis BERNARDUS, ea ſi recenſere velis, ſi in cœli codicibus jam inde ab illius pueritia ad uſque mortem ſpectare: attende quæ de illo, ejuſque heroicis virtutibus jam publico dedi, atque ex iis metire cætera.

§. 8. *Centuplum in Cœleſti gloria ac beatitate.*

DE beatis mentibus, cœlo quondam adſcribẽdis, ſic olim Daniel: *Qui docti fuerint fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad juſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* *Cap. 12. v. 3.* Ex quo Interpretes duo conficiunt. Primùm Beatorum corpora, & intrinſecus, & extrinſecus, fore lucida, ac tranſparentia: ſecundùm alio tamen, atque alio lucis appulſu, atque diſcrimine. Sancti quippè, ſed rudes, atque indocti, fulgebunt adinſtar cœli cærulei; docti verò quaſi ſplendor firmamenti: erit enim in illis candor quidam pellucidus. Denique Doctores, ſicut ſtellæ.

Et hi ſunt veluti tres gradus lucis, ut & Sanctorum; quos inter D. BERNARDUS lucet, lucebitque in ævum omne, quaſi ſtella; ſed Solis æmula: imò ut & Sol ipſe, lucis parens.

Ita viſus lucere, vel à primo aditæ beatitatis limine. Eo quippe momento, quo terris vivere deſiit, & cœlo cœpit, Canonicus Regularis, illius olim di- *Henriquez D. 4 c. 46.* ſcipulus, etſi loco remotiſſimus, in exceſſu mentis primùm ſpectavit longâ ſerie Monachorum proceſſionem, qui exanime corpus ad tumulum deferebãt: Deinde & ſtellam inuſitati ſplendoris, & adinſtar Solis, quæ è terrâ ſublimis in cœlos ferebatur. Denique inaudiit eo ſtellæ prodigio BERNARDUM deſignari, qui ex eo, quòd ad juſtitiam erudiſſet multos, fulget, fulgebitque in omnem æternitatem, adinſtar ſtellæ lucidiſſimæ; imò & inſtar Solis: & in hac luce, fulgoreque illi etiam *Centuplum.*

Eſt ille ludus amabilis divinæ Sapientiæ, ubi viderit unum aliquem, qui doctrinæ ſuæ luce, ardoreque caritatis, multos ad juſtitiam, aut erudire debuit, aut re etiam ipſa erudierit; eum plerumque notare ſolet, vel in ortu vitæ hujus mortalis, vel in ipſo ejuſdem occaſu: & hoc quidem lucidioris ſtellæ ſigno, atque prodigio.

Ita notavit *S. Aidanum* in primo concepti fœtus *Bollandus 30. Ian. c. 1.* limine. Illius Pater *Setua* in amœna noctis illius imagine, vidit in uxoris ſuæ os, labiaque illabi de cœlo ſtellam miri ſplendoris: vidit, & aſtupuit. Signabat nimirum illa, id temporis concipi puerum, qui & aliquando futurus eſſet *Epiſcopus Searnenſis*, & in Eccleſiæ firmamento veluti ſtella, quæ ad virtutem, ad juſtitiam ſuo lumine, ſplendoreque quamplurimos invitaret. Quod illi in ortu mortalis ævi, hoc aliis in occaſu; & quidem (ne omnes conſecter, quod longum foret) in *D. Prajecto*: texerat ille urbem *25 Ian. c. 8.* *Avernicam*, clarus Infula, Pedoque: at clarior effuſo, Religionis, Fideique cauſa, ſanguine, clariſſimus autem à cœleſti luce, ac beatitate; quam dum conſequitur, proditur inſolito Orientis ſtellæ nitore, radiiſque, qui in cellulam, in qua jacebat corpus exanime, incidere viſa, notareque, quod jam in Empyrei ſede, aulaque, id eſſet *D. Prajectus*, quod in firmamento ſtellæ.

Et hic, ut dixi, ludus eſt cœleſtis Sapientiæ, quæ eo ſtellarum ortu, nitore, gratia, nos provocat, ut & ipſi in terris ſimus veluti ſtellæ, quæ doctrinæ melioris, Fideique lucem aliis præferant, futuræ deinde in cœlis etiam ſtellæ; ſed animatæ, ſed vividæ; & hoc in omnem retrò æternitatem.

DE SANCTO NORBERTO ARCHIEPISCOPO MAGDEBURGENSI

ET FUNDATORE ORDINIS PRÆMONSTRATENSIS.

PROŒMIUM.

LUCEM habet religioſiſſimus hic Ordo, primùm à Sanctiſſimo, & Apoſtolico Præſule, S. NORBERTO, Archiepiſcopo Magdeburgenſi: dein à perfectiſſima, quam ei adſcripſit Regula; tum etiam ab habitu, quem ei præmonſtravit ipſa Dei Mater, candidúmque eſſe voluit, ut index eſſet illius candoris, nitoris, & caſtimoniæ, quam in ejus alumnis amabat, ac requirebat; tum à Viris, ſeu dignitate, ſeu doctrina, ſeu etiam ſanctitate præſtantibus; tum denique ab illuſtribus encomiis, quibus eum Summi Pontifices exornarunt.

In Bulla. *Innocentius quartus* Præmonſtratenſem Ordinem *Regis Æterni habitaculum* eſſe pronuntiavit, quod ſcilicet in eo quaſi delecta ſibi domo, gratóque in terris habitaculo, degere videretur ipſe Deus, ſupremum Numen, & Rex Æternus; ut in palatiis ac regiis ſolent terreni Reges. Quid dignius? quid illuſtrius?

Ille ipſe Summus Pontifex aliâ uſus appellatione, plena etiam laudis ac gloriæ, voluit ut diceretur, & eſſet *quaſi turris eburnea*, *Virtutum munita propugnaculo*, ad quam confugerent miſeri mortales, ſi fortè ab hoſte, hoc eſt, à Carne, Mundo, Dæmone, impeterentur. Et hoc ad commune mortalium bonum ſpectavit: quod ſubjicio ad decus illius Ordinis ſempiternum. Vult enim Pontifex, eſſe veluti *Lectulum*, in quo ſuavem, atque *amœnam* quietem haberet, *veri excellentia Salomonis*, id eſt Chriſti. Quid amantius aut dici, aut excogitari potuit? omnino nihil.

In Bulla. *Bonifacius*, hujus nominis *Octavus*. *In Eccleſiæ firmamento* hunc Ordinem (velut nobiliſſimam conſtellationem, variorum ſiderum conjuncto ſplendore radiantem) fulgere voluit: & hoc Univerſum, quaſi Dei domum, atque aulam illuſtrare: itaque *currentibus* in hoc vitæ *ſtadio*, iter pandere, uſque dum ad ſalutis æternæ bravium pervenirent. Quid hominum generi utilius haberi potuit?

In Bulla. *Adrianus Quartus*, quem ſuis adſcribit Præmonſtratenſis Ordo, ſuis & Benedictinus: de hoc enim inter utrumque lis eſt, in qua nolim eſſe judex: Ille, inquam, vos, ô Viri Religioſiſſimi, poſuit *Quaſi luminaria in firmamento cœli; quæ terrenos illuminent*, & viam aperiant; primùm ad virtutum omnium arcem; deinde ad gloriæ culmen, ac beatitatis ſupernæ faſtigium. Quid altius? quid ſublimius?

Idem ſupremus Pontifex, alia utens metaphora, eâque plena ſpiritualis fructus, atque ubertatis: Vos in *Eccleſia* ceu *Domini vinea*, ſtatuit quaſi *palmites*, qui *à mari uſque ad mare*, hoc eſt, ab Orbe uno, in Orbem alterum extendantur, & fructus efferant uberrimos. Quid ad hujus ſpiritualis fœcunditatis gratiam explicandam aptius? quid ad commendandam illuſtrius, effingi potuit?

Eſtis ergo (Vos enim alloquor Patres Adm. Reverendi) ſi *Eccleſia* eſt *Vinea*; eſtis in eâ generoſi *Palmites*. Si *Civitas*; eſtis in eâ *Turres*, & *Turres Eburneæ*; eſtis Fidei, ac Religionis *propugnacula*. Si *Dei domus*; eſtis in ea *Regis Æterni habitaculum*, ac domicilium. Si *amœnæ quietis locus*, ac ſedes; eſtis in eâ *veri Salomonis lectuli*. Si denique *Cœlum*, *ac Firmamentum*; eſtis etiam in eo, velut Stellæ quædam, & ſidera; eſtis *Luminaria* magna: adeóque (quod & ipſam invidiam fateri neceſſum eſt) eſtis revera, quod auditis, *Canonici Præmonſtratenſes*, tot ac tantis Summorum Pontificum elogiis & illuſtribus, & magnificis, longè digniſſimi. Sed iſta, inquietis, parciùs: acquieſco, & illud modeſtiæ veſtræ concedo, ut veniam in laudes, atque encomia D. NORBERTI, magni Præſulis, ac Fundatoris Ordinis ſanctiſſimi; & hoc quidem, argumento petito ex eo quod die illi feſtivo concinit Eccleſia:

Ecce Sacerdos magnus, qui in diebus ſuis placuit Deo, & inventus eſt juſtus, & in tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio, non eſt inventus ſimilis illi, qui conſervaret Legem Excelſi. *Eccl. c. 4.*

Hæc olim regia ſapientis manus inſcripſit, poſterisque tranſcripſit, elogia ſcilicet Virorum à fide illuſtrium *Henochii*, *Noemi*, *Abrahami*, *Moyſis*

Henochii quidem in eo quòd *placuit Deo*, & hinc è *Verſ. 16.* terra *tranſlatus in Paradiſum*: quia ſcilicet *omnis ejus vita nihil aliud, quàm tranſlatio erat*, ut eleganter annotat Orator ſacer Nazianzenus qui etiam tacitè nos *Orat. 20.* monet, ut ſic & ipſi transferamur, mente priùs, quàm corpore; ut quondam *Henochius*, à quo tranſit ad *Noemum*, cujus perfecta hæc eſt laus, & commendatio.

Noë inventus eſt perfectus, juſtus, & in tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio, cui idcircò *dimiſſum eſt reliquum terræ*, hoc eſt, reliquiæ generis humani, paucæ animæ, quas ab immenſa aquarum eluvie ſervavit *Verſ. 17.* *In Pſal. 39.* Noe, & ipſe *ad ſemen futurorum reſervatus, ut ex illo juſtitiæ ſemina in hominibus pullularent*, eſſetque quaſi *juſtitiæ ſeminarium*, ut disertè explicat Ambroſius, à *Lib. de Noë c. 1.* quo diſcedo, redeóque ad ſapientiam, qui in *Abrahæ* encomia ſic ſeſe effundit.

Abraham magnus Pater multitudinis gentium, & non *Verſ. 20.* *eſt inventus ſimilis illi in gloria, qui conſervavit Legem excelſi, ideo dedit illi gloriam in gente ſua, creſcere illum quaſi* *Verſ. 22.* *cumulum terræ, & ut ſtellas exaltare ſemen ejus, & hæreditare illos à mari ad mare, & à flumine uſque ad terminos terræ.* *Verſ. 23.* Hæc de Abrahami gloria ſapiens, à quo tranſeo ad D. NORBERTUM; nam & ipſe *Pater multitudinis gentium*, tot ſcilicet populorum, quot Fidei addidit; tot Religioſorum, quot inſtituto à ſe Ordini adjunxit. quod ut in aperto ponatur, claráque luce, ſit

QUÆSTIO UNICA
MORALIS.
Ad illa verba: *Ecce Sacerdos magnus.* Eccl. c. 44.

ECQVIS ILLE?

DE *Abrahamo* (qoi vel ex ſola nominis etymologia *Pater excelſus, Pater magna multitudinis gentium*) pronuotiavit illud Ambroſius; nun minus verè, quàm magnificè: *Abraham ſeminarium poſteritatis ſuæ, Pater fidei, Pater electionis, Mundi hæres, Fons devotionis, Virtutum omnium exemplar.*

Quæ eodem propè jure de D. NORBERTO; oam & hic *Seminarium poſteritatis*: poſteritatis dico; non profanæ, ſed ſacræ, ſed religioſæ: *Pater* enam *Fidei*; *Pater electionis* ad vitam ſanctiorem: *Mundi hæres*, in quem ſcilicet & filios quaquaverſum ſparſit, & opulenta patrimonia illis alendis invenit; *Fons* etiam *devotionis*, & pii in Deum ſenſus, atque affectus; denique *Virtutum omnium exemplar.*

Ennodius in ejus vit.

De *S. Epiphanio* Epiſcopo Ticinenſi protulit auguſtum illud Theodoricus Gothorum Rex: *Ecce hominem, cujus totus Oriens ſimilem non habet, quem vidiſſe præmium eſt, cum quo habitare ſecuritas.*

Quæ ille de S. Epiphanio: hæc ego de S. NORBERTO Teſtis erit *Magdeburgum*, huic aliquando Archiepiſcopalis Sedes, poſtea verò propè huſtum miſerabile, cui dum ingemiſcimus, ſimul & audimus illud, quod exui ſe paſſa eſt ſacro corporis illius depoſito, & magnæ mentis exuviis quibuſcum *habitare* etiam illi fuit *ſecuritas*, illis orbari periculum, utinam non ea, quæ fuit ab incendio, ſtrages deplorabilis.

Ut proinde mirum videri non debeat, quod in primæva Eccleſia Chriſtiani & Martyrum reliquias ſtudioſè quæſierint, & ſervarint: ſtudioſius; imò & ingenti prælio à tyrannis, ipſiſque carnificibus redemerint.

M. S. Cod. Lateran.

Ita *S. Bonifacius*, qoi cum *Aglae* intemperantiùs aliquando vixerat, ab eadem pœnitentiæ cauſa Tarſim emiſſus, ut Martyrum corpora etiam pacto pretio emeret, & ipſe deinde martyrio affectus, quingentis aureis à ſocia eſt redemptus.

Surius 9. Novemb.

Ita *S. Hieronis* Martyris caput multo emptum auro ab Antonio, & Matroniano præſide, qui ut erat auri appetentior, & ſordidè avarus, tantum auri in ſtatera appendi voluit, quantum erat pondus ipſius capitis, quod & appenſum à Chryſaphio, viro Senatorio, & in paucis opulento.

M. S. Cod. Vaticani.

Ita *B. Gregorii* Preſbyteri, Spoletaoi Martyris, quod exanime jacebat in Amphiteatro, mulier Chriſtiana, *Abundantia* nomine, ab Hyrcano triginta quinque aureis emit, eo uno, ut rebatur ſatis dives, quia ſacris illis exuviis cœlo dives.

M. S. cod. Vaticani.

Ita denique *S. Vincentii* Epiſcopi, & invicti Martyris corpus *Glyceria*, matrona nobilis, auri libra à paganis emit, adeo illi pretioſæ Martyrum reliquiæ, adeo vile præ illis aurum.

At unde parta Sanctorum exuviis æſtimatio, unde & pretium, unde & Chriſtianorum entheus in iis coëmendis ardor: certè non aliunde, quam *cum iis habitare ſecuritas.*

Sed ne longiùs, ad D. NORBERTUM revertatur oratio.

§. 1. *D. NORBERTVS SACERDOS MAGNVS deſignatus vel ex ipſo matris utero.*

DIVO NORBERTO genus fuit omnino nobile, ex auguſta Francorum & Germanorum proſapia, Pater *Heribertus*, Mater autem *Hadewigis*; ut ſanguine, ſic & virtute ſuos inter illuſtres. Et certè quidni ii eſſent, è quibus is terræ, cœloque partus edi debuit? Geſtabat uterum mater, & in eo infantulum, de quo hæc audit in amœna, placidaque ſomni unius imagine:

Æquo animo eſto Hadewigis, nam & quem utero geſtas, Archiepiſcopus futurus eſt. Somnii vaticinio reſpondit eventus:

Præmonſtratenſes ſuos regebat NORBERTUS, ſimulque animarum ſaluti intendebat totus, quà conſilio, quà concionibus, quà muniis aliis Apoſtolicis, cùm vacare cœpit Magdeburgenſis Sedes orbata jam ſuo Paſtore, cui dum quæritur novus, *Spiram* convenêre Saxones, & Clerus Parthenopolitanæ Civitatis, ut coram Lothario Rege de Archiepiſcopo conſilia agitarentur; ad quæ etiam NORBERTUM vocari placuit. Ad hanc porrò capeſſendam Sedem nominari tres, è quibus dum unus optatur; res aliqoamdiu hæſit in dubio, quis ex iis potiſſimùm eligeretur; ſed mox illud diſcuſſit *Primicerius Metenſis Albero* (qui poſtea Eccleſiæ Trevirenſis Archiepiſcopus) is enim NORBERTUM digito monſtravit, & dixit: *Hic eſt vir*; hic eſt quem cœlo ſignavit Deus: nec mora, omnium ſuffragiis electus, atque à Lothario probatus, confirmatus à Legato Apoſtolico, atque in Archiepiſcopalem Sedem, vel invitus, protractus eſt. *Sur. in ejus vita c. 40.*

§. 2. *D. NORBERTVS MAGNVS vel in ipſo converſionis ſuæ limine.*

EST ille ludus amabilis divinæ Providentiæ, ſi quos è vitâ ſolutiore âd arctiorem evocare velit, eos pleromque evocat cœleſti voce, quæ vel ad aures, vel ad cor appellat, & quidem ſubinde leniter, & blandè; ſubinde etiam duriùs, & ad ſpeciem horribiliùs.

Sic blandiuſculè è paganiſmo ad Chriſtianiſmum traduxit *S. Apronianum*, qui cùm *S. Siſinnium* Diaconum in jus vocaſſet Fidei causâ, audita hac de cœlo voce: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt à conſtitutione mundi.* Et Chriſtianæ Religionis votum illicò concepit, & ſacris undis elutus, eidem mox etiam additus. *Bollandus 19. Ian. in Actis Marcello. cap. 1.*

Sic efferi, immitéſque lictores dum *S. Secundinæ* Virginis corpus per ſummam immanitatem lacerant, & pro ſanguine lac è vulneribus fundi vident, ſimulque à cœlo hanc vocem hauriunt: *Vos oratione Secundinæ vivitis*, aliàs omnino morituri: & Chriſto dant manus, & vitam ejus Fidei, Deoque. *In ejus vita 13. Ian.*

Sic *Athanaſius Commentarienſis*, dum in lebete, liquatoque plumbo *D. Zoſimum Eremitam* aſpicit, cùm deinde etiam in theatro inter immanes feras: ſimulque audit leonem humana voce multa de Chriſto, déque in eum Fide loquentem, in Chriſtianum, *In ejus vita 3. Ian.*

hoc

Digitized by Google

hoc eſt, in alium virum, in ſanctum abiit: dum ſcilicet pro horribili tugitu vocem audit leniorem, & humanæ perſimilem. Quod illis, aliiſque: hoc & D. NORBERTO, qui ut erat ex auguſta *Salicorum* familia, ſic & planè auguſtos, id eſt altiores, gerebat animos.

In vita S. Norberto authore D. F. Petro de Waghenare §. 2.

Ex Patre *Heriberto*, Gennepii Comite, majores recenſebat *Salios*, è quibus quatuor continuata ſerie Romanum Imperium tenuere; videlicet *Conradus Salicus*, *Henricus ſecundus* ejus filius, *Henricus tertius*, & *Henricus quartus*, nepotes ac pronepotes.

Ex Matre verò *Hadewigi* Guiſios oſtentabat, ac Lotharingos Duces, & inde, ut dixi, auguſtos in pectore, hoc eſt, elatiores geſtabat animos, quàm ferret virtus ardua, cum modeſtiâ Chriſtianâ compoſita.

Sanguini avito accedebat indoles præfervida, ingenium acre, ſtudiumque litteraturæ politioris, imò & aliorum diſciplinarum, inſuper aulæ favor, & gratia, tum *Frederici* Archiepiſcopi Colonienſis, tum *Henrici quarti*, etiam conſanguinei, quibus ſumma omnia ſibi poterat polliceri. Et hinc in opes regias, in honores amplisſimos, in aulicæ vitæ luxus ac delitias, hoc eſt in mundum, ibat totus, niſi ſic euntem revocaſſet vox cœleſtis. *Vox*, inquam, *Leonis de tribu Iuda*. Irrugiit ille, & NORBERTI aures, animoſque valido impete pulſavit.

Ibat hic in *Freden* comite famulo, generoſo vectus equo, animo generoſiore, qui nihil ſpiraret niſi magna, magna dico ex mundi calculo, genioque. Euntem vidit cœlum, & invidit: & hinc ſubitò in gravidam nubem cogi cœpit, è qua, velut ex aliqua Omnipotentis arce, altùm mugire tonitrua, evibrarique fulgura, cœli voces, & fulmina, inter quæ etiam ad NORBERTI aures emiſſæ hæ voces, ceu totidem *Leonis* noſtri rugitus: qui terrerent quidem, ſed & ſanarent:

Norberte, Norberte, quid me perſequeris? corpus aptavi tibi; divitias, quibus te oſtentas, adminiſtravi tibi: mihi ſervire debueras, & cur alios perdere feſtinas? durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare.

Vix cordis aurem attigerat vox illa cœleſtis, cùm alia, irato velut æthere, horrendùm inſonuit: tonitru fuit, hoc eſt diſruptæ nubis concepti flatus violentia, eliſuſque fragor, qui ad equi pedes dum circumfremit, ſimul ingentem creat terræ hiatum, qua & equus & ſeſſor abſorberi potuit.

Hoc cœli detonantis fragore, & veluti quibuſdam irati Dei minis perculſus NORBERTUS, poſt horæ intervallum, quaſi de gravi ſomno, vigiliæ, ſibique redditus, evictuſque, intimo dolore erupit in illud *Sauli*: *Domine, quid me vis facere.*

Dixerat, & ecce de cœlo mox audiit illud: *Deſine à malo, & fac bonum: inquire pacem, & perſequere eam.*

Incidit ea vox in aurem cordis, & altè admiſſa in animum mirum quantos excitavit motus, fecitque ut in alium planè virum abiret NORBERTUS, aulaque, & aulæ delitiis valere juſſis totus iret in virtutes, excelſaſque Chriſtiani animi decora, quæ, tum inter domeſticos parietes, tum in Monaſterio *Sigebergenſi*, ſibi comparare cœpit; ut fuſiùs in iis, quæ ſubdemus explicabitur.

§. 3. D. NORBERTUS MAGNUS in humili, abjectoq; habitu, magnus in vili, paupereq; vitæ genere.

VT novum indueret hominem NORBERTUS, veterem exuit, & quidem primò, cum, qui extrinſecus etiam oculis apparet. Erat illi veſtis pretioſa ſerico, auroque pulchrè intexta; eam cum paupere mutat, & agnina pelle: hac enim capitur, ut ab Agno, id eſt Chriſto, capiatur, & Chriſtum cum illa induat.

Ita ſolent excelſæ mentes: omne mundi vellus, omnem pompam deponunt, ornatumque ſæculi hujus, ut alteri ſæculo pareant, atque æternitati.

Ita depoſuit *S. Ioannes Calybita*, & cum mendiculo commutavit, ut ad fores paternas abjectus jaceret, in hoc ex vero magnus.

Ita depoſuit *S. Marcianus* Præsbyter, & pauperi ſuas dedit, ut illius indueret; quod factum adeò probarunt Superi, ut exinde regia, aurea, nitentique veſte, id eſt cœleſti, ornatus appareret. *Bollandus 10. Ian.*

Ita deinde & *S. Ignatius*, Societatis IESU Parens, data pauperi pretioſa veſte, vilem illius lacernam, ſaccumque aſſumpſit, ut in eo cœlis niteret, & cœleſtibus oculis.

Et hæc illuſtria ſunt Sanctorum exempla, in quibus habent Viri Religioſi, quod ſuſpiciant, atque imitentur.

Primum, ne in veſte mollitiem ament, memores illius quod *S. Iſidorus Peluſiota* ad *Cratonem* Monachum: *Mollia indumenta ſpiritali*, hoc eſt religioſo, *thalamo minimè digna ſunt, & mollities præſentis laſciviæ eſt; non cœleſtis ſplendoris.* *Lib. 1. Ep. 74.*

Deinde, neque elegantiam ſectentur, aut curioſitati indulgeant; ſed potiùs neceſſitati: huic certè uni ſuos indulgere voluit *S. Baſilius*, qui etiam calceos, monet debere præferre *quàm minimum curioſitatis, minimòque ſumptu parandos, modò ad neceſſarium vitæ uſum ſint ſatis.* *Reg. c. 22.*

Tum etiam ut ſanctè ambiant quæ viliora ſunt, & pauperibus, hoc eſt religioſis, magis conſona, atque accommoda; uti ambivit *S. Arſenius*, qui cum olim in Imperatoris *Theodoſii* palatio pretioſis veſtibus fuiſſet uſus, *poſtmodum in eremo Scythiæ degens, ſtudebat, ut ab omnibus Monachis viliora, & deſpectiora veſtimenta haberet*, inquit Theodoretus. *Apud Theodor. Ep. 24.*

Denique, quod illi affine eſt, ut detrita magis, ac vetuſta quærerent, quàm nitentia & nova: ita quæſivit *S. Catharina*, Divæ *Birgittæ* filia, quod in eâ dum amat, probatque ipſa Dei Mater, ſic ad *Birgittam* aliquando: *Vade conſue tunicam filiæ tuæ, quæ magis gaudet de vetuſta, & reparata; quàm de nova.* *In vita S. Cathar. cap. 12.*

Et hæc viris Religioſis, à D. NORBERTI exemplo, præclara ſunt morum documenta, & religioſæ paupertatis inſignia, quæ extulit ipſe jam inde à primo limine vitæ ſanctioris.

§. 4. D. NORBERTUS MAGNUS in altiore patientia, & injuriarum tolerantia.

INter eos, quæ ſpiritu reguntur, & carne, hoc intereſt, quòd illi in magnis dùcant injurias tolerare, imò & donare etiam ultrò: contrà verò hi exeutere, imò & vindicare, in excelſis reponunt: Quid facias? homines ſunt, & quidem mundi hujus, imò & infernæ ſtygis: Non ſic Filii Dei, non ſic nobiles animæ, & cœlis natæ: hæ ulciſci neſciunt, & probè ſciunt condonare.

Ita condonavit *S. Fulgentius*, Epiſcopus Ruſpenſis: hic neſcio cujus homuncionis nequitiâ; imò & furore, Præsbyteri dico Ariani, primùm in vincula raptatus, deinde ad ſanguinem; imò & propè mortem cæſus, & flagellis conciſus, cùm ab Epiſcopo etiam Ariano urgeretur, ut de eo flagitio tantùm querelas deponeret, futurum ut ali de ſceleſto illo vindictam exigerent, ſubjecit dignam Infula, Pedoque; dignam *Fulgentio* ſententiam: *Bollandus 1. Ian.*

Non licet in hoc ſæculo vindictam quærere Chriſtiano.

Ejuſdem genii, animique fuit *S. Epiphanius* Epiſcopus Ticinenſis. Agebat hic Eccleſiæ cauſam non minùs ſtrenuè, quam piè; & in civili foro pro æquitate cauſæ dicebat; cùm ecce à *Burcone*, homine nequiſſimo, fuſte vapulat, & quidem fœdum in modum, adusque immanem ſanguinis profuſionem, indignati *21. Ian.*

indignari omnes, fremere, clamitare, ad arma convolare, injuriam ſcilicet ſancto Præſuli illatam ulturi: at unus obſtare *S. Epiphanius*; culpam deprecari, lacrymis eluere, & murum ſe pro reo opponere: quod certè ingentis eſt animi. Et hæc illuſtrium Præſulum exempla; quanquam quid ea quærito, cùm in oculis, in manibus ſit D. NORBERTVS.

Dicebat hic è pulpito, nec tam verba fundebat quàm oracula; cùm ecce Clericus unus aliquis ut genere ignobilis; ſic & vita, ac moribus infamis, in eius faciem fœdè conſpuit, attonita, imò & fremente concione tota: at ſacer Eccleſiaſtes; & iram continere, & ſimul etiam vocem; tum modeſtè faciem extergere, tum etiam tanto ſceleri illacrymari, Numenque pro reo precari, veniamque expoſcere, quod excelſi fuit animi, imò cœleſtis, & quodammodo divini.

Quæſivit olim apud Caſſianum Abbas *Cheremon*, quî poſſet puſillus homo Deo ſimilis eſſe? reſpondit: *Poſſidendo patientiæ & lenitatis affectum, & nullis deinceps peccantium vitiis iraſci; ſed veniam potiùs, in condolendo, & compatiendo, implorare.* Et hoc, inquit eſt Deo ſimilem eſſe, qui *ſolem* id eſt (ut elatè Tertullianus) florem lucis hujus *oriri facit ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper juſtos, & injuſtos.*

Collat. 11. c. 9. — *L. de Patien.* — *Matth. 5.*

Hæc S. Abbas: amplius aliquid *D. Gregorius Nyſſenus*, in illa Dominicæ orationis verba: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut dimittimus debitoribus noſtris.*

Extremum, inquit, *eſt punctum virtutis, ſi quis dimittat debitoribus ſuis, eumque non amplius intra terminos naturæ humanæ conſpici; ſed ipſi Deo per virtutem aſſimilari, ut alius ille ipſe Deus eſſe videatur; dum facit ea, quæ Dei ſolius eſt facere. Debitorum enim remiſſio, proprium, ac peculiare Dei munus, & officium eſt. Si quis igitur in ſua vita, Divinæ naturæ inſignia imitetur: illud ipſum quodammodo fit, cujus in ſe evidentia ſimulacra, atque incitamenta oſtenderit.*

Hæc S. Præſul, ex quo pauca velim annotari:

Primum injurias remittere, *extremum eſſe virtutis punctum*, ultra quod procedat nemo.

Deinde, qui hoc fecerit, *jam non amplius intra terminos naturæ humanæ conſpici*; ſed hac ſuperiorem evadere, *ipſiq; Deo aſſimilari*, non quidem per naturam; ſed *per virtutem*, quæ ſcilicet Deo propria eſt, ac ſingularis.

Denique, *quod alius ille ipſe Deus videatur*, & hoc *quia facit ea, quæ Dei ſunt*, & quidem *ſolius*. Et indé certè *magnus*; imò cœlo teſte, Deoque judice, etiam *maximus*. Unde etiam & *magnus*, & *maximus* D. NORBERTVS, quem ſi imiteris, & ipſe eris in terris, eris & in cœlis *magnus*.

§. 5. *D. NORBERTVS MAGNVS & invictus in perſecutionibus, in periculis, ipſaq; mortis imagine.*

Orat. 18. FUit illud ſacri Oratoris, id eſt Nazianzeni, effatum illuſtre; *Duo nequeunt ſuperari, Deus nempè, & animus ſapientis, qui & in vinculis liber eſt, & in tribulationibus, ſuperior illis.* Et is fuit D. NORBERTI animus, ubique liber, ubique ſuus, ubique ſuperior, etiam in periculis, etiam inter acies, ferrum inter & haſtas, ipſamque cruentæ mortis imaginem, quæ illi non ſemel in oculis fuit; vel à tumultuante plebecula, vel ab immiſſo ad cædem ſicario: vel etiam ab equitatu, in eum, feroce manu, ſæpiùs concitato.

B. Mariæ ædem cum ſuis occuparat Vir ſanctus, in eam authoritate, regiâ ſimul, & Pontificiâ, inductus: Sed, ô grande malum! plebecula furens in eum incurrit; imò & involat, non animis magis ferocientibus, quàm armis, & ferro timenda. Quid hîc magnus Præſul? an ſubducat ſeſe? an latebras quærat? an fugâ conſulat ſibi? poterat enimverò, poterat & vitæ ſervandæ deſiderio, & juſto timori cedere, aut aliis, in eo tumultu exurgentibus animi motibus, aliquid concedere; & ventis, undiſque illis populorum, dum liceret, parere: ut in turbato mari nauta, qui ventos declinat, & undas: at pedem figit, ac retinet ſeſe.

In magno fluctu, inquit Plutarchus: *non ſiſtitur navis niſi pondus anchoræ retineat, alte infixa vado: ſic in magnis rerum procellis, ſumma ratio debet animum cohibere, ne ab affectibus auferatur.* — *In Moral.*

Fluctus erat, & quidem magnus, ille ipſe populi tumultuantis confluxus, in quo tamen & ſiſtitur NORBERTVS, & retinetur, pondere cœleſtis anchoræ, id eſt ſpei in paratum à cœlo ſubſidium, & omnes animi affectus cohibet *ſumma ratio*, hoc eſt divina, ne ab illis auferatur. Et certè non aufertur, niſi fortè ut obviam procedat, ut ingerat ſeſe, etiam inter tumultuantis plebeculæ cuneos, ad quos etiam ſic liberâ voce: *Ecce me, ecce pectus, ecce obvium ferro caput. Illud unum impetite, parcite cæteris.*

Hac voce, ceu tonitru, perculſa pars una popelli, miteſcit, atque ad ſancti Præſulis pedes ſeſe abjicit; pars altera furiis etiamnum agitur, & in cædes proruit; atque ex hac unus aliquis, cubicularium illius nudato enſe impetit, ferit, vulnerat, quod ut vidit pius parens, nequicquam obſtantibus miniſtris, aliiſque, qui tum aderant, in confertam turbam proruit, certus potiùs mori, & ferro occumbere, quàm ſuos eo in periculo deſtituere.

Debuerat ea ſanctiſſimi Pontificis conſtantia, ſicarii illius animum flectere, imò & frangere: at nec flexit, nec fregit; ſed potiùs in ferrum, in vulnus præcipitem egit, auſus enim impio immanique niſu, enſe nudo, & adhuc cruento, in humero ferire. Sed, ô miraculum! ô prodigium divinæ protectionis! reſilit ferrum, perinde ac ſi in incudem, aut lapidem adamantinum incidiſſet, eoque ſanguine, quo jam tinctum erat, atque imbutum, Epiſcopalis mitræ fimbriam infecit; quæ eam maculam, etiam ad annos retinuerunt, veluti teſtes oblati pro Dei causâ capitis, atque ſanguinis.

Et hæc prima in D. NORBERTVM excitata tempeſtas cædeſque à populis, in qua, de illo dici potuit, quod olim de Propheta Deus: *Ne timeas à facie eorum, quia ut adamantem, & ut ſilicem dedi faciem tuam.*

Altera fuit ab homine ſicario, qui ad Virum Dei, ceu communem Patrem, emiſſus erat, & hoc quidem ementita ſpecie, vultuque pœnitentis: at reipſa ſicarii, & parricidæ; qui dum vocem ad aures emitteret, ferrum quoque in latus immitteret; ſed & impia fraus detecta, & excuſſum è manibus ferrum, imò & vox elicita, quâ & impios ſuos conatus detexit, atque damnavit, ſimulque authores meditatæ cædis aperuit.

Itaque (quæ D. NORBERTI clementia fuit) & venia illi data, & ſimul etiam pacis oſculum; à quo deſcendo ad aliam, quæ invictiſſimo Præſuli illata eſt injuria.

Godefridum Weſphaliæ Comitem, & Deo & Ordini ſuo adjunxerat NORBERTVS: hinc invidia, hinc iræ truces, hinc truculentæ minæ *Friderici* Comitis, illi affinis, hinc etiam meditata cædes, morſque violenta, ad quam inferendam, non ſemel advolavit cum aliquot equitum turmis, à quibus & capi debuit NORBERTVS, & vinciri, atque, ut aiebat, unà cum aſello (cui ex modeſtia, inſidebat) è furcâ ſuſpendi: at malum illud avertit propitium Numen, & ſervum ſuum etiam miraculo ſervavit incolumem, adverſariorum ſuorum, imò & ſui victorem fortiſſimum.

De *Saule*, & *Davide* quæſivit aliquando *D. Chryſoſtomus* Orator aureus: Ecquis aut clarior, aut fortior, aut etiam beatior? An qui infert injurias, an — *De invidia & livore, Hom. 41.*

qui

qui ſuſtinet? Inſert *Saul*, ſuſtinet *David*; & hic, inquit, clarior, hic fortior, hic beatior.

Rationem reddit: quia Saul & *à dolore ſuffocatur, & à malo dæmone*: David autem *ſuper Solem triumphis coruſcat*. Spectaſti Solem denſa nube obductum, ubi ex illâ emerſerit, ut lucet, ut coruſcat, ut triumphat nubium victor: ſic & Vir fortis, ubi à perſecutione, veluti nube quadam, evaſerit, *ſuper ipſum Solem* nitet, & veluti radiis quibuſdam, veriùs dixero, *triumphis*, coruſcat. Et ita luxit, triumphavitque D. NORBERTVS, & quidni triumpharet & hoſtium, & ſui victor generoſus?

Ut & ipſe triumphes aliquando, agedum in hac vita, ceu militia, veteranos milites; imò & Duces imitare: non tyrones.

[*Lib. de Div. provid.*] *Ad ſuſpicionem vulneris tyro palleſcit*, inquit Seneca, *audacter autem veteranus cruorem ſuum ſpectat, qui ſcit, ſæpè poſt ſanguinem ſe viciſſe*. Et ita vincunt Viri magni, cœlo, ſuperiſque ſedibus nati. Et ita vincas ipſe neceſſum eſt.

§. 6. *D. NORBERTVS MAGNVS in honorum fuga.*

QUi huic tempori, & vitæ ſerviunt, ii magnitudinem ſuam ponunt in Infula, Pedoque, in Sceptro, & Corona: è contrario, qui æternitati ſtudent, & cœlo; magni ſibi videntur, & ſunt, dum in hominum oculis parvi; & hinc illis omne ſtudium, labor omnis in honorum fuga.

Depoſcebatur ad Epiſcopatum *S. Alexander Acœmetus Abbas*, & hoc & Cleri ſuffragiis, & undis [*Bollandus 15. Ian.*] populorum, à quibus & occupatæ, & clauſæ urbis portæ ne effugeret. Sed alta nocte, profundiſque tenebris in ſporta demiſſus à diſcipulis, mœnibus [*2. Cor. 11.*] exceſſit. Sic exceſſit olim & Paulus; ſed hic, ut perſecutionem fugeret, ille etiam ut honorem.

Ad Infulam, pinguemque Abbatiam quærebatur *S. Sylveſter Monachus*; qui aliquando ardentem furnum [*2. Ian.*] ingreſſus, & egreſſus illæſus; ignis profectò præclarus domitor: an & ambitionis; quam ut frangeret, è Monaſterio profugit in aviam ſolitudinem, & hoc ut Infulam Pedumque fugeret.

Eadem gloriæ, honorumque fuga *S. Euthymium* [*20. Ian.*] Abbatem cognomento *magnum* (qui cum feris, ac ſerpentibus innoxiè ludebat) in profundam coëgit ſolitudinem, ut in ea tutus latitaret, qui in populi frequentia, & acclamationibus, ex voto ſuo degere non poterat, uti nec *S. Iacobus Eremita*, qui ut fa- [*28. Ian.*] mam, nominiſque æſtimationem declinaret, in ſpeluncam declinavit, in eaque triginta totis annis delituit; in hoc verè *magnus*, quod ſibi uni notus, cæteris ignotus viveret.

Quæ illis mens fuit, & animus; idem & D. NORBERTO, qui cùm in aula Regis ageret, et carus in paucis, oblatum ſibi Epiſcopatum Cameracenſem recuſavit, uti teſtis eſt *Burchardus*, qui ad Infulam illam venit *Norberto* renuente: cujus, etiam in hoc, [*In ejus vita cap. 15.*] dicamne demiſſionem animi, an celſitudinem, & ſuſpicere, & amare, & cum lacrymis commemorare ſolebat ille ipſe *Burchardus*.

Quod illi pro Cameracenſi Epiſcopatu, tum temporis conſilium fuit; idem & fuiſſet pro decli- [*Cap. 40.*] nanda Archiepiſcopali ſede Magdeburgenſi; niſi in eam etiam populi, Clerique manibus elatus fuiſſet priùs, quàm de ea capienda conſilium capere potuiſſet. Is nimirum Viri magni genius eſt: ad dignitates rapi debet, non duci; trahi invitus, non convolare præceps; & ita protractus eſt D. NORBERTVS, in hoc ex vero *Sacerdos magnus*; tum quia, ut eleganter *D. Cyprianus*: *Ab his inquietantis ſæculi turbinibus extractus, ſalutaris portus ſtatione fundatus, ad cœlum oculos tollit à terris*; tum quia *Deo ſuo mente proximus, quidquid apud cæteros in rebus humanis, ſublime, magnumque videtur, intra ſuam jacere conſcientiam gloriatur*; tum denique, quia *nihil appetit*, *nihil de ſæculo deſiderat*, & hoc (ut annotat ille ipſe *D. Cyprianus*) quia *ſæculo major eſt*.

Ut & ipſe ſæculo major ſis, age, nihil appete, nihil de ſæculo deſidera: Sed, inquies, appetere mihi licet & deſiderare, etiam Apoſtolo judice; cujus illud ad poſteros oraculum: *Qui Epiſcopatum deſi-* [*1. Tit. c. 3.*] *derat, bonum opus deſiderat.*

Abjectæ in terras animæ, & cœleſtium inanes, hinc aliquod ambitioni ſuæ præſidium petere (uti hîc advertit *D. Thomas*) ſed fruſtrà. Ex Apoſtoli mente, ſenſuque; imò & verbis ipſis, qui in Epiſcopatus gradu, labor eſt, quæ ſollicitudo, quod opus, illud in voto eſſe poteſt, non tamen ipſe gradus, ipſa dignitas in deſiderio.

Audi *D. Anſelmum*, fidelem Apoſtoli interpretem: *Opus*, inquit, *deſiderat*, *non dignitatem*; *Laborem*, *non delitias. Epiſcopus* enim, *nomen eſt operis*, *non honoris. Vt intelligat ſe non eſſe Epiſcopum*, *qui præeſſe dilexerit*, *non prodeſſe; nec deſiderare Epiſcopatum exiſtimandum eſſe, qui ſuum deſiderat lucrum, vel honorem, & non ſalutem plebis.*

Hanc deſiderare & ipſe potes; ſed ut hac via, modóque, nec author eſſe velim, nec poſſim: quia ut bonum ſit opus; at *perioculoſæ plenum opus aleæ*. In illo quippe, tibi duplex incumbit cura: tuæ ſalutis una, altera etiam proximi; quem tibi, vel ut *theſaurum*, vel ut *depoſitum* commiſit Deus; & quidem *pretioſum*, emptum etiam Dei Hominis ſanguine, vitâque: & quia illud vel *depoſitum*, vel *theſaurum*, habes repoſitum in teipſo, ceu vitreo vaſe: hinc timor, hinc ſollicitudo, ne pereat.

Bernardum audi etiam ſub hoc opere gementem, & propè fatiſcentem: *Accedit ad ſollicitudinis cumulum,* [*Serm. 2. de Adv.*] *& pondus timoris, quod cùm meam, & proximi conſcientiam, ſervare neceſſe ſit, neutra mihi ſatis eſt nota, utraq; mihi nox eſt, utraque imperſcrutabilis eſt abyſſus, & nihilominus exigitur à me utriuſque cuſtodia, & clamatur: Cuſtos quid de nocte? Cuſtos quid de nocte? Et non eſt mihi dicere cum Cain: Numquid cuſtos fratris mei ſum ego?* Enimverò cuſtos ſum, & hinc timor, hinc edaces curæ, hinc etiam dolor, mœrorque, quo etiam affici ſolent excelſæ mentes, & inde ab Infula, Pedoque, vel maximè alienæ, atque abhorrentes, adeoque ab illis longiſſimè profugientes, & in hoc certè magnæ, atque præcelſæ: Uti contra abjectæ illæ, & in poſtremis reponendæ, quæ dignitates illas, & honores etiam ſacros ambiunt, & ſequuntur; quod tamen, hoc quo vivimus ævo, nimium quàm frequens ac ſolemne eſt multis, etiam è Clero, etiam è clauſtro.

Nimium enim quàm verum illud D. Cypriani: [*De jejunio, & tentat. Chriſti.*] *Etiam in ſinu Sacerdotum ambitio dormit, ibi ſub umbra recubat, in ſecreto thalami ſe fraudulenter occultat.*

§7. *D. NORBERTVS MAGNVS in ipſis Religioſi inſtituti incunabulis.*

AD Religioſi Ordinis incunabula ſpectare videntur: Primò, locus; tum ædes ſacra; tum clauſtrum ipſum, ac Cœnobium; tum etiam ipſa veſtis; tum Regula, & vivendi norma; tum denique ſocii, qui primi eam excepere non ſine Numine, cœleſtibuſque prodigiis, quibus mirum quantum hæc religioſiſſima familia ab ipſis cunis inclaruit.

Et quidem primò, quod attinet ad locum illi deſignatum, is dum quæritur, *Fuſniacum* venit D. NORBERTVS; viſa illi ſedes ſatis opportuna extruendo Monaſterio: ſed fuſa ad Deum oratione, cognovit à cœlo eam ſibi ſignatam non eſſe. Ventum igitur ad aliam, cui nomen *Thenolias*; ſed conſulto ſuper ea re Numine, neque illam ſibi reſervatam intellexit.

Alia

Alia proinde quærenda ſedes: ea fuit locus avius, incultus, avia, & invia ſolitudo, cui deinde nomen *Præmonſtratum*: in eo erat ædicula *D. Ioanni Baptiſtæ* ſacra: hanc unà cum *Hugone* ſibi ſocio ſubit NORBERTVS, in eaque de more noctem in oratione vigil exigit: Et ecce ſubita, inviſaque hactenus è cœlo lux aurea, in quâ media viſitur Dei Mater auguſtâ ſperie, Angelorum choris circumſepta; quæ & exauditas preces denuntiat, & ſimul locum fundando Monaſterio commodum præmonſtrat, unde deinceps felici nomine, & omine *Præmonſtratum* audiit, & ſuam *Præmonſtratenſis* Ordo etiam hauſit nuncupationem, Virgineo ſcilicet favore, & gratia, quæ tamen hîc non ſtetit.

Biblioth. Præmonſt. l. 1. c. 2.

Ubi in unum aliquem inciderit magnæ Matris, magnæ Virginis amor, terminum neſcit: & ita neſcivit in NORBERTO, quem veluti filium ſic compellavit Auguſta Mater: *Fili Norberte, accipe candidam veſtem*: Dixit, & mox oculis ſe ſubduxit, non tamen animo: cui altè infixa ea vox amantium, *Fili*, ceu amoris Virginei ſagitta, ceu arrha adpromiſſæ protectionis; cui etiam plurimum ſervivit candida illa veſtis, quâ tegi deinde, ornarique debuit NORBERTVS, & ab illo etiam *Norbertini*, qui eam, quam gerunt veſtem Virgini acceptam debere ſe gloriantur: & meritò, potior enim illa omni purpura, oſtroque, ditior omnibus Regum, Cæſarumque paludamentis: Hæc quippè mundi pompam, faſtumque oſtentant: at illa MARIÆ, hoc eſt terrarum, cœlique Reginæ, gratiam, & favores explicat.

Honorarii Ephebi teſſerariam ſui Domini veſtem præferunt, veſteque utuntur Domini deſcriptâ ſymbolis. At vos, ô *Canonici Præmonſtratenſes*, Dominæ veſtræ, id eſt MARIÆ Virginis, teſſerariam quaſi veſtem defertis; eâque utimini Dominæ veſtræ deſcriptâ ſymbolis. Quæ ſint illa quæritis? Eſt nivea morum innocentia, eſt candor ingenuæ mentis, eſt candida Virginitas, quarum index, ac veluti ſymbolum ipſa veſtis, quam præfertis. Et hæc prima fuit à cœlo gratia, cui mox acceſſit altera, ab æde Deo, Diviſque ſacra, quæ in loco jam divinitus *Præmonſtrata* extructa eſt, non ſine miraculi fide, inuſitatoque prodigio; Angelis nimirum conſtruendæ fabricæ adlaborantibus, qui ut erant in cœli officina probè docti & ſanè ſtrenui artifices, opus ipſum plus noctu promovebant, quàm latomi, opificesque omnes interdiu promoviſſent.

Ex Archivis Monaſt. Floreffienſis.

Et hîc in æde ſacra enituit cœli favor; alius in ipſo Cœnobii clauſtro, quod ne prodigio vacaret: illud in ſeros annos extulit Omnipotentis Dei manus.

Tradunt *Præmonſtratenſes* à quingentis eóque amplius annis, *Præmonſtrati*, in medio clauſtri, videri arborem à ſanctiſſimo Præſule NORBERTO plantatam, quam aliqui ferunt fuiſſe eum, quo nitebatur ſcipionem. Eſt illa colore, odore, virtute cedro non abſimilis, & ad hæc uſque tempora viret, nec virentes comas ponit unquam, ſeu algida ſæviat hyems, ſeu æſtus aſſurgant inſolentiores: his nimirum, & illâ ſuperior, & nativâ ſemper veſte, id eſt fronde conſpicua, atque ornata: imò quod mireris magis, die ſanctiſſimo Patri feſtivâ ac ſolemni, quaſi coloni ſui adhuc in præſens ſentiret manum, & frondes ſuas latiùs explicat, & amœniorem oſtentat viriditatem, non ſine miraculo, & amabili ſpectantium ſtupore. Et hæc à Loco, Templo, Clauſtroque petita ſanctiſſimi Ordinis commendatio.

D. F. Petrus de Waghen. in Norbert. Ep. Dedic.

Alia deinde ab ipſâ *Regula*: hæc lucem habet, vel maximè ab ipſo authore.

Venerat olim *Pachomius* ad locum cui nomen *Tabennenſe*, cùm hæc illi vox inſonuit: *Mane hic, ô Pachomi, & Monaſterium conſtrue, ad te confluent quamplurimi, quibus Dux eris ſanctioris vitæ, & hoc ſub Regula, quam monſtravero tibi.*

Vix ad aures appulerat ea vox, cùm in oculos venit Angelus, tabulam obtulit, in qua melioribus typis (hoc eſt cœleſtibus) impreſſa erat, & Pachomio, & ſociis Regula.

Bollandus in vita Palæmonis. c. 3. 13. Ian.

Qui illis annuente cœlo datus eſt favor, idem propè D. NORBERTO, cui, dum orationi, piiſque votis inſiſtit, & ſuperos appellat, viſus eſt D. Auguſtinus, qui *Regulam auream* ei porrexit, hæcque illi in aurem paucis.

Quem vides, Auguſtinus ego ſum, Hipponenſis olim Epiſcopus: ecce habes regulam, quam ego conſcripſi: ſub quâ, ſi benè militaverint Confratres tui, Filii mei, ſecuri Chriſto aſtabunt in extremi terrore judicii. Dixit, & oculis ſe ſubduxit.

Bollandus in vita B. Godefridi Cappenberg. c. 3. 13. Ian.

Hîc ſiſte, *mi Lector*, & expende ecquis NORBERTO Regulam tradit? & quam porrò Regulam? is eſt Auguſtinus, quem dum appello, appello magnum in terris Præſulem, in cœlis, non Angelum; ſed Cherubinum, ſed & Seraphinum: Cherubinum ab eximia mentis acie, & ingenii vi, atque doctrina; Seraphinum autem ab ardore, ab igne incenſæ in Deum caritatis. Dat ille NORBERTO Regulam; ſed auream à caritate.

Quam enim potiùs? Eſt aurum ſymbolum amoris, hinc illud Apoſtoli conſilium ad Angelum (hoc eſt Epiſcopum) Laodiciæ: *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum*; hoc eſt caritatem omnino ignitam; tum in Deum, tum in proximum; maximè verò effuſæ in egenos miſericordiæ: hanc teſtari voluit ipſum Numen, etiam auro prodigioſo.

Apoc. c. 3. v. 18.

Leproſum in humeros extulerat *S. Fechinus Abbas*, atque in ipſum Regis *Demetrii* caſtrum importarat, ut tam Rex, quàm Regina conjux venirent in partem illius caritatis. Et verò etiam venit Regina; juſſa enim à leproſo nares iterum, iterúmque exugere, atque ex iis phlegma extrahere, & *S. Fechino* reſervare: paruit illicò, & ſudariolo excepit, veluti divites reliquias. Et certè divites apparuere; ut enim in domum (unde paululum exceſſerat *S. Fechinus*) rediit; juſſa ſudariolum explicare, non putidum phlegma invenit; ſed aurum probatiſſimum, ſymbolum utique regiæ illius caritatis, quam ut amavit *S. Marcella*; ſic & piè protulit illud: *Malle ſe aurum in ventribus egenorum, quàm in marſupiis recondere.*

Bollandus in ejus vita cap. 1. 20. Ian.

Eſt aurum ſymbolum fortitudinis, invictæque patientiæ: hinc juſtos tanquam aurum in fornace probare ſolet Dominus. Et ita cæteros inter probavit *S. Feodobertum Abbatem*, cujus argumento fuere grana quædam aurea, quæ, dum exhumatur corpus, in ejus oſſe reperta ſunt; futura utique ſymbolo, & poſteris argumento, tum fortitudinis, tum patientiæ Abbatis longè ſanctiſſimi. Sed ne longiùs, redeo ad auream ſeu *D. Auguſtini*, ſeu deinde *Norberti Regulam*: fuit illa index & caritatis, & indomitæ fortitudinis, ac patientiæ, quâ eminere debuit & *Norbertus*, & religioſa illius ſoboles.

In ejus vita c. 2. 2. Ian.

Venio ad primos D. NORBERTI ſocios: ii fuere tredecim, lectiſſimi omnes, à quibus, ceu incunabulis, emerſere, cæteri, orbemque implevere; ſicque in immenſum excrevit *Angelica D. Norberti ſocietas*. *Angelicam* voco, quia etiam Angeli voce enuntiata, probataque.

Surius c. 29.

Rhemis unà cùm ſociis dum redit D. NORBERTVS, altoque ſilentio de via, diurnis meditationibus inſiſtit, ecce de nube hæc vox inſonuit: *Hæc eſt fratris Norberti ſocietas.* Ita nimirum, quæ à candore niveæ mentis, à vitæ, morumque innocentia Angelis æmula debuit eſſe ſocietas: etiam Angelico oraculo denuntiari debuit: quid dixi *Angelico*? etiam divino dixiſſe debui.

In ſuo *Præmonſtrata* dum cœleſte Numen conſulit NORBERTVS, oblata illi eſt Chriſti è Cruce pendentis effigies, cui imminebant radii ſeptem ſolis æmuli; imò ſole ipſo ſuperiores ſinguli. Et hæc prima patenti æthere propoſita imago, mox è terris

altera:

Biblioth. Præmonſt. l. 1. c. 2. altera : viſa quippe è quatuor Univerſi partibus confluere propè innumerabilis candidatorum peregrinorum multitudu, quæ flexo poplite, & dato *Crucifixi* pedibus oſculo, quaſi acceptâ jam veniâ, excedere omnes, atque in diverſas mundi regiones effundi.

Eâ, ſeu terris, ſeu etiam cœlo, objectâ ſpecie mirum quantum recreatus eſt NORBERTVS: ſenſit enim illâ ſibi adpromitti, tum cœleſtem, ac divinam Chriſti è Cruce pendentis protectionem, tum amœna cœlo propitio lumina, ceu totidem Spiritus ſancti radios, cœleſtiaque dona; tum denique numeroſam, ac religioſam ſobolem, quæ & ſub Chriſti vexillis ſtipendia facere debuit, & Orbe toto ſpargi ad commune animarum lucrum, bonumque Univerſi: propter quod jam inde ab Inſtituti ſui infantia jure meritiſſimo audit Sacerdos magnus, audietque in ævum omne: quod ut explicetur magis, ſit

§. 8. *D. NORBERTVS MAGNVS vel ipſo in dæmones, efferaq; animalia imperio.*

MAlus genius, ex malo utique genio, in alias atque alias ſe formas vertit, ut quem tentarit, evertat:

Sub figura Chriſti inſidiatur *S. Potito.*

Sub ſpecie Angeli *S. Maximi* latebras aperit.

Sub puellæ forma, vultuque, *S. Victorinum Eremitam*, ad ſcelus pudendum inducit.

Sub tenellula plangentis pueri forma *Gertrudem ab Oeſten*, Virginem omnino ſanctam, aggreditur, & tentat, & hoc (ut apparet) miti genio, modoque: at in hoc etiam immitis, atque inſidus.

Aliàs efferos habitus induit; certè orante eodem *S. Potito* formatur primùm in gigantem, mox etiam in taurum, qui cornu feriat, alias leonis, lupi, ſerpentis, draconis formas induit; & hoc vel ad terrorem, vel ad fraudem, & malas artes. Et ne longiùs abeam, D. NORBERTO apparuit immanis urſi ſpecie, rictuque. Noctem in oratione exigebat Dei ſervus, cùm ecce derepente in oratorium ſe immittit dæmon, & urſum ſimulat, dentibus, & ungulis terribilem: ad quem libera voce, intrepidaque mente, ſic Sanctus;

Cap. 39. *Quid expectas cruenta beſtia? inanes & dentium, & ungularum minæ, puerorum terriculamenta ſunt, non ſervorum Dei. Recede, recede ociùs, & erebo te redde.* Dixit, & illicò evanuit malus dæmon: adeo celer, & efficax in eum D. NORBERTI imperium. Aliàs eidem Divo viſus bufonis ſpecie: quâ enim potiùs? Ad fontem iverant fratres, ut aquam è proximo afferrent, & Patri quàm optimo, & religioſis fratribus: at aquam è vaſe effundi juſſit D. NORBER-
Cap. 35. TVS, ſeveréque vetuit, ne ex ea guſtaret quiſquam: & rectè, mox enim in imo vaſis apparuit ingens bufo, hoc eſt malus genius, bufonis ſpecie; quem ſtygiæ paludi mox reſtitui juſſit, atque ad illius vocem reſtitutus illicò. Ecce ut D. NORBERTO parent, ac ſubjiciuntur etiam tartareæ poteſtates, & necuiquam noceant, prohibentur.

Bollandus in ejus vita 6. Ian. *D. Meliano, Epiſcopo Rhedonenſi* viſus aliquando dæmon; ſed medici forma, vultúque: medicum enim mentiebatur, ut uni è religioſis fratribus potionem daret: non medicam, ſed malo toxico, imò malo ipſo dæmone perfuſam. Et certè etiam dedit, unumque è ſenioribus invaſit, poſſeditque; ſed mox à Viro Dei ex illius corpore, velut ex uſurpato malè hoſpitio, depulſus eſt; adeò verum illud: *Sacerdoti magno* ſubjici dæmonia; atque ex hoc, etiam auditi *Magnum*: ſed & ex illo, quòd eidem ſubjiciantur feræ quantumvis immanes.

Ad *S. Davidem* in Britannia Epiſcopum venerat *S. Aidanus Fernenſis Epiſcopus*, & hoc officii, atque urbanitatis causâ: quâ perfunctus, optavit eodem die, ut condixerat, ad ſuos redire in Hiberniam: cui *S. David*: Vade illico ad maris littus, & quodcumque obvium erit animal, conſcende, portabit illic te in Hiberniam. Paruit *S. Aidanus*, & paratum ad littus invenit animal hactenus inviſum; conſcendit. & ecce mox per undas, & ſævum mare animalis dorſo vectus portatur, & in adverſo litore in Hibernia deponitur: adeo verum *Sacerdoti magno* parere etiam belluas, & marina monſtra: neque hæc tantùm; ſed & terreſtria quoque animalia. *In ejus vita 31. Ian.*

Inter denſa nemora, inviaſque ſylvarum ſemitas jam triduo toto ab itinere aberrarat *S. Treverius Monachus*, cùm cœlo ſic probante, incurrunt lupi duo, aſpectu miti, demiſſis auribus, adulantibus caudis, flexóque modicùm ad reverentiam capite: viæ duces ſe præbent, & Virum Dei publico itineri reſtituunt, moxque, quaſi peracta bellè ſcena, nemori redduntur, & ſylvis. Sed ne longiùs; ad D. NORBERTVM, à quo paululum abiit, recurrat oratio. *In ejus vita 16. Ian.*

Oves in agris paſcebat puer, & quidem ſolus, ſine fido ovium cuſtode cane: ideóque anxius: *Quid me fiet?* inquit, *quid ovibus, ſi incurrat lupus? ſi ovem efferat?* cui pio joco reſponſum: Lupo præcipe, & hoc Magiſtri tui NORBERTI nomine, juſſúque, ne ovem auferat, néve devoret. Paruit puer, incurrit in gregem lupus, ovem abripit, & fugit. Cui illicò puer: *Siſte prædo, ſiſte raptor, & ovem redde.* Paret lupus, curſum ſiſtit, ovémque ponit: imò quod mireris, & ames, abſente puero, ceu paſtore, fit ipſe gregis cuſtos fideliſſimus: ita qui prius ovium prædo, jam eſt cuſtos: adeo verum, & certum illud; quod *Sacerdoti magno* parcant immites feræ; imperiúmque illius, etiam aliena voce expreſſum, admittant. *Cap. 37.*

Rationem ſi quæſieris, ea in oculis eſt; quia ipſe ſibi imperitabat NORBERTVS, ipſe ſibi dominabatur, & paſſionibus ſuis, quæ rationi perfectè ſubjectæ cùm eſſent, & ratio ipſi Deo; felicem illum Innocentiæ ſtatum, in eo quodammodo referebant, adeóque, & abſolutum in animalia imperium reſtituebatur: quod in illo, uti ſanctum, atque ex omni parte perfectum fuit; ſic ad laudem, & commendationem longè maximum.

§. 9. *D. NORBERTVS MAGNVS à numerosâ ſobole, & ſpiritali filiorum in Chriſto generatione.*

ECcleſiaſticus Capite quadrageſimo quarto, cui Græci codices titulum præfixerunt, *Hymnus Patrum*; Tigurina, *Majorum laudes.* Hoc, inquam, Capite, quo totus abire, effundique vult in ſacratiora majorum ſuorum encomia, è primo orationis quaſi limine, exclamat:

Laudemus viros glorioſos, & parentes noſtros in generatione ſua. *Eccl. c. 44. v. 1.*

Laudemus enimverò; ſed *Viros*, hoc eſt, ab animo virili, atque excelſo; à virtute, roboréque maſculo conſpicuos: non fœminas, id eſt molles, atque effœminatos; non tam ſexu, quàm animo: fatendum enim, quod res ipſa, & multorum ſæculorum experientia docuit, ſub *Viris* etiam intelligi, ac contineri *Viragines*, quales olim *Sara*, *Rebecca*, *Suſana*, & invicta *Machabæorum mater*: Et in Lege novà, *Helena*, *Pulcheria*, *Agnes*, *Catharina*, *Cæcilia*, *Lucia*, *Agatha*, aliæque propè innumeræ, quas inter princeps Virgo MARIA, Dei Mater: quibus & ſexu, & ætate major fuit animus, hoc eſt virilis, & maſculus.

Laudemus ergo *Viros*; ſed etiam *glorioſos*: non inani gloria, quæ hauritur ab aurâ populari; ſed quæ à virtute ducitur, eâque imprimis heroica: & inde

Parentes noſtros, hoc eſt, Patriarchas, & gentis magnæ progenitores; *Laudemus*, inquam, *in generatione ſua*, non *naturali*; quæ à carne, & ſanguine penitur (hæc enim ad laudem parum facit) ſed quæ à *morali* virtutuos omnium propagine: à quâ ſcilicet naſcuntur uberrima laudum encomia.

Quod *Syracides* de Viris glorioſis, & ſuis etiam à carne parentibus & dixit, & docuit: hoc ego de Sanctiſſimo Patre NORBERTO, qui ſuis in ſpiritu Pater fuit, & Pater multarum gentium, tot ſcilicet, quot terra tulit, quot Sol aſpicit: fatendum enim, quod ex vero eſt, ex omni propè terrarum tractu, ex omni ferè gente ac natione conſpici, ſuſpiciq́ue *Norbertinos*, hoc eſt magni illius Parentis ac Patriarchæ NORBERTI, germanos in Chriſto filios.

Laudemus ergo Virum glorioſum, & parentem noſtrum in generatione ſuâ. At quâ, inquies generatione? ne crede omnem illius ſeriem à me hîc contexi poſſe; nec enim opus eſt exiguæ hujus pagellæ; imò nec integri voluminis; itaque ad aliquam illius partem me reſtringi patiar, eam ſcilicet, quæ vel à dignitate, vel à ſanguine, vel à virtute ac ſanctitate, vel denique à litteris eſt conſpicua: ab his enim trahitur præcipua Religioſi Ordinis laus, & commendatio.

Bibliotheca Præmonſt. l. 1. c. 17.

Recenſuit Præmonſtratenſis Ordo *Abbatias mille, & trecentas Virorum Præpoſituras*, & inſuper *quingenta Sanctimonialium Cœnobia*. Et hic domi ab Inſulâ Pedoq́ue decor, & gratia. Foris autem ab *Eccleſiis* tam *Metropolitanis*, quàm *Cathedralibus* ornamentum longè maximum.

Occupavit enim (quod hactenus nulli, quem ſaltem legerim, Ordini datum eſt) *ſexdecim Eccleſias*, tum *Metropolitanas*, tum *Cathedrales*, quibus Archiepiſcopos, Epiſcopos, Præpoſitos, Archidiaconos, Canonicos dedit, longiſſimâ ſeriê, etiam per multa ſæcula.

Harum Eccleſiarum (quæ tum habebantur quaſi *Regulares*) nomina paucis accipe.

Magdeburgenſis, quæ eſt ſedes Metropolitana, & Germaniæ Primatus.

Havelburgenſis, quæ eſt ſedes Cathedralis: uti & *Brandeburgenſis*.

Raſeburgenſis in Alemannia Saxonica.

Sanctiſſima Trinitatis, ſeu *Candida Caſa* in Scotia.

Plocenſis in Polonia.

Rigenſis, quæ eſt ſedes Metropolitana in Livonia, habetq́ue ſub ſe Epiſcopos Suffraganeos novem; quibus omnibus, Præſules ſuo de gremio, imò & ſuo quaſi jure ad multa ſæcula ſubminiſtravit.

Certè, ut ab uno alteróve Monaſterio, de cæteris facilis *benevolo Lectori* fit conjectura: Præmonſtratenſe in primo ſui ortu, & quaſi flore, obtulit *Magdeburgenſi* Eccleſiæ *D. Norbertum*; *Raſeburgenſi B. Evermodum*; *Laudunenſi B. Gualterum*; *Morinenſi B. Milonem*, hujus nominis primum; *Coſeranenſi Navarrum*; *Cabilonenſi Galterum*; *Sagienſi Gervaſium*.

Ecce quot ab unicâ familiâ Inſulari Præſules; accipe quot ab aliâ, *Montis Syon*, quæ vulgo dicitur *Strahoven*, non procul ab aula Imperatoris in regiâ Bohemorum urbe: ex eâ certè unicâ *Pragenſi Eccleſiæ* Archiepiſcopi electi ſeptem, non interruptâ ſerie: *Olomucenſi* autem *Eccleſiæ*, etiam Cathedrali, Epiſcopi omnino decem: ut proinde jure meritiſſimo *Monaſterium Strahovienſe* audierit quaſi *Seminarium Olomucenſium Epiſcoporum*, quod adeo probatum *Breviſlao* Bohemorum Duci, ut deinceps ſtatuerit, neminem niſi ejuſdem Cœnobii Canonicum in Epiſcopum Olomucenſem eligi oportere: quod & litteris ſuis, ac diplomatibus firmatum omnino voluit; ut vel ex eo eſſet, unde D. NORBERTUM, Virum ſanè glorioſum, & Parentem noſtrum laudaremus in ſuâ illâ Inſulatâ & ſacratiore generatione: à quâ (ut cum aliorum, ejuſdem Ordinis Epiſcoporum, bonâ veniâ diſcedam) ad illos deſcendo, quos genus, & avitus ſanguis, fumoſæq́ue majorum imagines & Ordini & Orbi univerſo illuſtres reddidere: Ex his enim ſunt fratres Laici quos *Converſos* placuit appellari, qui ut gradu infimi; ſic & animi demiſſione facilè primi: quia cùm & ipſi ad altiora ſubſellia aſcendere potuiſſent; atque in ſupremis eminere; maluerunt tamen in infimis conſiſtere; quod virtutis fuit, & eximiæ cujuſdam humilitatis.

Hos inter fuere, *B. Guido*; *Branenſis Comes*, Beatæ *Agnetis* filius, *Præmonſtrati Converſus*.

Godefridus, *Namurcenſis Comes*, Froleffiæ.

Roardus, *Scotiæ Regis filius*, Buliaci.

Gerardus Ninovēſis Princeps, & Stabuli Comes, Ninovæ.

B. Folcodus, *Teſterbandiæ Comes*, Bernæ.

B. Aldericus, *Princeps Franciæ*, Woſſenichii.

B. Henricus, *Arnesbergenſis Comes*, in Monaſterio Wedinghauſenſi.

B. Ludovicus, *Arneſteinii Comes*, in Cœnobio Arneſteinienſi à ſe & feliciter & magnificè extructo.

Beringerus, *Baro à Schuſſenriet*, & ipſe Soreri Frater Laicus, ſeu ut appellant *Converſus*. Mitto cæteros ejuſdem Ordinis; & gradus, qui prima cum poſtremis, ſumma cum infimis; hoc eſt aviti ſanguinis, generiſq́ue ſplendorem, ac lucem, cum abjectâ, ut hominum oculis videtur, Fratris Laici ſorte, felici nexu jungere potuerunt; quod nobilis animi fuit, & humanâ ſorte, fortunâq́ue majoris.

Dico *nobilis animi*, quia is verè nobilis, is excelſus, qui humilis, qui in ſe abjectus, qui virtute præditus: ut enim pulchrè Iſidorus Peluſiota: *Seminis generis, & ſanguinis ſuperba potentia, virtus non eſt; ſed involuntaria quædam ſucceſſio, è corporibus deſcendens fluxa, & caduca.* Vera autem, *& apud Deum nobilitas, cenſentur mores boni, & ad virtutis appetitionem vehementer propenſi, & cum religione majorum contendere ſoliti*; ut disertè D. Cyrillus Alexandrinus.

Lib. 2. Ep. 26.

In Amos.

Et tales jam inde à ſuis incunabulis amavit, fovitq́, Præmōſtratenſis Ordo, & alius quivis amabit, fovebitq́ue; ſi modò Religioſus eſſe velit. Ut enim piè *D. Paulinus*, nobilior mente, quàm ſanguine: *Religio noſtra ſervum, & nobilem de moribus pronuntiat.*

Epiſt. 50.

Quod ſi hæc de Chriſtianâ Religione extulit magnus ille Præſul: quid de religioſo Ordine, qui in Eccleſiâ eſt, quod in annulo gemma? certè extuliſſet id ipſum: *Religio noſtra ſervum, & nobilem de moribus pronuntiat.* Sed ne longiùs, inſtitutum proſequamur; & videamus qui prætereà veram nobilitatem, id eſt eam, quæ à virtute eſt, cum illâ, quæ eſt à ſanguine, conjunxerunt; ad hos enim arctari patiar orationē, ne in immēſum propè diffundatur.

Hos inter, ut Ordine, ſic & proſapiâ, ac ſanctitate eminet ipſe D. NORBERTUS, ex illuſtriſſimâ Francorum, & Germanorum Salicorum familiâ.

Proximè ſequitur *B. Godefridus Cappenbergenſis*, in Weſphaliâ Comes, & vitæ ſanctimoniâ, & miraculorum gloriâ clarus.

Bibliotheca Præmonſt. l. 1. c. 18.

B. Robertus, è regio Anglorum ſanguine prognatus, ac deinde primus Abbas *Inſulæ Sanctæ Mariæ*.

B. Dominicus, Alphonſi ſeptimi Caſtellæ Regis frater, & Cœnobii *Vitis B. Mariæ* fundator, & primus Abbas.

B. Henricus, cognomine *Zolick* Uratiſlai primi Bohemiæ Regis filius, ex Canonico & fundatore Eccleſiæ *Strahovienſis* factus deinde Epiſc. *Olomucenſis*.

B. Adalbertus, Wadiſlai ſecundi Bohemorum Regis filius, primò Præmonſtratenſis religioſus, dein *Saliſburgenſis* in Bavaria Archiepiſcopus.

B. Hroznata, ex illuſtri regni Bohemici Principe, *Teplenſis* cœnobii fundator, Canonicus, ac deinde inclytus Martyr.

B. Hayto, ex Rege Armeniæ in Cœnobio *Epiſcopia* religioſus, dictus deinde *Macarius*, magni ſcilicet *Macarii* probus æmulator.

Et

Et hæc ferè, prima, junctæ nobilitatis, ac ſanctitatis fuere capita, ad quæ me reſtringi paſſus ſum, memor propoſitæ mihi in ſcribendo brevitatis, à quâ tamẽ abiiſſe me non exiſtimabo; ſi ad *Sanctimoniales* ejuſdem Ordinis, & genere & virtute nobiles, acceſſero; imò & illis, & ſacro Ordini injurius viderer, niſi accederem. Sint ergo è multis illuſtriores.

B. *Ermengardis*, quæ maritali vinculo ſoluta, Cœnobium Cuiſſiacenſe reditibus ampliſſimis fundavit, unáque cum quadraginta monialibus ibidem duce D. NORBERTO vixit, primò religioni, dein & cœlis.

B. *Beſſela*, B. *Folcoldi* Comitis de Berna, uxor, & fundatrix Cœnobii Worienſis.

B. *Agnes*, ex potentiſſimâ Branenſi Comitiſsâ, Monialium omnium minima.

B. *Hildegundis* Comitiſſa: Cœnobii Marenſis fundatrix, & prima omnium illi Præpoſita.

B. *Guda*, B. Ludovici Comitis Arneſteinii quondam uxor, deinde Cœnobii ejuſdem nominis, & fundatrix, & Præpoſita.

B. *Anaſtaſia*, Pomeraniæ Duciſſa, *Rubri Monaſterii* fundatrix.

B. *Gertrudis*, S. Eliſabethæ Langraviæ filia, Cœnobii Aldenbergenſis Præpoſita.

Et hæ ferè principes & morum, vitæque ſanctimoniâ, & ſanguinis aviti communione; quam dum hîc aſpicio, & commendo, ne me damnes, *Amice Lector*, néve mihi objicias illud *Agapeti Diaconi*, & verum, & ſanè perelegans pronuntiatum: *Limum omnes habent generis authorem ſui.* Veriſſimum, inquam, & ipsâ Dei voce, ſeu oraculo probatum illud, quod etiam coronatis capitibus ab Eccleſiâ accinitur: *Pulvis es, & in pulverem reverteris.* Sed ut veriſſimum ſit: at etiam indubitatum illud, virtutem, & ſanctimoniam in purpurâ plus fulgere, quàm in vili centone: plus nitere in auratis Regum verticibus, quàm in pauperculis, & malè faſciatis egenorum capitibus: & hoc etiam mihi dabis, *Benevole Lector*; & ubi dederis, liberiùs abibo ad Viros etiam Sanctitate ſimul & Doctrinâ, præclariſque ingenii monumentis celebres, & Orbe toto nominatos; quos & tulit Præmonſtratenſis Ordo, atque ad bonum Univerſi feliciter educavit. Et quidem, ut à capite ducatur initium, & aliqua Doctorum, Scriptorumque ſeries deducatur, in hac primus omnium legitur, atque eminet

D. NORBERTVS, qui felici ingenii partu, doctoque calamo multa poſteris reliquit digna cedro, digna æternitate, niſi nobis ea invidiſſet infidus, adverſuſque mavors, qui ut ferro plurima demeſſuit: ſic & flammis ea opera abſumpſit, nihilque ferè reſiduum fecit, præter catalogum, tot ac tantarum lucubrationum monumentum.

Hunc ut loco; ſic & ſanctitate, doctrináque proximè ſequitur B. *Hugo*, Leodienſis agri partus illuſtris, & Foſſenſis oppiduli gloria, D. NORBERTI in Inſulâ Pedoque ſucceſſor, & dignus tanto magiſtro diſcipulus.

B. *Theodoricus*, quem à ſacratiore ſcientiâ, ſuſpexit, amavitque *Trajectum*, nobile ad Moſam oppidum.

B. *Richardus*, re & nomine Anglicus.

B. *Ioannes*, Doctor Pariſienſis, & tertius à D. NORBERTO Præmonſtratenſis Abbas.

Mitto cæteros & doctrinâ, & ſcriptis illuſtres, ne catalogum hîc texere videar: eum qui volet, conſulat Bibliothecam Præmonſtratenſis Ordinis authore R. P. ac Domino *Ioanne le Paige*, Pariſienſi Theologo, Præmonſtratenſis Eccleſiæ Canonico, & ejuſdem Ordinis Syndico. [*Lib. 1. c. 17.*] Ego enim (etſi alios omnes, & ſuſpiciam, & venerer) ſtylum tamen mihi ſiſtendum putavi in iis, quorum ut probata doctrina, ſic & ſanctitas honorata, etiam ipſo Eccleſiæ calculo, tituloque beatitatis. Et ſanè, in his jure meritiſſimo calamum duco, ſiſtoque: utrum enim quantum Religioſo Ordini lucis accedat, ubi duo hæc acceſſerint, atque in unum felici vinculo convenerint *Doctrina*, & *Sanctitas*.

Doctrina quippè lumen eſt animi, à quâ & luminoſi homines Deo ſacri; imò & mundi lumina. Ita D. Cyrillus: *Doctores Orbis*, vocavit *Luminaria mundi.* [*Lib. 3. c. 21.*] Ita *Paulum* Doctorem Gentium, *Communem Solem* appellavit D. Dionyſius, [*De D. N. Nom. c. 7.*] & hoc ob excellentem ſapientiam. Ita *D. Baſilium*, ob mirabilem divinarum rerum, & humanarum cognitionem, *Splendidam ac lucentem Eccleſiæ facem* eſſe dixit D. Gregorius Nazianzenus. [*Orat. 20.*] Ita *S. Paulinum*, Nolanum Epiſcopum, *Sanctitate, & ſcientia præditum quaſi pharum lucidiſſimam* erexit, & poſuit *Dungalus*, author non ignobilis. [*Tom. 2. Auct. Bibl. SS. PP.*]

Crederes in hoc mundo, ceu turbulento mari, conſtitutos eſſe viros doctrinâ conſpicuos quaſi *Pharos ſublimiſſimos*, ad dirigendos hominum animos, & ſubducendos è calamitoſiſſimo vitæ ſalutiſque naufragio: quod certè faciunt & doctrinæ ſanctioris luce, & exemplo vitæ purioris, quæ & ipſa Lux eſt: illa, ignorantiam, errorémque ex hominum mentibus depellit: hæc autem, vitiorum caliginem, noctémque diſſipat: itaque in ſalutis æternæ portum feliciter deducit.

Clemens Alexandrinus meminit cujuſdam *Traſybuli*, [*Lib. 1. Strom.*] qui cùm exules in *Atticam* reduceret, hyberoâ, obſcuráque nocte, clarus ignis præcedens apparuit, qui incolumes duxit omnes, unde illic, Aram *Luciferæ* poſuerunt.

An illud fictum ad hominis iſtius commendationem, an autem verum, non diſputo: hoc tantùm aſtruo, in denſis obſcuriſque ignorantiæ, vitiorumque nubibus, ac procellis, quibus ſæpè ſæpiùs involvuntur hominum animi, divino beneficio eſſe quoſdam datos ſacri Ordinis Viros, qui velut ſalutares ignes, fulgenteſque lucernæ in vitæ hujus caligine præirent: Et ex illis, annuente cœlo, Vos eſtis, quotquot eſtis à virtute, doctrinâq; *Præmonſtratenſes*, hoc eſt, tanti parentis, tãti Præſulis veri æmulatores.

§. 10. *D. NORBERTVS MAGNVS ab edomita hæreſi, & evicto ſchiſmate Petri Leonis Anti-papæ.*

DE S. Hilario, Pictavienſi Epiſcopo, pronuntiavit auguſtum illum D. Hieronymus: *Hilarius, beatus Antiſtes, & inter procellas mundi magnus ſuſtentator Eccleſiæ*; [*In Pſ. 58.*] eò ſcilicet loci, ac temporis, quo ingemuit totus Orbis, & Arianum ſe eſſe miratus eſſe. Quem Hieronymus Eccleſiæ ſuſtentatorem eſſe dixit: eundem Auguſtinus; *Eccleſia Catholica adverſus hæreticos acerrimum defenſorem & venerandum Epiſcopum*, indigitavit. [*Lib. 2. contra Iulian. c. 3.*]

Quæ illi, & verè, & magnificè de Hilario; eadem ego de NORBERTO: ex vero enim *Beatus Antiſtes, & inter procellas mundi magnus ſuſtentator Eccleſiæ, & acerrimus adverſus hæreticos defenſor.*

Noſce vis, *Amice Lector*, quas inter *procellas*; attende, quid olim paſſa ſit *Antuerpia*, nobiliſſimum Emporium, & Belgii noſtri ocellus, & urbes inter, quod in annulo gemma. Attende, inquam, quas iſtic errorum, hæreticæ pravitatis procellas excitarit olim *Tanchelinus* hæreticus, vir vafri ingenii, & ad dolos, ac malas artes efficti; imò & ad arma, ac ſeditiones promptiſſimi.

Catholicæ Religionis hoſtis erat acerrimus, atque imprimis Sacramentorum oſor; maximè verò Venerabilis Euchariſtiæ; [*Cap. 34.*] oſor & Cleri, atque Epiſcoporum, popelli genium, affectumque captans, & eò quidem, ut ex illo, jam tria armatorum millia coëgiſſet; quibus ſtipatus prodibat in publicum, profana dogmata, non tam voce, quàm armis, & ferro ſtabilire certus.

Captabat autem auram popularem, quà veſte pretioſa, quà auro, quà paratis, & exquiſitis conviviis, quibus adeò populum dementarat, ut *lotiones* ejus biberent, & pro reliquiis aſportatas, in penuario reconderent.

Et cùm filias in oculis matrum, ſponſas in conſpectu maritorum oppreſſiſſet: *opus ſpirituale*, id eſſe aſſerebat, infelices eas, quæ in illius partem non veniſſent. Et hæc fuerunt ſcelerum monſtra, quæ aſpexit aliquando, gemuitque *Antuerpia*. quid illis remedii? & unde petendum?

Unus erat *S. Michaelis Parochus*, qui nefarios illos auſus retundere pro viribus conabatur; ſed quid unus ad immanem hæreſiarcham? Quid ad popelli tumultus, & undas armatorum? NORBERTUM, & ſocios advocari placuit, iiſque *D. Michaëlis* ædem concredere certum, non alio præſidio, non aliis armis, eam errorum hydram expugnari poſſe: & ſanè expugnata, non minùs opportunè, quàm feliciter. Et hoc eſt beneficium, quod D. NORBERTO, ejuſque filiis debet, & debere ſe fatetur *Antuerpia*, debellata ſcilicet omnia hæreſeos monſtra; ad quæ acceſſit & aliud, evictum videlicet ſchiſma *Petri Leonis Anti-papæ*.

In Pontificem legitimè electus erat *Innocentius*; intruſus autem *Petrus Leo*, qui non jure, ſed injuria, non ſuffragantium vocibus, ſed armis, Petri Sedem occuparat. Ne porrò diu occuparet, armata manu in Urbem venit *Rex Lotharius*, venit & *Innocentius*, venit & *Norbertus*: ab hoc excitus quaſi ſocius, & conſors ſacræ illius expeditionis: Venit, inquam, *Norbertus*, ingenti profectò & Romanæ Urbis, & Eccleſiæ bono: ortas enim ab effuſo ſchiſmate nebulas, quas *Lotharius* ferro diſſipabat, verbo prædicationis diſſipabat & ipſe *Norbertus*: Solem dixiſſes & Urbi, & Eccleſiæ recens exortum. Et verò Sol erat *Norbertus*, qui à doctrina ſacratiore lucem animis affunderet, & calorem ab æſtu, quo ardebat divini amoris.

§. II. *D. NORBERTUS MAGNUS à gloria ac beatitate.*

QUamdiu hoc corpore, ceu veſte, tegitur anima, quamdiu eodem, ceu ergaſtulo, clauditur, cœleſtia non capit, niſi ea ſymbolo quodam exteriore ſubjiciantur oculis: Hinc ſuavis Dei providentia veluti connivens, majeſtatemque gloriæ ſuæ ad viſibilia inclinans, eam ſenſibus objicit, alio atque alio ſymbolo; & plerumque vel è plantis, ac floribus petito; vel ex auro, gemmiſque; vel è ſplendida ædificiorum mole, qualia eſſe ſolent ſuperba Principum, Regumque tecta, ac palatia; vel denique è Sede, thronoque, auro gemmiſque nitente. Hæc enim ſunt, quæ in magnis reponit, adhuc parvus in corpore animus.

Bollandus 20. Ian. In cœlos exceſſerat anima *B. Benedicti Eremitæ*, Ordinis Vallis-umbroſæ in *Etruria*; jacebat corpus exanime in alta reconditum humo; cùm exhumari placuit. Et ecce dignum Chriſtianis oculis ſpectaculum, in illius ore viſebatur lilium quaſi recens exortum, mirabilem expirans odorem; attonitis ad miraculum omnibus, quibus & indicatum illud, quòd Sancti *florerent ſicut lilium*.

25. Ian. cap. 24. Ab inſigni corporis & animæ mundiria totus candidus erat *B. Henricus Saſo*, totus & rubicundus, ab illuſtri patientia, & afflictionum tolerantia: & ecce in exceſſu mentis, Virgini Deo devotæ etiam vivus apparet redimitus corona rubentibus roſis, albicantibus liliis pulchrè intextæ.

Cap. 26. Imò (quod in eo mireris, & ames) alteri Virgini viſitur puellulus IESUS, in arbore roſacea bellè eminens; qui tenellula manu roſas carpit, in ſerta colligit, & format, atque in *Henricum Saſonem* effundit ac ſpargit: ſic ut totus eſſet roſis obſitus. Quærenti autem Virgini: Ecquid illæ roſæ? Reſpondit JESUS; eſſe alias, atque alias cruces, quas è Chriſti manibus velut immiſſas excipit & tolerat Dei ſervus. En ut Cruces apud ſuperos roſæ ſunt.

Terris vivere deſierat, & cœlis cœperat, *B. Andreas Corſinus*, Epiſcopus Fæſulanus, cùm ecce apparet geſtans in ſinu roſarum, liliorumque manipulum, in ſignum ſervatæ Virginitatis, & inſignis in injuriis tolerandis patientiæ. *30. Ian.*

In pauperes effuſus fuerat *D. Ioannes Eleëmoſynarius*, & ecce ramis olivarum apparet coronata illius eleëmoſyna. *23. Ian.*

Maneat ergo fixum illud, ſtatumque; Beatorum virtutes, & ab his partam gloriam, ac beatitatem, floribus oſtendi. Sed & auro, gemmiſque eadem aperitur.

S. Cœamus, ſui ubique victor, ex ore leproſi exſuxerat ingentia, ſed putida phlegmata; & ecce eadem mox in aurum mutata, virtutis illius, & conſtantiæ, vel ſymbolum, vel etiam præmium futura. *Bollandus in ejus vita Ian. Tom. 1.*

Mira *Odonis*, Viri ſanè religioſi, obedientia, probata vel ex hoc, quòd micæ, quas de more è menſa collegerat, manuque tenebat, in margaritas verſæ ſint: ut vel hoc prodigio commendaretur religioſa obedientia. *In vita B. Bernonis, 13. Ian.*

Stupenda *S. Simonis Stylitæ* patientia; ad quem dum fortè venit Saracenorum Rex, longaque cum illo colloquia miſcet: en vermis ex illius corpore (vivo potius cadavere) elabitur; eum colligit, manuque prenſat Saracenus, & abit: Sed à Viro Dei redire juſſus, vermemque reddere; dum paret, & manum explicat, in unionem mutatum videt; ſic invictæ patientiæ vel ſignum fuit, vel pretium pretioſius unio.

Quod ſi aurum, gemmáque; virtutum magnarum, in hac mortali vita ſymbolum ſit: quidni in alterâ immortali ſit & præmium? & certè eſſe probat illud, quod ſancto Martyri accinit Eccleſia: *Corona aurea ſuper caput ejus*; & hoc, quod regius Vates: *Poſuiſti in capite ejus coronam de lapide pretioſo.* *8. Ian.*

Ad auri, gemmarumque nitorem, accedunt aurata tecta, cœleſtiáque palatia, de quibus & illud Chriſti ad Diſcipulos: *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.* Et hæ ſubinde mortalibus objiciuntur oculis, veluti pars quædam non infima beatitatis: uti & ſedes, paratuſque in cœli regia thronus.

Ita *S. Hildegardi* oblata ſedes lucidiſſima, miri candoris, atque ornatus; eaque erecta *S. Gerlaco Eremitæ*, & hoc inter Beatos Confeſſorum choros, quos inter ſanctus hic Confeſſor aliquando conſedere debuit. Sit ergo fixum illud, quod initio propoſui, gloriam, ac beatitatem, hominum oculis exhiberi floribus, auro, gemmis, palatiis, ſedeque, quietis æviternæ ſymbolo. Et ita (ut ad D. NORBERTUM à quo paululum deflexi, redeam) propoſita ejus Divi in cœlis gloria, ac beatitas. *5. Ian. in ejus vita, cap. 8.*

Eâ ipsâ die, ac horâ, quâ mortali de corpore ſoluta eſt illius anima; è fratribus unus aliquis eum vidit in mentis exceſſu; in veſte mirè candida, formaque venuſtiſſima, ramum virentis olivæ manu prætendentem: tum ex illo petiit, unde? & quo? reſpondit è Paradiſi regione venio, & in locum paupertatis meæ (hoc eſt *Præmonſtratum*) tendo, ut ramum illum eò loci tranſplantem. *Surius cap. 32.*

His viſis, auditiſque, ad ſe rediit frater, diem notavit, & horam; ac deinde intellexit eadem exceſſiſſe, atque ad ſuperos abiiſſe Parentem optimum NORBERTUM; qui ramum exhibuit virentis olivæ, indicem utique miſericordiæ, & profuſionis in pauperes, indicem gloriæ, ac beatitatis; quam, eâ ipsâ virtute duce, ac magiſtra, adeptus erat in cœlis, & quam etiam adeptúri aliquando magni Parentis

poſteri, atque filii: ideo enim, & in *Præmonſtrato* ſuo tranſplantavit, ut in eo vireret illa, floreret, ac fructus daret uberrimos, primùm virtutis, & gratiæ; deinde gloriæ ac beatitatis.

Spectaſti, *Benevole Lector*, ramum miſerentis *Olivæ*; ſpecta *Lilii* candorem, & gratiam; nam & illo notatus olim D. NORBERTVS. Eo ipſo temporis momento, quo vivere deſiit, eum vidit ex Ordine Sacerdos unus aliquis, & quidem primùm in propria ſpecie (nam & de vultu agnovit) deinde formâ candicantis *Lilii*: quod Angeli colligentes, deferebant in æthera: nempè in *Lilium* mutari viſus, qui caſtimonia, animique nitore, *Lilii* candorem expreſſerat in omni vita, atque in æternitate illius pretium præmiumque erat accepturus.

Senſiſti, *Amice Lector*, in D. NORBERTO *Olivæ* liquorem & fructum; ſenſiſti & *Lilii* candorem, odoremque, teſtem utique in illo, ſeu gratiæ, ſeu gloriæ: attende & ſpecta paratam illi in cœli regiâ domum, ſedemque beatitatis. Hanc ſpectavit D. NORBERTI quondam diſcipulus, pro Magiſtro piè ſollicitus: dum enim Deum, ac Superos orat, ut ex iis intelligat, quo in ſtatu ſit Magiſter optimus; en illi pateſcunt cœlorum adyta, & in iis ædes pulcherrima, quaſi Solis luce perfuſa, atque in eâ medius NORBERTVS: quem dum agnoſcit; ſimul ad illius genua accidit: ſed mox à Magiſtro erigitur; tum ab illo audit: *Veni, ſedeamus*; reſedit porrò NORBERTVS: ſed in Sede regia, ac cœleſti, ſiderum ac Solis æmula; imò & victrice: in quâ dum reſidet, hæc ad diſcipulum. In exceſſu vitæ, ſeu laborioſa ſtatione animæ meæ, dictum à Domino blandum illud: *Veni ſoror mea, requieſce*. Veni, ſedi, quievi; & *in pace, & requie ſum*; ſed æterna, ſed cœleſti, ſed divina. Hactenus ad diſcipulum NORBERTVS, ex quo intelliges, quod initio propoſui, & palatia, & ſedes, & thronos ſymbola eſſe gloriæ, beatitatis, ac quietis æternæ: ad quam ſi aſpiras *Amice Lector* (& certè quidni aſpires?) age Divi illius virtutes imitare, atque imprimis liberalem in egenos profuſionem, nitorem animi, & caſtimoniam; exempli ſanctioris odorem, & amicam in oratione, ac contemplatione quietem: ſic enim ad gloriam, ad beatitatem, ad quietem venies æviternam.

DE SANCTO DOMINICO ORDINIS PRÆDICATORVM FUNDATORE SANCTISSIMO.

PROOEMIUM.

DUM calamum acuere paro, ducereque in laudes, atque encomia; tum D. DOMINICI, Patriarchæ longè ſanctiſſimi, tum erecti ab illo Religioſiſſimi Ordinis; inter cætera utriuſque decora, mihi imprimis incurrit in oculos illud, quod aliquando Pater Æternus D. *Catharinæ Senenſi*, Virgini caſtiſſimæ:

Dialog. cap. 158. *Dominicus dilectus filius meus, & tuus Pater, ordinavit naviculam ſuam Ordine perfecto, ut videlicet attenderet ſolùm ad honorem meum atque ad ſalutem animarum cum lumine ſcientiæ.*

Hoc Æterni Patris ad Catharinam oraculum, breve illud quidem, & dictione, ſtyloque humile, ſi verba ſpectes: at prolixum, atque ſublime, ſi rem ipſam attendas, quæ ſub iſtorum verborum cortice continetur: hunc vel levi manu incidamus.

Dominicus, inquit, *dilectus filius meus*. Quid amabilius, quid excelſius dici potuit? *Dilectus*, nomen eſt amoris, *Filius* autem naturæ vox eſt, & ſimul etiam indulgentiæ, ac beneficentiæ prorſus ſingularis, quam explicuit, dum in eum liberali deprompta manu è cœleſtibus gazis ſua dona propè omnia congeſſit: & ſimul *ordinavit naviculam ejus*, hoc eſt Religioſum, quem inſtituit Ordinem, quem *naviculam* appellat probè compactam, quæ huic mundo, ceu vaſto mari ſupernatet, & libero curſu, aſpirantibuſque melioribus auris efferatur etiam ſuper undas, procellaſque ævi hujus mortalis, uſque dum intret in portum æternæ beatitatis, in quem & ſuos alumnos importet, & alios quamplurimos eadem navi, iiſdemque remis adjutos: quod ut faceret eventu non minus certo, quàm felici, atque optato; voluit id fieri *ordine perfecto*: hoc eſt perfecto fine, & numeris ſuis omnibus abſoluto, quem proinde in oculis ſemper haberet, ut ſtellam maris peritus gubernator, qui ex ea & navim regere, & omnem navigantium curſum dirigere conſuevit.

Eſt autem ille *Ordo*, finis ei propoſitus, & quidem: Primò, *Dei honor*: dein *animarum ſalus*: ad hanc, & illum ducitur *Lumine ſcientiæ*, quod in DOMINICO, ejuſque germanis filiis erexit, atque incendit benefica Patris Æterni manus, *ad extirpandos errores, & hæreſes illo tempore pullulantes*. Dei ter Opt. ter Max. verba ſunt hæc, atque oracula, in quibus leges, quem illi navigationis tam longæ, tam difficilis, tam periculoſæ ſcopum præfixerit divina miſeratio: hunc videlicet, ut eo lumine, ceu cœleſti face obortas à vitiis nebulas, & ab hæreſibus superinductas humano generi tenebras, fugaret, atque diſſiparet.

Et hinc, inquit, *ipſe fuit Lumen, quod ego mundo gratioſè conceſſi, mediante glorioſa MARIA, quæ dedit* Cap. 34. *illi habitum & ego officium.*

Hîc oculos, hîc animum ſiſte, *mi Lector*, & auguſtum, cœleſte, ac divinum Omnipotentis Dei, de DOMINICO effatum audi, atque ex illo explica: ſic enim habet.

Ipſe fuit Lumen; non illud, quod oculis ſurgit, ac lucet; diemque facit brevi periturum; ſed quod oritur immortalibus animis, diemque creat, qui nullum unquam videbit occaſum: diem, inquam, beatæ æternitatis.

Hunc porrò diem mundo jam ad occaſum vergenti dabit DOMINICVS, quem non tam mater, aut natura terris effudit: quàm indulgentis Dei manus è cœlo conceſſit; & hoc quidem ex gratia, & miſeratione planè ſingulari, quæ non aliunde, quàm à Virgine, Dei Matre, bonorumque omnium oceano emanavit, à qua deinde alius, atque alius DOMINICO favor, honorque acceſſit. Eò quippe venit

indulgentiæ, eò etiam amoris, caſti amoris mater, ut veſte ſacra, ac religioſa illum donarit: cui deinde & aliud additum eſt ab Æterno Patre beneficentiæ prodigium, nempè *Prædicandi officium*, quod illi Ordini pro fine, ſcopóque veluti præfixum Deus voluit; ut apertè indicavit Viro in paucis religioſo, & ſancto: is fuit *Conradus*, Comitis Senenſis filius, & primùm Abbas Villarienſis, deinde Clarevallenſis, tum etiam Ciſtercienſis, denique S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalis.

Fiſen in Flor. Eccl. Leod. in ejus vita 30 Septemb.

Venerat hic Pariſios, ubi recens extructum erat Dominicanis cœnobium, quod dum luſtrat à Deo ſupplex petiit, quo fine novum hoc vitæ inſtitutum conditum eſſet, aperto mox libro prima hæc occurrit ſententia: *Laudare, benedicere, prædicare.* Dubitationi ſuæ reſponſum eſſe credidit: totusque abiit in Dei laudes, & novi illius Inſtituti amores, cui ſcilicet annuente cœlo tantus, & tam ſublimis propoſitus eſſet finis. Nempe Deum *Laudare, benedicere, & prædicare.* Ecce *Prædicandi officium.* Sed quale amabo quantumque illud? Sublime, excelſum, nobile, Apoſtolicum; imò cœleſte, ac propè divinum, quo ſcilicet in hominum animos, ceu molle ſubactumque ſolum, ea jaciuntur divinioris verbi ſemina, quæ & cœleſtis gratiæ flores explicent amœniſſimos, & gloriæ fructus producant uberrimos, etiam in omnem retrò æternitatem.

Et hoc eſt officium, quod cœlo judice, propitioque Numine, & DOMINICO, Parenti ac Fundatori veſtro quàm optimo; & Vobis omnibus, tanti Parentis filiis eſt donatum: ut ex illo ii eſſetis qui auditis, *Prædicatores*: hoc eſt *Cœleſtis verbi Præcones, Evangelicæ Tubæ, Organa divini Spiritus, Labia Chriſti, Cœli lingua, Satores æternitatis, & Fideles myſteriorum Dei diſpenſatores:* quos inter ut dignitate, ſic officio primus eſt S. DOMINICVS, qui datus eſt *mundo, mediante glorioſa MARIA.* A qua enim potiùs? erat MARIA uti Dominico, ſic & illius Ordini futura deinceps Patrona; imò & Mater: Mater quidem amore; Patrona verò authoritate.

Amorem hinc diſce. Ad lectulum flexo genu orabat è fratribus unus aliquis; cùm ecce in oculos venit Diva Mater, comite una, alteráve Virgine è cœleſti choro; quibuſcum dormitorium omne luſtrat, & fratres ſacra aſpergit aqua excepto dumtaxat unico. Hæc ut vidit, accurrit illicò, atque ad pedes illius accidit, ſupplexque rogavit, Ecquænam eſſet? & cur fratrem illum uti & alios non aſperſiſſet aqua? Cui illa: *Ego ſum Mater Dei, & veni viſitare hos fratres, iſtum verò non aſperſi, quia non erat paratus. Dic ergo ei ut ſe paret.* Hæc ubi paucis magna Mater, tum ſic ad illum: *Diligo quidem ſpeciali amore Ordinem tuum, hoc inter alia habeo gratum, quod omnia quæ facitis, & dicitis à laude mea incipitis, & in ea finitis. Vnde impetravi à Filio meo, ut nullus in Ordine tuo poſſit diu in mortali peccato perſiſtere, quin aut citò deprehendatur, aut citò pœniteat, aut extra projiciatur ne Ordinem meum fœdet.* Et hæc fuere Virginis verba, veriùs oracula, quæ ſtylo notare velim, ut memoriæ infigantur magis, & quidem

Bollandus 13. Feb. in vita B. Iordanis c. 4.

Primò illud: *Diligo ſpeciali amore Ordinem tuum.* Ecce amor, ecce caritas, ecce pietas Divæ Matris in iſtum Ordinem; quæ ne vacua boni eſſet, & ſpiritalis proventus. *Impetravi*, inquit, *à Filio meo.* Ecce maternam pro filiis ſollicitudinem, ecce curam nitoris, & munditiei animarum ab omni gravioris peccati nævo, & macula; quam non fert, non ſuſtinet caſti amoris Mater: ne ſcilicet Ordinem ſuum *fœdet*. Et hinc

Secundò oſtenditur Deiparæ Virginis in DOMINICVM, ejusque Ordinem *ſpecialis amor*, vel ex hoc uno quod *ſuum* appellet & velit. Vis noſce etiam protectionem? eam hinc accipe.

In Pariſienſi Conventu, ipſo Purificatæ Virginis feſtivo die, cùm incœpiſſent Fratres invitatorium illud: *Ecce venit*; Mox Dei Mater unà cum Filio ad altare majus proceſſit, conſeditque in parato ſibi throno, Fratres omnes inde deſpiciens amœno vultu, ac ſubridentibus oculis: cumque ad *Gloria Patri & Filio* ſeſe illi inclinarent, ipſa Virgo apprehenſa Filii dextra eos, & totum chorum ſignavit. Ecce Virgineam protectionem à Filii dextra, quam apprehendit, tenet Diva Mater, & in ſuos benignè inclinat, ut illis ipſe benedicat. Et hæc pauca attigiſſe ſit ſatis ad Dominicanæ familiæ decus illuſtre; ejusque ſanctiſſimi Patris, ac Fundatoris laudem, & gloriam; in quam priuſquam longiùs excedam, nonnulla ſubjiciam

EX D. THOMA.

DUM apis matinæ more, modoque: ex ipſis Scripturæ ſacræ areolis ſelectiora loca, ceu mella, legit Angelicus Doctor, hoc ſanctiſſimi Ordinis Parenti ac Patriarchæ D. DOMINICO ſelectum voluit.

Sol illuminans per omnia reſpexit, & gloria Domini plenum eſt opus ejus. *Eccl. c. 42.*

Sol, inquit, *B. Dominicus*, & quidem *illuminans*, ob ſeptem effectus, qui illi cum Sole aliquo modo communes: quod enim ille in corporibus; hoc iſte in animis operatus eſt, proventu ſanè maximo:

Primò enim *Sol* ille aſpectabilis, plurimum confert ad corporum generationem: & D. DOMINICVS, veluti *Sol* quidam typicus, ad ſpiritualem animarum generationem ſic contulit, ut dicere poſſit cum Apoſtolo: *In Chriſto IESV per Evangelium, ego vos genui.*

Secundò, *Sol vivificat*; & animas à peccato mortuas, vitæ, id eſt, gratiæ, reddidit D. DOMINICVS; adeóque & vivificavit. *1. Cor. c. 4.*

Tertiò, *Sol nutrit*: & quos gratiæ cœloque pepererat D. DOMINICVS, tum Dei verbo, tum amœna & ſpiritali converſatione nutrivit *tamquam ſi nutrix foveat filios ſuos.* *Ad Theſſal. cap. 2.*

Quartò, *Sol augmentat*: & ſuos auxit in ſpiritu, dum à virtute in virtutem eduxit.

Quintò, *Sol perficit*: & ſuos ille perfecit, dum ad Religionis, hoc eſt, perfectionis, ſtatum eduxit.

Sextò, *Sol purgat*: & animas ſibi commiſſas purgavit ille, dum in iis, etiam vel minimos nævos, maculasque deterſit, acriori, cùm opus erat, reprehenſione.

Septimò, *Sol renovat*: quod enim ab hyemis inclementia, & frigido aquilone, quaſi emortuum fuit; hoc primo vere, à benigniore ſolis appulſu, novam, atque amœnam faciem induit.

Et ſuos (ſi ſubinde vetuſtate quadam ſpiritali languidi, vieti, & propè emortui viderentur) ad ſtatum novitatis reduxit DOMINICVS, dixitque ex vero quod olim Apoſtolus: *Renovamini ſpiritu mentis veſtræ, & induite novum hominem.* *Ad Epheſ. cap. 4.*

Et hæc in, D. DOMINICI laudes extulit aliquando S. Thomas, & quidem paulò fuſiùs, ego breviùs: addo modò, quæ petenda duxi

EX EVANGELIO.

QUia longa è terris in cœlos via, homini, ceu viatori, Deus ter Opt. ter Max. primò præſcribit *cingulum*, quo renes accingantur, & veſtis aſtringatur; ne nimium effluat: deinde dat in manibus *lucernas*, easque *ardentes*; in quibus proinde duo ſpectes, & ames; lucem ſcilicet, atque ardorem. Et quia tam hunc, quàm illam in ſanctis Confeſſoribus cœlum requirit, hinc die illis feſto, hoc prælegit Evangelium, de quo mihi erit

QUÆ-

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa verba: *Et lucernæ ardentes in manibus veſtris.* Lucæ cap. 12.

QVÆ SINT ILLÆ LVCERNÆ? Quæve in iis Lux? Quis ardor?

INCREATA Divini Verbi Sapientia, viſa eſt amaſſe ſymbola, & iis expreſſiſſe viros illuſtres, quales, vel à purpura, ſceptroque: vel à Pedo Infuláque; vel à doctrina, & vitæ ſanctitate, eſſe ſolent.

Ita David, ſapientiſſimus Iſraëlitici Regni mo-
2 Reg. c. 24. derator, dictus eſt *Lucerna Iſrael*, quod illi eſſet, quod domui lucerna, quod Sol mundo.

Ita Heli, Summus Hebræorum Pontifex, appel-
1 Reg. c. 3. latus eſt *Lucerna Dei.*

Ita Auguſtinum, Nolæ Antiſtes Paulinus, *Lucer-*
Orat. 3. *nam Eccleſiæ* pronunciavit; quod & lumen effunderet, & denſas hæreticorum caligines diſcuteret, & amœnam veritatis lucem animis affunderet.

Ita magnum Athanaſium, *Secundam à Chriſto Lucernam* appellavit S. Gregorius Nazianzenus.

Ita denique, Doctores omnes, virique Apoſtolici dicti ſunt *Lucerna Dei*, *Lucerna* militantis *Eccleſiæ*. Quod ſi illi: ſic & D. DOMINICUS *Lucerna Dei*, *Lucerna Eccleſiæ*, & nominari, & eſſe poteſt jure merito.

At quæ illi *Lucernæ Lux?* Theophilacto, *Ratio*, & *Diſcretio*. D. Maximo, *Oratio*, & *Contemplatio*. Aliis; *Fides*. Nonnullis, *Fulgor boni operis.*

At quis ei *ardor?* quis *æſtus?* Inter omnes ferè convenit, quod *charitas*. Et hæc ad propoſitam quæſtionem ſint ſatis; ad rem venio, & mentis oculis contemplari volo, amoque D. DOMINICUM; utique in Eccleſiæ candelabro principem *Lucernam*, quod quia uno oculorum obtutu fieri non poteſt (habet enim ea ſuos veluti radios, eoſque hinc inde ſparſos) ex his modò hos, modò illos, oculo legam, tibique legendos dabo *benevole Lector*. Sit itaque

§. 1. D. DOMINICUS *LVCERNA LVCENS à cœleſti quadam divinorum præſagiorum Luce.*

AMabilis Dei Providentia, ubi unum aliquem rebus magnis, jam inde à ſpecula æternitatis, deſignarit; illius nativitati quibuſdam prodigiis præludere ſolet, & quadam veluti luce oſtendere, quis deinde, quantúſve ſit futurus.

Ita (ne alios conſecter) præluſit D. DOMINICO; & quidem primò Conſtantinopoli, urbe imperiali, ante illius nativitatem centum: eoque amplius an-
P. Ioannes Richar in vit. D. Dom. Lib. 1. c. 3. nis, in Templo S. Sophiæ viſebantur affixæ duæ imagines: una *D. Pauli*, cum hac Epigraphe ἅγιος Παῦλος. *Sanctus Paulus*. Altera *D. Dominici*, cum hac inſcriptione, καλὸς Δομινικός. *Bonus Dominicus*. Ac ne alium à noſtro crederes, veſtem gerebat, qualem deinde D. DOMINICUS, qualem & Ordo univerſus.

Et hoc Conſtantinopoli: illud Venetiis: *Abbas Ioachim*, à Prophetico ſpiritu, & Vaticiniis nominatus; qui ſeptuaginta annis vivere deſiit, antequam vivere inciperet DOMINICUS. In æde D. Marci duas tabulas appendit, quarum una apprimè referebat *D. Franciſcum*; erat ille griſia veſte, fune præcinctus, pedibus nudus, cicatricibus in manibus, pedibuſque; imò & lateris vulnere; unâ manu Crucem, alterâ librum geſtabat.

Alia, bellè repræſentabat DOMINICUM; erat enim veſte, & habitu corporis, quales modò *Fratres Prædicatores*; unáque manu librum explicabat, altera geſtum faciebat, qualem è pulpito concionatores. Sub hoc, & illo, legebatur iſta Epigraphe: *Sanctus*, *Sanctus*; prænuntia ſcilicet futuræ aliquando ſanctitatis.

Ita *Divis Dominico*, & *Franciſco*, præluſit Abbas Ioachim; primò mutis illis tabellis ac figuris; deinde ſolemni *Zachariæ* Vaticinio, quod de illis explicatum voluit. Fuit autem illud ejuſmodi:

Et aſſumpſi mihi duas virgas; unam, vocavi decorem; Cap. 11.
alteram, funiculum, & pavi gregem; hæc Deus *Zachariæ* voce, calamoque. At quæ virgæ? Interprete eodem Abbate Joachim, unâ *Dominicus*, *Franciſcus* refertur alterâ.

DOMINICI *virgam* vocavit *decorem*; vel ab habitu, qui amabili varietate, & album, & nigrum colorem oſtentat; eſtque Virginis Matris donum, vel à puritate, & virgineo candore, qui & D. DOMINICO, & illi Ordini datus eſt, uti & pro inſignibus, *Lilium*, ſymbolum Caſtitatis.

FRANCISCI *virgam* appellavit *funiculum*; quo ſcilicet ille præcinctus, in ſignum vitæ auſterioris ac
pœnitentiæ; cui ſcilicet *erit pro zonâ funiculus.* Et Iſayæ c. 3.
hac, & illâ *virgâ*: Chriſtus olim, ceu ſupremus Paſtor, *pavit gregem*, tam pabulo Doctrinæ, divinique verbi; quàm exemplo vitæ ſanctioris. Pavit etiam *Dominicus*; pavit & *Franciſcus*; ſecundi à Chriſto Paſtores.

Ut & ipſe aliquando paſcas, age, binas manu prenſa, atque erige *Virgas*. quarum una ſit decora; imò & ipſe decor, ipſa venuſtas; à niveâ Caſtitate, & inſigni vitæ morumque innocentiâ. Altera ſit rudis, ſit aſpera, ſit nodoſa, à ſeveriore pœnitentiâ, quâ corpus & cingas, & domes: nec enim molles & luxuriantes zonas cœlum amat; ſed rude, aſperumque cingulum: apertiùs loquor, atque explicatiùs. Non probant ſuperi vitam, quæ luxu diffluat, aut voluptate molleſcat; ſed quæ gravioribus exerceatur, atque induteſcat malis.

§. 2. D. DOMINICUS *LVCERNA LVCENS, jam inde ab utero materno.*

CArcer uteri materni, quo clauditur veluti captivus infans, ſubinde illi eſt quaſi cœlum à ſuperna prodigiorum luce, ignéque illuſtre.

Ita fuit olim *Eliæ*, cujus mater cùm eſſet in partûs anguſtiis, *Sabac* illius pater, ſibi videre viſus eſt viros quamplures albis indutos, qui & infantem ſalutare ac ſuaviari, & flammas jacere ad ubera materna; imò & infantis ori lactis adinſtar affundere. Credidiſſes jam tum *Eliam* unà cum lacte ignem, & flammas exugere. Quo doctus *Sabac* intellexit filiolum

filiolum ſibi deinde natum, & flammas, & ignes evomere aliquando debere, & hoc à zelo divinæ gloriæ, Et certè deinde evomuit igneus totus: *Surrexit* *Eccl. c. 48.* enim *Helias* Propheta, *quaſi ignis; & verbum illius, quaſi facula ardens.*

Quod *Eliæ*: hoc DOMINICO, cujus mater, cùm uterum geſtaret, in amœnâ ſomni imagine vidit *S. Dominicum de Silos*; *In ejus vita cap. 4.* à quo bono animo eſſe juſſa, edoctaque, quòd filium pareret, qui in Eccleſia eſſet quod in nocte *lucerna*, quod in orbe *Sol*, à doctrinæ ac virtutis luce, ſplendoreque.

Ei Vaticinio reſpondit objecta illi etiam in ſomnis alia ſpecies: Viſa quippe utero geſtare catulum, qui ore faciem accenſam præferret, quo & luceret & incenderetur Orbis univerſus: & ſic deinde ab illo luxit, arſitque. Fuit enim illi DOMINICVS, quod gregi canis, qui lupum infernalem à fidelium gregibus arcere, qui propellere, qui fugare, qui deinde adinſtar facis, meliore, id eſt, divino amoris igne, ſuccendere.

Ab illo cœleſti præſagio, quod *B. Ioanna*, D. DOMINICI matri eſt exhibitum, factum ut univerſus *Fratrum Prædicatorum* Ordo, ſcuto religioſo, & inſignibus ſuis, appinxerit canem, qui facem accenſam ore præferret; adjecta hac Epigraphe: *Vigilat; & cuſtodit: Lucet, & ardet.*

Vigilat enimvero, & DOMINICO gregi invigilat ſacra hæc familia; & vigilando, etiam illum *cuſtodit*, à luporum, id eſt, hæreticorum incurſu: *Lucet* deinde ab operum bonorum exemplis, quæ revera lux ſunt, & lux aurea. *Ardet* denique ab incenſo in Deum amore, & prona in proximum caritate. Vigilemus & ipſi, & ſenſibus noſtris (ceu commiſſo gregi) invigilemus, tum cuſtodiamus probè, ne in eos aliquid incurſet mali: tum etiam luceamus ab amœna, & cœleſti rectè factorum luce: denique ardeamus meliore flamma; Dei primùm amore, dein & proximi. Et ſic in nobis ipſis expreſſerimus, quod Religioſus hic Ordo, in ſuo ſymbolo expreſſum voluit, atque ſignificatum.

§. 3. D. DOMINICUS *LVCERNA LVCENS, etiam ab ipſo ſacri Baptiſmatis fonte.*

Eccl. c. 50. DE *Simone*, Sacerdote magno, extulit illud Eccleſiaſticus: *Quaſi ſtella matutina in medio nebulæ*. Nimirum ut illa nebulam, ſua luce dum aſpergit; diſſipat: Sic & *Simon Oniæ filius*, & Altiſſimi Sacerdos, in *medio* populi, quaſi *nebulæ*, ab erroribus ac vitiis perobſcuræ, illuxit, quà Doctrinæ, quà Sanctitatis luce ac fulgore, & tenebras diſſipavit.

Quod *Simoni* Eccleſiaſticus appinxit elogium; hoc ego D. DOMINICO, vel ab ipſo Baptiſmi fonte. Nempe *quaſi ſtella matutina in medio nebulæ; ſic ille effulſit in templo Dei.*

Dum ſacris aquis elueretur infans, matrona nobilis, quæ eum ſuſcipiebat, vidit ex illius vultu emicare alios, atque alios lucis amœnæ radios; qui deinde abſolutis Baptiſmi cæremoniis, in illius fronte coaluere, & ſtellæ figuram expreſsêre, non ſine amabili prodigio; cujus etiam Eccleſia meminit, in ſacro officio, dum ſic illi accinit:

Stella micans in fronte parvuli,
Novum jubar præmonſtrat ſæculi.

Et hæc ipſa ſtellæ ſpecies, ſecundò exhibita eidem illuſtri matronæ, *Cap. 5.* quæ dum in filiolo ſuo miratur & amat illud cœleſte prodigium, indormiſcit: & in ſomnis, ſopito quidem corpore; ſed animo vigili, conſpicit eandem ſtellæ figuram, lucemque in fronte parvuli eo ſplendore micantem, ut vel ipſius Univerſi tenebras diſſiparet, diemque redderet meridianum.

Hoc à cœlo prodigium cùm emanaſſet ad poſteros, & religioſam Sancti Patris familiam; viſum eſt ad tantæ rei memoriam, & commendationem, Divi DOMINICI fronti, ſtellam appingere; imò & in ipſo totius Ordinis ſcuto, adjecto eidem hoc lemmate: *Lucet, & ardet.* Nimirum in Eccleſia, ceu cœlo novo, *Lucet* DOMINICVS: *Lucet & Dominicana* religio, doctrinæ luce: *Ardetque* & hæc, & ille, accenſa, tum in Deum, tum in proximum caritate. *Lucet*, inquam, DOMINICVS; ſidus ſanctitatis, à ſidere præmonſtratum, & prius à Sybillis, prophetico ſpiritu, commendatum. Extat enim de hoc ſidere, illud earum oraculum:

Iacebit in fæno Agnus; & puellari officio decubabitur Deus & homo; & erit beſtia horribilis, ab Oriente veniens, & duæ ſtellæ ſurgent contra ipſam. *Lib. 8.*

Hæc illæ, primùm de Verbi Incarnati Nativitate; dein de *beſtia horribili*, id eſt, *Mahomete*, qui ab Oriente venit: denique de duabus ſtellis, id eſt, *Dominico*, & *Franciſco*, qui eo ipſo tempore ſurrexerunt, quo *Ottomanni*, objectis copiis, ceu nube quadam, Eccleſiam obſcurarunt. Ne porrò obſcurare pergerent, contrà ſurrexit *Dominicus*, & *Franciſcus*, ceu gemina Eccleſiæ ſidera, à quorum luce, ardoreque & luxit, & arſit Orbis propè univerſus.

§. 4. D. DOMINICUS *LVCERNA LVCENS, ab ipſis Cunis.*

DE ſponſa ſua, id eſt anima; cecinit olim cœleſtis Sponſus: *Favus diſtillans labia tua, ſponſa*: *Cant. c. 4. v. 11.* ita nimirum ab illius ore, veluti favo, diſtillabant mellita verba, quæ & aures caperent, & animum Sponſi cœleſtis.

Quod Sponſæ datum eſt: hoc & D. DOMINICO, cujus labia, vel ab ipſis cunis, viſa ſunt adinſtar alvearis, & favi mellis.

Lubet illius meminiſſe temporis; jacebat infantulus in cunis; cùm ecce illi examen apum advolare, *Cap. 7.* circuire mollia labella, atque in os ſeſe immittere, in illudque mox involare, mox etiam revolare; crederes illis, os parvuli DOMINICI eſſe pro alveari, in quo & favos excuderent, & mella diffunderent.

Quid enim potius? Eſt in favo & *mel* ſuave; & *cera* virgo: *Cera* quidem, quæ *Aris* ſerviat, ignem foveat, ac lucem effundat. *Mel* autem, quod palato ſapiat, & ſtomacho. Et in DOMINICO futura quondam erat melle ſuavior oratio, & mens cerea, mens virgo, quæ conciperet, aleretque ignem Divini amoris, & lucem undequaque ſpargeret exempli, vitæque ſanctioris.

Et hoc ipſum præſenſiſſe, ac præſagiſſe viſus *Dom Felix*, DOMINICI parens, qui ut apum examina vidit ad filioli labella appellere: & à melle ſuavem illum; & à cera virginem; & ab igne luceque, ſanctum prædixit.

Quod ipſum in ſimili prodigio longè antè prædixerat D. *Ambroſii* parens, qui ut apes ad os filii advolare vidit, exclamaſſe dicitur: *Si vixerit infantulus iſte, aliquid magni erit.*

Et verò quid magni fuit; magnus in Inſula Pedoque; magnus ingenio; magnus eloquio, Doctorque verè melleus. Quod de *Ambroſio* Pater; hoc quoque de DOMINICO parens, magnus in Inſula, quam ſpernet aliquando; magnus in Ordine religioſo, quem fundabit erigetque; magnus in eloquentia, melleaque dicendi facundia, magnus in vitæ Sanctimonia, magnus in terris, major in Cœlis, in quibus lucet, lucebitque in omnem æternitatem.

§. 5. D. DO-

§. 5. D. DOMINICUS *LUCERNA LUCENS, ab Infantia.*

DE ſeipſo dixit aliquando Salomon: *Puer eram ingenioſus, & ſortitus animam bonam.* Quæ etiam de ſeipſo dicere potuit DOMINICUS: ex verò enim & ingenium ſortitus ad ardua quæque, & animam bonam, ad omne virtutis ſtudium facilem, & pronam.

Hinc nihil in eo, quod infantem, quod puerum ſaperet; non joci, non ludi pueriles, non crepundia; ſeria & ſancta in illo omnia: ad Eccleſiam itare ſæpiùs, ornare altaria, oratiunculas fundere, utſque de illo *Gregorius* IX. Pontifex, *Sedulum circa Sancta Samuëlis imitari obſequium*: quod etiam ſacro probatum eſt oraculo. Cùm enim luce quadam ſolemni, ad Miſſam audiendam ſecum eduxiſſet pia mater, Sacerdos, qui tum ſacris operabatur, ad populum converſus, cùm de more, utúque ſacrificii dicere debuiſſet uſitatum illud, *Dominus vobiſcum*, extulit illud ad puerum: *Ecce reformator Eccleſiæ.* Moxque cognito errore, & lapſu linguæ, ut rebatur, iterum converſus ad circumſtantes dum nititur effundere votum illud: *Dominus vobiſcum*; iterum edit illud: *Ecce reformator Eccleſiæ.* Nimirum è memoria exciderat: *Dominus vobiſcum*; & occurrerat: *Ecce reformator Eccleſiæ*; quod non tam errore mentis, aut linguæ factum eſt; quàm impulſu divino, qui mentem regebat, & linguam. Verùm ut Sacerdos ad librum redit, recurrente iterum, ut credebat errore ſuo, ad medium altaris jam tertiò regrediens, enititur tandem proferre ſolitum illud: *Dominus vobiſcum.* Sed ó mirum! neque tum potuit; ſed & tertiò protulit illud, oculo, vocéque ad puerum converſis: *Ecce reformator Eccleſiæ.*

In Bulla Can. 12. — *cap. 8.*

Hic omnes invaſit ſtupor, amorque pueri! hinc jactatum paſſim & illud, quod olim de magno Baptiſta: *Quis putas puer iſte erit?*

Mater imprimis, utpotè filioli amantior, ex illius loci Epiſcopo quæſivit: ecquid eſſet iſtud? quidve portenderet? Qui adjecit: *Quot Sacerdotis eſſent verba, tot eſſe de puero oracula*; quæ apertè monſtrarent electum à Deo, ut re etiam ipsâ eſſet *Reformator Eccleſiæ.* Et hæc illi ab iſto oraculo Lux. Alia acceſſit à Virgine magiſtra, pro qua ſit

§. 6. D. DOMINICUS *LUCERNA LUCENS à Virgineâ Luce, atque Doctrinâ.*

PUſilli mortales, qui liberales artes, aut philoſophicas avidiùs hauriunt, atque oſtentant; à magiſtris ſuis, illis pondus adjiciunt, atque commendationem; quò fit ut hic *Ariſtotele* glorietur; ille *Platone*; alter *Tullio*; *Hortenſio* alius. At quinam illi? Homines ſunt; ab artibus illis, ac diſciplinis, leviter tincti, qui ad veritatis lucem, ferè ſic ſe habent; ut *Talpa ad ſolem.*

Non ſic DOMINICUS, cui non Plato, non Ariſtoteles, non Tullius magiſter: at magiſtra fuit ipſa *Virgo*, Angelorum Superumque *Magiſtra.*

2. P. c. 3. Nimirum, ut de illo B. *Alanus.* *Altior homine pueri indoles, Deo fuit digna, quæ haberet altiorem diſciplinam magiſtram. Magiſtram*, dico, *Dei matrem*, quæ & in terris Apoſtolorum Magiſtra, & in Cœlis etiam Angelorum, atque etiam parvuli DOMINICI.

Agebat ille decimum ætatis annum; utque ad omnem pietatem fictus erat, atque formatus; maximè verò ad Virginis cultum, ac venerationem; noctu, diuque, ſine lege, ſine numero repetebat Angelicum illud: *Ave Maria.*

cap. 9. Probata Virgini ratio, probatus & puelluli animus; quem ut Virginea luce, ſeu doctrina, perſunderet; illi ſe ſpectandam dedit, docuitque ex tunc Roſarii leges, modumque, quem deinde DOMINICUS aliis, ipſiſque orbi univerſo. Hic prima Virgineæ orationis, ac ſcientiæ rudimenta, ab ipſa Dei Matre hauſit, & poſteris omnibus haurienda dedit, atque ex illis copioſa gratiæ, donorumque cœleſtium fluenta; quæ ſcilicet ab iſtis voculis, *Ave Maria*, ceu uberiore fonte ſolent emanare, ut probavit aliquando exhibita *D. Gertrudi* ſcena, quæ ut viſu jucunda fuit, ſic & à fructu ſpirituali præcipua.

Dies erat Annunciatæ Virgini ſacra, cùm inter horas matutinas, viſum *D. Gertrudi*, cœlum aperiri, atque ex illo tres effluere rivulos à ſanctiſſima Trinitate, ceu bonorum omnium origine: & quidem ex illis unus emanabat ab Æterno Patre, alter à filio, poſtremus à Spiritu ſancto: & hi omnes in cor Gertrudis, ceu paratum alveum, defluebant, ac deinde ad fontem ſuum refluebant. *Inſinuat. Divin. piet. lib. 4. c. 12.*

Poſtquam inuſitato illo, divinóque ſpectaculo pavit oculos, ſimul & animum pavit, ſacratiore illo donorum cœleſtium influxu: intellexit enim ab Æterno Patre in ſe derivari aliquam divinæ potentiæ communionem. A Filio autem Sapientiæ puriora fluenta. Denique à Spiritu ſancto torrentes velut igneos, caſti in Deum amoris. Ecce quæ à duabus illis voculis, *Ave Maria*, cœleſtium gratiarum flumina in Gertrudem ſunt derivata: nec minora olim in D. DOMINICUM; nec minora etiam in te; *mi Lector*, ſi illam precandi formulam, eo ſpiritu, eo animi ſenſu, edideris, quo *Gertrudis*, quo & DOMINICUS.

§. 7. D. DOMINICUS *LUCERNA LUCENS à Prædicatione, & Scriptis.*

DIvo Auguſtino *Fides* eſt *Lucerna*, eſt enim illa menti, quod Lucerna corpori. Prophetæ Regio ipſum *Dei verbum*, ipſa prædicatio Lucerna eſt. *Lucerna pedibus meis verbum tuum*, inquiebat ille.

Ut illud Orbe toto ſpargeret, non ſuo conſilio, non humana ſorte adlectus eſt; ſed cœleſti ac divina, quod oſtendit objecta illi aliquando ſpecies. Ea fuit Apoſtolorum Petri, & Pauli, è quibus ille Scipionem, hic librum tradere videbatur, adjecta etiam apoſtolica illa voce, veriùs oraculo: *Vade, concionare, ad id miniſterium divinitus electe.* hæc ubi dixere, cœlo ſeſe reddiderunt: & DOMINICUS ſibi ab illa ectaſi eſt redditus. *In ejus vitâ l. 2. c. 1.*

Tunc agebat annum quartum ſupra vigeſimum; cùm hanc Fidei, verbique divini lucernam, per omnia propè Hiſpaniæ Regna circumferre cœpit, & primò quidem ad Mauros, qui tum temporis ejus partem longè maximam occupabant: Deinde ad Albigenſes, qui eas provincias longè, latéque ſua hæreſi, erroribusque infecerant.

Ex his, & illis innumeram propè multitudinem veræ Fidei luce illuſtravit, atque ex his præcipua capita, imprimiſque *Rainerum* Epiſcopum Albigenſem, & illius ſectæ principem, quem non ſolùm Eccleſiæ, ſed deinde etiam Ordini ſuo addidit; tum etiam *Alphonſum* hujus nominis octavum, utriuſque Caſtellæ Regem; tum etiam *Alphonſum* alterum, Leonis, & Galiciæ Regem: quos omnes, & fidei adjunxit, & novæ Confraternitati *Roſarii*, quam in Hiſpania per omnes ferè provincias, ac Regna propagavit, & in Francia per totam Britanniam, ut in omnes illas provincias, ac Regna florentiſſima, iret ille magnæ Matris, magnæ Virginis cultus ac religio. Et hæc inter Catholicos pia ſparſit arma; plura ac majora in Albigenſes, in ſuis erroribus pertinaces, quos ſi verbo flectere non poſſet, frangere certè probo niſu voluit, pioque invento. *Lib. 2. c. 11.* — *Lib. 1. c. 24. & 26.*

Fuit illud, ut vulgò dici ſolet *Cruciata*, de qua hìc paucis. Summi Pontifices cùm Eccleſiæ, vel ab Infidelibus, vel ab Hæreticis, grande aliquod malum imminere cernerent, pro remedio, militares ſuppetias adoroarunt, atque eæ in promptu eſſent, ex ipſo Eccleſiæ theſauro, omnium peccatorum indulgentias liberaliter conceſſerunt, ſpemque fecerunt etiam glorioſi Martyrii, ſi pro Fide, pro Eccleſia fortiter occubuiſſent.

Qui hac ſpe illecti ſacræ illi militiæ nomen dediſſent Crucem pro ſymbolo accipere, & chlamydi extrinſecùs aſſuere ſoliti; aliter tamen, atque aliter: qui enim in Orientem expeditionem bellicam moliebantur, pro recuperanda ab Infidelibus Terra-ſancta, hi Crucem in dorſo oſtentabant: qui autem contra Albigenſes in Aquitania, ii Crucem pectore præferebant.

Ad hanc porrò DOMINICVS, gallicos animos, ad arma faciles, atque expeditos, ita permovit; ut é tota Gallia recenſiti ſint ad quingenta, eóque amplius Francorum millia, qui omnes Lugduni convenere, ipſa *D. Ioannis Baptiſtæ*, ſacra luce. Tantum potuit Oratoris ſacri, vel in Deum fides, ac religiò; vel indita illi eloquentia; vel authoritas, firmata, etiam cœleſtibus prodigiis, è quibus unum, alterúmve produco, ſi tamen priùs paucis attigero præcipuas *Albigenſium Hæreſes*, & prima illius hydræ capita.

Primum fuit, duos eſſe Deos, duóque Numina, bonum unum; malum alterum.

Secundum, antiquo Teſtamento, eíque ſoli habendam fidem; Novo autem minimè.

Tertium, Baptiſmum infantibus nequaquam eſſe ad ſalutem neceſſarium.

Quartum conjugatos, nec poſſe, nec debere debitum petere, vel reddere, ſi modò ſalvi eſſe vellent.

Contra hæc, aliáque, & verbo, & ſcripto pugnavit DOMINICVS, ſuáque ſcripta etiam *Albigenſibus* conſignavit, legerent illi, ac perlegerent quàm accuratiſſimè. Legunt porrò, & perlegunt contenta in iis Catholicæ Fidei dogmata; tum inter ſe conveniunt, ut jacerentur in ignem (cui fortè tum aſſidebant) ſi arſiſſent illa, atque in cineres abiiſſent; falſa Catholicorum Fides probaretur: ſin autem illæſa, intactáve; omninò vera.

Invaluerat aliquando ea conſuetudo ut veritas igne probaretur: ita factum amavit, ſtupuitque antiquitas in certamine quod habuit *S. Copres* cum inſigni Mago; cui cum argutiis, & commentis par non eſſet, miraculo ita ſuperavit.

Silveſter Petraſancta Taumaſia Tom. 2. c. 8.

Juſſit ſpiram ſtrui, ſibique, & adverſario per eam dum arderet maximè, eundum eſſe dixit: ſed ea lege, ut populus fidem illius amplecteretur qui exiliret è rogo illæſus.

Admittitur conditio, paratur ingens moles incendiaria, & Magum *S. Copres* in eam ſecum invitat: ſed is præcedere illum, qui ſe invitaverat maluit; utique ſperans periculo alieno ſe fore ſine pugna victorem. Secus tamen evenit; nam *S. Copres* ſigno Crucis pyram inaugurans, ſecurus in eam inſilit; & tum flammæ in duas partes diremptæ, vel ad ſemihoræ ſpatium immoranti, nihil intulere damni: Turbæ autem prodigium demiratæ Magum adegere ut in pyram & ipſe pervaderet, & cunctantem, reluctantémque protruſerunt. Ut exierit proinde ſemiuſtulatus, debueritque illico ex Civitate pedem efferre, cum interim acclamatione ſecundiſſima *S. Coprem* deducerent omnes ad templum, ubi populus univerſus eo miraculo permotus, Chriſtianis ſacris initiatus; tantum apud illum valuit ea veritas miraculo firmata.

Quod illi ſancto certamen fuit cum Mago: hoc ferè D. DOMINICO cum Albigenſibus, è quibus unus cæteris ferocior hujus ſcripta in luculentum ignem conjicit, in eo durant aliquandiu, flammâ demum ea evomente, ac rejiciente; diceres ea revereri: & verò reverebatur: Tum iterum in ignem, eâdem *Albigenſium* manu rejecta, & iterum illæſa; denique & tertiò in ignem multò luculentiorem & injecta violentiùs, & profundiùs immerſa; & ecce tertiò penitus integra evaſcere.

Lib. 2. c. 5

Quid inde? crederes eo miraculo permovendos, domandoſque pertinaces animos: at minimè permoti, minimè edomiti, ſi unum ejuſdem ſectæ militem (qui fortè tum aderat) exceperis. Imò convenit inter illos, ne cui id miraculum proderent: at prodidit bonus ille miles, & DOMINICO aperuit, qui inde totus abiit in Dei ſui laudes.

Quod primò inter domeſticos parietes ab *Albigenſibus* factum; hoc deinde publicè; ut publica quoque foret fides. Cùm deſignatus eſſet commodus diſſertationi locus catholicos inter, & Albigenſes, adſuit D. DOMINICVS, eóque verborum & rerum pondere dixit, ut penitus obmuteſcerent hæretici, è quibus tum unus aliquis, auditus exclamaſſe: non verbis certandum eſſe; ſed miraculis: his certè probanda fides, ſeu *Albigenſium*, ſeu *Catholicorum*: Et horum, & illorum ſcripta, dogmatáque tradantur igni, quæ illæſa eruperint, eorum probetur fides. Hæc ille:

Cap. 6.

DOMINICVS, ſpe, atque in Deum fiducia plenus, annuit. Itaque à Iudicibus, qui tum diſceptantibus aſſidebant, primò *Albigenſium* ſcripta in ignem luculentum immiſſa, quæ illicò flamma corripuit, atque in favillas, & cineres redegit. Tum D. DOMINICI ſcripta in eaſdem flammas injecta, è quibus evaſcere illæſa, intactáve flammâ ea reverente; imò reſpuente: quod enim mireris, valido impetu rejecta in trabem tranſverſam, in qua etiam miraculo, veſtigia libri impreſſere tribus in locis, quæ etiamnum videre eſt.

Hic primùm ſtupere *Albigenſes*, tum indignari, ac furere, eademque DOMINICI ſcripta rapere, atque in flammas adjicere, & hoc ſecundò, ac tertiò, è quibus ſemper innoxia exceſsêre, flammâ, ut dixi, ea reſpuente.

Id prodigii valuit plurimum ad firmandos *Catholicorum* animos, & infirmandos *Albigenſium*, è quibus tum centum quinquinta manus victori DOMINICO, & veræ fidei dedêre, vel ob hoc unum, quod ejus ſcriptis pepercisſent flammæ: alii quia & tiſdem pepercerunt undæ; cùm enim is vellet trajicere *Aregiam* fluviolum, ſuccingereturque, vadum nudis pedibus tranſmiſſurus, effuſi in aquam è ſinu ejus codices fuerunt, & tum ipſe nihilo triſtior ex jactura, gratéſque Deo referens, dumtaxat matronæ cuidam piæ rem indicavit, triduoque pòſt eos hamo extulit piſcator, ratus piſcem trahi, & nulla quidem apicum litura, quaſi ex bibliotheca ipſa tunc primum depromerentur. Ita nimirum & ignis & aqua piis illis D. DOMINICI lucubrationibus parcere docta, etiam miraculo.

Theodoricus in vita D. Dominici.

At non ſic Albigenſibus, quibus nec ignis pepercit, ut jam vidimus, nec aqua, ut jam oſtendemus. Ut pravis ſuis dogmatibus fidem aſtruerent, populoque ſimpliciori illuderent, ambulabant ſuper aquas, quaſi illius elementi victores eſſent, ac Domini. Sed non diu illuſere ſuis illis præſtigiis; adfuit enim Catholicus ſacerdos cum Euchariſtiæ hierotheca, & ſic ad malum illum dæmonem authorem mali dolique:

Adjuro te diabole per eum quem mecum geſto, ne fallaciis hujuſmodi imponas huic populo. Sed enim Albigenſis nec mergi, nec madefieri, imo ſuperbiſſimè, & aquis eminere, & choreas in iis ducere. Cùm ecce tibi Sacerdos Numinis inſtinctu, in gurgitem ipſum injecit ſacram pyxidem, unáque Euchariſtiam,

Cæſarius & Silveſter Petraſancta Thaumaſia Tom. 2. c. 19.

cujus

cujus vim ut ſenſerunt aquæ, in momento infelices illos ludiones, atque orci hiſtriones, flumine hauſerunt, ſicque exitu lugubri tragicóque peracta eſt illa fabula; ipſa deinde Euchariſtia poſtridie, nullo ex aquis accepto damno à cœleſtibus unque Geniis in templum eſt reportata.

Ecce ut ubique victrix Orthodoxa fides, ubique victa hæreſis etiam miraculo: ab hoc certè magnus acceſſit animarum proventus, ſed audeo dicere major à D. DOMINICI, ſeu ſacri Oratoris concionibus. Sunt certè Authores omni fide digni, qui aſſerunt, illius verbo, ac prædicatione, pluſquam centum hæreticorum millia Religioni Catholicæ reddita, damnatis priùs *Albigenſis* ſectæ erroribus: ut nihil in præſentia dicam de Catholicis propè innumeris, quos à vita ſolutiore, ad arctiorem, ac meliorem traduxit, diſſipatis peccatorum tenebris, profundáque nocte, in qua obdormierant; adeo à fide, ac prædicatione lucebat DOMINICVS: eam porro lucem, dum in eo videt, & amat Summus Pontifex *Innocentius III.* eum omnium primum eſſe voluit Fidei *Inquiſitorem*, quod & confirmavit *Honorius III.* quo in officio ita ſeveritatem cum Chriſtiana manſuetudine conjunxit, ut ab illâ nihil omnino huic deceſſerit: nec enim unquam ſeveritatem, pœnas, ac ſupplicia adhibebat, niſi cùm ratio, blandæque, ac paternæ monitiones non ſuffeciſſent: tum enim patiebatur, ut à brachio ſæculari, & ferrum admoveretur, & ignis; & quidem opportunè ad datum illi à Cœlo ſymbolum; nempe canis accensâ in ore facula: *canis* quidem, qui dentem, & morſum adhiberet, ubi prius latratus non excitarat; *faculam* deinde, rogos, & ignes, quibus urerentur maleſana corpora, ubi à meliore flamma, ignéque cœleſti calere, ardereque animi recuſaſſent.

Luc 2, v. 17.

Neque is concitati zeli rigor alienus fuit à Chriſtiana manſuetudine: uti nec alienus fuit unius *Moyſis* zelus, iraque (à qua ex idololatris ferro periere viginti tria millia) nec magni illius *Eliæ*, quo octingenti, & quinquaginta falſi Prophetæ ferro trucidati: nimirum ubi verba non proſunt ad verbera veniendum.

Sed ab his in præſentia diſcedo, ut redeam ad ſacrum oratorem DOMINICVM, quæramque unum illud, unde in illo tanta vis ſacræ dictionis? an fortè à verbis Evangelicis? at ea protulere etiam alii, nec tamen inde ab animos tanta utilitas evaſit. An ab arte oratoria, & concitata, comptaque oratione? Sed etiam, eâ ætate, oratores alii, & fortè DOMINICO ſuperiores, neque tamen in his ea virtus perſuadendi fuit. An ergo à miraculis, ac prodigiis, ab eo tum temporis editis? Fateor ab illis plurimum ad commovendos animos emanaſſe: nego tamen ab his tantum ponderis acceſſiſſe, quantum à rectè factis, à virtutum luce, ab exemplis vitæ ſanctioris: alia in oculos, & aures incurrunt, hæc autem evadunt ad animos, & cor ipſum, vitæ amorisque ſedem petunt; & ipſam rationis arcem occupant, non tam verba, quàm opera: hæc niſi dederis, incaſſum jacies illa. Ut enim Abbas Cheremon apud Caſſianum:

Collat. 18. c. 4. *Nunquam erit efficax inſtituentis authoritas, niſi eam effectu operis ſui, cordi affixerit audientis.*

Quod ipſum etiam natura, rationéque duce agnovere profani, quos inter Seneca, more ſuo, id eſt diſertè; & nervosè: ſic habet Epiſtolâ ad Lucilium:

Ep. 108. *Qui aliter vivit, quàm vivendum eſſe præcipit, non magis mihi prodeſt, quam navigator in mari nauſeabundus. Tenendum eſt gubernaculum rapiente fluctu, luctandum cum ipſo mari. Quid me juvare poteſt gubernator attonitus, & vomitans? Non eſt tam loquendum, quàm gubernandum. Omnia, quæ iſti dicunt, quæ turba audiente jactant, aliena ſunt. Dixit illa Plato, dixit Zeno, dixit Chryſippus, dixit Poſſidonius, & ingens agmen, tot, ac talium; ſed quomodo probare poſſint, eſſe ſua quæ docent? monſtrabo. Faciant quæ dicunt;* & enimvero probaverunt. Et ita probavit D. DOMINICVS, itaque probes oportet, quiſquis è pulpito dicis orator ſacer; utque ſic dicas, te etiam compellabo ipſis Senecæ verbis:

Lib. 2. ep. 20. *Sermo tuus in exemplo videbitur, non enim tunc dicitur ille; ſed probatur. Sicq́ʒ, non ſolum præceptor veri; ſed teſtis eris.*

D. DOMINICUS *AB INDITA DIVINITVS virtute* Lucerna lucens *ſimul &* ardens.

INCARNATA Patris Æterni Sapientia; viros magnos, & Religionis noſtræ Heroas, veluti lucernas ponit ſuper candelabrum, ut luceant omnibus, qui in domo ſunt, hoc eſt, in Eccleſia? At quâ, inquies, luce? non alia, quàm virtutis, & bonorum operum: ſic enim, inquit:

Matth. c. 5. *Nemo accendit lucernam, & ponit eam ſub modio; ſed ſuper candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo ſunt.*

Hæc ubi dixit, tum conficit: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona*; Ecce lucem, quæ in hominum oculos incurrit; imò & animos, eoſque ſuo fulgore allicit, ac rapit; uti certè rapuit, quæ olim à D. DOMINICO, ceu lucernâ Eccleſiæ, enituit: ut porrò etiamnum eniteat, primùm emanet illud.

§. 1. D. DOMINICUS *LVCERNA LVCENS à Caſtitate.*

CAſtæ generationi duas omninò dotes attribuit Sapiens. *Pulchritudinem*, & *Claritatem*; hac enim, & illâ captus exclamavit: *O quàm pulchra eſt caſta generatio, cum claritate.* *Pulchra* profectò; quid enim pulchrius virgineo candore? Etiam & *clara*, quid enim clarius? quid lucidius Caſtitate, quæ à Deo, ceu lucis fonte, à Virgine, ceu Matre *pulchræ*, id eſt, *caſtæ dilectionis*, emanat. *Cap. 4.*

Et ita emanavit in D. DOMINICO, quem *S. Catharina Senenſis* in exceſſu mentis vidit in ipſo Patris Æterni corde, unà etiam cum JESU Patris Æterni Filio; vidit, inquam, & ſimul audiit: *ô Filia*, vides in corde meo, hunc JESUM; inde DOMINICVM: ille mihi naturalis; hic adoptivus eſt Filius. Illum ab æterno genui, hunc in tempore; & quia in hunc peculiari ferebar amore, volui eſſet in corde meo ſimul cum JESU, ut ſic mihi eſſent quaſi gemelli Filii, naturalis ille; hic adoptivus. Hactenus *Catharinæ* Pater Æternus, in cujus corde, ſi fuit DOMINICVS (uti reipſa amore fuit) certè ex eo hauſit puros caſtoſque amores: uti etiam à Virgine, quam ſcilicet magiſtram habuit anno ætatis ſuæ decimo, & ſponſam anno ætatis decimo octavo. A magiſtra didicit, quæ ad Virginis cultum, honoremque facerent, quæ Roſarii decurrendi ratio, quæ officia pietatis, ut antè expoſui: à ſponſa, vincula induit; ſed amoris vincula, vincula caſtitatis, quâ ſe illi obſtrinxit; ita nimirum illi ſeſe ſpectandam dedit Virgo Mater, & primò aſcivit in diſcipulum, dein etiam in ſponſum; Virgineum utique ſponſum. Et hinc in DOMINICO à prima ætate, ad extremum uſque, Virginea corporis animique puritas, quæ etiam ex ipſo in alios emanabat; & primùm quidem in ſæculares, qui ſi fortè illi reverentiæ causâ manum exoſcularentur, præſentiebant odorem longè ſuaviſſimum: ita nimirum è Virginea DOMINICI manu, carneque, manabat cæleſtis quidam odor caſtitatis, qui & corpus, & animum perfunderet. Et hæc ſæcularibus affuſa gratia; nec minor religioſis illius filiis, quibus & DOMINICVS jam vita functus & ipſa Virgo Mater, à Chriſto IESU Caſtitatem petiit, & impetravit. *Lib. 4. c. 12.* *Cap. 13.*

Argumen-

Argumento ſit illod, quod in *Lombardia* exhibitum cuidam Virgini, ut vulgò dici ſolet *Recluſæ*: ſubintellexerat illa, enatum in Eccleſia novum Ordinem, *Fratrum Prædicatorum*, è quibus unum aliquem, & videre, & alloqui exoptabat, ut ex illo, de aliis judicium ſaceret.

Hæc inter vota, adſunt ex illis duo, qui ad eam de viâ declinant, & pia, de more, miſcent colloquia; è quibus dum quærit: ecqui eſſent? & ex quo Ordine? & quò pergerent? audit eſſe ex Ordine *Prædicatorum*, emittique in Orbem, in urbes, & compita, Evangelii prædicandi grana. Hîc primùm hærere bona Virgo, tum mirari adeò juvenes, vultu, veſtéque decoros; tum etiam vereri, ne in eo ætatis æſtu floréque aliquid paterentur à libidinis æſtu, verméque concupiſcentiæ, qui ætatulam illam, ceu teneram plantam, faciliùs arrodit.

Dum hæc intempeſta nocte, apud ſe volvit, ac propè damnat Religionis Præſides, quòd tam juvenes in apertum campum, adeoq́ue caſtitatis diſcrimen, emitterent: Ecce illi adfuit Dei Mater, & primùm arguit; tum etiam ſuboffenſam ſe dixit, illa quali quali de Religioſis illis, ceu filiis ſuis, opinione: tum etiam addidit & illud, petiiſſe ſe; imò & impetraſſe à filio, ut & juvenes illi inter ſæculares Religioſi, & inter impuros puri, & inter flammas eſſent illæſi.

Et ne dictis ſola fides eſſet, chlamydem, ſeu virgineum paludamentum, explicuit, oſtenditq́ue ſub illo latere Religioſos illius inſtituti quamplurimos; quos inter, & hi duo juvenes *Prædicatores*. Ecce unde his, & illis affuſa Caſtitas, unde virginea puritas, à Virginis ſcilicet favore, gratia, protectione; imò & benedictione.

E re mea erit etiam hujus meminiſſe. *B. Ro*, è primis D. DOMINICI ſociis, nocte quadam, dum orationi vacat, vidit è Cœli regia in Dormitorium illabi Deiparam, inſigni beatorum corona ſeptam, cellasq́ue omnes ſedulò pertranſire, ac ſingulis fratribus jam ſopitis, ſolemniter benedicere, ſi unum excepiſſes, cujus ad cellam ut appulit; extrema togæ parte, vultum obtexit, & abiit levi pede. Notavit oculo cellam, & ſibi redditus, ac luci matutinæ, ex ejus incola petiit; num quod fortè conſcientiam polluiſſet ſcelus, quod magnæ Matri, magnæ Virgini diſplicuiſſet, avertiſſetq́ue datam virginea manu benedictionem? Ubi intellexit nihil omnino fuiſſe ſceleris, ſed unum dumtaxat illud; ob æſtum inſolentiorem, minùs decorè lectum jacuiſſe: ſimul intellexit, unde tanto fruſtratus bono, monuitq́ue ut in poſterum decoro ſtuderet, & virgineis oculis: fecit enimverò quod juſſus erat, & ecce tibi nocte ſequenti Diva Mater Dormitorium rurſus ſubintrat, obit, datq́ue ſingulis benedictionem, etiam & illi, imò & ad beatos è Cœlo comites converſa:

Hi ſunt, inquit, *Filii mei dilecti, in quibus mihi complacui.*

Ecce unde *Caſtitas*, unde *claritas*, unde *pulchritudo* religioſæ mentis. Ut ad aliquam cum illâ bonorum iſtorum communionem aſpires, apud te expendas velim, quæ caſtæ menti ſedes? & unde in eam venit? Sedes illi non alia, quàm *Cor*, hoc eſt Amor Æterni Patris: nec enim illi cor aliud eſt, quàm *Amor*, adeóque eſſe in Amore, eſt eſſe in corde.

Et hæc prima virgineæ menti ſedes: altera eſt, ſub magnæ Matris, magnæ Virginis pallio, ſub quo ſecura deliteſcit, procul à veneris face, procul à cupidinis igne, æſtuque inſolentiore.

At unde hæc illi ſedes? unde & Virginis umbra? Et hæc, & illa, caſtis animis cedit. At cur inquies?

Serm. de altitudine cordis.

Quia caſti, Angeli ſunt terreni, aut potiùs cœli cives; ut pulchrè D. Bernardus.

Quia *ſemper eſt Angelis cognata virginitas, & in carne præter carnem vivere, cœleſtis eſt vità*; ut disertè D. Chryſologus. *Serm. 143.*

Quia denique, ut eleganter D. Cyprianus ad Virgines: *Quod futuri ſumus, vos jam eſſe cœpiſtis, vos reſurrectionis gloriam in iſto ſæculo jam tenetis; per ſæculum, ſine ſæculi contagione, tranſitis.* *De habit. Virg.*

Ecquid ergo mirum, ſi etiam ad ipſum *Patris Æterni* Cor tranſitis? jam facti cœli cives, Angelis cognati, vitæ cœleſtis, & velut ipsâ reſurrectionis gloriâ jam donati. Quid, inquam, mirum, ſi etiam ad ipſam Virgineæ veſtis oram, umbramq́ue tranſiiſtis, qui *per ſæculum, ſine ſæculi contagione, jam tranſiſtis.*

§. 2. D. DOMINICUS *LUCERNA LUCENS, ab auſtera Pœnitentia, & corporis afflictatione.*

DIxit olim patiens Iobus, & rectè: *Militia eſt vita hominis ſuper terram.* *Militia* dico in hoſtes acerrimos, quibuſcum, non de vita breviore, ſed de æterna, certamen eſt: & quidem primò cum Carne, ceu domeſtico hoſte, quocum inteſtinum bellum eſt: deinde cum Mundo, qui auro, gemmisq́uê pugnat, fucisq́ue honoribus: denique cum Dæmone, qui malis ſuggeſtionibus, ceu telis quibuſdam, infeſtus eſt. In eo porro congreſſu & vario, & ancipiti, & periculoſo, opus armis. At quibus inquies? Non Saulis alicujus, auro fulgidis, ac nitentibus; non Goliathi, ferru timendi, & haſta; ſed baculo paſtorali Davidis, ſeu, ut clariùs eloquar, ligno Crucis, *mortificationis* ſtudio, pœnitentia auſterâ, cilicio, flagellis, jejunio, humi-cubationibus, aliisque corpuſculi afflictationibus: his pugnatur, & vincitur.

Dux Romani exercitus nomine *Kericus*, ab armis nominatus, cùm expeditionem in Perſas moliretur de via deflexit ad *S. Theodoſium Cœnobiarcham*, à quo doctus nova bella, novosq́ue pugnandi modos, quibus ſcilicet, non tam armis, quàm cilicio tectus in campum iret. Ivit porrò, & ipſius *S. Theodoſii* cilicium, induit; in eoq́ue pugnavit, & vicit. *Bollandus in ejus vita 11. Ian.*

D. DOMINICUS, Cœlo, Deóque judice nominandus aliquando Dux numeroſi exercitus, non Romani, aut profani alicujus; ſed ſacri, ſed religioſi Ordinis, doctus eſt pugnare, & vincere. Atquibus armis? cilicio certè, flagellis, jejunio, humicubationibus, aliâque ſimili corporis maceratione, ac propè laniena: hac Carnem, ceu inteſtinum hoſtem, ſuperavit, hac Mundum ſtravit, ac Tartareas poteſtates fudit, vicit, profligavit; & hoc (quod in eo mireris ac ſuſpicias) à tenellulâ ætate.

Annos quippe natus non amplius decem, flagellis in corpoſculum ita durè ſæviebat, ut totum illud proſcinderet, atque excoriaret, quæ illius laniena eò gravior fuit, quò ætas provectior; diceres unà cum annis, etiam creſcere ſtudium *mortificationis*; & re etiam ipſa creſcebat. *Lib. 4. c. 14.*

Vix enim attigerat annum decimum tertium, cùm noctibus ſingulis ſeipſe ſic excruciare cœpit.

Cùm enim continenter tria Roſaria decurreret, ad ſingula in iis *Ave Maria*, è flagellis fune nodoſo textis, ictum addebat valido impete, adeóque in univerſum ictus quinquaginta ſupra quadringentos. Quæ cupido, ardorq́ue in ſe ſæviendi, crevit etiam cum ætate, anno quippè illius decimo octavo, pro funiculis catenulas ſumpſit, iisq́ue ſeſe fœdum in modum diverberare cœpit, etiam ſingulis noctibus, & pari ictuum numero, videlicet quadringentis quinquaginta, quot ſcilicet in tribus Roſariis *Ave Maria*.

Ubi ſic à flagellis lacerum & cruentum erat corpus; ne quæ illi daretur requies, duriore cilicio, non tam tegebat; quàm macerabat, frangebatq́ue; nec

nec illo tantùm; ſed & ferrea catena ad renes accinctus, dies totos exigebat, & noctes: non in molli anſere, plumaque; ſed in nuda humo, & plerumque in ſuppedaneo altaris, quod illi erat pro cervicali, ubi deficiens ab oratione corpuſculum, tantiſper in ſomnum inclinabat. Neque illi à cibo, potuque melius erat; ille quippè, modicus, & ferè mucidus panis; hic autem, aqua pura. Et tamen hæc inter, vultu ſemper hilari, ac jucundo; ut, cui nihil accideret jucundius, quàm pati.

Die quadam, cùm propè miraculo improbas prædonum manus evaſiſſet, ex eo quæſivit unus aliquis ecquidenim verò feciſſet, ſi in eos incidiſſet; cui ille, hoc unum, inquit, petiiſſem enim ſupplex, ut non uno ſupplicio, eóque breviore daretur mori: ſed longè pluribus, & lenta, longaque morte; præciſis ſigillatim membris, acciſis auribus, erutis oculis, detracta cute; & poſtquam nihil à ferro amplius detrahendum eſſet; tum ad extremum, capite minui. Tantus erat ardor patiendi; tantâ cruciatuum fames, ſitíſque. Nec mirum, cui ſcilicet pro exemplari erat Chriſtus, in quo à planta pedis ad verticem capitis non eſſet ſanitas. Hunc nimirum ſpectabat, hunc amabat, & ad hujus inſtar vitam omnem exigebat. Et hunc quoque intuere, *mi Lector*, diſce ex D. DOMINICO, non cuticulam curare, non madere vino, non cibo diſtendi, non cubare in molli anſere, non dæliciis innatare; neque enim hæc ad ſuperos via. Aliâ certè *Dominicus*, aliâ *Deus homo*, aliâ & tu ipſe, ut evadas, eſt neceſſe.

Atqui, inquies? eâ, quâ generoſi Chriſti pugiles, qua fortes athletæ, in arena ſcilicet & pulvere. Chryſoſtomum audi, oratorem aureum; ſic olim ad populum, & ſic ad nos hodie:

Hom. 67. ad Pop. *Non hic remiſſionem quæramus, nullus enim athleta generoſus in ſtadio balnea quærit, aut menſam cibis, & vino redundantem: hoc enim, non eſt athletæ; ſed aulici delicati. Athleta namque pugnat pulvere, oleo, ſolis ardore, ſudore largo, tribulatione, atque anguſtia. Hoc eſt certaminis tempus, & pugna. Igitur & vulnerum, & cruoris, & doloris.*

Quod ſi Athletæ id pugnæ tempus, certè id quoque Chriſtiani, id religioſi, id Viri Apoſtolici: ac ne ſolis verbis ſit fides, facta primùm excipe, etiam ab Apoſtolo; tum Auguſtinum audi. Quid ille?

1. Cor. c. 9. v. 26. Ego, inquit, *ſic pugno, ut non ſim quaſi aërem verberans, id eſt, non inaniter pugno, ſicut ille, qui jactat ictus incaſſum, & pro hoſte aërem ferit. Scilicet non verbis; ſed rebus contendo, quia non ſum de illis, qui dicunt, & non faciunt; ſed caſtigo jejuniis, & afflictationibus corpus meum, ne reprobatus a Deo, & à gaudiis cæleſtibus, quæ aliis prædico, alienus fiam.*

Hæc ubi, ex Apoſtoli ſenſu, vocéque, dixit Auguſtinus, tum ſic ad nos orationem convertit:

Cum Vas electionis ſic metuat reprobus fieri, quid de nobis miſeris erit, qui nullam a Deo, Dei vocem audivimus de noſtra electione?

Erit certè quod metuamus vel maximè, ut qui, vitæ, id eſt certaminis tempus, fecerimus eſſe quietis, qui in ſtadio, etiam dælitias quæſierimus, contra hujus vitæ, ſtadiique Chriſtiani leges, contraque cœli pacta, quibus *per tribulationem conſummari nos oportet*; ut ſcitè notat D. Auguſtinus.

§. 3. D. DOMINICUS *LUCERNA LUCENS ab Humilitate, & honorum fugâ.*

Cap. 37. de Humil. BEato Umberto, *humilitas eſt ſcala ad cæleſtia nos ſublimans*, ejus porrò alii, atque alii ſunt gradus, qui nos in ſublime vehunt.

Primus eſt, *occultatio ſui*: quiſquis enim verò humilis eſt, amat latere, amat tegi, & eripi mortalium oculis. inde ab eodem B. Umberto *Humilitas* dicitur, *& eſt cinis virtutum*: ut enim ſub cinere carbones ſervantur accenſi; ſic & piæ mentis fervor, æſtuſque divini Amoris, ſub humilitate conſervatur: & contrà, ut carbones à cinere nudi, illicò nigreſcunt, atque extinguuntur; ſic & virtus omnis, quæ humilitate, ceu cinere, non tegitur, ut extinguatur ac pereat eſt neceſſe. *Ibidem.*

Hujus probè conſcius D. DOMINICUS, nihil antiquius habuit, quàm latere, ac tegi, eſſéque ſub modio; non ſuper candelabrum. Ex hoc porrò intimæ demiſſionis genio factum,

Primò, ut Dei dona, quibus ornatus erat, occultaret quàm maximè, qualia fuere impreſſa Chriſti ſtigmata, donum linguarum, & miraculorum. *Lib. 4. c. 13.* Inde cùm Romæ inaudiſſet vulgatum illud, quod tres mortuos ibidem vitæ reddidiſſet; illicò *Bononiam* fugit, ut hominum oculos laudemque fugeret; imò & ipſius Pontificis, ad quem ea miraculorum fama pervenerat.

Factum ſecundò, ut oblatos ultrò honores, & Infulas detrectaret. Ita detrectavit Epiſcopatus omninò quinque. *Dolanum* in Britanniâ, *Tutcenſe* in Galicia, *Betirienſe* in inferiore Narbonenſi Gallia. *Gonzeranum* in Gaſconia, *Comingenſe* in Archiepiſcopatu *D. Auſchenſi*. Quod non fecit ſine cæleſti prodigio, Domino, ſervi ſui votis, obſecundante.

Dum Galliam Apoſtolico pede, zeloque decurrit; in Britanniam venit, auditque illius ducem ſibi conſanguineum, cui nomen *Arius*, qui DOMINICI ſeu genere, ſeu doctrina, ſeu virtute captus, ad Epiſcopatum *Dolanum*, qui fortè tum vacabat, evehere ſtatuit. Quid ageret DOMINICUS? quo ſe verteret? ad Britanniæ ducem, ſibi ſanguine junctum? at hic obfirmato animo in Epiſcopum depoſcebat? ad Cleri ſuffragia? ad undas populorum? at illius erat una conſenſio, & horum communia vota, Epiſcopum inclamantium. Quid igitur conſilii? quid remedii? an ſalus in fuga? at neque hæc *Lib. 1. c. 19.* tuto dabatur, imò nec licebat: dux enim Britanniæ propoſiti tenax, aditus omnes præcluſerat, & citatis equis, ad omnes omninò ditionis ſuæ portus mandata tranſmiſerat, ne quis DOMINICUM in Hiſpaniæ littora duceret; imò ne quis omninò ſolveret. Quid igitur hîc DOMINICUS? ubi humana omnia deeſſe ſibi ſenſit remedia, ad divina confugit, Deumque ſupplex rogavit, ut ſe è Britannia in Hiſpaniam traduceret. Vota ſupplicis audiit benignum Numen, & per Angelos in Hiſpaniam illicò tranſportavit, atque in urbe *Oſmenſi*, ſalvum, & incolumen depoſuit. Hîc novam terræ faciem, nova littora mirari DOMINICUS, & amare mirabiles Divinæ Providentiæ vias, & illius loci Epiſcopo rem omnem candidè exponere.

Quis hîc tibi ſenſus, *mi Lector?* quis animus tibi, ô quiſquis es, honoris, & Infulæ candidatus? audio exclamas; hic innovata miracula, quæ olim in Propheta *Habacuc*, quæve etiam in *Philippo*

Audio, & teipſe damnas; qui ad Eccleſiaſticas dignitates, non curris; ſed evolas: non curreres, certè, non evolares, ſi tibi in oculis eſſet DOMINICUS; ſi & alii in memori mente, ſenſuque. Ex his enim audires *S. Fulgentium*, qui ne fieret Epiſcopus effugit, latuitque diu in alta ſpeluncæ nocte. *Bollandus in ejus vita 1. Ian.*

Audires & S. *Alexandrinum Acoemetum*, qui necluſis, & arctâ cuſtodiâ munitis urbis portis, nocte concubia, in ſporta demiſſus è muro à diſcipulis, ut Infulas declinaret, ad quas voce populi vocabatur, imò & impellebatur. In hoc certè glorioſior *Paulo*; *15. Ian.* hic enim in ſportâ demiſſus eſt, ut perſequentium manus effugeret; ille verò ut etiam Epiſcopatum.

Audires & illud *Leonis* Imperatoris effatum. *Non pretio, ſed precibus ordinetur Antiſtes. Tantum ab ambitu debet eſſe ſepoſitus, ut quæratur rogandus, rogatus recedat, invitatus effugiat.* *Leg. 31. Cod. de Epiſc. & cleric.*

Et ita effugit D. DOMINICVS, quamquam non tam effugit, quàm evolavit, trans maria raptus ab Angelis; quod nulli alteri (quem modò legerim) conceſſum eſt. Datum nimirum illud ſingulari humilitati, ac demiſſioni, ad quam ſeſe etiam demiſit vis divina, ut humanam declinaret. Sed ne longiùs.

Alter humilitatis gradus eſt *ſuiipſius deſpicientia.* 1. Reg. c. 2. Ea fuit in Davide, qui ſeipſe ſic deſpexit, ut præ Saüle, *canem mortuum; & pulicem unum*, appellaret.

Ea fuit in *Ioanne Baptiſta*, qui ut *magnus* eſſet *coram* Luc. c. 1. *Domino;* in ſe tamen parvus erat.

Ea fuit in D. *Franciſco*, qui ut ſanctiſſimus eſſet, ſe tamen & peccatorem, & peccatorum maximum vocitabat.

Ea fuit in *B. Franciſco Borgia*, qui litteras ſuas ſic obſignare ſolitus: *Franciſcus peccator.*

Ea etiam (ut inſtitutum perſequar meum) fuit in D. DOMINICO, qui ut ſumma eſſet vitæ ac morum innocentia; ſe tamen & peccatorem appellabat, & verebatur, ne ob ſua, ut aiebat, peccata, Deus in alios iram ſuam effunderet: ſic enim orare ſolitus, cùm ad alicujus urbis portas acceſſiſſet:

Domine, pro tua bonitate, quæſo peccata mea ne deſpicias, nec ad ingreſſum meum iram tuam in iſtum populum effundas, aut propter iniquitates meas, illum punias, aut evertas Ecce miram ſui deſpicientiam, à qua illi aſcenſus fiebat ad tertium gradum.

Is eſt, ut quis etiam amet ab *aliis contemni*, ac irrideri; & in hunc aſcendit D. DOMINICVS, qui ſi fortè de viâ incidiſſet in unum aliquem, qui ſe deſpiceret; imò & irrideret, pedem illicò ſiſtebat, morámque faciebat longiorem, ut interea temporis, & deſpici ſe per otium pateretur, & injuriis affici, & ſcommatibus impeti. Ita nimirum his, & illis paſcebatur, qui in eo erat humilis animæ ſenſus; qui profectò eum, qui in nobis eſt tumòrem arguit, & damnat; atque utinam ita argueret, damnaretque, ut aliquis inde humilitatis fructus ad nos appelleret.

§. 4. D. DOMINICUS *LUCERNA LUCENS ab Oratione, & altiſſima divinorum Contemplatione, atque Amore.*

Lib. 1. ISidoro *Peluſiota*, Sacerdos, *Eccleſiæ lumen* vocatur. D. *Cyrillo*, viri Apoſtolici, *Oecumenica lumina* di- In cap. 40. Iſay. cuntur, & ſunt. At unde & ille *lumen?* & hi etiam *lumina?* utique ab oratione, altiſſimáque cœleſtium rerum contemplatione: ab hac enim primò ſibi lucem hauriunt, ac deinde in alios effundunt. Et ita ſibi hauſit D. DOMINICVS, & in alios etiam effudit quod hauſerat: nec mirum, ad hoc enim edoctus ab ipſa Dei Matre, qui eum etiam ab anno decimo docuit meditari, tum adultiore ætate, etiam contemplari, nec tam agere, quàm pati divina, quod altiſſimum eſt divinæ Contemplationis genus. In quo mirum ſanè, quæ à cœlo lumina duceret: Lib 4. c. 16 modò enim futuros rerum eventus præſentiebat; modò peccatorum, ac hæreticorum ad meliora converſionem impetrabat; modò felices Catholicis armis ſucceſſus depoſcebat, obtinebatque; modò à ſenſibus penitus alienus in extaſim rapiebatur; modò ſublimis à terra, & cœleſti quadam luce conſpicuus apparebat; modò totus fundebatur in lacrymas, & ſingultus animæ ab orationis ſuavitate colliqueſcentis. Verbo uno totus ab oratione *lumen* erat; *lumen* dico, quod aliis luceret, quod arderet ſibi.

Quidni enim & luceret, & arderet? Certè in oratione (quæ aliqua animi lux eſt) eſt *lumen*, & *ardor*; lumen cœleſtium, ac divinarum veritatum; ardor autem amoris, incenſæque caritatis.

Vis, noſce quis amor? erat ille quadruplex:

Amor IESV, MARIÆ, *Crucis*, & *Animarum*; & bos amores ut in ſe expreſſerat D. DOMINICVS; ita & in aliis imprimere ſatagebat, aiebatque eos vel maximè viris Apoſtolicis convenire.

IESVM illi ament, MARIAM, *Crucem*, & *Animas*: & omnes Apoſtolici officii partes expleverint.

Ita *IESVM* amavit S. *Ignatius*, *Epiſcopus & Martyr* invictus, qui etiam inter beſtias, crudelemque lanienam, ad quam erat damnatus, ſuaviſſimum JESU nomen, ſæpiùs inclamaſſe eſt auditus, rogatúſque cur id faceret: libera voce reſpondit, quia *cordi inſcriptum geſto.* Et certè geſtaſſe vidit, probavitque etiam vel ipſe tyrannus: cùm enim illi extractum, diſſectumque cor eſſet; in qualibet illius parte, Auguſtum IESU nomen, litteris aureis expreſſum, apparuit: novis ſcilicet cœli, amoriſque Divini typis.

Sic & JESUM amavit *R. P. A ſancto Vedaſto*, è ſacratiore D. Franciſci de Paula familiâ, in cujus Raymundus de S. Franc. Pundo 12. demortui pectore ſacro-ſanctum JESU nomen pulchrè exaratum, ab omnibus eſt conſpectum, non ſine amabili ſtupore.

Sic JESUM, & MARIAM amavit, *Didacus Barbatus*, ex eodem D. Franciſci Ordine. Argumento fuit illud; quod ex ejus demortui corpore, bini liliorum flores prodierint, qui ſacra, JESU ac MARIÆ, nomina inſcripta prodiderunt.

Sic etiam JESUM, & MARIAM amavit *B. Ioanna Valeſia*, Franciæ Regina, quæ à Chriſto invitata ad ſacratiores epulas ſub Miſſæ ſacrificium in exceſſu mentis Chriſtum vidit, & MARIAM duo corda in diſco ſibi offerentes, quibus cum illa ex Chriſti, Matriſque voto, ſuum quoque jungere vellet, Bollandus 4. Febr. in ejus vita. c. 3. manum in ſinum immiſit, illudque non ſentiens obſtupuit, ſubridente interim Chriſto. Nec mirum ſi non ſenſerit cor ſuum, quod amore jam erat in corde Chriſti, & MARIÆ, illiſque magis vivebat, ſpirabat, micabat, quàm ſibi.

Et hic fuit ſanctorum *Amor*, Amor JESU, & MARIÆ; ſed & ab illis, etiam *Crucis*. Tuas appello voces, ô *Ignati*, ô Martyr inclyte! Sunt illæ dignæ cedro, dignæ poſteris. *Ignis, crux, beſtia,* Epiſt. ad Rom. *confractio oſſium, membrorum diviſio; & totius corporis contritio, & tota tormenta diaboli, in me veniant, tantùm Chriſto fruar.*

Qui *Ignatio Crucis* amor fuit: fuit & *Xaverio*, cujus eæ in laboribus Indicis, in periculis, in perſecutionibus, auditæ voces: *Amplius Domine, amplius.* Scilicet illi Crux una ſatis non erat, ideoque ad alias, atque alias totus anhelabat. Et hic in Sanctis *Crucis* amor fuit, atque ex illo, etiam *Animarum.* Tuam appello fidem, labores tuos, ſudores tuos, ô *Xaveri*, novi Orbis Apoſtole. Tuam & fidem, puriqúe amoris oſcula, ô Diva *Catharina Senenſis.* In terram abjecta; etiam veſtigia pedum oſculabaris eorum omnium, quos noveras eſſe cooperatores Chriſti in ſalutem animarum: adeo hæ tibi in pretio erant, in primis curis, atque amoribus.

§. 5. D. DOMINICUS *LUCERNA ARDENS à Caritate in proximum, & maximè in egenos.*

CAritati chriſtianæ duæ ſunt veluti *alæ*, unâ ad Deum aſcendit homo; alterâ ad proximum deſcendit. Duo ſunt *brachia*: uno Deum amplexatur, & quodammodo ſibi aſtringit; altero proximum ſibi jungit, & copulat.

Et ita junxit; copulavitque DOMINICVS, in officia caritatis, piam'que munificentiam effuſus totus: cujus argumentum ſit iſtud. Cùm Hiſpaniam totam; imò & propè Europam occupaſſet valida fames, etiam *Palentiam*, in qua tum ſtudiis vacabat occupavit; & eò quidem, ut in plateis, & compitis ampliſſimæ civitatis, paſſim jacerent, & ſternerentur fame tantùm non enecti. Mœſta illa civitatis facies,

Digitized by Google

faeies, extremaque pauperum indigentia, adeò D. Dominicvm permovit, ut primùm quidquid in uſus ſuos habebat pecuniæ, in illos effuderit; deinde eâ conſumptâ, ſupellectilem omnem ſuam; denique & bibliothecam, quæ illi erat pretioſa ſuppellex. Et hoc primum caritatis officium.

Alterum fuit, quod etiam relictum ſibi à parentibus patrimonium magna ex parte oppignerarit, adeo liberalis & ferè prodiga illius in egenos munificentia; quæ in hoc etiam enituit, quod ſeipſe dederit poſtquàm alia dediſſet omnia.

Lib. 1. c. 11. Ad eum, tanquam ad commune miſerorum perfugium, venit paupercula mulier, cujus frater miſerabili caſu à Mauris captus, infelicem trahebat ſervitutem, etiam mancipii vinculis, manicisque illigatus. Venit, inquam, penitùque in paratâ pecunia pretium, quo eum redimeret. Quid hic Dominicvs? pecunia omnis abſumpta, ſuppellex divendita, oppigneratum opimum licet patrimonium, reliquum omnino nihil: Quid igitur? ſeipſum obtulit illi mulierculæ, obtulit, inquam, in ſervum, in mancipium; & hoc fratris loco; abiret ille liber; & captivus eſſet Dnminicvs.

Hîc hærere, ſtupereque mulier; nec ſe, nec Dominici caritatem ſatis capere, ad extremum etiam renuere, indignum rata adoleſcentem genere illuſtrem, & regia indole ſpectabilem, mancipii locum ſortemque ſubire.

Amavit omnis ætas, ſtupuitque eximiam in D. *Paulino* caritatem, qui ſe captivum fecit, ac ſervum, ut viduæ Filium liberum faceret. At hoc in Inſula, Pedoque fecit *Paulinus*, ætateque maturâ; imò & ingraveſcente: at Dominicvs adhuc ſæculo merſus, nec ſacris initiatus, primoque ætatis flore, anno videlicet primò ſupra vigeſimum. Nec ſemel tantùm; ſed & ſecundò facturus, etiam quoties ſeſe obtuliſſet occaſio.

Dignum illud ceris, & annalibus, quod memoro. Catholicus unus aliquis rerum omnium indigentia preſſus, & à ſe, & à religione, & à Deo defecerat. Quid hic Dominicvs? primùm infelicis hominis calamitati ingemiſcere, atque illacrymari; dein & remedium quærere, vim ſcilicet aliquam pecuniæ, qua ejus egeſtatem ſublevares, eáque, velut pretio dato, redimeret à peccati dæmonisque
Lib. 2. c. 20. ſervitute; & cùm illa non ſuppeteret, quæſivit impenſiùs quomodo ſeipſe venderet, & eo ſpontaneæ ſervitutis ſuæ pretio, pretium daret illi animæ, quæ jam ſerva erat, infameque dæmonis mancipium.

O vim amoris! ô prodiginm caritatis, quod non legitur, niſi in Dominico: in quo enim potiùs?

De corde *Pauli*, extulit liberum illud, D. Chryſoſtomus, quod volumen eſſet, & *volumen caritatis*; quod & ego de corde D. Dominici, volumine utique caritatis: quid enim aliud?

Rogatus aliquando, quis ſibi liber eſſet? & in quo ſtudium? reſpondit *liber caritatis*, in hoc nimirum legebat ipſe, in hoc opellam, ſtudiumque ponebat, ſat Cœlo, Deoque doctus, ſi à caritate doctus eſſet. O librum aureum! ô cœleſte volumen caritatis! utinam in eo legerent omnes, futuri hoc uno ſatis ſupérque docti.

Sed proh dolor, pudorque; alia modò pleiſque mortalibus ſtudia, codices alii, & ii quidem ex avara ſtygis officina, typisque durioribus editi: ab his docentur illi, in luxum, in voluptates effuſi eſſe ac prodigi; at in egenos tenaces, & ferrei, dum hos fame, ſiti, frigore, ac nuditate perire patiuntur; imò & malunt, quàm etiam de eo, quo abundant, ſubvenire.

Et hoc eſt ingens malum, quod luget ac deplorat D. Chryſoſtomus; Sic enim ad populum, ſic ad avaros, atque immites illos:

Nos autem, non largitatem præferimus, neque præcepta tranſcendimus; verùm & à juſtorum menſura deficimus multum. Dicimus enim, rodat tinea, & non comedat pauper; abſumat vermis, & nudus non induatur: omnia tempore conſumantur, & Chriſtus non paſcatur, licet eſuriat. At, inquies, quis hoc dixit: hoc eſt autem valde malum, quod non verbis; ſed operibus, iſta dicuntur. Nonne quotidie iſta proclamat inhumana, & tyrannica vanitas captivis ſuis? datur latronibus, & inſidiatoribus, non autem eſurientibus, neque indigentibus, alimentum. Quid igitur furor iſte? furor enim eſt, & manifeſta dementia, veſtibus quidem arcas parari, ad Dei verò factum imaginem, nudum, & trementem præ gelu, & vix rectum ſtantem, negligere. Hom. 37.

Et tamen, hoc quo vivimus ævo, negligunt nimium quàm multi; in eo etiam deteriores divite epulone, qui Lazaro micas de menſâ deciduas negavit; in hoc duriores, immanioresque ipſis canibus qui & Lazaro abblandiri, atque etiam ulcera lingere, viſi ſunt. Audi quid de illo, quid etiam de illis D. Chryſologus:

Dives pauperem, nec cadentibus de menſâ micis paſcit; & Lazarus pauper, quia aliud non habebat, etiam de carnibus ſuis, canibus humanus fuit. Miſer dives: ſi panem non dediſti, quare vel abigere canes noluiſti? Sed mitiores te canes tui; imò tu ſævior canibus tuis: nam te ſæviente, illi parcunt, qui non ad morſum dentes; ſed linguas ad obſequium protulerunt, ut in modum ſpongiæ, non vexent vulnera; ſed detergant. Canes lambendo ſemper curant vulnera ſua. Canes ergo curant pauperem magiſterio naturæ, & homo negligit hominem, ipſa graviter accuſante natura: & quia obturatis auribus, unius oris nihil erat vox clamantis ad aperiendum cor divitis, totum corpus pauperis vulneribus aperit, ut in admonendo divite, tot eſſent pauperis ora, quod vulnera: ut quem vox eſurientis non moverat; dolores, gemitus, & tota ærumnarum congeries, commoverent. Sed dives, ſuperbo oculo, & inſatiabili corde, hæc omnia videre, & audire, & ſentire contemnit: Serm. 121. qui ſtupor eſt immanis, & caucaſo durior immanitas: ab his quàm longiſſimè abire cùm te volo, *mi Lector*, ad heroica D. Dominici facinora, resque ab illo præclarè geſtas, revertor.

§. 6. D. DOMINICUS *LUCERNA ARDENS à zelo animarum.*

ZElum animarum accendunt potiſſimum tria: Primum eſt, *animæ dignitas*, quæ ex eo petitur, quòd Imago quædam ſit, & expreſſa ſolitudo authoris ſui; qui in ea, velut in ſpeculo, reſplendeat.

Alterum eſt, *animæ pretium*, quod tantum eſt, quantum Deus homo; hoc eſt, infinitum.

Poſtremum eſt, ipſum *Chriſti votum*, quod ſcilicet totum in animarum ſalutem explicatur, & explicari etiam vult à nobis ipſis. Et ita explicuit D. Dominicvs, cui ſemper in oculis fuit, & animæ dignitas, & pretium, & Chriſti de iis adjuvandis votum.

Argumento ſit primum illud: auſtera prò illis cœlo lucrandis ſuſcepta pœnitentia, eaque ſingulis noctibus. Flagellum ſibi pararat Vir ſanctus à tribus catenulis ferreis, quas componebant annuli quadrangulares acuti, ejus craſſitiei, cujus eſſet digitus pueruli. His, ſe quot noctibus, tertiò diverberare repetitis ictibus quadringentis quinquaginta, non ſine immani corpuſculi ſanie, ac laceratione.

Eam collige ex ictuum numero; ſi enim quot noctibus cenſebantur quadringenti quinquaginta, certè octo diebus, numerabantur ictuum tria millia ſexcenti. Menſe verò unico, quatuordecim millia octingenti: anno autem uno, centum ſeptuaginta millia, & ſexcenti: quot annis omninò triginta?

quibus

quibus duravit ea flagellatio, & tam horrenda corporis laniena? videlicet ab anno ætatis vigeſimo primo, ad quinquageſimum primum, quo terris vivere deſiit, ut Cœlo æternùm viveret.

Hic porrò quantus, quantus fuit pœnæ rigor atque immanitas, fuit certè datus animarum lucro ac ſaluti; cui etiam procurandæ, noctes omnes propè ducebantur inſomnes, in ſummo orationis æſtu, quem teſtabantur effuſæ lacrymæ. fontium adinſtar, profundi gemitus, ſingultus aſſidui; imò clamores, & ferè rugitus, quibus è Dormitorio excitabantur etiam remotiſſimi quique, non ſine ſtupore, & commiſeratione, quod ſentirent, hæc omnia effundi pro ſalute aliàs pœnitentium animarum: quas impenſiùs amaſſe, & quæſiſſe,

Argumento ſunt, tum ſuſcepta pro illis, per Italiam, Galliam, Hiſpaniamque itinera; in hac contra Mauros, ut eos Fidei Catholicæ adderet; in hac, & in illa, contra Albigenſes: tum etiam meditatæ expeditiones ad Infideles, ad quos evadere tertiò, quartòve tentavit, zelo planè Apoſtolico, & inſatiabili cupiditate ſalutis animarum, quas ſecundùm Deum cœlo peperiſſe

Lib. 2. in Præfat.

Argumento eſt illud, quod paulò ante inſinnavi, quod duos Reges, unum *Caſtiliæ*, *Galiciæ* alterum converterit; quod prima Albigenſium capita Fidei orthodoxæ reddiderit, quod eidem hæreticos, ad centum, eóque ampliùs millia, quod, è cœno vitiorum extraxerit multitudinem propè innumerabilem.

Quod magnæ Matris, magnæ Virginis cultum, & Roſarii Confraternitatem, per ampliſſima Regna, Galliæ, Caſtiliæ, Aragoniæ, & Hiſpaniæ ferè univerſæ, erexerit, quod Eccleſiam propè collabaſcentem ſuſtinuerit: quod denique irati Cœli, Deique fulmina averterit, extinxeritque, ne iis arderet Orbis univerſus.

Eccl. c. 50.

De Simone, Oniæ Filio, & Sacerdote magno, pronuntiavit illud Eccleſiaſticus: *In vita ſua ſuffulſit domum; & in diebus ſuis corroboravit templum.* Quæ ego de D. DOMINICO: ex verò enim in vitâ ſuâ ſuffulſit Eccleſiæ domum, & in diebus ſuis corroboravit Dei templum; & ita futurum aliquando oſtendit oblata Summo Pontifici viſio.

Innocentius, hujus nominis *tertius*, Romam evocarat Concilium generale, ut de graviſſimis Eccleſiæ rebus, ac nominatim de extinguenda Albigenſium hæreſi, ageretur: In hoc, cætera inter decreta, emanarat etiam illud; ut nullus in poſterum Religioſus Ordo admitteretur, & ſi quis de novo exſurrexiſſe viſus eſſet, is ad antiquiores revocaretur; cujus etſi conſcius eſſet D. DOMINICVS, divina tamen ſpe nixus, Pontificem adiit, comite Epiſcopo Toloſano, qui pro illo, & nervosè, & eleganter peroravit. Sed repulſam paſſus eſt, Pontifice, & ſuo & Concilii decreto tenaciùs inſiſtente. Deſperaſſet alius quàm DOMINICVS, & re penitus infecta receſſiſſet: at, Deo fretus, iterum, iterumque rediit; ſed & iterum, iterumque repulſus eſt.

Dum iſta humano conſilio agitantur in terris; alia divino nutu, juſſúque parantur in cœlis, quibus, ut humana omnia cedant eſt neceſſe, & certè reipſa etiam ceſſerunt.

Lib. 9. vitæ c. 9.

Dum fortè Pontifex propoſitam ſibi novi Ordinis formam animo recolit, nocte concubia, objecta illi hæc ſpecies. Eccleſia Lateranenſis viſa illi diſcindi dirumpíque per medium, & immanem minari ruinam, dum ſcilicet in unam partem ſua mole inclinat, & inde collabaſcit; Dum hæc inter ſtupet, dolet, timetque Pontifex, & ruinæ jam impendenti ingemiſcit; ecce ex adverſo advolat DOMINICVS, & Eccleſiæ jam in caſum inclinanti validos ſupponit lacertos, ſuſtinet, imò & erigit.

Hic ſibi, & vigiliæ redditus Pontifex, memorque ſibi ſimile ſomnium obtigiſſe, cùm etiam de ſuo ordine engendo ageret *Franciſcus*, intellexit, non humanis typis impreſſam eſſe eam ſomni imaginem; ſed planè divinis, & quidem ejuſmodi, ut in iis legeret eum aliquando futurum Ordinem, qui & Eccleſiam, ſive à depravatis Catholicorum moribus, ſive ab hæreſi, & erroribus propè fatiſcentem, ac labentem, ſuſtineret, erigeretque; de quo imprimis certus, & Epiſcopum Toloſanum, & DOMINICVM, ad ſe illicò revocavit, & tum temporis vivæ vocis oraculo *Prædicatorum* Ordinem admiſit, confirmavitque.

Vincent. Belvacenſis, lib. 3. ſpec. Hiſt. c. 65.

Anno Chriſti 1216.

Nec mirum, quia cœli typis impreſſum legerat, etiam illud de D. DOMINICO: *In vita ſua ſuffulſit domum; & in diebus ſuis corroboravit templum.*

Eccl. c. 50.

Et hoc primum univerſo Orbi ab illo beneficium fuit: cui mox acceſſit & alterum, quod ſcilicet, parata, cœlo vindice fulmina, è Dei manibus excuſſerit.

Juvat fortunatæ illius lucis meminiſſe. Habito eum ſuis de regula, & totius Inſtituti normâ, conſilio, Romam venit D. DOMINICVS, ut illius approbationem à S. Sede, & Summo Pontifice impetraret: at malum! interceſſerat mors Pontificis, *Innocentii III.* eique jam ſucceſſor datus erat *Honorius*, etiam hujus nominis *III.* ſed & huic injecta remora; primùm ab adventu Imperatoris Conſtatinnopolitani in urbem inaugurationis gratiâ; deinde à claſſe navali, quæ tum in Sarazenos inſtruebatur. Hinc in aulâ Pontificis minus auditus eſt DOMINICVS; ſed exauditus in aula Cœli, Deique regia; & hoc ad bonum totius Univerſi.

In æde principe *D. Petro* ſacrâ, in Vaticano, vigilem in oratione noctem exigebat DOMINICVS, cùm ecce viſum eſt aperiri Cœlum, & in eo Chriſtum irato vultu, ſcintillantibus oculis, vindicéque manu; armata ſcilicet, ac timenda tribus Lanceis quas in terram, & ſcelerata mortalium capita, jam jam erat vibraturus, niſi derepentè ſuperveniſſet Auguſta Cœli Regina, Dei Mater, quæ ad Filii pedes ſupplex accedens, pronam in fulmina manum ſuſtinuiſſet, adjiciens & illud miſerentis.

Tantiſper ſiſte fili, manumque cohibe vindicem, néve genus humanum perde, pretium utique tui Sanguinis; ſit illi modò locus miſericordiæ, cui aliquando amori fuit & dolori tuo: amori, inquam, dum in terris viveres; dolori dum in Cruce moriens expirares.

Malvenda Anno 1216. c. 9.

Cui Chriſtus, ceu amans Filius. An non deſpicis, ô Mater, quæ mundum involvant ſcelera? quæve peccatorum in eo eluvies? Ea certè, cui finem, modumque ponere tandem debeat hæc ipſa vindex manus, & fulmina.

Cui Mater, & hæc, inquit, ô Fili, juſtè depluerent in ſceleſta capita, niſi ſpes eſſet vitæ aliquando melioris. At unde ea ſpes, ô Mater! cui illa. Duo mihi ſunt in terris famuli, iique in paucis fideles, ab iis, quà verbo, quà exemplo diſcent homines pœnitere. Dixerat, & DOMINICVM manu prenſans filio exhibuit, oſtentavitque: tum etiam & *Franciſcum*; & hic, & ille ad Chriſti pedes accidit, itaque poſitæ cœleſtium iræ, & peracta ſcena amabilis, in qua *D. Franciſcum*, ex facie ita probè novit DOMINICVS; ut illi Romæ poſt dies aliquot occurrens, & in amplexus pronus irruerit, & in hæc erupeit verba:

Tu es ſocius meus, tu curres pariter mecum, ſtemus ſimul, & nullus alius prævalebit.

Ecquis enim prævaleret, invictis illis Chriſtianæ Fidei pugilibus? quibus & cœlum ipſum, & Numen iratum, etiam cedit; evictum ſcilicet inſigni illo, quem prætendebant animarum zelo, quem præcipuis Europæ partibus, Italia, Gallia, Hiſpaniaque explicavit D. DOMINICVS, quem ideo, *publici, & communis boni procuratorem* appellare poſſumus,

ut olim

Orat. 20.

ut olim, *S. Baſilium* appellavit D. Gregorius Nazianzenus, qui etſi in eo magna videret omnia: at ſummum illud æſtimabat, publico animarum bono ſtuduiſſe. Nimirum, ut diſertè D. Chryſoſtomus:

Hom. 25. in Epiſt. ad Cor.

Hæc perfectæ caritatis regula eſt, hic certiſſimus terminus, hoc ſupremum omnium cacumen, quærere quæ communem omnium comprehendant utilitatem; quod ipſe Paulus ſignificat, cùm ſic ad Corinthios, ſic ad omnes: *Imitatores mei eſtote; ſicut & ego Chriſti. Nihil enim poteſt nos adeo imitatores Chriſti facere; ut proximorum cura;*

Cap. 11.

ab hac unâ apud Deum magni erimus, ab aliis omnibus parvi.

Appello ejuſdem *Chryſoſtomi* fidem, vocémque, qui, ut uni è fratribus ſuis, animos faceret ad ſtudium iſtud communis boni & ſalutis animarum Sic ad illum:

Supra.

Tu igitur, mi Frater; quamvis fame conficiaris, quamvis cinerem comedas, quamvis ſemper lacrymis madeas, & nihil cuiquam proficias, nihil magnum facis; quia, ut ille ipſe Orator aureus: *Nullum magnum poteſt eſſe officium, quando nullum in proximos lucrum.* Huic igitur uni vaca, huic ſtude, huic reipſe impende; & ſi aſſequaris unum illud, omnia, quæ cœlo judice magna ſunt, tibi videberis aſſecutus.

Ibidem.

§. 7. D. DOMINICUS *LUCERNA ARDENS in converſione famoſæ & publicæ peccatricis.*

Lib. 1. Præp. Evang. c. 2.

E*Uſebius* luxuriam eſſe cenſuit, veluti *Hydram*, ſeptem capitibus, hoc eſt, ſeptem capitalibus vitiis infamem.

Lib. 2. Strom.

Clemens Alexandrinus appellavit *Metropolim vitiorum*, quod inter vitia ſit, quod in Provincia, aut Regno, eſt *Metropolis*: & hanc, & illam expugnare venit D. Dominicus in famosâ peccatrice. Erat illa *Florentiæ*, urbe nobili, & nomen ei *Benedicta*, felix omen in bono nomine, niſi illud infamaſſet vitâ ad omnem libidinem proſtituta, qua & genus ſuum, & formæ gratiam dedecorarat: Hanc impugnare, & expugnare aggreſſus eſt Dominicus, impugnare verbo, expugnare fuſa ad Deum & ſuperos oratione; quâ tandem evicta, ad illius pedes accidit, & peccata in aurem depoſuit. Hæc ubi peracta feliciter, ex illa quæſivit Dominicus, velletne pro ſe à Chriſto, Virgineque peti, quod animæ ſaluti expediret. Enimverò, inquit, illa. Petit Orator ſacer, atque etiam impetrat: ſed mirum dictu, viſuque humanis oculis, & calculo. Mox enim in eam, ceu paratum hoſpitium, ſubintrat ingens cacodæmonum cohors, eamque fœdum in modum torquet, non ſine aſtantium ſtupore, miſeratione, lacrymis. Verùm, ut dixi, alia ſunt Dei conſilia, alia hominum: hi corpori ſtudent, ille animo, cui melius erat, corpus à dæmone poſſideri, quàm animam à vitiis.

Interea in Hiſpaniam abit Dominicus, reditque deinde poſt annum *Florentiam*, ut intelligeret quid actum de *Benedicta*, ex qua inaudit quàm miſerè, quàm fœdè à dæmonibus eo intervallo vexata: denique illius miſertus, & Crucis ſigno, & Roſarii virtute, gratiâque totam illam dæmonum catervam expellit. Catervam nomino; erant enim numero quadringenti quinquaginta; quos ut expulerat piâ Roſarii prece; ſic & eâdem, aditus ad eam omnes intercludi voluit. Injunxit enim ut diebus omninò ſingulis, tria Roſaria legeret, hoc eſt quadraginta quinquaginta *Ave Maria*, potens contra dæmones amuletum.

Paruit aliquamdiu *Benedicta*: verùm, ut ſemper inconſtans, & varium fœmina; & uſurpatas ad Virginem preces omiſit (evicta tædio illius ut rebatur penſi) & ad genium ſuum, libidinémque rediit. Sed & de hoc à Deo monitus Dominicus, Româ *Florentiam* rediit. Tantus amor, vel unius animulæ, tantáque ſalutis cura: hac certè, & petiit, & impetravit, ut ſibi, Deóque redderetur *Benedicta*; & ſanè reddita eſt, ſacróque Confeſſionis lavacro expurgata, à quo rurſum petit Dominicus; optarétne à Deo, Virgineque peti, quod animæ, ſalutique conſultum magis? annuit illa, & ecce, peractâ oratione, mox in eam, ceu deſertum priùs hoſpitium, regreditur tota illa dæmonum turma, & magis, quàm prius excruciat.

Bononiam intereà abit Dominicus, certus de divinis conſiliis, ac decretis, à quibus ſubinde corpori malè eſt, ut animo ſit benè: & certè benè fuit. Anno quippè toto, quo abfuit Dominicus, dum ſic à dæmonibus quàm peſſimè habetur, redit ad mentem, uſurpatumque Roſarii penſum, & tamdiu intermiſſum reſumpſit, ingenti ſuo bono. Exinde enim, primùm occulta Dei judicia vereri, ac timere; tum in ſpem erigi; tum & aliquos caſti amoris igniculos concipere; tum denique cultui magnæ Matris vacare impenſiùs cœpit: quod dum facit, in exceſſu mentis, viſa ſibi ad Chriſti Judicis Tribunal rapi, in eoque aperiri ingens volumen, in quo & ſcripta mortalium ſcelera, & decreta iis ſupplicia; & quidem in primâ pagellâ, etiam ſua: hinc, & horror tot ſcelerum ſuorum, hinc & timor ſuppliciorum illis debitorum; inter quæ, media dum ſtupet, atque infremeſcit, viſa exanimis concidiſſe; ſed mox Iudicis voce, ceu tonitru, excitata, erectáque, juſſa eſt & in ſecundâ, & in tertiâ pagellâ, alia, atque alia vitæ anteactæ crimina legere, non ſine ſuo, & horrore, & tremore; ſub quo dum propè fatiſcit, ecce apparet Dominicus (tantus etiam in abſente animarum zelus) & amica paternáque voce *Benedictam* compellans. Cur, inquit, ad Dei Matrem commune peccatorum refugium, non confugis? illa, illa eſt, ad quam Roſarii preculas direxiſti.

Hîc viſa eſt reſpirare *Benedicta*; hîc Virginem implorare: neque verò defuit illa: adfuit enim, & coram Filio Iudice, ſic oravit, ſic peroravit, ut permotus Iudex hæc ad *Benedictam*:

Vitam dono, tempuſque opportunum, & Matri Patronæ tuæ, & tibi, quamvis reæ. Eo ſic utere, ut vitæ anteactæ peccata omnia huic libro inſcripta deleas: ni feceris, peribis, & æternùm quidem.

Hîc ſibi reddita *Benedicta*; imò & poſt paucos dies ei quoque redditus Dominicus, à quo & depulſi ex ea dæmones, mali utique hoſpites, & gratia addita Sacramenti, & pia in reliquum vitæ monita, quæ dum accuratè obſervat *Benedicta*, mirum, quos cœlo propitio favores ſit experta. Primùm enim exceſſum mentis eſt paſſa per tres continenter horas, & in eo tantos, ſeu doloris, ſeu amoris æſtus concepit, ut corde vehementiùs palpitante, diſruptæ ſint venæ, ex iiſque copioſus ſanguis emanarit: tum etiam iiſdem mentis oculis Dominicum ad Aras procedentem vidit ſacris Stigmatibus, in *Lib. 3. c. 7.*
manibus, pedibuſque, imò & latere notatum: tum & illud ipſum, quod prius volumen (ſed quodames, quod mireris) nullis jam typis, nullo peccati charactere notatum: nuda, candidáque in eo omnia: nimirum fuſcos illos, ac nigreſcentes ſcelerum typos, matura pœnitentia, fuſæque ab illa lacrymæ, jam deleverant: Denique & ipſam Dei Matrem, Magiſtram habuerit, quæ ſe ei ſæpiùs viſendam dedit, edocuitque, quæ ſalutis, quæve etiam arduæ ſanctitatis, ac perfectionis, eſſent viæ.

Et quia virgineæ illius doctrinæ jam memini, non poſſum non fuſiùs explicare, quæ illi in ea virginis ſchola ſacratiora dogmata, ſint & oblata oculis, & menti altiùs impreſſa. Oculis quidem *Lilia* omninò *ſeptem*, ipſa Virginis manu præſentata, & in iis melioribus Cœli typis impreſſa præclara quædam

morum documenta. Ea ipſamet pœnitens *Benedicta*, *B. Alano* expoſuit, & ex illo nos ipſi modò exponemus.

In primo virginis Lilio, eóque candicante, litteris aureis, Angelicâ manu legebatur impreſſum iſtud. *Omnibus diebus vitæ tuæ memori animo recole, quanta peccati malitia, quantáque Dei bonitas, qua illud rem ſit.*

In ſecundo, viſebatur illud: *Animo repete, expendéque intimo cordis affectu, quæ paſſio, quæ Mors Filii mei innocentis, quæ deinde à Sanctis exacta pœnitentia.*

In tertio, etiam typis aureis, nitebat iſtud: *Attende qui Adamo generis tui protoparenti, conſcientiæ ſtimuli à peccato relicti, qui deinde etiam peccatoribus, queq; his, & illi pœna.*

In quarto, etiam aureo charactere fulgebat illud: *Expende qui à Deo ad amœnum Fidei jubar evocata ſit, nec ſic evocati Principes, Reges, Provinciæ, Regna, ſeu Iudæorum, ſeu Infidelium, ſeu etiam Hæreticorum.*

In quinto, etiam notis aureis micabat iſtud: *Attende quæ pœnæ. quæ ſupplicia, etiam in hoc ævo mortalis peccatoribus inflicta, & quidem ex æquâ Iuſtitiæ lance.*

In ſexto, legebantur hæc verba: *Attentiùs conſidera, animoq; ac cogitatione deſcende ad ima terræ, & vide quæ in flammis expiatoriis ab animabus exigantur ſupplicia.*

In ſeptimo denique, & quaſi pro coronide, ſtimuloque perfectæ ad Deum Converſionis exprimebantur hæc ipſa verba: *Deſcende in Infernum vivens, & mentis oculo contemplare, qui jam te etiam ipſa damnati ad æterna incendia, qui deinde damnandi, & quàm miſeranda, & horum, & illorum ſors; & cum tua compone.*

Et hæc in *ſeptem illis Liliis*: Virginis, utique ſymbolo, Virginis libro, legebantur expreſſa; quæ & oculo legit, & animo expendit, *Benedicta*, alta trahens ex imo corde ſulpiria ſeu amoris, ſeu doloris, ſeu etiam animi pœnitentis. Eadem etiam duces, ô quiſquis in eadem peccatoris claſſe fuiſti! in eadem etiam modò es; duces certè, ſi animæ, ſi ſaluti, ſi cœlo ſapere velis, æternumque tibi conſulere.

§. 8. D. DOMINICUS *LUCERNA ARDENS ab incenſo in Deum amore.*

Lib. 24. de Carit. c. 59. De caritate in Deum multi multa, & ingenioſè, & piè. D. Auguſtino, *radix eſt, & fundamentum virtutum*, quòd ſcilicet his ſit, quod radix arbori, quod in ædificio fundamentum.

Opuſc. de Carit. c. 2. D. Bernardo, caritas eſt *vita fidei, ſpei robur, omnium intima vis, & medulla virtutum.*

Tract. de Carit. c. 5. B. Laurentio Iuſtiniano, *Caritas virtutum mater eſt*, & dives *animi ærarium*, quia ſcilicet ab illa unica dives eſt animus; cæterà pauper.

Quàm porrò ab illa dives fuerit DOMINICUS paucis exponemus.

In D. DOMINICO quadruplex exarſit amor, uti prius inſinuavi, *Chriſti, Mariæ, Crucis, & Animarum.* Et hi quatuor emanabant ab uno Dei amore, quo totus colliqueſcebat. Lib. 4. c. 12.

Chriſtum enim impenſiùs amabat, ut Patris æterni Verbum. *Mariam* ut Verbi Incarnati Matrem. *Crucem*, à qua daretur amati cauſâ pati, quod proprium eſt amantis. *Animas* denique ut Dei Opus, atque figmentum; utque etiam Dei patientis, ac morientis pretium. Ecce ut ab amore Dei, omnis in illo erat Amor. A quo enim potiùs? imò & in quo potiùs quàm in DOMINICO? Certè ſi cor habetur, & eſt ſedes, & habitaculum amoris; fatendum eſt eum, cui Dei cor veluti ſedes & habitaculum eſt, ſedem quoque & habitaculum eſſe amoris. At teſte D. Catharina Senenſi, Patris Æterni cor, DOMINICO ſedes quodammodo fuit, & habitaculum, ut antè dixi.

Vidit enim illum in ipſo *Patris Æterni* corde. Fortè *Pater Æternus*: ad eam amoris ſcenam, corpus aſſumpſerat, & in ſuo corde DOMINICUM habebat, oſtentabatque. Quid ergo mirum ſi ab eo cæleſtes, & divinos hauſerit amores? Quid mirum ſi etiam Patri Æterno, ſi & Filio fuerit in amoribus: ſuiſſe Patri Æterno jam vidimus, cùm illum in ejus corde vidimus: ſuiſſe etiam Filio, hinc patet, quòd illi dilectus in paucis; imò & amicus.

Appello D. *Tereſiæ*, imò & Chriſti Fidem, atque authoritatem. Servator Optimus, pro eo, quo erat in *Tereſiam* amore, ei ſeſe ſpectandum dedit, unà cum DOMINICO, de quo adjecit & illud: *Iucundare cum amico meo.* Ecce *amicum* appellat, quod amantis eſt, & amati: ſi enim Chriſto amicus DOMINICUS, & DOMINICO amicus ut ſit Chriſtus, eſt neceſſe: ea quippè amicitiæ lex eſt, ea lex amoris ut ſis omninò reciprocus. Lib. 4. c. 11 in fine.

Ab hoc porrò ſeu in Chriſtum, ſeu in Deum amore; manavit ea cum Deo, Chriſtoque in oratione familiaritas; & is orantis æſtus, à quo (ut ait author vitæ,) *gemitus erant tanti, ut in dormitorio viciniores excitarentur: ac ipſi quoque flere cogerentur.*

Et verò quidni ingemiſcerent? quidni flerent amantes Filii? cùm ab amore Dei ſui & ingemiſceret, & fleret patens quàm optimus? nimirum ingemiſcebat, & flebat, vel eò tantùm, quòd Deus, quòd ſummum bonum, non amaretur. Ubi autem ſic ingemuerat, ſic fleverat; cùm nec gemitus, nec fletus quicquam prodeſſe ſentiret, ad emollienda mortalium corda, & induratos à ſceleribus animos, tum amore in zelum converſo, adinſtar alterius *Heliæ*, totus ibat in fulmina, ultriceſque flammas, quibus perderentur impii, cùm ſalvari noluiſſent.

Et hinc ille ſacræ *Inquiſitionis* in pertinaces rigor; hinc *Cruciata*, quam erexit, & cui Principes Chriſtianos inſcripſit ad debellandos armis hæreticos, qui rationi, qui fidei non ceſſiſſent.

Hinc & alius ordo militaris, quem fundavit ipſe, & cui nomen fecit *Militia IESU*, quod JESU fidem, & amorem, armis tueri, & propagare ſtuderet, etiam vitæ diſpendio.

Hinc non ſemel ab illo inarmaitum, & Chriſtianas acies, in quarum fronte ſtabat ipſe, ut & ducibus, & militi animos faceret, ad audendum, ad moriendum pro Religione, próque Deo.

Hinc denique evocata de Cœlo fulmina, quæ in adverſa Deo capita, rebelleſque animos evibraret: & ita aliquando evibravit cùm *Toloſæ* eſſet: cùm enim vidiſſet eos, nec metu vinci, nec amore flecti, nec minis terreri, Cœlo imperavit, atque ætheri, ut flammas mitteret, iratáque fulmina. Et mox etiam miſit, flammâque vindice abſumpſit. Et hoc ultimum in DOMINICO telum fuit; telum, inquam, amoris zeliſque divinioris; quo utinam arderent poſteri omnes: ii maximè, quibus à Numine data ſceptra, & in ſceptris authoritas, & vis armorum, enſiſque fulgor, ac tormentorum bellicorum fulmina, quibus meliùs arderent rebelles Cœlo Deóque Hæretici; quàm hoc ævo Catholici, qui tamen, proh dolor! pudorque! his incenduntur, ac pereunt.

Sed, ne his querelis cœlos fruſtrà fatigemus, ardeat ab armis Univerſum; at nos, ab uno Dei ardeamus amore, hic fortunatus ardor eſt, ad quem *Charitas Chriſti urget nos*; urget, inquam, atque à nobis, velimus, nolimus, extorquet illud: *Deum ama*, & ama ſine lege, ſine modo, ſine termino; nulla enim lex amoris, modus nullus, terminus nullus, ne æternitatis quidem. ut enim ſcitè D. Bernardus:

Modus diligendi Deum, eſt diligere ſine modo.

Motivum

Motivum autem, & efficax quidem; eſt ipſe, qui Dei fuit in te amor, æternus ille, immenſus, infinitus, & tantus, quantus vel ipſe Deus, qui totus amor eſt. Et cùm tantus ſit, quantum etiam tuum eſſe oportebit? certè, ſi fieri poſſet, quantus & ille. Dixit olim Seneca, & rectè:

Fruſtra quæris maleficium ad amorem; oſtendam tibi maleficium potens: ama, & amaberis.

Quæ ille de profano amore; hæc ego de ſacro, ac cœleſti dixerim: *Ama, & amaberis*, Deum ama, & à Deo amaberis.

§. 9. D. DOMINICUS *LVCERNA LVCENS & ARDENS à cæleſti gloria ac Beatitate.*

EST in beatitate *Lux & ardor*; *Lux* quidē à viſione beatificâ; *ardor* autem ab amore, etiam beatifico. Et hinc, & illi præluſiſſe viſa eſt beata mors D. DOMINICI, cui & ſua lux, & ſuus etiam ardor: nec mirum cùm ſanctorum *mors porta ſit, & principium veræ vitæ*, adeóque beatitatis. Cui proinde (ut dixi) ſua *lux*, ſuus quoque eſt *ardor*. *Lux*, quidem ab objectu cœleſtium viſionum, *ardor* autem ab æſtu amoris, & anhelo ad beatitudinem obtinendam deſiderio. Et hæc fuerunt in D. DOMINICI beatâ morte.

Clement Alexand. lib. 4.

Primum *lux* à cœleſti genio; Cùm eſſet DOMINICUS in altiſſima divinorum contemplatione, ſummóque deſiderio adipiſcendæ brevi felicitatis. Ecce illi de Cœli regia nuntius advolat, altiore quadam luce conſpicuus, & cœleſti formâ ſpectabilis, qui hæc illi: *Euge ſerve bone, & fidelis, quia in pauca fuiſti fidelis, intra in gaudium Domini tui.*

Lib. 4. c. 17.

Hìc reſpirare, hìc geſtire, hìc exultare DOMINICUS, & jam propè manibus prenſare cœli gaudia; ſed tum maximè, cùm anima eſſet in extremis labris, jam ad Deum ſuum abituriens: tùm enim in amœna quadam, ac divina luce ſeſe illi, JESUS, & MARIA, in conſpectum dedit: quæ tum animo *lux?* quis *ardor* fuit amoris? is certè, qui à JESU, fonte lucis, à MARIA, Matre *pulchra dilectionis*, eſſe poteſt: & hanc, & illum dum oculis legit & animo, miros patitur æſtus ſeu amoris, ſeu voluptatis, & eos inter, felicem exhalat animam, eamque Chriſto, ceu Parenti Optimo, MARIÆ, ceu Matri ſanctiſſimæ, committit, ſicque medius inter Angelorum choros in Cœlum evadit, throno altiore ſublimandus: Quo enim potiùs JESU duce, auſpice MARIA? ab hac certè, & illo facilis ad Cœli regiam eſt aſcenſus; & ſanè facilis fuit D. DOMINICO.

Eo ipſo temporis momento, quo beatam emittebat animam, *P. Gualla*, Prior Conventus Breſſienſis, in *Lombardia*, vidit derepentè aperiri Cœlum, ex eoque demitti ſcalas binas ad ima terræ; atque in unius vertice eminere Chriſtum, in alterius autem culmine Dei Matrem MARIAM; atque hinc, & inde per eoſdem ſcalarum gradus aſcendentes, ac deſcendentes Angelos: tum etiam ad ſcalarum infima, pedemque, quaſi medium conſtitui thronum, elegantem illum, auro, gemmiſque nitentem; in quo ſedere juſſus unus aliquis, ex eodem religioſo Ordine, habitúque, quem deinde unà cum throno & ſcalis ipſis, CHRISTUS, & MARIA, in Cœlum, è terris attraxit.

Et hæc illi in exceſſu mentis objecta ſpecies, & iſta deinde illius interpretatio menti infixa; eâ notari felicem B. DOMINICI, è vivis exceſſum; & ab hoc etiam in Cœlis triumphum, duce CHRISTO, auſpice MARIA, comitantibus Angelis.

Ut autem huic ſuæ viſioni Fidem aſtrueret dictus Pater; illicò (licet infirmâ valetudine) *Bononiam* venit, rem totam fratribus expoſuit, ex iiſque intellexit, eâ ipsâ die, horâ, momentoque, obiiſſe parentem optimum, DOMINICUM, Cœlis undique, etiam triumphantis in morem, exceptum.

Ecce *lucem*, ecce *ardorem*, in ipſo limine beatitatis; lucem dicò, imò & ſolem ipſum, fontem lucis.

Fortè ſub meridiem, Româ Tyvolim iter meditabatur *P. Ro*, cum *P. Tanared*, cùm ille, ab hoc rogatus eſt, ut ſacrum faceret pro affectâ Patris DOMINICI valetudine: fecit enimverò perlubenter; dumque ad *memento*, quod pro vivis fieri ſolet, ſacrificium offerre parat, pro recuperanda Patris optimi valetudine, illicò præpeditus exceſſu mentis, raptuque; à quo ſic à ſe, & ſenſibus diſceſſit, ut ſtatuæ adinſtar maneret immobilis. In illo porrò raptu vidit D. DOMINICUM, coronâ aureâ redimitum, & adinſtar ſolis omni parte radiantem *Bononia* excedere. Et certè excedebat, ut Cœlo, ceu ſphœræ ſuæ, redderetur. Ecce *lucem*, ecce *ardorem*, ecce *ſolem*, D. DOMINICUM: *Solem*, inquam, novum; hoc aſpectabili longè fulgentiorem, cui & ſua *lux*, & ſuus eſt *ardor*. *Lux* quidem, à viſione beatificâ. *Ardor* autem, ab amore etiam beatifico. Ab illa mirum quantum inclareſcit mens ſancta, mirum ab hoc quantum exardeſcit. Vis, ô anime, ſic aliquando & clareſcere, & ardere? Vide ut luceas, à luce virtutum; vide ut ardeas, ab igne incenſæ caritatis: ſic enim & lucebis, & ardebis.

Erisq; corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui. *Iſaia c. 62.*

Rectè quidem *in manu Domini*, ſeu ſupremi artificis, ut elaboretur, ut perficiatur. At qua ratione? quo modo? eo ſanè quo corona in Argentarii officina manuque; incudem inter & malleum. Hìc argentum, hìc aurum probatur, formaturque in coronam, & diadema regni; ut deinde in Regum verticibus emineat, fulgeatque. Non emineret autem, neque fulgeret: niſi priùs & tunſione frequenti, & repetitis malleorum ictibus, & igne luculentiore, aptatum fuiſſet in coronam, quod prius erat rudis indigeſtáque argenti, aurive maſſa.

Ita, nec juſtus, qui fingi debet, atque expoliri, ut ſit aliquando *Corona gloriæ*, non evadet in *Coronam*, niſi prius à Deo, ſeu ſummo artifice, tunſionibus, preſſurisque, ſit probatus, formatúſque in Coronam. Et ita probatus, formatúſque D. DOMINICUS, ita & omnes, qui ad *gloriæ Coronas*, ad cœleſtis *regni Diademata*, aſpirare voluerint, eſſeque etiam ipſi *in manu Domini*, *in manu Dei*, *corona gloriæ*, *& diadema regni.*

DE SANCTO FRANCISCO ASSISIO,

ORDINIS FRATRUM MINORUM FUNDATORE.

PROOEMIUM.

CUM eſſet Orbis univerſus in altâ ſeu errorum, ſeu ignorantiæ, ſcelerumque nocte, Omnipotens Dei manus in meliores auras eduxit S. FRANCISCUM, ut eſſet illi *quaſi Stella matutina in medio nebulæ, ac quaſi Luna perfecta in diebus ſuis, & ſicut Sol in Eccleſia Dei fulgens.* Et hoc effatum ſuit; imò & oraculum magni Pontificis, *Gregorii IX.* in Bullâ ſolemnis Canoniſmi, quo judice dicitur & eſt D. FRANCISCUS

Greg. IX. in Bulla Can.

Stella matutina, quæ terris aſſurgit feliciter, nitetque feliciùs *in medio nebulæ*, eamque feliciſſimè diſſipat, atque ex Eccleſia, ceu cœlo novo, expungit ut ſit illi imposterum ſuda amœnaque dies.

At quinam, qualéſve hujus Stellæ radii? *Iacobus à Voragine*, Epiſcopus Ianuenſis, & Dominicanæ familiæ decus illuſtre, tres ab illâ radios deduci credit, ad bonum ſolatiumque Univerſi.

Serm. 2. de S. Franc.

Primus eſt *Doctrinæ Radius*, quo illuceſcit in obſcurâ ignorantiæ caligine poſitis: perfunditque altiore quadam cognitionis, ac veritatis luce; ut Stella aſſolet, diſſipato nebulæ velo, atque obſtaculo.

Alter eſt *Exemplorum Radius*, quem ſcilicet vita illius omnis, ceu orbita in gyrum egit, ut eſſent in oculis omnium præclara illa virtutum excelſarum, & conſummatæ ſanctitatis exempla, ceu totidem à *Stella matutina* præfulgentes radii.

Poſtremus eſt *Radius miraculorum*, quo tangi, percellique poſſint etiam obdurata cœlo capita; & ſi obſiſtere pergant, eo quaſi fulmine percuti.

Et hoc à D. FRANCISCO, ceu *Stella matutina* mortalibus beneficium eſt.

Aliud ab eodem *quaſi Lunâ perfectâ in diebus ſuis.* Perfectam aſſerit, amatque de Petri Sede Summus Pontifex, quæ ſcilicet nulla ſui luminis unquam patiatur decrementa, nullam omnino defectionem, ecclipſim etiam nullam.

Oratori Romano *Luna ultima cœlo, intima terris, luce lucet aliena. Hæc Solis diſcipula obſequitur curſibus ſupernis, & prout accedit ad Solem, vel recedit a Sole, creſcens, aut ſeneſcens, diſpenſat lumen, ideoque ſemper eſt inſtabilis.* Et quia talis eſt, ubi creſcit, aut decreſcit, ideo eam nec ſuſpicit, nec in comparationem vocat Pontifex; ſed perfectam ambit, amatque in D. FRANCISCO, qui ex vero *Luna perfecta*, hoc eſt plena *in diebus ſuis*: plena luce exempli boni, plena meriti, plena operum bonorum. Quæ, ad illius laudes, ſacratioraque encomia, ſi necdum ſatis, dic age cum Chriſti Deique in terris Vicario, dic quod ſit ſicut *Sol in Eccleſia Dei fulgens.*

In ſomnio Scipion.

Sol Planetarum medius, diſpenſator temporum, *dux, & moderator luminum reliquorum, & veluti mens mundi, tanta magnitudine, ut cuncta ſuâ luce luſtret, compleat*; ita Tullius; cui dicitur *Sol* quaſi *ſolus*, *quòd unus ſit, & non plures, quodque tantam claritatem ſolus obtineat, ut cùm eſt exortus, obſcuratis omnibus aliis, ſolus appareat.*

Suprà.

2. de Nat. Deorum.

Hæc de Sole Tulliana eloquentiâ, quæ Pont. Max. è Petri Cathedrâ, ad D. FRANCISCUM transfert, metaphorâ plenâ, gloriæ ac majeſtatis, à quâ dicitur, & eſt in Eccleſiâ, ceu Cœlo novo, ſicut *Sol* alter Univerſo. Quæ appellatio, ſi fortè cuiquam necdum faciat ſatis, per ſuperos licet, altiùs in cœlos aſcendat, efferatque magnificum illud, auguſtum, cœleſte, ac propè divinum. Eſſe *Alterum Angelum aſcendentem ab ortu Solis, habentem ſignum Dei vivi.* Et certè Angelus eſt, & quidem ille ipſe, quem in exceſſu mentis vidit olim, extulitque *D. Ioannes.* Quod ne videatur à me dictum licentia quadam elatæ orationis, & facundæ mentis, cui ſubinde conceditur ut in altiores metaphoras, imò & hyperboles excedat. Ne, inquam, aliquis ita de me aut ſentiat, aut loquatur, audiat quid aliquando D. *Bonaventura* revelavit ipſum cœleſte Numen.

In Conventu *S. Mariæ*, cui à *Portiuncula* nomen eſt, concionem erat habiturus Orator ſacer, & tum Seraphici Ordinis Miniſter Generalis, cùm in mentem, atque oculos venit ille locus Apocalypſeos: *Vidi alterum Angelum aſcendentem ab ortu Solis, habentem ſignum Dei vivi.*

Sedulius in Elogiis S. Franc.

Cap. 7. v. 2.

Expendit illum pius Eccleſiaſtes, & à Deo, ceu divinorum luminum fonte ſupplex petiit, ut lucem animo meliorem effunderet, aperiretque: ecquis ille Angelus? Supplici mox adfuit propitium Numen, hocque animo, imò & auribus oraculum affudit: *Frater Bonaventura, figura illa litteraliter dicta eſt de B. Franciſco.*

Bartholom. Piſanus.

Dixit, & ſiluit, diſertoque Concionatori thema reliquit, è quo ſeſe latiùs explicaret in D. FRANCISCI laudes atque elogia, inter quæ facilè princeps illud, quòd ſit *Angelus*, non naturâ; ſed gratiâ, & æmulatione quadam Angelicæ puritatis, *aſcendens ab ortu Solis*, id eſt Chriſti, & Romanæ Sedis, à qua ſcilicet aſcendit, ut amœnam Fidei lucem toto terrarum Orbe ſpargeret: *habens ſignum Dei vivi*, hoc eſt, impreſſa corpori ſuo JESU Chriſti ſtigmata.

Conform. fruct. 2.

Ita *S. Bernardinus Senenſis*, quo interprete, hic utor; & quo cum etiam huic procemio finem facerem, niſi me ad ſe evocaret *D. Birgitta*, imò & per illam Chriſtus ipſe, Servator Optimus qui etiam in ſervi ſui laudem venire voluit; dum ſic ad *Birgittam*:

De Evang. Æterno. Serm. 60.

Franciſcus, amicus meus, fuit quaſi lapis ignitus, & ignitus, quia habuit me in ſe, qui ſum ignis.

Revel. Extravag. c. 9.

Hoc Chriſti, hoc Dei hominis, de FRANCISCO oraculum; imò tot oracula, tot indulgentis cœli, amoriſque Divini prodigia, quot verba. Ea omnia æqua lance expendas oporter, *mi Lector*, & quidem primò amantis illud *Amicus meus.* Quantum illud, & quàm immenſum bonum? Certè, ſi de amicitiâ etiam illâ, quæ inter homines eſt, auſus dicere Caſſiodorus:

Amicitia

…olog lib. …de Amicitia. *Amicitia eſt divitibus pro gloria, pauperibus pro cenſu, exulibus pro patria, imbecillibus pro virtute, ægrotis pro medicina, mortuis pro vita.*

Si, inquam, de amicitia, quæ hominis ad hominem, id eſt, luti ad lutum eſt, extulit magnificum illud *Caſſiodorus*; quid de illa, quæ ad Chriſtum, Univerſi Dominum, generis humani Reparatorem, Patris Æterni Filium, Deum ipſum eſſet prolaturus? An non illa jure potiori FRANCISCO erit *pro gloria, pro cenſu, pro patria, pro virtute, pro medicina, pro vita?* Erit enimverò *pro gloria*, & quidem æterna; erit *pro cenſu* divite, cenſu nobili; erit *pro patria* cœleſti; erit *pro virtute* perfecta, atque numeris omnibus abſoluta; erit *pro medicina*, non corporis, ſed animi; erit denique *pro vita* nullo unquam ævo terminanda. Hæc enim omnia ſuo quaſi ſinu concludit ea Chriſti de FRANCISCO vocula: *Amicus meus, quaſi lapis ignitus, & igneus.*

In hoc Orbe, ceu ædificio grandi, & lapidum inter ſe compage: ſinguli hominum, veluti quidam lapides ſunt; at aridi, at frigidi, è quibus vix vel unicam ignis, hoc eſt, divini amoris, ſcintillam excutias, etſi allidas quàm fortiſſimè: at FRANCISCUS *ignitus* totus, imò & *igneus*: & hoc, quia Chriſtum in ſe habuit, qui *ignis* eſt. Utinam & illum etiam ipſi in nobis haberemus: eo caleremus, eo arderemus, & cum FRANCISCO, Patre Seraphico, toti eſſemus igniti, imò & ignei. Et hoc mihi in terris votum unicum, cui annuat propitium Numen, annuat & FRANCISCUS, Soli vita, Cœli gloria, quam dum ſuſpicimus; pauca interim delibemus

EX D. THOMA.

Sap. c. 10. PRimò proponit ſibi illud Sapientis: *Iuſtum deduxit Dominus per vias rectas, & oſtendit illi regnum Dei.* Dein de duo in illo annotat.

Primum, Iuſtorum *meritum*, quod aperitur per *vias rectas*. Alterum, *præmium*, dum oſtendit illi *regnum Dei*. Denique explicat, quæ ſint illæ viæ rectæ; eæ ſcilicet, per quas itur ad vitam, & regnum æternum: Sunt autem illæ omninò quinque:

1. Cor. c 13. Primam aperit *Caritas*, quam Apoſtolus vocat excellentiorem.

Matth. c 5. Secundam, *Paupertas*: *Beati enim pauperes ſpiritu.*

Act. c. 14. Tertiam, *Tribulationum tolerantia*: *Per multas enim tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.*

Matth. c 2. Quartam, *Obedientia*: ut enim Magi *per aliam viam reverſi ſunt in regionem ſuam*, ſic & nos, qui per inobedientiam abimus à Dei regno, per obedientiam ad illud revertimur.

D. Gregor.

Pſal. 24. Quintam, *Veritas*: *Univerſæ enim viæ Domini, miſericordia, & veritas.*

Et hæ ſunt viæ rectæ quibus itur ad Dei regnum, & quibus etiam ivit ipſe S. FRANCISCUS, cujus vitam conſule. Ego hic, uti & alibi, nihil ex me addendum putavi, cùm nihil addiderit Angelicus Doctor, ex quo concionum compendium feci, & *benevolo Lectori* proponendum duxi.

EX EVANGELIO.

HAc luce D. FRANCISCO ſacra, Eccleſia cœlitùs edocta, prælegit Evangelium, in quo Servator Optimus, primò Æternum Patrem ex eo laudat, quòd occulta, ſeu gratiæ, ſeu etiam gloriæ myſteria, abſconderit à ſapientibus, & prudentibus, & revelarit ea parvulis.

Deinde blandè ad ſe invitat, & provocat eos omnes, qui & laborant, & onerati ſunt; ut ad ſe quamprimùm veniant, & tollant jugum ſuum ſuper ſe, & ne avocet, aut etiam deterreat vox illa *Iugum*, utpote duriuſcula, oportunè monet & Iugum ſuum ſuave eſſe, & onus leve. Et hæc ſumma Evangelii; cujus verba ſigillatim expendere, non erit ab inſtituto meo alienum. Igitur ait:

Primò, *Confiteor*, hoc eſt laudo, & gratias ago; hoc enim ſignificat hebræa vox *Ioda*, ex qua Confeſſio laudis eſt, & gratiarum actionis.

Subjicit, *tibi Pater*, qui me filium & unicè amas, & in laudem, gloriámque tuam mittis.

Addit, *Domine Cœli & terræ*: & quem prius Patrem vocavit, jam Dominum appellat. nimirum ut elatè Tertullianus:

Plenitudo eſt Divinitatis ipſius, exhibens Deum, perfectum; Patrem, & Dominum: Patrem clementiâ, Dominum Diſciplinâ: Patrem poteſtate blandâ, Dominum ſeverâ. Patrem diligentem piè, Dominum timendum neceſſariè. *Lib. 1. contra Marcion. c. 13.*

Ubi hæc extulit, tum ſubdit quod argumentum confeſſionis, & laudis, hoc ſcilicet quod recondita Fidei myſteria abſconderit à ſapientibus, & prudentibus hujus ſæculi, ideſt, à *Capharnaitis*, à *Scribis*, *Sacerdotibus*, & *Phariſæis*; hominibus ſuperbo & inſolenti ingenio, & ea revelarit *parvulis*, hoc eſt, humilibus, qui ſoli cælo ſapiunt, & Deo.

Hæc ubi dixit magiſter optimus; tum adjicit, quod eſt amantis, & mirum quantum amantis, *Venite*, non greſſu corporis, ſed affectu Fidei, Spei, Caritatis; hic enim pes animi.

Venite, inquit, ſed *ad me*, ut filii ad parentem, ut ſervi ad Dòminum, ut ægri ad medicùm, ut perditi ad Salvatorem, & quidem *omnes*, neminem enim reſpuo, niſi, qui me reſpuerit prius.

Qui laboratis, aliqua ſcilicet animi ægritudine: *Et onerati eſtis*, vel graviore antiquæ legis jugo, vel infami peccatorum onere, vel ærumnarum ac tentationum moleſtiis. *Et ego reficiam vos*; refocillabo, & requiem dabo. Ita tamen ut abjecto carnis ac dæmonis Iugo, tollatis *Iugum meum ſuper vos*, Iugum novæ Legis, Evangelii, gratiæ, caritatis; ſic ut piè annotat D. Bernardus: *Laborantes ad refectionem invitat, ad requiem provocat oneratos, nec tamen onus ſubtrahit, aut laborem, ſed alio onere, alio labore commutat. Sed onere levi, ſuavi jugo, in quibus & requies, & refectio.* *Serm. 15. in Pſalm. Qui habitat.*

QUÆSTIO PRIMA MORALIS.

Ad illa verba: *Abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus.* Matth. c. 11. v. 25.

QVÆ SINT ILLA QVÆ IMPORTANTVR ea voculâ : Hæc?

DIXIMVS ſupra, ex ſenſu Patrum, atque Ioterpretum, eâ voculâ *Hæc* deſignari occulta Evangelicæ Legis myſteria, inter quæ primum locum obtinet Sanctorum Nativitas, & Vocatio; tum mira circa illos divinæ Providentiæ ratio, longè alia, ab ea, quæ eſt ſapientum, & prudeotium hujus mundi: quod ut pateat, ſit

§. 1. *SANCTORVM NATIVITAS.*

ET hæc etiam numerari poteſt inter *abſcondita*; & hoc, quia loogè diverſa eſt à nativitate infantium hujus ſæculi: illi enim, ſi nobiles ſint, naſcuntur in purpurâ; ſi divites, in molli pluma, & anſere; & hoc quidem ex legibus ſapientum, & prudentium hujus mundi; qui ſpleodida amat, atque mollia etiam ab ipſis cunis.

Lucas Wadingus Tom. 1. Non ſic D. FRANCISCVS, non ſic, inquam, natus, non ſic exceptus ab utero. In illius partu, cùm plures jam dies laboraſſet mater, nec adhuc appareret, quî ex utero exiret infantulus; ad limen domus acceſſit unus aliquis, facie quidem & oculis ſpectabilis; ſed habitu peregrino, qui opportunè monuit: non in aulæ, ſed io ſtabulo; non in purpura, ſed io fœno parituram.

Benè monenti paruit pia mater, ſeque illicò in ſtabulum deferri voluit, hoc uno læta, ſi & ipſa cum Virgine Matre, & cum Infantulo JESU filio filiolus conſentiret: & verò conſenſit: mox enim ut ſtabulum intravit, feliciter enixa parvulum, in fœno depoſuit, multò feliciùs quàm in purpurâ Reges, ac Cæſares.

Hi enim ex mundi genio, mollitie, ac vanitate ſic cubant: at FRANCISCVS ex Chriſti, hoc eſt, pauperculi, ſpiritu, atque exemplo.

Serm. 4. de Nat. Quæſivit aliquando D. Bernardus: *Cur & ipſe Salvator, cujus eſt aurum pariter, & argentum, ſacram in ſuo corpore dedicarit paupertatem?* & hoc ab ipſis cunis, à primo vitæ limine.

Reſpondet: *Exemplum dedit nobis, ut & nos eadem faciamus, utilior ſiquidem in conſlictu lorica ferrea, quàm ſtola linea; licèt oneri ſit illa, hæc honori.*

Hoc porrò exemplum ſecuta D. FRANCISCI mater; imò & FRANCISCVS ipſe. Et tu ſequaris oportet: hoc uno felix, ſi Chriſto, etiam in hoc conſentias, ut capiti membrum: hoc uno etiam dives. ut enim cum D. Hieronymo efferam illud: *Affatim dives eſt, qui cum Chriſto pauper eſt.* *Epiſt. 1.*

§. 2. *SANCTORVM VOCATIO.*

INter eam, quæ Sanctis injicitur vocatio, & illam, quæ viris mundi hujus, magnum omnioò diſcrimen. Hi enim in eâ ſpectant aut opes & divitias, aut nominis famam, & honorum titulos; aut delitias, & molliculam in vitâ voluptatem. At non ſic Sancti; non ſic eos ad ſe evocans Deus; alia nimirum hic ſpectat, & quidem *abſcondita à ſapientibus, & prudentibus.*

Quæ ſint illa, ſi quæris? audies ex ipſo FRANCISCO vel in ipſo divinæ Vocationis limine.

In hoc, Crucem vidit, & Crucifixum, in eóque nudam pauperiem, abjectam humilitatem, labores improbos, doloreſque peracerbos. Ecce *abſcondita à ſapientibus, & prudentibus* hujus ſæculi. *In ejus vita c. 6.*

Fortè io Apuliam iter habebat FRANCISCVS, ut Comitem, virum à nobilitate & armis illuſtrem, adiret, ſub eóque ſtipendia faceret novus miles; cùm ei noctu, in amœna, ſopiti quidem corporis: ſed vigilantis animi, imagine, objecta ingentis palatii ſpecies, in eóque arma omnis omnioò generis, ſed *Cruce* inſignita. Ecce tibi io illa viſione arma ſans nota, & patentia mundo: at ecce etiam *Crux*, ab illo abſcondita; ad hanc vocatur FRANCISCVS, & ab illis avocatur, & quidem cælesti voce: cùm enim paululum progreſſus, in vicinum oppidum veniſſet; hæc ei in aurem cordis Dominus.

Franciſce, quis tibi poteſt plus facere benè, ſervus, an Dominus; pauper, an dives? cui ille *Dominus, ac dives.* Cui deinde Deus, cur ergo pro Domino ſervum? pro divite pauperem eligis? Enimverò, non eliges; ſed me potiùs, qui & Dominus ſum, & dives: ſed Dominus, & Rex à *ligno*, dives à *Cruce*; ad hanc te voco. Et ita deinde expreſſiùs vocavit: cùm enim orationi ferventiùs inſiſteret; io illius æſtu, atque ardore, Chriſtum ſpectavit, quaſi recens affixum Cruci, ab eóque audivit Evangelicum illud: *Si vis venire poſt me, abnega temetipſum, & tolle Crucem tuam & ſequere me. Abnega temetipſum, & tolle Crucem tuam.* Ecce *abſcondita à ſapientibus, & prudentibus*; quæ ut aure excepit FRANCISCVS, ſic & animo memori recondidit, ex eo quippe tempore & Crucem amavit, & Crucem extulit, ſibi primùm, dein etiam aliis, ut merito à *D. Bernardo Senenſi*, dictus ſit: *IESV Chriſti vexillifer*; ut infra fuſiùs oſtendemus, ubi de Crucifixi ſtigmatibus, ſacro illius corpori impreſſis, agendum erit. Interea te probè monitum velim, ô quiſquis es, vel ejus Inſtituti alumnus, vel etiam Religioſi alterius Ordinis filius, ut ad *Crucem* vocatum te ſcias, eſt enim Religio Crux ipſa; quia ut ſcitè S. Climacus, *Eſt perpetua naturæ violentia.* *Luc. c. 9.* *Ar. 2. c. 3.*

§. 3. *VOCATIONIS SVBLIMITAS, & abjectio vocatorum.*

TAm hæc, quàm illa vel maximè patuit in ipſa naſcentis Eccleſiæ infantia, in Apoſtolis, qua vocatione nihil ſublimius, fortunâ nihil abjectius; erant enim è vulgo, vilique ſorte piſcatores, & tamen inde vocati, factique piſcatores hominum, hoc eſt, ut cum ſanctis eloquar,

Fundamenta mundi, Columnæ Eccleſiæ, Orbis oculi, Mundi lumina, Cœli novi, & Soles Vniverſi. Et quod his omnibus elatius. *Gloria Chriſti* & ipſius *Dei Triumphus.*

Et tamen, ut ii eſſent à divina Vocatione; à ſua ſorte quid? homunciones, abjecti, mundoque deſpicabiles: & hoc ſuit Evangelicæ Legis myſterium, quod

quod Deus in abſcondito voluit eſſe, & quod altè extulit Apoſtolus, dum ſic ad Corinthios:

1. Cor. c. 1. v. 20. &c. *Videte vocationem veſtram Fratres, quia non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, ut confundat ſapientes; & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia. Et ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea, quæ non ſunt, ut ea, quæ ſunt deſtrueret.* Hæc elatiore ſtylo, vocéq; Paulus, ſimilia jactat Ambroſius:

Lib. 5 in Lucam. *Adverte*, inquit, *cæleſte conſilium; non ſapientes aliquos, non divites, non nobiles, ſed piſcatores, & publicanos, quos dirigeret elegit, ne traduxiſſe prudentiâ, ne redemiſſe divitiis, ne potentia nobilitatiſq; authoritate traxiſſe aliquos ad ſuam gratiam videretur.* & hæc divinæ Vocationis ratio militat pro iis, qui ad Apoſtolicas voces, Deo, & Eccleſiæ manus dederunt: ea quam ſubjicio, ad ipſos primò vocatos ſpectare videtur. In his (ut annotat D. Auguſtinus) elucet *magna artificis miſericordia: ſciebat enim quod ſi eligeret ſenatorem, diceret ſenator, dignitas mea electa eſt: ſi eligeret divitem, dives, opulentia mea electa eſt; ſi Regem, diceret Rex, poteſtas mea; ſi Oratorem, eloquentia mea; ſi Philoſophum, ſapientia mea electa eſt.* ideoque his prætermiſſis. *Da mihi*, inquit Dominus, *da mihi prius iſtum piſcatorem. Veni tu pauper. nihil habes, nihil noſti, ſequere me.*

De verbis Domini, ſerm. 59.

Tam largo fonti vas inane admovendum eſt. Et ſanè etiam admotum. *Dimiſit enim retia piſcator, accepit gratiam, & factus eſt divinus orator: ſic leguntur modo verba piſcatorum, & ſubduntur colla oratorum.*

In ejus vita cap. 1. Hæc Præſul Hipponenſis, à quo tranſeo ad D. FRANCISCUM, cujus vocatio mirum quantum ſublimis, etſi ſors longè inferior, ut qui primam ætatem mercaturæ addixiſſet, futurus aliquando opulentus animarum mercator, Eccleſiæ columna, & jam propè labentis ſuſtentaculum.

Juvat illius meminiſſe temporis. Miſeranda erat Eccleſiæ facies, imò & totius Univerſi, dum & illam Hæreſes, & hoc bella diſtrahunt, atque diſcindunt.

Primùm enim infame ex erebo caput eduxerat Hæreſis *Waldenſium*, qui & poteſtatem conficiendi corporis Chriſti, & etiam abſolvendi à peccatis, etiam Laicis attribuebant.

Accedebat deinde & alia hæreſis, ut aiebant, *Humilium*, qui etſi abhorrerent ab omni politiore, & ſacra litteratura: tamen & pulpita conſcendere, & ad frequentem concionem dicere, præſumebant.

Wadingus, Tom. 1. Denique ex eadem infandæ ſtygis officina excuſa Hæreſis *Albigenſium*, qui & ſuas, & antiquas *Manichæorum* opiniones in vulgus omne jactabant. Et hæc fuit triplex hydra, quam aggredi atque expugnare debuit FRANCISCUS, & Eccleſiæ (ſeu bonæ Matris) jura tueri, ſtaréque pro ſacratioribus Aris, & Apoſtolica Sede, quam etiam fœdum in modum perſequebatur *Fredericus Primus Imperator*, qui *Alexandrum* hujus nominis tertium Pont. Max. & Româ exulare, & ad Francos confugere coëgit, & inſuper infando auſu, quatuor creavit *Antipapas*. Primò *Victorem*, deinde *Paſchalem*, tum etiam *Calixtum*, denique & *Innocentium*. Et hinc Eccleſiæ malum, & infame ſchiſma, quod etiam fovebant diſtracta bellis Imperia, tum Orientis, tum etiam Septentrionis, à quibus mira Provinciis, mira Regnis clades, & calamitas, quam etiam augebant inter ipſos fideles, & Catholicos, effrænata vitia, & inſana peccandi licentia, quæ Chriſtianum orbem infecerat.

Et hic fuit, tum Univerſi ſtatus, tum Eccleſiæ propè fatiſcentis, quàm ſuſtentare humeris, quam oratione, & piis deſideriis, atque concionibus, erigere debuit FRANCISCUS, à Deo in eum finem evocatus, etiam ipſâ Crucifixi voce: eùm enim ante illum in Eccleſia *D. Damiani* pronus jaceret pius orator, hæc ex illo audit, etiam tertiò:

In ejus vita cap. 2. *Franciſce, vade, & repara domum meam, quæ ut cernis tota deſtruitur.*

Hic primùm ſtupere, dein etiam à ſe, & à ſenſibus diſcedere, tum ſibi redditus, meditari, ſeſeque colligere, quî divinæ voci obediret, quî Eccleſiam illam repararet. Ut porrò repararet *Fulgineum*, urbem nominatam venit, ſupellectilem omnem vendidit, & equum ipſum, cui inſederat, ac deinde *Aſſiſium* rediens, pecuniolam omnem contulit, ut Eccleſiam illam, lapſu temporis fatiſcentem, repararet. At mox intellexit, de alia Eccleſia monerì ſe, de illa, inquam, *Eccleſia* quæ eſt Chriſti Sponſa, & fidelium bona Mater, de illa priſtino nitori ac ſplendori reddenda, injectum à Domino ſermonem. Et ecce ſublimis illa Vocatio, ad quam evectus FRANCISCUS, & de qua deinde monitus etiam *Innocentius III.* Pont. Max.

Wadingus, Tom. 1.

In ejus vita cap. 3. Vidit ille in ſomnis, vel potiùs in altiore mentis exceſſu, D. FRANCISCUM, humili quidem, & paupere habitu; at validis lacertis Eccleſiam Lateranenſem, ruinæ jam proximam, atque imminentem, ſuſtentare: vidit, inquam, & illicò conquiſitum accerſiri juſſit, benignéque excipiens, omnem illius Inſtituti rationem confirmavit. Et hæc Summo Pontifici objecta viſio, quam etiam præceſſerat altera, etiam index ſublimis illius Vocationis, ad quam Deo duce accitus FRANCISCUS.

Venerat hic Romam; imò & in Curiam Lateranenſem, & Pontifici in portícu, cui nomen *Speculum*, ambulanti, & meditabundo fortè occurrerat, ab eóque, quòd ignotus eſſet, repulſam paſſus fuerat: at repulſam diu Cœlum non eſt paſſum; nocte quippè inſequenti, eidem Pontifici hæc objecta ſpecies.

Videbat ille ad pedes ſuos ſuccreſcere palmam, & mox in arborem pulcherrimam aſſurgere; quam dum oculo mentis contemplatur, ſimul etiam audit, eâ palmâ deſignari pauperculum illum, & pannoſum, quem die præcedenti à ſe repulerat: illicò igitur urbe tota conquiri jubet, & in *S. Antonii* hoſpitali inventum, adductumque, in conſpectum paternè excipit, & audit.

Sed quid hæc (amabo te *mi Lector*) quid hæc palma denotat? niſi victricem illam animam, quæ inſtar palmæ, in Eccleſiæ viridario, creſcere, & elevari debuit; & inſtar ſpecioſiſſimæ arboris, ramos, hoc eſt, ſtirpem ſuam, ac filios undequaque Orbe toto diffundere; cœcosque ac miſeros mortales ſub illius umbram cogere. Et ecce rurſum unde ſublimis illa vocatio, quam & confirmat exhibita etiam alteri è fratribus imago.

Dabis mihi hanc veniam, benevole Lector, ſi viſiones illas inter ſe nectam: faciunt, & ad Sancti, quo de agitur, laudem, & ad propoſitam mihi initio quæſtionem.

In ejus Vita c. 4. E D. FRANCISCI fratribus unus aliquis, in paucis pius, vidit innumeros propè mortales, durâ cœcitate percuſſos; facie in Cœlum erectâ, flexis genibus, extenſis ad Aſtra manibus, & voce lacrymabili, opem à Deo petere, amiſſumque lumen oculorum: vidit, inquam, illos ad ſacra limina ædis B. MARIÆ, cui nomen à *Portiuncula*, in qua etiam jacta fundamenta ſacri hujus Ordinis. Ab hac porrò ſede manabat ingens quædam vis divini luminis; quæ ſeſe per miſeros illos effundens, & lumen optatum reddebat, & opem tot votis expetitam.

Et hæc objectæ tum viſionis Imago fuit; & portentum illius beneficii, quod cœcis, ac miſeris mortalibus, à D. FRANCISCO obvenire debuit. Lumen ſcilicet Fidei, quod cœcæ Gentilitati per ſe, perque ſuos inferre aliquando debuit, & ardorem caritatis, quem in frigidis Chriſtianorum animis excitare, atque accendere voluit, & re etiam ipſâ excitavit, atque accendit. An non eâ ſublimis, cæleſtis, ac

divina

divina propè vocatio? Enimverò divina, à qua FRANCISCVS alter à Chriſto mundi Salvator, & dici, & eſſe potuit. Et hoc eſt arcanum, quod à ſapientibus, & prudentibus Incarnata Dei Sapientia abſconditum eſſe voluit, hoc; videlicet, quod in fronte bujus paragraphi, poſui:

Vocationis ſublimitas, & vocatorum abjectio. At unde, inquies, illa? excipe à D. Auguſtino in illa Pſalmiſtæ verba: *Pluviam voluntariam ſegregabis*

Pſal. 67. *Deus hareditati tuæ, infirmata eſt, tu verò perfeciſti eam.*

Pluviam dicit voluntariam; non meritorum noſtrorum, ſed voluntariam; non attendens hominum merita, ſed ſuam gratiam & miſericordiam. Ab hac *Vocatio*, ceu *plu-*

Serm 28. de verbis Domini. *via*, quædam *voluntaria*, cœlo effuſa: non in pingue aut dives ſolum; ſed in aridum atque exſuccum: non in virentes areolas, à violis, à roſis, ab honorum floſculis, conſpicuas; ſed in loca tribulis & ſpinis horrida: non in molle ſubactumque ſolum; ſed in durum, atque incultum: clariùs eloquor; in homunciones abjectos, totique mundo deſpicabiles, qualis tu, ô *Petre*, ô *Iacobe*, ô *Ioannes*, genere ignobiles, arte piſcatores; qualis & tu, ô *Paule*, qui, ut ſcitè notat Auguſtinus, *in te parvus, in Deo magnus*:

Suprà. qualis & tu, ô FRANCISCE, & ipſe *in te parvus*, ſed *in Deo magnus* ut paragraphus ſequens edocebit.

§. 4. *MVNDI SALVS, & incolumitas.*

EX naturæ Legibus, mundique placitis ſi hæc expectanda, enimverò expectanda à Viro potente, à Regio ſanguine, ab armis, & viribus; non à pauperculo, & pannoſo, non ab ignobili, non ab infirmo, qualis & eſſe, & haberi potuit FRANCISCUS. Et tamen ab illis, non eſt orbi data; ſed ab hoc Dei nutu, ac voluntate conceſſa.

Stupenda, & à ſæculis inaudita ea viſio, quæ patentibus Cœli valvis FRANCISCO; uti & *Dominico* eſt exhibita.

Certè D. FRANCISCO etiam exhibitam teſtatur

Serm. 2. de B. Dominico. S. Vincentius Ferrerius, Ferdinandus Caſtillo lib. 1. c. 18. Ludovicus Rebolledo 1. P. lib. 2. c. 23. Wadingus anno Minorum 9.

Fuit autem ejuſmodi, Aperto atque explicato mentis oculo ſpectavit Chriſtum à dextrâ Patris, ad quam conſederat, exurrexiſſe: ſed irato vultu, & incenſo, ut videbatur, ad pœnas animo: has nimirum exigebant, imò & ab invito Numine quodammodo extorquebant, immania quædam hominum flagitia, eáque ferè triplicis generis.

Primum erat, inviſa ſuperis animorum elatio, faſtus inſolens, ſuperbia intoleranda.

Alterum, avaritia, & inſana quædam, atque inſatiabilis auri cupido, & habendi ſitis, atque ardor.

Poſtremum, belluina libido, Venus indomita, & effrænes concupiſcentiæ motus, à quibus non homines dixiſſes, ſed belluas; adeo ad omnem libidinem abjecti, atque proſtituti. Et hæc præcipua ſcelerum capita, in quæ etiam tria jacula, manu pronâ jam vibraturus videbatur æquus humani generis Iudex, & Salvator Chriſtus, & quidem unum in ſuperbos, alterum in avaros, tertium in libidinoſos.

Dum hæc ab irato Numine tremebundus ſpectat FRANCISCVS, & orbi mox perituro ingemiſcit. Ecce illi, imò & Orbi univerſo à Virgine Matre ſolatium, & ſpes plena ſalutis: accidit enim illa ad Filii ſui genua, ſupplexque rogat, ut impendentem miſeris mortalibus vindicem manum ſuſpendat, & jacula excutiat; eſſe ſibi duos in terris famulos, à quibus ea ſcelerum monſtra impugnari, vincique poſſint. Ad hæc magnæ matris paucula verba, viſus primùm eſt iram ponere Dei, Virginiſque Filius; tum etiam inquirere ecquinam illi? & ubi locorum; tum denique, à matre audire, eos eſſe *Dominicum*, & FRANCISCVM; quibus reparandus eſſet Orbis, expellenda ſcelerum monſtra, & amabilis, amœnáque virtutum omnium facies inducenda. Ad hæc, & filius acquieſcere viſus, & parata ſceleratis capitibus jacula deponere. Et hæc fuit Imago illius ſcenæ *D. Dominico*, & *Franciſco* tum exhibitæ, in qua nobis

Primùm ſuſpicere, ac veteri licebit irati Cœli fulmina, vindiceſque criminum pœnas; tum etiam amare, colere etiam, ac venerari, magnæ Matris, magnæ Virginis opem, ac præſidium; à quo, qui jam propè perierat, reſpiravit Orbis.

Dixit aliquando, & rectè, doctiſſimus *Idiota*, quod MARIA *ſpiraculum* eſſet *hominis*: quod ſcilicet Cap. 5. ab illâ reſpiraret jam pœnè extinctus homo: reſpiraret, inquam, ad vitam, ad ſalutem, quam etiam ſecundùm Virginem, Dei Matrem, Divis *Dominico*, & *Franciſco* debere ſe fateatur eſt neceſſe.

Hi nempe fuerunt veluti *duo* illi *Angeli*, qui juſtum *Loth*, familiamque (hoc eſt ad meliorem vitam prædeſtinatos) è Sodomæ, id eſt, vitiorum incendiis, liberarunt.

Hi duo *Luminaria magna*, quæ Orbi tum igno- Gen. c. 1. rantiæ, tum errorum ſcelerumque tenebris immerſo, illuxerunt.

Hi *duæ tubæ* veri Moyſis, id eſt Chriſti, à quibus Num. c. 10. populus omnis ad ſuum revocaretur principium.

Hi duo *ubera Sponſæ*, à quibus parvuli lac ſugerent Cant. c. 4. doctrinæ ſanctioris, unde & creſcerent in virum perfectum, in menſuram ætatis, plenitudinis Chriſti.

Hi duo *Filii olei*, qui & miſerationis oleum longè Zach. c. 4. lateque effunderent, & unà, ipſum quoque Fidei lumen, atque ſplendorem.

Hi duæ *columnæ*, *Iachim*, & *Booz*, quæ porticum 3. Reg. c. 7. Templi, id eſt, Eccleſiæ, fulciebant.

Hi *duo Cherubim Propitiatorii* (qui arcam Dei, hoc eſt Eccleſiam) & in Orbes extremos vehere, & ſuſtinere poſſint.

Hi, inquam, DOMINICVS, & FRANCISCVS: abjecti, pannoſi, mundóque deſpicabiles; & tamen ii, quorum apud Superos gratiâ ac favore, & reſpiravit Orbis, & in alium totus abiit.

Hi denique fuere veluti *duæ illæ nubes*, quæ armatas Iſraëlis copias comitabantur; de quibus eſt illud Regii Vatis: *Expandit nubem in protectionem eorum.* vel, Pſal. 104. ut ex Hebræo vertit D. Hieronymus, *Tentorium* eorum; vel, ut alii, *Vmbraculum*; vel denique, ut Chaldæus Paraphraſtes, *Velamen* eorum.

Verè enim, & *Dominicus*, & *Franciſcus*, miſeris mortalibus, fuere quod diei nubes, quæ à Sapiente dicuntur, & ſunt *Velamentum diei*; quia, ut inquit In- Sap. c. 10. terpres noſter, Solem exhibent *ſine læſura*, hoc eſt innocuum, non æſtu moleſtum, non caloris magnitudine gravem, non *telis diei* (ut cum Lucretio dicam) peſtem, & perniciem afferentem.

Et ita Iuſtitiæ Solem, id eſt Chriſtum, qui mortalium capitibus imminebat, *Dominicus*, & *Franciſcus*, oſtentarunt; ſed *ſine læſura*: quia nimirum erant illis pro *Tentorio*, *umbraculo*, ac *velamine*. Dicitur Deus in nubibus, & *Arcum* poſuiſſe, & ſimul *Aram Clementiæ*: miro conſilio, ut ſi fortè, vindex illis manus explicaretur ad ſpargenda tela furoris ſui, diſtento jam *Arcu*: eſſet in ea ipſa nube, *Ara Clementiæ*, quam interpretari poſſumus *Dominicum*, & *Franciſcum*, ad quos confugerent aliàs perituri mortales; & ad quorum pedes, velut ad *Aras*, deponerentur innoxia tela.

Et ita eò loci ac temporis depoſita ſunt; incredibili generis humani bono, in quo velim attendas, quid poſſint in terris; imò quid in Cœlis Iuſti pauci, hoc eſt dumtaxat duo; quidve etiam poſſis & ipſe, ſi à virtute, vitæque innocentia, aut *Dominico*, aut *Franciſco* ſuppar eſſe contendas. Et certè quidni

contendas?

Digitized by Google

contendas? ut aliis eſſe poſſis, quod alto dici nubes, hoc eſt *Protectio*, *Vmbraculum*, atque *Velamen* ab ira Dei, ceu *altitudine diei*, à quo ſibi adeò metuebat David, & nos ipſi metuere debemus.

Sed ne longiùs, redeamus ad arcanum, quod à mundi ſapientibus, & prudentibus, abſconditum eſſe voluit Patris Æterni Sapientia: pro quo ſit

§. 5. *VIS ADMIRANDA Prædicationis.*

IN hâc vitâ (quæ Iobo teſte, *Militia eſt ſuper terram*) vel maximè commendatur gladius, quo ſcilicet & militi ſua ſervetur incolumitas, & hoſti ſtrages inferatur. Hinc etiam à Scriptura ſacra, gladii laus fuit, & commendatio, eáque vel maximè triplici:

1. Reg. 17. Primus fuit, *gladius Goliath*, cui hoc lemma aſcribi placuit. *Non eſt huic alter ſimilis.* Ab hoc Goliatho ipſi reſciſſum caput, à Davide, invicto bellatore.

1. Reg. 1. Secundus fuit, *gladius Saulis*, de quo illud elogium: *Non eſt reverſus inanis*; ſed ſemper plenus ac fluens hoſtili ſanguine.

Iudic. c. 7. Tertius fuit, *gladius Gedeonis*, à quo & ſua Madianitis cædes, ac ſtrages.

Quæ militi à gladio pugna, ac victoria; eadem Divini Verbi præconi ab Evangelio, Deique Verbo, quod ex vero gladius eſt. *Gladius ſpiritus, quod eſt Verbum Dei*, inquit Apoſtolus. Sed hic, inquies, verſari debet doctà mente, diſertâque linguâ. ita eſt, ſi humano pede rem metiri velis, & naturæ calculo æſtimare; ſecus autem, ſi ſtandum divino Judicio ac ſententiæ.

Illam audi interprete Apoſtolo: *Non ſapientes*, inquit, non profundi Philoſophi, non diſerti oratores; ſed indocti, ac propè mundo inſipientes, *gladium* illum *Spiritus*, & *Dei Verbum* verſarunt, ex quibus & Apoſtoli, & Viri Apoſtolici quos inter FRANCISCVS; & quidem ad hoſtium ſtuporem, ad ſtragem, & victoriam. Hanc ſpecta in D. FRANCISCO, novo milite, duce novo.

Ad Ephef. c. 6.

Wadingus Tom. 1. Fuit ea ætate, *Rex verſuum*; ſic dictus, quòd ab Imperatore, propter concinnam verſuum inventionem Rex fuiſſet declaratus. Hic cùm ſanctum FRANCISCVM pro concione dicentem audiret, eundem vidit duobus gladiis tranſverſis timendum, atque fulgentem. Unus à ſummo vertice ad imos pedes defluebat: alter à dextrâ ad ſiniſtram per medium pectus protendebatur. Vidit, inquam, & primùm obſtupuit, ac deinde moveri ſe ſenſit, ut Deo ad meliora vocanti & aures daret, & animum; & porrò etiam dedit: aulâ quippè relictâ & Religioni aſcriptus eſt, & dictus *Frater Pacificus*.

Ecce, ut *gladium ſpiritus*, non linguâ tantùm (quod plerumque inane eſt) ſed & manu verſarit D. FRANCISCVS. Verè de hoc gladio dici potuit illud: *Non eſt huic alter ſimilis.* Stravit enim *Regulum*, & opima de Carne, deque Mundo ſpolia retulit: at qua ratione? qua via? An hauſtâ à Philoſophis Sapientiâ? minimè gentium: An laboratâ, excultâque oratione? an Tropis ac figuris? nec illis etiam.

Et hæc, & illa, gladius quidem ſunt; ſed qui plerumque revertitur inanis: nec animos ferit: ſed aures, & auras. Non ſic FRANCISCI gladius, & in eo *Dei Verbum*.

Appello Pontificem, & purpuratos Patres: E Cardinalibus unus aliquis ſuaſit FRANCISCO, ut coram Summo Pontifice, & Cardinalium Senatu, concionem haberet.

Wadingus Tom. 1. Anno Minorum 10.

Ceſſit ille vel importunis illius votis, vel authoritati, & quà potuit concionem elaboravit, ut ſcilicet ex decoro, & dignitate influeret in aures tanti Pontificis, atque conſeſſus. Sed, ô hominum conſilia! ô conatus! ô viæ! quàm alienæ ſunt à viis Domini! non eſt hic paſſus, ut quod diu & operosè meditatus erat, eloqueretur; omnium quippe oblivionem induxit. Quid hic FRANCISCVS? rubore alius ſeipſe texiſſet, & pudore; hic demiſſione, & ingenua confeſſione: aperuit enim Pontifici, quod erat oblivionis vitium; tum Spiritus Sancti gratiam, ſupplex imploravit: Et ecce derepentè verba effluunt minimè meditata, & vis ſacræ orationis tanta, ut & Pontifex ipſe; & Purpurati Patres, & conſeſſus omnis, vehementer commoveri ſe ſenſerit: adeo etiam in FRANCISCO verum illud Apoſtoli:

Sermo meus, & Prædicatio mea, non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis; ſed in oſtenſione ſpiritus, & virtutis. *1. Cor. 2.*

Hanc porrò Divini Verbi virtutem, etiam perſenſiſſe videntur ipſa animantia, aves imprimis libero vagantes aëre.

Viderat FRANCISCVS, facto velut agmine, volucres patenti æthere ferri, atque volitare, cùm ſic ad illas: *Wadingus Tom. 1.*

Fratres mei volucres plurimum debebis Deo Creatori, qui vobis & pennarum remigium dedit, & explicata aëris ſpatia, & annonam ferè ſemper paratam, atque obviam. Eſt *proinde quod Deo veſtro, & munifico bonorum largitori accinatis.*

Ad hæc applaudere volucres, alas extendere, roſtra pandere, & guttur in ſuaviſſimos cantus explicare, nec abire, niſi accepta à FRANCISCO venia & benedictione.

Audiſti ad illius concionem attentas volucres; audi etiam ad mandata obſequentes. In Caſtro Alquino, ad frequentem populum dicebat orator ſacer; cùm ecce hirundines in eo nidificantes ſua garrulitate obſtrepunt; ſic ad illas vir ſanctus, *ſorores meæ hirundines, jam tempus eſt ut loquar & ego, quia vos modò garriviſtis plus ſatis; conticete, & Dei Verbum ſilentes, audite*; & en ſilent, & audiunt; adeo potens & efficax *Dei Verbum*, cui cedunt etiam animantia rationis expertia. Et hoc etiam unum eſt quod à *ſapientibus, & prudentibus* abſcondit Dei Sapientia, quæ etiam nos hinc edoctos voluit, ut *Dei verbum*, non tam linguâ jaciamus, quàm manu; hoc eſt, non tam voce, quàm vitâ; non tam ore, quàm opere.

Habeat vita tua claram vocem, eadem, qua dicis, docentem, inquiebat D. Chryſoſtomus, id eſt exprimentem factis, quæ verbis ediderit: id ſi feceris, & multum ad Dei gloriam promovendam effeceris, & ad commovendos ad pietatem auditorum animos: contrà verò, niſi facta repræſentaris conſona dictis, nihil proficies: nec mirum quia ut ſcitè D. Hieronymus: *Perdidit authoritatem docentis, cujus ſermo opere deſtruitur.* *Hom. 2. de David.* *Epiſt. 83.*

Certè, cujus ſermo ſic *deſtruitur*; etſi Ariſtotelis argutias, etſi Tullii habeat eloquentiam, ab hac, & illis, non erit aliud, quàm *Cymbalum tinniens*; ut rectè Apoſtolus, aut *Sepulchrum dealbatum*, quod etſi externam ſpeciem habeat pulcherrimam; intus tamen, & oſſibus mortuorum, & fœtore putet. *1. Cor. 13.*

Sepulchrum patens eſt guttur eorum, canebat olim David. quia etſi guttur ſuaviſſimum videatur, etſi aureum: eſt tamen omnino *ſepulchrum*, hoc eſt, vitâ vacuum, animo intus putido, virtutibus ſpoliato. Sed hæc verbulo notaſſe ſit ſatis: videamus, quæ deinde ab hujus ſæculi ſapientibus abſcondita. pro illis ſit *Pſal. 148.*

§. 6. *VIS PRODIGIOSA MIRACVLORVM.*

DE Diſcipulis ſuis, & iis, qui in eum aliquando Fidem eſſent habituri, pronuntiavit illud Servator optimus: *Quæ ego facio, & ipſe faciet, & majora horum faciet.* Et hoc Chriſti oraculum experientia

probatum eſt, primùm in Apoſtolis: dein & viris Apoſtolicis. Ne aliò ſtylum deflectam in præſentiâ, eum ſiſtam in D. FRANCISCO: hic ut virtutum Chriſti fuit æmulator; ſic & miraculorum.

Primum miraculum, quo inclaruit Chriſtus, & ſeſe prodidit, quæ in eo latebat, Divinitas; fuit in nuptiis Canæ Galilææ, cùm aquam in vinum vertit. Et eodem ſeſe aperuit, quæ in FRANCISCO erat participata quædam à Deo auctoritas, quâ etiam aquam in vinum optimum mutavit.

Wadingus Tom. 1. Annal. In Comitatu Narvienſi, non longè à Caſtro *S. Vrbani*, in avia, & invia ſolitudine abruptoque monte, gelidâ febri correptus eſt FRANCISCVS, ad quam etiam acceſſit ingens ſtomachi dolor, & nauſea; quam ut levaret, vinum petiit, cumque eò loci non eſſet, è vicino fonte frigidam hauriri juſſit, ſibique deferri, quam ſigno Crucis benedicens, in vinum generoſiſſimum convertit; eóque guſtato, penitus convaluit. Nempe medicum erat, quia non de vite, ſed è Dei, ter Opt. ter Max. penuario depromptum; ut & illud, quod ſubjicio è cæleſti agro, meſſeque diviniore.

Ibidem. In Syriam vela faciebat FRANCISCVS; cùm ecce adverſa intumeſcunt maria, & contrarii reflant venti, fluctuantesque diutiùs expectatione diſtinent, hinc omnis annona deficit, ſi eam exceperis, quam eleëmoſynâ ſibi compararat FRANCISCVS; erat illa exigua panis portio, quæ tamen in Viri ſancti manibus ſic aucta, ut omnibus omninò ſuffecerit, uſque dum *Anconam* appellerent. Ita famulum ſuum Dominus fecit velut conſortem ejuſdem potentiæ ac virtutis: ut ſicut olim in ejus manibus ſeptem panes, adinſtar ſeminis, ſic aucti ſunt, ut ſatis eſſent alendæ multitudini plurium millium: ſic & eſſent in FRANCISCI manibus, ad ſuſtinendos vectores omnes, & promiſcuam in eâ navi turbam.

Ibidem. Vidimus ut aqua, & panis illius Divi vim ſenſerit; ſpectemus etiam ut duriores petræ, & indomita ſaxa; portabatur vir Dei humili aſello, & quidem æſtu ſolis ardentiore, cùm & calere, & ardere, & ſiti propè deficere aſinarius, & aſellus ipſe; ſed unde aqua in arenti ſolo, & ſicca rupe? Inde certè unde olim Moyſi, Dei ſervo. Percuſſit hic virgulâ petram, & ex eâ fluxerunt aquæ, & populo, & pecori: & petram baculo FRANCISCVS percuſſit, & illicò emanavit fons aquæ: nunquam eâ dulciorem, aut lympidiorem guſtarat aſinarius; nuſquam magis ſapidam aſellus ipſe: nec mirum, cùm alii fontes è terra; hic è cœlo fluxerit. Ab aquis, & fonte, recurro ad rem frumentariam; nam & hæc FRANCISCI vim paſſa.

In *D. Columbæ* cœnobium venerat, & quidem de viâ feſſus, exceptus à fratribus gaudio ſummo, caritate ſumma: at non ſic epulo, nam huic parando ne unus erat panis. Quid hîc Vir ſanctus, & pius parens? archiminiſtrum ad ſe evocat, jubetque caniſtrum, in quò deponi ſolebant panes, inſpicere. *Ibidem.* At hic ſubridere, pioque joco dicere, in eo merum putumque vacuum eſſe, aliud omnino nihil, panis certè ne mica. Ut tamen pareret; vadit, aperit, luſtrat, & plenum recenti pane conſpicit. Hunc nimirum intulerat FRANCISCI in Deum fiducia, & Dei in illum amabilis providentia.

Ab annona parata fratribus, redeo ad duras rupes, & ſaxa, quæ in FRANCISCO dederunt aquas; ſic & quietem, imò & mollem lectulum, diceres oblita naturæ ſuæ, ac duritiei. Et verò oblita ſunt.

Non procul à Caſtello cui nomen *Capreſius*, viſitur etiamnum lapis longus & largus, in quo cùm FRANCISCVS feſſos artus reclinaſſet, duriſſima petra ad inſtar plumeæ culcitræ ceſſit, & corpus molliter admiſit, & modò etiam cavitatem retinet, ad formam humani corporis. cui ægri quamplurimi ſeſe etiamnum inſternunt, & curantur; ii maximè, qui renum dolore tenentur, ac cruciantur: crederes medicum eſſe lapidem, & illum D. FRANCISCI lectulum.

Vidiſti qui corporibus medelam afferat Pater Seraphicus, attende qui etiam animis non ſine miraculo.

E vivis exceſſerat mulier illius Divi dum ſpiraret impri̇mis amans: ſed, ô malum pudor! Sacra exomologeſi animum dum expiare contendit, peccatum letale reticet pudore victa, & hinc conſcientiam maculat magis, alterius etiam & novi criminis rea. *Ex Amphil. ab. Icono Epiſc. Surr. in Lanuar.* Interea vivere deſinit, mortuáque in feretro deponitur, ac jacet. Sed, ô ingens bonum D. FRANCISCI cultus ac tutela: hac certè ſuſtentata anima in corpus exanime redit, erigitque ſeſe è feretro, dum juſta exequiarum in templo perſolvuntur, & ſic Sacerdotem alloquitur:

Volo confiteri Pater, ego enim mortua duro æternóque carceri eram mancipanda, quia peccatum, quod tibi pandam, nec dum confeſſa fueram; ſed orante pro me S. Franciſco, cui dum viverem devota mente ſervivi, redire nunc ad corpus indultum eſt mihi, ut illo revelato peccato ſempiternam promerear vitam. Et ecce vobis videntibus, poſtquam illud detexero, ad promiſſam requiem properabo.

Dixit & expleta confeſſione placidè ſeſe in feretro compoſuit, ac rurſum in Domino obdormivit.

Et hæc è multis miracula ſelegi, quia faciunt quamplurimum ad probandam Dei in ſervos ſuos providentiam, quam non explicat in mundi *ſapientibus, & prudentibus*: ſed in *parvulis*.

§. 7. *PROPHETIAE DONVM, & ab illo lux quædam altior ac cæleſtis.*

DE Libris Canonicis, eorumque authoribus dixit illud aliquando D. Petrus: *Spiritu Sancto inſpirati.* Arias Montanus vertit: *Acti, locuti ſunt ſancti, Dei homines.* *2. Pet. c. 1. verſ. ult.* Ita nimirum dum loquuntur Sancti, Dei homines, & Spiritu Sancto inſpirantur, afflantur; imo & aguntur.

Et ita inſpiratus, afflatus, & actus eſt D. FRANCISCVS, ut ea quæ ventura erant longe ante ediceret. Ne multis chartas onerem, unicum edam, quod & facit ad Sancti decus, ac gloriam, & ad illius, quæ in eo erat grati animi commendationem.

Supra caſtrum Montis-acuti in Hetruria, triduo antequam è vita migrarent aliqui ex familia ejus caſtri nobiliſſima, micare de cœlo aiunt monitores ignes nitoresque, prodromos ſcilicet ultimæ neceſſitatis. Si qui tum oblangueſcant domeſtici, actum de illis putant, ſi vegeti omnes fuerunt, ſubitarium aut morbum, aut interitum cuncti jure metuunt; & reipſa ſemper aliquis deſideratur quotieſcumque fax illa funebris coruſcat.

Ita narrant, & ſancti Franciſci precibus, hæc indicia obitus imminentis accepta referunt: nam & *Silveſter Petraſancta Tammaſia Tom. 3. c. 20.* hoſpes non infrequens illius caſtri, dum abderet ſeſe in ſacros receſſus montium Alverniæ, dicitur aliquando petiiſſe ab ejus familiæ principe, apud quem ſolitus erat divertere, quidnam gratiæ rependere poſſet Hero tam hoſpitali, tam benevolo.

Ille verò ratus beneficium accipi, non conferri quando intrat penates pius hoſpes, rogavit quidem ut pergeret ſibi gratificari, atque ut adverteret frequentiùs; ſed ſimul ſibi, ſuiſque optavit impetrari à Deo, ut exitum vitæ poſſent prænoſcere, ne ſcilicet è vivis excederent imparati.

S. FRANCISCVS ad hæc, in preces, & vota converſus, ore tacito, ac mente ſupplici tantiſper ſubſtitit; tum ad ſermones mutuos rediit, & ſic ad Principem:

Eia, inquit, annuit benignus, & miſericors Deus, ex tua nobili ſtirpe, nemo unus omnium cum morte vitam commutabit, quin de obitu præmoneatur,

&ita

& ita deinceps ſemper evenit, coruſcante face de cœlo, quæ mortis ſignificationem faceret. Ita *Silveſter Petra ſancta*, qui & illud accepit à matrona illuſtri, & pia. Inter faces iſtas mortis prænuntias, diſcrimen eſſe: ſi enim obeant parvuli, ignes minores ſupra caſtrum nitent: & hoc ipſa experta eſt, cum nobili ejus proſapiæ filiam nuptui dedit, ex qua impuberes liberi obierunt; his enim præluxit fax minor, cùm major puberibus, atque adultis ſoleret prælucere; & hoc quidem ſeu D. Francisci ſolemni vaticinio, ſeu etiam ſingulari beneficio, quod hactenus ivit in ſæcula, in ſeros nepotes, ac pronepotes, ibitque uti fas eſt credere, ad illius familiæ poſteros omnes. Tantum intereſt qui beneficias Dei ſervis, qui eos excipias: grati nimirum ſunt illi, & beneficii memores, gratiamque non tantum in caput effundunt; ſed & in ſtirpem totam quanta quanta illa ſit etiam ſeros in annos, & ſæcula.

QUÆSTIO SECUNDA
MORALIS.

Ad illa verba: *Revelaſti ea parvulis.* Matth. c. 11. v. 25.

QVI SINT ILLI PARVVLI?

IN vulgata lectione habetur *parvulis*, in Syriaca *puerulis*, in Arabica *infantibus*: nec tamen inde confice, intelligi parvulos, puerulos, infantes ab ætate: neque enim his arcana Fidei, aut gratiæ revelavit; ſed idiotis, imperitis, infacundis; adeoque in hoc, quaſi puerulis, & infantibus. Et hæc interpretatio genuina eſt, hauſta ex ipſo naturæ gremio, & infantium natura. Illa, quam ſubjicio, eſt à virtute, à candore ſcilicet mentis, ab innocentia morum, quæ eſt in infantibus. Alia ab humilitate, quæ etiam in infantibus reperitur; ſicque *parvulis*, atque infantibus revelaſſe Dei arcana, idem erit ac revelaſſe *humilibus*. Et huic interpretationi in præſentia inhærebo, aperiamque paucis quomodò D. Franciscus verè *parvulus*, id eſt, humilis in paucis. In hoc primùm authoritate certabo, deiu ratione, atque experientia.

Authoritatem huic meæ aſſertioni dabit *D. Dominicus*, cui cum Francisco religioſum certamen fuit.

Cardinalis Hugolinus, Divis *Dominico* & *Franciſco* hanc aliquando quæſtionem injecit, Eſſéntne fratres evocandi ad Inſulas, & Eccleſiaſticæ gradus dignitatis, uti & olim Apoſtoli, licèt cenſu pauperes? priuſquam illi fieret ſatis, orta ſanctos inter contentio pia & modeſta, quis ſcilicet è duobus prior reſponderet, hic, an ille? Hæſitatum aliquamdiu in alto ſilentio, dum alter alterum ſtudet vincere humilitate. Tum *Dominicus*: *Tu me vincis humilitate, ego te vincam obedientia.*

Wadingus, Tom 1. Anno Minorum 11.

Ubi hinc & inde ſic parta victoria; tunc Cardinali *Dominicus*: *Ego in ſuo gradu quemque manere, & contineri velim, nec aſſurgere.*

Tunc & Franciscus, ſimplici, id eſt humili ſtylo, uti & animo: *Domine, ideo Minores vocati ſunt Fratres mei, ut majores fieri non præſumant.*

Hæc ille: Ex hoc primùm habes, *Amice Lector*, inſignem D. Francisci humilitatem, quà ſe vinci fatetur *D. Dominicus*, & in hoc etiam imprimis humilis.

Habes & Ipſam Fratrum appellationem, qua *Minores* dicti, ut vel ipſo ſuo nomine monerentur humilitatis, & ubique minores eſſe ſtuderent, nullibi majores, ubique ſubditi, nuſquam Prælati.

Et hic genius fuit D. Francisci; hic genius & filiorum. Teſtem volo, teſtem amo *D. Bonaventuram*, humilis parentis is fuit & humilis filius. Cùm ordinis ſui, non tam voto ſuo, quàm fratrum, eſſet Generalis Magiſter, ex improviſo à Legatis Gregorii X. illatus eſt illi pileus cardinalitius, & inſuper delatus *Albanenſis* Epiſcopatus, fortè tum in culina tergebat ollas, & ſcutellas abluebat: & porrò perrexit, nec Legatos admiſit, niſi peracto illo humilitatis officio; imò & pileum Cardinalitium tantiſper ex vicinæ arboris ramo appendit, nec admiſit niſi coactus reverentiâ illius, cui in terris reſiſtere eſt nefas. Sed redeo ad Franciscum, à quo paululum diſceſſi, & paucis oſtendo *Minorum* ordinem, ut eâ appellatione, inditâque illi humilitate conſervandum; ſic eâ poſitâ, & poſitâ demiſſione, evertendum: quod ut moliti aliquando ſunt inferi; ſic & avertant Superi.

Wadingus Tom. 1. Annal.

Vertebatur à condito Ordine annus undecimus, cùm ex ima ſtyge, erebóque eductum eſt, coactumque concilium cacodæmonum, à quibus inquiſitum, quæ ratio, quiſve modus evertendi illius Ordinis? Ut doloſi, ut vafri ſunt illi mali genii; itum eſt in alias, atque alias ſententias. Hic enim cenſuit ad illud inſtitutum impellendos nobiles quamplurimos, quibus & altior eſſet animus, & mens ab avito ſanguine turgida, atque etiam lautitiis à prima ætate aſſueta. Et ab his ſenſim depravandum Ordinem.

Wadingus, Tom. 1. Anno Minorum 11.

Ille, litteratos Viros, & *Magiſtros noſtros*, etiam à ſcientiâ multâ inflatos, qui ſuperbiâ ſuâ omnia Religionis Iura peſſundarent.

Alius denique, puellulos ab ætate & viribus molles, impatientes rigoris, ac diſciplinæ religioſæ. Et hæc placita probavit *Lucifer*, maximè verò primum, ac ſecundum: ex quo videas, ut humilitate D. Francisci fundata religio; ſic eadem etiam conſervanda. Sed ne longiùs. Ejus humilitatem authoritate probavimus; uti & appellatione totius Ordinis, ejuſque genio, ac conſervatione: probemus & rebus ab eo geſtis.

D. Bernardus diſtrinxit tres gradus humilitatis, videlicet *linguæ*, *cordis*, & *operis*.

De Gradu Humil.

Linguæ quidem, ut hæc nihil efferat, nihil effutiat in ſui laudem: ſed potiùs in contemptum, ac vituperium.

Cordis verò, ut demiſsè, & abjectè de ſe ſentiat, & alios amet ſentire.

Operis denique, ut demiſſionem, quam cor ipſum concepit, & lingua expreſſit, exprimant etiam ipſa opera.

Per hos gradus decurrit D. Francisci humilitas, & quidem *cordis*, atque intimi ſenſus. E fratribus unus illi aliquando comes, cum eo de viâ deflexerat in obviam Eccleſiam, in quâ dum orat attentiùs, in extaſim raptus, vidit aperiri, & patere Cœli regiam, in qua aliæ, atque aliæ ſedes, veriùs cœleſtes Throni, quos inter eminebat unus auro, gemmis, & diviniore quadam luce, conſpicuus: ſed vacuus.

Quæſivit ecquæ eſſet illa ſedes, & cui ſervaretur? & audit eâ excidiſſe è cœleſtibus geniis unum aliquem, & modò ſervari humili Francisco.

Ubi sd ſe rediit, & ad FRANCISCVM; rem tacitè diſſimulans, ex illo petiit quid de ſe ſentiret? ad quem FRANCISCVS. *Videor mihi maximuꝰ peccatorum.*

Ecce *cordis* humilitatem, ecce & *linguæ*, quam demiratus frater, rurſum ex illo rogavit qui iſtud ex veritate, & bonâ conſcientiâ diceret? cui FRANCISCVS, quia ſi mortalium ſceleratiſſimo eam gratiam feciſſet, quam & mihi, foret ille gratior, & ſanctior. Vis aliam, & *cordis*, & *linguæ*, & *operis* demiſſionem. Audi quid olim ad ſuos FRANCISCVS:

Non mihi videor, inquit, *frater minor, niſi fuero in ſtatu quem tibi deſcripſero*; ſic autem deſcribit ſtylo candidò, & ſimplici.

Ecce Prælatus exiſtens fratrum, vado ad Capitulum, prædico, & commoneo fratres, & in fine dicitur contra me, non convenis nobis, quia illiteratus es, elinguis, idiota, & ſimplex. Tandem ejicior cum opprobrio, vilipenſus ab omnibus. Quid inde? quis illi ſenſus? quæ verba? quis oris vultusque color? ex illo audi:

Dico tibi, inquit, *niſi eodem vultu, eadem mentis lætitia, & eodem ſanctitatis propoſito, hæc verba audiero, frater minor nequaquam ſum.* Hæc ubi dixit, tum ſubjicit illud dignum cedro: *In prælatione caſus, in laude præcipitium, in humilitate ſubditi, animæ lucrum.*

Sed hæc, inquies, animi demiſſio, hæc probra, hæc ſcommata: intra privatos parietes jactata: audi, quæ etiam in publico, vel ipſius ore, voceque.

Incenſus ardentiore humilitatis ſtudio, unà cum plurimis è fratribus, in publicum erupit, in Eccleſiam venit, frequenti populo, tum veſtem poſuit, ac ſeminudus, fune ad collum alligato, trahi ſe præcepit ad inſtar jumenti, ad inſtar ſicarii, aut latronis ad lapidem, in quo collocari, & ſtare ſolent publicæ infamiæ deſtinati: tum ex illo, velut è pulpito dixit, & ſe non ut hominem abſtemium, & ſanctum habendum eſſe pronuntiavit; ſed ut guloſum, & profanum, & publicâ dignum infamiâ, probroque.

Et hæc ad audientium ſtuporem, & chriſtianæ demiſſionis miraculum, in quo dum vides humilitatem *cordis*, *linguæ*, & *operis*. Simul etiam vide quantum ab illa FRANCISCVS aſſurrexerit, videlicet ad Cœli regiam, ad gloriæ ſedem, ad Thronum beatitatis, etiam Angelicæ, & Seraphicæ.

Nec mirum, *humilitas ſcala eſt, ad Cœlos nos ſublimans*, ut piè D. Umbertus; *Currus eſt, qui in Cœlum ſuſtollit, & equos habet alatos*, ut disertè D. Chryſoſtomus. Hac ſcalâ ad ſuperos aſcendit FRANCISCVS, hoc curru in Cœlos evectus. Illâ & tu aſcendere ſtudeas, *mi Lector*, & hoc etiam evehi; certus, non aliam eſſe ad beatitatem viam, quàm humilitatem.

Cap. 37. de Humilitat. Hom 40. in Epiſt. 1. ad Cor.

QUÆSTIO TERTIA

MORALIS.

Ad illa verba: *Tollite jugum meum ſuper vos.* Matth. 11, v. 29.

QVODNAM SIT ILLVD IVGVM?

IVGVM, à quo abire vult ſuos Magiſter optimus; eſt Jugum *antiquæ Legis, Concupiſcentiæ, & peccati*; & illud quidem grave, hoc autem intolerabile. Jugum autē ad quod accedere, eſt *novæ Legis, Gratiæ, Charitatis.* Et hoc leve, & ferēdo facile.

Crux jugum.

Aliis, eſt Iugum *Crucis*, quod primus omnium tulit Salvator, ut alios exemplo ſuo ferre doceret. Et hoc eſt Iugum, quod portarunt Apoſtoli, quodque etiam FRANCISCVS, qui & mortificationem Crucis in ſuo corpore portavit, & in eodem etiam impreſſa Crucifixi ſtigmata: ut ex veritate dicere poſſit. *Chriſto confixus ſum Cruci*, & quidem duplici:

I. Mortificatio.

Prima, eſt illa, quam Aſcetici *Mortificationem* appellant, & hanc aſſumpſit, tulitque invictus Chriſti pugil, cui id unicum ſtudium fuit, corpus jejunio, aliisque afflictationibus macerare, ac penitus ſpiritui ſubigere: hinc illi aqua frigida potus erat; cibaria vel incocta, vel malè cocta, eaque plerumque aſperſa cinere, vel aliunde inſipida, ut neceſſitati corpuſculi daretur aliquid; ſapori, aut delectationi nihil.

Hinc etiam cubile, aut nuda humus, aut durius lignum & lapis pro cervicali; pluma nunquam admiſſa, niſi ſemel, cùm ex dolore capitis graviùs laboraret: tum enim, non tam ex FRANCISCI voto, quàm ex pio fratrum ſtudio, affectuque, cervical è pluma molliore illatum eſt. In quod illicò (quod mirere) malus dæmon ſubintravit, & ſervo Dei nocte tota fuit importunus, nec deſtitit, niſi cùm ejus juſſu cervical è cellâ longiùs eſt exportatum, unàque illi inſidens malus hoſpes, qui ut mollia amat, ita in mollibus conquieſcit.

In ejus vita cap. 5.

Hinc veſtis aſpera, & rudis, atque etiam intrinſecus intexa nodulis, ut durior ad carnem appelleret, ut torqueret.

Hinc denique (ne omnia minutiùs perſequar) adulta hyeme, auraque perfrigida, in aquam à gelu, rigidisque aquilonibus concretam ſeſe immergere. Hinc in gelidâ nive ſeſe inſternere, ut ignem aqua, ardoremque libidinis, eo frigore vinceret.

Hinc funiculis, & catenulis corpus diverberare, ac propè lacerare, dicereque edomito ſic corpuſculo: *Eia frater aſine, ſic te decet manere, ſic ſubire flagella.* Hæc inter tot Cruces FRANCISCVS, cui deinde alia parata de Cœlo Crux, illique etiam à Seraphino impreſſa.

II. Sacra Stigmata.

In abrupto Alvernæ monte, viſitur ſaxum, ſeu potiùs rupes ingens diſciſſa per medium; ſic ut inter illius extrema ſit profundior hiatus: hunc dum ſubintrat FRANCISCVS, ut ſibi Deóque vacet, adfuit illi bonus Angelus, docuitque petram illam unà cum aliis in paſſione Chriſti ſciſſam eſſe; ut ſenſum, quem Deo patienti negabat homo, authori ſuo petra redderet, doceretque à dolore ſcindi debuiſſe mortalium corda, cùm & ipſæ ſcinderentur petræ. Et alias inter, etiam hæc; quæ ideò D. FRANCISCO erat in amoribus: teſtor oſcula, quæ illi ſæpiùs infixit, teſtor amplexus, quos non ſemel dedit, teſtor & encomia, quibus eam extulit.

Wadingus Tom. 1. Annal.

O quoties hæc illi! ô invidenda mortalibus petra! ô amabilis Immortalibus! ô tremenda vel ipſis inferis!

Quis det mihi ut tui ſim æmulus; imò ut quodes, ſim & ipſe petra: ſed à dolore, à compaſſione ſciſſa. Hæc ille, in æſtu, ſeu doloris, ſeu amoris: cui dum plus ſolito indulget & habenas laxat; ecce à ſeculis inauditus à Cœlo favor, ecce prodigium divinæ in eum caritatis.

Recurrebat ſolemnis ac feſtiva dies Exaltationis *S. Crucis*, cùm primò mane in oculos venit unus è Seraphim, cui alæ ſex ſplendidæ atque ignitæ; hic

In ejus vita cap. 13.

ad

ad virum Dei advolavit, & en tibi novum omninò miraculum, videlicet inter alas, effigies Hominis Crucifixi, ſupra cujus caput attollebantur alæ duæ, duæ velabant corpus, & aliæ duæ ad volandum protendebantur.

Hæc fuit oculis objecta Imago, ad cujus conſpectum primò obſtupuit, tum ſubito mœrore perculſus, tum etiam ingenti gaudio delibutus, tum denique miro ardore ſuccenſus. Et en alterum à Cœlo miraculum. Ea, quæ in FRANCISCI animo erat compaſſio, in corpus ipſum tranſiit; & in eo mirabilem ac ſtupendam Crucifixi impreſſit effigiem. Mox enim in ejus manibus ac pedibus apparuerunt eruperuntque ſigna clavorum, & in ipſo latere dextro rubra obducta eſt cicatrix, quaſi recens eſſet à lancea transfixum, è quo & tum, ac deinde ſæpiùs effluebat copioſus ſanguis.

Et hæc in Alverno monte peracta eſt ſcena; Chriſto ipſo actore atque artifice. Sic enim ab ipſâ morte aperuit FRANCISCVS ipſe, qui hæc fratri Laico in paucis Sancto: Chriſtus, inquiebat, ſicut vulnera in Cruce ſuſcepit; ſic & ſuis ipſe manibus in aſſumpta Seraphini formâ meo corpori impreſſit, manibus primò, dein pedibus, denique & lateri, nec ſine ingenti cruciatu, à quo ut FRANCISCO dolor ingens; ſic & ipſi monti affuſa quædam & perennis ſerenitas; cùm enim ex eo prius efflueret, defluereteque vis ingens grandinis, quæ longè latéque in ſata ſæviebat; ex eo die, quo cœliſti illa ſacrorum Stigmatum impreſſione veluti ſacratus mons ille fuit, ea grandinis tempeſtas omninò conquievit.

Ubi ab illa diviniore ſcena ad ſe ſuoſque rediit FRANCISCVS, id unum operosè cavit, ne aut illa ſtigmata hominum paterent oculis, aut cuiquam aperiretur id vulnus latens: non tamen ita cavit, quin & fratribus quamplurimis aperirentur, imò & ſubinde etiam aliis, quibus id negari nec potuit, nec debuit.

Hos inter fuit *Alexander*, Pont. Max. qui deinde publicè pro concione dixit, ea ſtigmata in FRANCISCO adhuc vivo à ſe conſpecta, non ſine amabili ſtupore.

Ad fidem illam, quæ oculis haberi debuit: acceſſit & miraculorum quæ Dei providentia Orbi dedit, ut eâ prob[illegible]ret impreſſa corpori ſtigmata. E multis duo tantùm proponam.

Primùm in amœna ſomni Imagine expreſſum eſt *Gregorio IX*. Pont. Max. qui utalia ſeu manibus, ſeu pedibus indita ſigna crederet; at de vulnere lateris, ſubdubitabat: At dubium ſuſtulit miraculum. FRANCISCVS, primùm ei in ſomnis apparuit, & quidem vultu ſubirato, dein dextrum brachium extulit, vulnus detexit, tum phialam petiit, ut eâ defluentem ſanguinem exciperet, quam & offerre viſus Pontifex, & manantem inde ſanguinem largiùs excipere. Ad hæc ſibi redditus Pontifex, & ſacro lateris vulneri fidem dedit, & venerationem, quam in poſteris quoque retineri, augeríque voluit Deus, etiam perenni miraculo. *Silveſter Petra ſancta* Romanus, in libro, quem Romæ impreſſit, & cui titulum fecit, *Thaumaſia vera Religionis*, hæc refert.

Wadingus in Annal. Minorum.

Tom. 1. c. 12. p. 113.

S. FRANCISCI Romæ cruor habetur, qui ex illius corde manavit, quando ei impreſſa fuere Stigmata; & is quotànnis liqueſcit, anniverſario die impreſſionis eorumdem Stigmatum, ac toto deinceps octiduo. Quod cauſæ eſt, cur eo dierum ſpatio, pium eorundem ſacrorum Stigmatum Sodalitium, ſumma celebritate tantum decus colere conſueverit, additis etiam in ſacratiore Sodalitii æde, & concentu muſico, & inter ejus ſuavitatem concionibus, tam horis antemeridianis, quàm pomeridianis. Hæc Author à me citatus, iiſdem omninò verbis, & Romæ edidit in Urbis illius, & Orbis luce, & poſteris commendatum voluit, probantibus etiam iis, quorum eſt & cenſuram de libris ferre, & ipſam edendi dare facultatem; ut major ſacris illius Stigmatibus habeatur Fides, & ex illâ etiam Religioſus cultus, quem & augebit aliud à Cœlo prodigium.

Romæ matrona nobilis D. FRANCISCO mirè addicta, Imaginem illius Divi ſibi doctâ pictoris manu effinxerat; utque in oculis eſſet, in ſecreto conclavi appenderat. Sed, ô malum! eam ſine ſtigmatibus reddiderat pictor: hinc dolere illa, gemere, & de illo quamplurimum conqueri. Sed, ô factum bene! Ecce in ea derepentè apparent depicta ſtigmata, ipſumque lateris vulnus. Hic ſtupere mulier, dein & amare: denique (ut *varium & mutabile ſemper fœmina*) dubitare; an non ſic ab initio picta: & en miraculo novo, ſine ſtigmatibus viſitur & eſt pictura; ex quâ habes, ut ea ſtigmata amavit FRANCISCVS, & in terris, & in cœlis.

Suprà.

In terris quidem primùm in ſuo corpore, dein etiam in arbore quam plantavit, ea fuit malorum aureorum, quæ habent monumentum eorundem ſacrorum ſtigmatum; nam impreſſa in ſingulis apparet ſtella quinque radiis illuſtris, uni ſcilicet ipſe vel à ſidereo genio, vel à Chriſto quinque radiorum ſpiculis in ſeceſſu Alverniæ fuerat ſauciàtus, ut iret in poſteros ea gratia, ac cœli favor, ea crucifixi forma, illam impreſſit, etiam poſt fata malis aureis: tantus in eo vel Crucifixi, vel Crucis amor, cujus argumenta præter hoc ſi velis, accipe primum ex eo, quod in fronte veluti bonæ mentis janua, oſtentarit. Sic oſtentavit Fratri *Pacifico* etiam vivus. Vidit enim ille in D. FRANCISCI fronte expreſſum ſignum *Thau*, mira colorum varietate illuſtre.

Silveſter Petra ſancta Taumaſia Tom. 3 c. 27.

Accipe & alterum exhibitum aliquando Fratri *Leoni* ejus ſocio. Spectavit ille Crucem auream, amœnâ varietate luceque ſpectabilem, quæ Dei ſervum in itinere præcederet, & coram ſtante ſtaret, coram ambulante ambularet, adusque Virginis ædem.

Accipe denique poſtremum, & hoc quidem à morte, ut inde noveris etiam poſt fata, etiam in Cœli regiâ, vigere Crucis amores.

In Caſtro *Core*, Oſtienſis diœceſis, viro cuidam ſic malè affectum crus erat, ut nec progredi, nec ſtare poſſet; qui ſic ad FRANCISCVM ſupplex: *Ego te aſino meo portavi; ego pedes, manuſq; lavi; ego bis infixi non ſemel oſcula.*

Anno Minor. 21.

Per hæc oro, medelam affer: nec mora, adeſt FRANCISCVS, & baculo, cui inſcriptum erat ſignum *Thau*, crus tangit, & ſanat.

Ecce, ut etiam è cœlis Crucem effert, D FRANCISCVS; ſicuti vexillum ſolet ſtrenuus miles; ut proinde jure meritiſſimo, dicatur & ſit, *IESV Chriſti Vexillifer.*

Hiſtoria Seraphica, Elogio 27.

Certè, ſic eum appellandum cenſuit, *D. Bernardus Senenſis*; ubi enim miraculo à ſæculis inaudito, impreſſa illi dixit *Crucifixi Stigmata*, tum addit: *Sicut B. Franciſcus fuit vexillifer IESV Chriſti in Eccleſia militante: ſic poſt reſurrectionem, remanentibus in corpore ſuo prædictis ſignis, vexillifer erit in Eccleſia triumphante.*

Art. 2. c. 3.

Et tu, quiſquis es à Chriſto Chriſtiane, illius eſto *vexillifer*. Eris autem ſi tibi Crucem impreſſeris.

Ita impreſſit ſibi *S. Iuliana*, vidua Bononienſis, in cujus demortuæ corde viſa eſt altè impreſſa Crux Chriſti: ut inde noſſes altè prius impreſſam fuiſſe in ejus anima, atque amoribus.

Bollandus 7 Febr in ejus vita.

Et tu in iis imprime, *Amice Lector*, in iis gere ſacratiora Chriſti ſtigmata. Geres porrò, ſi tibi Crux in deſiderio ſit, ac deliciis, ſi in honore ac veneratione: ut olim FRANCISCO fuit, qui ut illius ſignum admiſit; imò & jugum; ſimul & leve ſentit, & ſuave: at unde, inquies, ea levitas? unde & ſuavitas? Ut hic ſolvatur nodus, ſit

QUÆSTIO QUARTA
MORALIS.
Ad illa verba: *Iugum meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Matth. c. 11. v. 29.

VNDE EA VEL IVGI CHRISTIANI SVAVITAS, vel oneris levitas?

Thomas à Kempis.

SUNT qui velint à gratia: *Suaviter enim equitat, quem gratia Dei portat.*

Sunt, qui à ſpe atqoe expectatione beatitatis, à torrente voluptatis, quo tandem aliquando potabuntur Juſti, qui modò ſub Dei jugo laborare, atque ſub onere gemere videntur.

Silveſter Petraſancta Tammaſia Tom 3. c. 24.

Facit nimirum ea ſpes, atque expectatio, ut aſpera mollia, ut amara dulcia videantur, & ſint; ut ſpinæ etiam roſæ, certè ſine aculeis. Et hoc fortè portendere voluit prodigium, quod vidit, vidétque etiamnum Roma; in qua viſitur ad Tiberim cœnobium, quod diu inhabitavit Seraphicus Pater, & in quo roſas plantavit, quæ creverunt, creſcuntque hodie abſque ſpinarum aculeis.

Tales nimirum D. FRANCISCO naſcebantur roſæ, innoxiæ illæ, & aculei omnis expertes, tales naſcentur & filiis: clarius eloquor, pœnitentiæ, mortificationes, ipſumque Domini jugum, ut aſperum, ac ſpinoſum videri poſſit; at molle, & roſeum erit conſideranti quæ ab illis ſpes beatitatis, quæve expectatio.

Bollandus 19. Febr.

Tale fuit *S. Rabulæ*, Abbati longè ſanctiſſimo in Oriente; qui cùm annos exegiſſet octoginta ſub Chriſti jugo, tandem ab illo audiit hanc vocem: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Audiit, inquam, & non multo poſt ſpe plenus; imo & certus de beatitate, è vivis exceſſit, ut æternùm viveret.

Serm. 20. de verbis Domini.

D. Auguſtinus (quem hîc ſequar) ab incenſo in Deum amore: ut enim ille ipſe Hipponenſis Præſul: *Omnia ſæva, atque immania, propè nulla facit amor.* Nempe, ut alio loco idem Doctor, *viæ Domini, duræ ſunt timori; leves amori:* Quod ſi viæ Domini leves ſunt amori: & leve Iugum, & leve quoque eſt onus. At unde? unque ab amore: ab hoc ſuavia, quæ aliàs amara; levia, quæ gravia; facilia, quæ difficilia atque intolerabilia: levior ignis, leviores Cruces, levior mors ipſa.

Wadingus, Tom. 1. Anno Minor. 12.

Vis noſſe, ut FRANCISCO levis ignis; attende, quod illi in Ægypto commoranti. Dum ad hoſpitium divertit, fortè impudica mulier ad amplexus & thalamum invitat: cui Vir ſanctus; ſine modò lectum eligam, & parem, ſternamque ipſe mihi primùm; tum etiam tibi. Placet pactum. Et ecce FRANCISCVS, poſitâ paupere lacernâ, baculo (qui fortè in manibus erat) carbones è foco educit, ſpargit, ſternitque ex iis ſibi lectulum, tum ſeſe illi inſternit, incumbitque totus; & ſic ad hoſpitam. En lectulus meus, en etiam & tuus; hunc ego lectulum mihi deligo, ut vetitos thoros declinem: hoc igne ardebo lubens, ne tuo ardeam: age, & arde, ſi voles.

Aſtupuit, expavitque mulier, & ſuos ipſa damnavit ignes, & ad Sancti genua accidens, factique pœnitens, puriorem deinceps vitam inſtituit. FRANCISCVS autem è lectulo illo ſurrexit, victor impudici amoris, victor ſui, victor ignis; ab eo quippè illæſus abiit. Quî enim illo læderetur, quî caleret, quî arderet, qui alio calebat igne, aliis æſtuabat incendiis? Igniti certè carbones, & flamma vorax, viſa eſt revereri eam, quâ FRANCISCVS incendebatur, flammam: cui levior omninò fuit illa, quæ corpus adurebat.

Ita nimirum amori levia ſunt omnia, levis ignis: ſed & Crux levis.

Appello *Alexandri Alenſis* fidem, objectamque illi aliquando viſionem: voverat hic nihil unquam negaturum ſe, quod in Virginis honorem peteretur. Hujus voti conſcius è FRANCISCI familia unus aliquis, ab illo in Divæ Matris, Divæ Virginis honorem petiit, ut ſuum ordinem ingrederetur.

Wadingus, Tom. 1. Anno Minorum 15.

Inexpectata illa petitio primò hominem perculit, tum etiam commovit, impulitque ut annueret; & illi, quaſi cœleſti oraculo, manus daret: & mox etiam dedit, *Franciſcique* familiam adiit. Sed, ô tironi grave jugum! ô grave religioſæ Crucis onus! ſub hoc certè dum laborat, gemit, ac fatiſcit *Alexander*; excutere illud omninò cogitat, unaque cum veſte exuere.

Hæc porrò cogitanti, FRANCISCVS adhuc vivus, ac ſpirans apparet: videbatur is gyganteo gradu montem præcelſum & arduum aſcendere, & quidem gravi onuſtus Cruce; cujus miſertus *Alexander*, viſus eſt ad illum accedere, & hoc, ut veniret in partem oneris; ut eo levaret pluſculum. Cui FRANCISCVS ſubiratus: *Recede*, inquit, *miſelle leviuſculam Crucem ferre nequicquam vales, & hanc meam longè graviſſimam, portabis? Enimverò non portabis.*

Hic ſibi redditus *Alexander*, redditus religioni, redditus & Cruci, quam abjicere cogitabat. Hæ nimirum ſunt tironum cogitationes de ponenda Cruce, ponendoque onere. At non eæ veterani militis; non eæ in religioſâ palæſtrâ Ducis, non eæ FRANCISCI: Crucem ille amat, ambit, atque in humeros attollit, portatque etiam ad montium, ad Cœli ardua. Nimirum illi levis eſt Crux omnis; imò & mors ipſa, inter Cruces multò graviſſima.

Teſtes volo peregrinationes illas, quas tertiò ad infideles inſtituit, tum animarum lucro, tum vel maximè incenſo Martyrii deſiderio. Eo impulſus, primùm in *Syriam* ad Saracenos tranſivit; ſed adverſis ventis in *Sclavoniam* rejectus eſt: Tum *Marrochium* verſus iter arripuit; ſed morbo impeditus in Hiſpania ſiſtere coactus eſt. Denique & *Sulthanum* adiit, ut in Babiloniæ ditionibus, aliiſque illi vicinis, & Verbum Dei effunderet, & unà etiam ſanguinem. Audierat nimirum à *Sulthano*, impium edictum emanaſſe, ut qui Chriſtiani hominis caput *Bizantium* attuliſſet, aureum pro mercede acciperet: Et hinc eò pergere magnis paſſibus, ut quod erat in votis, in Saracenorum manus incidere, comprehendi, ligari, conviciis affici; imò & verberibus malè mulctari, atque ad *Sulthanum* trahi, & quod rebatur, inde ad mortem: ſed aliter evenit. Nam, & à *Sulthano* libenter auditus, & dimiſſus etiam cum muneribus; quæ tamen reſpuit FRANCISCVS, qui non munera, non aurum, non gemmas quærere venerat; ſed pulchram per vulnera mortem, quam etſi graviſſimam; levem tamen faciebat amor. *In ejus vita cap. 9.*

Et hic

Et hic amor eſt, hic ignis, quo arſit in terris: hic amor, hic ignis, quo fulget in Cœlis.

Hunc porrò amorem, hunc ignem ſpectavit terra, ſpectarunt & magni Patentis Filii, quibus etiam vivens apparuit in curru igneo, tam ſplendoris; credidiſſes *Eliam* alterum, qui curru vectus igneo in æthera raperetur. Et certè FRANCISCVS, à zelo Divinæ gloriæ, ab amore cœleſti *Elias* erat, qui, ut ille, in Cœli regiam evectus, non alio curru, quàm igneo Divini amoris. Ab hoc poſtquam in terris ardores concepit ſparſitque, lucem cœlis ſervavit, atque intulit.

Wadingus, Tom 1. Annal.

Inde eo ipſo momento, quo hîc vivere deſiit, viſus eſt à Fratre *Iacobo à Laude* (viro in vitâ, virtutibus: à morte, miraculis claro) viſus, inquam, eſt beatam animam in formâ ſtellæ fulgidæ in Cœlos emittere. Subvehebatur autem ea ſtella, candidâ quadam nubeculâ rectoque tramite tendebat ad ſuperos; ut nimirum inter eos luceret, ſicut ſolent ſparſa firmamento ſidera. Et sanè quidni iſtic ita luceret, qui luce doctrinæ ſanctioris hîc luxerat; & Orbem propè illuminarat univerſum?

Wadingus, Tom 1. Anno Minorum 19.

Ut ſic aliquando luceas, *Amice Lector*, vide ut primùm ardeas: ardeas, inquam, Divino amore; Lux enim illa beatitatis, non eſt niſi ab hoc ardore.

At unde hic ardor, & quidem Seraphicus? Utique à Cruce, & Crucis amore: ut eo quoque incendaris, attende, quæ tibi ad illum incitamenta; ea ducentur vel è ſolo quo gaudes nomine.

Chriſtianus es, adeóque Chriſti, hoc eſt Crucis, religioni inſcriptus; etiam ab ipſis (ut ita dicam) Fidei Chriſtianæ cunis. Ut enim doctè advertit Tertullianus. Chriſtiani omnes dicti ſunt *Religioſi Crucis*.

In Apolog.

Sacerdos es; *Religioſus* es: adeóque templis, & ſacrificio Divino præfectus: Et ita connivente Cœlo præfecti, in arcanis oraculis, à Davide nuncupari, *Filii Core*; hoc eſt, interprete D. Auguſtino: *Filii Calvariæ, filii Paſſionis Chriſti, Filii Crucis, portantes in fronte quod inimici in loco Calvariæ fixerunt.*

In tit. Pſ. 41.

Epiſcopus es; adeóque in Apoſtolicis muniis ſucceſſor Diſcipulorum Chriſti, imò & Apoſtolorum. At hi etiam Crucibus inſigniti; velut præcipuo profeſſionis ſuæ ornamento, illuſtrique notâ pietatis.

Certè in nummis *Fulvii Urſini*, Apoſtoli *Ioannes & Philippus* ſic expreſſi ſunt, ut palliola crucibus intexta ad humeros & pectus haberent.

Denique (ut per omnes ſacratioris Hierarchiæ gradus aſcendam) electus à Deo es *Pontifex*, & quidem in terris Summus; Summus & in Cœlis, communione quadam Divinæ poteſtatis. Et hujus nota, atque inſigne eſt illa ipſa *Crux*, qua de agimus. Argumento eſt illud quod Summi Pontifices in palliis ſuis & à tergo, & à pectore *Cruces* olim oſtentarent purpurei coloris, quæ *pallia textili Cruce inſignia* vocat Rhabanus, & Venantius Fortunatus.

Rhabanus de ord. Ant. Venant. l. 2. ep. 3.

Quòd ſi à primis illis, ſeu Religioſæ, ſeu Sacerdotalis, ſeu etiam Pontificalis gloriæ gradibus, abire velim, atque ad profanæ, ſeu dignitatis, ſeu etiam majeſtatis culmen aſcendere, etiam in hoc Crucis inſignia, decuſque & ſuſpiciam, & venerabor.

Ecquid enim: *Nonne Regum purpuras, & ardentes Diadematum gemmas, patibuli ſalutaris figura condecorat?* ut elatè prædicat D. Hieronymus.

Epiſt. 7. ad Lætam.

Condecorat enimverò, & eò quidem, ut nemo Regum, nemo Imperatorum ſit, qui inſigne illud ſuæ quaſi poteſtatis, aut diademate non præferat, aut ſceptro, aut tam hoc, quàm illo.

Quod ſi ita eſt, & ipſi præferamus eſt neceſſe, non veſte, non manu, non fronte; ſed corde, ſed animo, ſed intimo affectu, ſed etiam pia quadam æmulatione: à qua etiam nobis: *Gloria Salvatoris, erit patibulum triumphantis.*

Hieronym. ep. 150.

✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱

DE SANCTO FRANCISCO DE PAULA, ORDINIS MINIMORUM FUNDATORE.

PROOEMIUM.

POTISSIMA ſecuturæ diſceptationis pars oſtendet S. FRANCISCVM, puſillum olim fuiſſe oculis mortalium: hoc autem procœmium, etiam eorum ſenſu magnum.

Cap. 17.

Dixit olim Jeremias: *Diem hominis, non deſideravi, tu ſcis.* Ecquis ille dies hominis? ne crede eum eſſe, qui fulget à Sole, qui palleſcit à Luna; ſed illum, qui à bonâ famâ, & claritate nominis exurgit, ac lucet. Et hunc non deſideravit Vates, quia præcelſæ in terris animæ, diem illum non amant, aut quærunt; ſed potiùs quà licet, horrent ac fugiunt. Et tamen (quæ mirabilis eſt Dei providentia) dum eum refugiunt, etiam ipsâ ab illo fugâ, in eum incurrunt. Et ita incurrit FRANCISCVS, etiam nolens: quod paucis aperiam, ducto initio à Pontificiâ majeſtate; velut à primo dignitatum humanarum faſtigio. Incredibile eſt quanta apud *Sixtum* hujus nominis IV. moxque apud *Iulium II.* fuerit S. FRANCISCI & abſentis fama, & præſentis gloria.

Certè eum *Sixtus*, homo cæteroquin ſui gradus, ac majeſtatis admodum retinens: advenientem excepit: non ut vilem homunculum; ſed ut Angelum Dei, nec eum ſtante, aut de geniculis agente, collocutus eſt; ſed aſſidere ſibi juſſit, habuitque perhonorificè. Et hic ei à Summo Pontifice honos; cui ſuppar delatus eſt à Regibus, & quidem primò à *Ferdinando* Neapoli Rege, qui illi cum liberis obviam proceſſit, nec paſſus alio hoſpitio excipi, quàm regio palatio. Tantum apud eum potuit pauperculi hominis reverentia: Nec minor apud Regem Chriſtianiſſimum, *Ludovicum XI*, qui auditâ famâ *Calabri Eremitæ* (id tunc temporis FRANCISCO nomen) Mareſchallum Boudicortium Burgundiæ Præfectum elegit, qui *Paulam* adiret, urgeretque Virum Dei, ut in Galliam iter ſuſciperet, omnia illi pollicitus, opes, gratiam, Cœnobiorum ſtructuram, proventus ampliſſimos, aliaque, quibus ineſcari homines ſolent etiam pii.

Addebat

Digitized by Google

Addebat & alia, quæ Vitum ſanctũ, & zelo plenum permoverent, videlicet excolendum Regis animum, atque ad extremam cum morte luctam præparandum, ſublatis, quibus mirè cruciabatur ſcrupulis, & horrore impendentis fati, devexâ jam ætate, & graviſſimis inſuper morbis afflictâ, proſtratâque.

Advenit porrò Vir ſanctus, ſed interpoſitâ prius, & *Ferdinandi* Regis Neapolitani authoritate, & cùm illa non eſſet ſatis, etiam *Sixti IV*, Summi Pontificis juſſu ac imperio. Advenit, inquam, & Gallicum littus attigit, eo loco, cui nomen *Caput Columbi*: ubi exſcendens è triremi, rupem, impreſſis veſtigiis, hodiéque conſpicuis, ſignavit; aliáque miracula edidit, quæ illi & famam, & venerationem mirum quantum auxerunt: & hoc in Italiæ, Galliæque finibus: quod ſubjicio etiam apud Iberos.

Theoph. Raynaudus de S. Franc. Paulano Puncto V.

Ferdinandus (qui à domitis & pulſis Saracenis recuperato veteri Regum anteriorum cognomento, dictus eſt Catholicus) Malacam obſederat; ſed cùm diu teneret obſidio, Mauris fortiſſimè obſiſtentibus, diſceſſionem cogitabat, cùm à D. FRANCISCO monitus eſt, ne abſcederet; ſed in obſidione, haud ita multo poſt fractis hoſtibus feliciùs ſolvenda, perſtaret. Accepit oraculum *Ferdinandus*, hæſitque in ſtatione. Nec diuturna fuit obſidio; nocte enim inſequenti acti terrore panico Mauri, clam ex Urbe ſe proripuerunt, Regique potiundam reliquerunt, etiam ſine cæde, ſine ſanguine.

Et hæc inſignis inctuentáque victoria, & Regi admirationem conciliavit, & FRANCISCO gratiam, ac beneficentiam regiam, qua deinde extructum Malacæ Cœnobium, cui titulus, *Cœnobii à victoria*.

Ecce ut S. FRANCISCO ſurrexit, luxitque *Dies hominis*, hoc eſt, nominis fama, atque apud omnes nationes celebritas, maximè verò à felici illius è vitâ exceſſu; primoque aditu beatæ æternitatis, in quam admiſſus innumeris propè miraculis inclaruit, & eò quidem, ut Rex Chriſtianiſſimus, *Franciſcus* hujus nominis primus, & *Claudia* Regina, ejus conſors, aliique ex Orbe Chriſtiano Principes, per nuntios ſuos, atque Oratores Romana in Curia ſæpiùs inſtiterint, ut Sanctorum faſtis aſcriberetur ad Eccleſiæ univerſæ bonum, fidelium ſolatium, & tantæ, tamque eximiæ ſanctitatis venerationem. Quibus interceſſionibus, & deferendum cenſuit ipſe Summus Pontifex *Leo Decimus*, & in Sanctorum numerum referendum. Quod & factum primo Maii, Anno ſæculi 1519. aditi verò Pontificatus ſeptimo.

Ita ſupra omne quod humanum eſt, & in terris maximum, aſcendit FRANCISCVS, qui infra omnes, ut *Minimus*, prius deſcenderat, ut inde noſſes quod ſola in ſublime via, ſit humilitas; ſola ad Cœli & Divinitatis culmen aſcendat: ideòque *quiſquis vult Divinitatis tenere faſtigia, humilitatis ima ſectetur; & quicumque vult fratrem prævenire regnando, priùs præveniat obſequendo*; ut rectè monebat olim S. Ambroſius: & ipſe ab animi demiſſione *Minimus*, licèt ab Inſula Pedóque maximus. Sed ne longiùs: ſit ad inſtitutum noſtrum *Serm. 10.*

QUÆSTIO PRIMA
MORALIS.
Ad illa verba: *Nolite timere puſillus grex.* Lucæ c. 12. v. 32.
QVIS ILLE PVSILLVS GREX?
Et unde puſillus?

ARGVMENTVM ſacræ dictionis ſumam ex Evangelio, quod hoc die inter ſacra Miſſarum ſolemnia prælegi ſolet, non ſine Numine. Ex illo enim velut è ditiore penu, hauriri poſſunt & præclara quædam formandis moribus documenta, & rariora magnarum virtutum exempla, quibus in terris enituit S. FRANCISCVS, & à quibus in Cœlis ævo fruitur beatiore: quod dum ſuſpicimus, deſcendemus ad illa Evangeliſtæ verba: *Nolite timere puſillus grex*; & videbimus ecquis ille?

Inter Doctores atque Interpretes ſatis conſtat, puſillum gregem eſſe fidelium grégem: at cur, & unde puſillus?

Sunt qui credant, dici, & eſſe puſillum, quia *pauci* omninò Fideles: Alii quia *mundo viles, atque abjecti*: alii quia *humiles*. Ita Beda, cujus explicationi inſiſtam, oſtendamque quomodo *puſillus*, & *parvus*, id eſt *humilis*, fuerit S. FRANCISCVS, quomodo deinde *puſilli* illius Filii, quos ideò *Minimos* voluit appellari

§. I. *S. FRANCISCVS PVSILLVS FVIT à Natalibus.*

IN prima naſcentis Eccleſiæ infantia, grex fidelium ex vero puſillus fuit, de quo extat magnificum illud D. Chryſologi: *Grex puſillus mundo, magnus eſt Deo.* Nimirum eſt ille ludus amabilis divinæ Providentiæ, ut qui mundo puſillus eſt, ſit magnus Deo: & ita puſillus fuit D. FRANCISCVS, itaque magnus, & quidem primùm ſi natalem locum ac ſedem, ſi genus & parentes attendas.

Serm. 22.

Pars non minima Regni Neapolitani eſt Calabria, & in hac urbecula nomine *Paula*, à qua ſibi nomen fecit FRANCISCVS DE PAVLA, nec ſibi tantùm; ſed & urbi ſuæ, quæ vel inde Orbe toto nominata.

Pater illi fuit *Iacobus Martotiala*, Paulæ civis & accola. Mater autem *Vienna*, prognata è vicino pago, cui nomen *Fuſcaldo*. Et hæc, & ille pauperes, abjectique mundo (qui ſcilicet magnitudinem metitur auri pondere) at Deo magni (cui nempe magnitudo in virtute repoſita.)

R. P. Claudius Vincen. in ejus vita, c. 1.

Erant illi ſteriles à natura; ſed à Deo redditi fœcundi, donatique unica prole: cùm enim votum concepiſſent Deo, Divoque Franciſco Aſſiſio, ſi filiolum daret ille, obtineret autem hic, FRANCISCVS nomine appellandum. Illicò concepit mater, nec ſine prodigio: ea quippe nocte, quæ conceptioni ſerviit, viſa in domûs & tecti culmine ingentia lumina, quibus & ipſa domus, & loca vicina inclareſcere, atque ardere videbantur; ut vel inde noſſet Orbis, eò loci ac temporis eum concipi, à cujus luce & ſplendere, & ardere debebat ipſum Univerſum; & ita factum eſt & factum benè, ut poſteà patebit. Ecce ut in natalibus *puſillus mundo*, & *magnus Deo Franciſcus*, magnus & D. Franciſco Aſſiſio, quia in paucis carus. Argumento ſit illud. *Cap. 2.*

Infantulo, cùm è materno utero elapſus eſt, adnata erat moles carnea, quæ ferè oculum tegebat, obruebatque. Hinc bonæ matris mœror, ſuſpiria, gemitus, & lacrymæ, quas illicò deterſit *S. Franciſcus Aſſiſius*, quem ut ſupplex pro filiolo invocavit

mater, carneam illam molem etiam miraculo deterſit, abjecitque. Ecce ut rurſum *Franciſcus puſillus mundo, & magnus eſt Deo.*

Ut & ipſe ita ſis magnus, tecum ipſe cogita, tecū loquere, & ex te quære, in quo ſit ea magnitudo?

Utrum in genere, & avita proſapia? Minimè gentium, quia ut ſcitè D. Hieronymus: *Plerumque nobilitas carnis ignobilitatem parit mentis.* [*Epiſt. ad Celantiam.*] Ubi autem hanc pepererit, quid proderit illa? enimverò nihil; nam (ut benè D. Chryſoſtomus) [*In Matth.*] *Quid prodeſt ei, quem ſordidant mores, generatio clara?* Certè nihil prodeſt, niſi ad probrum, & dedecus etiam ipſius generationis: quæ, ne in te aliquando deficiat, iterum moneo, attende, in quo ſit vera magnitudo, vera nobilitas?

Si Ariſtotelem audia: [*Lib. 1. de Rep.*] *Nobiles ii videntur eſſe, in quibus majorum virtus ineſt.*

Si Demoſtenem, eloquentiæ græcæ Principem: [*Orat. 1.*] *Bonus vir nobilis eſt*; & quidem ſolus: *Nobilitas, ſola eſt atque unica virtus*, ut bellè canit Satyrus Vates. [*Satyra 8.*]

Si Iſidorum Peluſiotam: [*Lib. 2. ep. 291.*] *Vera Nobilitas à probis moribus nata eſt*, atque ab iiſdem etiam hodie naſcitur, adoleſcit, creſcit ac perficitur. *Ille enim clarus, ille ſublimis, ille nobilis, ille tunc integram nobilitatem putet, ſi dedignetur ſervire vitiis, & virtutibus omnibus ſit exornatus.*

Ecce in quo ſita nobilitas, in quo vera magnitudo; illam ambias, illam à virtute tibi compares: & ſi fortè cum D. FRANCISCO, à natalibus puſillus ſis mundo, magnus tamen eris Deo,

§. 2. *S. FRANCISCVS PVSILLVS, in primo Religioſæ vitæ quaſi tyrocinio.*

DIvo Franciſco Aſſiſio, ceu filioli ſui patrono, ſeu etiam futuro medico, duo voverat pia mater. Primum, quod illi Franciſci nomen inderet: Alterum ſi oculo curaretur, quod per annum illius habitum ferret, & in aliquo illius Divi monaſterio inſerviret, & hoc ubi primù per ætatem viresque licuiſſet. Ut illi voto fieret ſatis, providit vel ipſe D. Franciſcus Aſſiſius. Nocte enim concubia viſus eſt ſibi videre unum aliquem veſte fratrum Cordigerorum, qui ſibi hæc in aurem:

[*Cap. 3.*] *Surge fili, & patrem, matremq; conveni, iisq; Dei nomine juſſuque indica, ut quàm citiſſimè conceptum pro te votum expleant.*

Quid hic puellulus? an ſomno caput inclinat? An indormiſcit? Minimè gentium; ſed parvi Samuelis æmulus exſurgit illicò, & Deo, Divoque vocanti *Ecce ego*, inquit, *Ecce ego*, ad Patrem, Matremque; qui & ipſi voti ſui memores, Deoque obedientes in paucis, ut cœleſti oraculo pareant, Filium deducunt ad Urbem S. Marci, ubi D. FRANCISCI Monaſterium. In hoc illius Ordinis habitum induit, & ſervilibus fratrum miniſteriis per annum ſeſe addicit, in hoc certè *Puſillus*, id eſt, abjectus, & vilis *Mundo*; *ut Magnus Deo*, magnus & ipſi D. Franciſco, quia humilitate, animique demiſſione magnus

Ut etiam is eſſe poſſis, age teipſum abjice, etiam ad viliſſima quæque miniſteria; & hoc aut Dei cauſa, aut etiam obſequiis ſervorum Dei.

Exemplo Chriſti, qui non venit *miniſtrari: ſed miniſtrare.* [*Matth. 20.*]

Exemplo D. Gregorii Pont. Max. qui primus, & ſibi, & Succeſſoribus ſuis, hunc titulum erexit: *Servus ſervorum Dei.* Qui pauperculis & menſam ſternere, & ſuis ipſe miniſtrare manibus. Quæ demiſſio ita Chriſto placuit; ut & ipſe quodammodo ambierit illud ſibi à Gregorio præſtari obſequium. Et ſanè reipſa præſtitum, & adhuc hodie viſitur Romæ menſa, cui, cum pauperculis illis aſſedit Chriſtus, & cui inſervit Gregorius: ut inſervias & ipſe, moveberis etiam exemplo S. Helenæ Imperatricis, quæ & Virgines egenas in unum cogere, aquam pedibus & manibus affundere, & cibum apponere, & flexo etiam poplite miniſtrare.

Exemplo D. Ludovici Galliarum Regis, qui ad eadem in pauperes officia facilis ac pronus.

Exemplo Davidis, qui ut ſeipſe dejiceret, etiam coram Arca ſaltitare viſus: quod dum expendit D. Gregorius:

Ecce, inquit, *quem Dominus cunctis ſingulariter prætulit ſeſe ſub Domino, & exæquando minimis, & abjecta exhibendo contemnit. Non poteſtas regni ad memoriam reducitur, non ſubjectorum oculis ſaltando viloſcere metuit.* [*Lib. 27 Mor.*]

Hæc ubi in Davidis laudes edidit: tum ſuum de eo judicium aperit, & ait:

Quid de ejus ſactis, ab aliis ſentiatur, ignoro: Ego Davidem plus ſaltantem ſtupeo, quàm pugnantem: pugnando quippe hoſtes ſubdidit: ſaltando autem coram Domino, ſemetipſum vicit, quod victoriæ genus nobiliſſimum.

§. 3. *S. FRANCISCVS PVSILLVS in ſua Eremo amicâque ſolitudine.*

CUm in illis religioſæ demiſſionis officiis annum exegiſſet Franciſcus, Deo ad alia vocante, exceſſit è Monaſterio, & in Eremum, amicamque ſolitudinem abiit. Erat illa Patris vinea, non ita procul ab Urbe *Paula*, ſejuncta tamen à turbis. In ea prima religioſæ vitæ fundamenta poſuit, *Puſillus* in ſua Eremo, quia mundo incognitus ac vilis; at notus, & pretioſus Deo, & in eo magnus. Ut etiam hîc de illo verum eſſet illud aurei Oratoris: *Puſillus mundo, Magnus Deo*, & verò quàm magnus hinc diſce.

Primùm enim Eremus illa in Cœnobium abiit, quod ingreſſi ſocii complures vita ac virtute illuſtres. Deinde ex illo in Siciliæ Regnum tranſiit; ut qui in Eremi, ac ſolitudinis umbra *Puſillus* fuerat; in illius regni luce magnus eſſet: utque eſſet, etiam miraculo ſibi viam fecit.

Meditabatur ſuperare fretum Meſſanicum, Scyllam inter & Charybdim; ſed vector pauperculum hominem dedignatus, importunè, improbèque rejecit. Quid hîc Sanctus? mari benedicit, pallium ſuum liquido elemento, undiſque inſternit, illudque cum ſocio conſcendit, enavigatque. [*Cap. 16.*]

Stupuit mare, ipſæque undæ Viri ſancti pallium ut primùm ſenſerunt illud reveritæ ſunt, & ne ab aquis maderet, prohibitæ.

Nunquam ullo navigio tutiùs vectus eſt quiſquam, nec celeriùs: crederes inviſa hactenus rate delectati maria, paſcique ventos; ſic pallioli vela, ſinusque inflabant, ſic vehebant magnos illos Heroas, imprimiſque FRANCISCVM DE PAVLA, qui in hoc etiam, *puſillus mundo*; at *magnus Deo.*

Dixit aliquando Petrus ad JESUM. *Domine ſi tu es jube me ad te venire ſuper aquas*; quaſi diceret [*Matth c. 14. v. 28.*] (Auguſtino interprete) *Si tu es, non miror, quod ſolidam carnem ſuper liquentis elementi terga ſuſpendis. Quid enim mirum ſi Conditori ſuo creatura famulatur? Hoc ego non miror, fac quod mirer. Ambulet Petrus, fac quod mirer, jube me ad te venire ſuper aquas.* [*Serm. 14. de verb. Dom.*] Fecit Chriſtus, juſſit & Chriſtus, & ſuper aquas ambulavit Petrus. Et hinc etiam *magnus Deo*, qui *puſillus mundo.* Quod ſi ille hinc magnus, & magnus D. FRANCISCVS, qui pallio explicato, ceu navi, vectus eſt ſuper aquas: nec enim ſic vehi mirum eſt minus, quàm ambulare.

Habes hîc duo, *mi Lector.* Unum quod mireris: Secundo mari, propitiis ventis, pallio, ceu rate, portatum FRANCISCVM ſuper aquas: alterum, quod imiteris, in eremo, & amicæ ſolitudinis umbra: ad hanc te voco, imò ſuo exemplo evocat Vir Dei; evocat & ipſa, quæ in ſolitudine eſt felicitas: audi de illa pulchrè diſſerentem D. Baſilium: Agebat ille vitam ſolitariam, comite *D. Gregorio Nazianzeno*, & quantum in illa eſſet boni propriâ

doctus experientiâ, ſic ad poſteros, ſic ad teipſe de laudibus ſolitudinis:

Tract. de laud. ſolit. *O eremus ſanctarum mentium delectatio, & intimi guſtus inexhauſta dulcedo. O cella negotiatorum cœleſtium apoteta, felix commercium, ubi terrenis cœleſtia, tranſitoriis mutantur æterna. O eremus mundi perſequentium effugium, laborantium quies, mœrentium conſolatio, ab æſtu ſæculi refrigerium, peccati repudium, recluſio corporum, libertas animorum, officina gemmarum cœleſtium, curia cœleſtium Senatorum, ubi victor dæmonum, ſocius efficitur Angelorum, exul mundi, hæres Paradiſi.*

Hæc S. Præſul, ut & ſibi, & tibi animos faceret, vocaretque è Sole in umbram, ex undis populorum, è tumultu negotiorum, ad pacem, ad quietem optatæ diu ſolitudinis, ad quam, ut Heliodorum in paucis ſibi amicum evocaret & ipſe D. Hieronymus, ſic ad illum è Syria, è ſua eremo:

Quid agis Frater in ſæculo, qui major es mundo? quamdiu te tectorum umbræ premunt? quamdiu fumoſarum Vrbium carcer includit?

Ecce tu illi Urbium tecta, moleſque palatiorum umbræ ſunt, & quaſi obſcura repagula, & ipſæ urbes veluti carcer.

At, inquies, ea ſolitudo, non eſt hujus ævi, & temporis: primorum illa fuit ſæculorum: non eſt etiam animi mei, & conſilii. Benè habet, & illud tibi concedamus, ne venias in avia illa ſolitudinis loca, in ſaltus & nemora, rupes inter & eremi ſaxa, latebráſque vel unius ſpeluncæ. Illud, inquam, tibi concedamus: at alia eſt ſolitudo, ad quam tranſire eſt bonæ mentis, imò eſt omnium, qui cœlum ambiunt, qui virtutem amant, & quærunt. Eſt illa *mentis, & ſpiritus ſolitudo*, & ea *ſola tibi* modò *indicitur.* Bernardum audi; *O anima ſancta ſola eſto, ut ſoli omnium ſerves teipſam, quem ex omnibus elegiſti. Secede ergo; ſed mente, non corpore; ſed intentione, ſed devotione, ſed ſpiritu.* Si ita ſeceſſeris, & animam in tuto poſueris, & procul à ſæculo ad Deum acceſſeris, & à terra propè in cœlum abieris: ſecus ſi feceris, nec tibi conſulueris benè, nec æternitati proſpexeris, ut etiam D. Gregorius: *Quid prodeſt ſolitudo corporis, ſi ſolitudo defuerit cordis?* *Serm. 40. in Cant.*

§.4. *S. FRANCISCVS PVSILLVS MVNDO, id eſt mundanis abjectus.*

DE ſeipſe, de Apoſtolis, deque viris Apoſtolicis ex vero pronuntiavit illud D. Paulus: *Tanquam purgamenta hujus mundi facti ſumus*; nimirum ut hæc ſcopis everruntur, & extruduntur è domo; ſic & Apoſtoli, virique Apoſtolici è mundo, quaſi hujus eſſent *purgamenta*, quæ ideò everri, extrudique oporteat. *1. Cor. 1. 4. v. 13.*

Et ita, dum primi Monaſterii fundamenta jaceret, extrudi viſus eſt D. FRANCISCVS, non à popello tantùm, in quorum malevolentiam incurrere faciliùs eſt; ſed quod mireris ac lugeas, etiam à Rege, Duce, & purpurato Præſule.

Fuit ille *Ferdinandus* primus Rex Neapolitanus, hic Dux Calabriæ, poſtremus Cardinalis Hungariæ illius germani fratres, qui neſcio qua æmulorum perſuaſione commoti, & Ordinis illius initia extinguere, & progreſſum impedire ſatagebant; imò & Franciſcum ſua ditione exturbare: quod ut facerent emiſſarium neſcio quem, virum animo ferocem, armatáque pyratarum manu formidandum immittunt, qui Virum Dei interciperet, abjiceretque. *Cap. 6.*

Venit ille, Monaſterii tecta ſubit, omniaque luſtrat cani venatico ſimilis, ut prædam occupet, capiat, laniet, diſcerpat: Præda verò erat vel unus FRANCISCVS. Ecce ut in hoc *puſillus*, hoc eſt vilis, abjectuſque *mundo*: ſed vide ut *magnus Deo.*

Ab hoc certè redditur inviſibilis; it quippè emiſſarius ille, reditque ſæpiùs, & coram Franciſco tranſit non ſemel; nec illum tamen videt, aut videre poteſt, Deo illius oculis eum ſubtrahente, ut etiam ſubtraheret violentiæ, vinculiſque. Et certè ipſa etiam ſubtraxit, atque in eo oſtendit quomodo qui *puſillus* erat *mundo*, *magnus* eſſet ipſi *Deo*. Magnus, inquam, etiam in hoc uno, quòd ſpiritu, oreque Prophetico prædixerit futurum ut qui Rex Neapoli vixerat, non item Rex moreretur.

Et ita evenit. Rex enim Franciæ *Carolus* hujus nominis Octavus, *Ferdinandum* Neapolitano regno exuit, captivumque in Franciam emiſit, ubi Turonis exul atque extorris, obiit; non procul à D. FRANCISCO, qui ut illi puſillus fuerat, hoc eſt vilis, atque abjectus; ita Deo magnus ac pretioſus. *Anno 1487.*

Et ita plerumque evenit, ut qui mundo parvi ſunt, Deo ſint magni, quod ſolum eſt magnum eſſe: & quia hoc probè norunt illuſtres animæ, & cœlo natæ: hinc deſpici amant, & quærunt contemni, quod perfectæ humilitatis eſt, & abſolutiſſimæ perfectionis.

Verus humilis, inquit D. Bernardus, *vilis vult reputari, non humilis prædicari: gaudet contemptu ſui, hoc ſolo ſanè ſuperbus, quòd laudes contemnit*; quòd amat opprobria. Et ita amavit S. FRANCISCVS, verè puſillus, verè humilis, verè abjectus, non mundo, & mundanis, quod plerumque vitio vertitur; ſed in oculis ſuis (quod ſemper virtuti tribuitur, & perfectiſſimæ humilitati (à qua ſibi viam fecit in ſublime; imò & in Dei ſui cor, atque amores: quâ enim potiùs? *Serm. 16. in Cant.*

Humilitas eſt quædam ſcala, quâ de terra aſcenditur ad cor Dei; ut aliquando D. Brigittæ revelavit ipſe Chriſtus. *Revelat. c. 98.*

Quod ſi eſt *ſcala*, eam tibi erige, *Amice Lector*, & ſic primùm aſcendes in cor Dei, hoc eſt in caſtos illius amores; dein & in Cœlum, ſinumque Beatitatis.

§. 5. *S. FRANCISCVS PVSILLVS MVNDO, hoc eſt vili paupereque ſupellectile contentus, & à pretioſa divitéque alienus.*

INter ſæcularem ac religioſum hoc intereſt, quod ille magnitudinem ſuam in divitiis reponat; hic autem in paupertate. Et ita repoſuit D. FRANCISCVS: noverat enim ſe in hanc vitam velut in arenam deſcendiſſe, & Athletam eſſe: ſed *Athleta ad luctamen nudus accedit*; ſenſerat ſe hoc mundo, ceu proceloſo mari, jactari; ſed *confligit cum fluctibus nauta nudus.* Viderat ſe in hac aura mortali, ceu militia, verſari; at *miles in acie nonniſi expeditus aſſiſtit.* Sciverat ad religioſum inſtitutum, ceu ſacram Philoſophiam ſe vocatum: at *qui tendit ad Philoſophiam, totum quod in rebus eſt contemnit.* *Chryſolog. Serm. 28.*

Et ita contempſit D. FRANCISCVS. Argumento ſit illud, in Galliam venerat præviâ famâ ſanctitatis, quam ut exploraret Rex Galliæ Carolus Septimus, veráne eſſet an ficta, ſpecie illi providendi de ſuppellectile, ſubmiſit ſcriniolum auro argentoque grave; ac pretioſum, & vaſis aureis, argenteiſque omninò refertum, cui Franciſcus:

Dic, inquit, *Regi Chriſtianiſſimo Eremitam pauperem minimè uti ſuppellectile argentea; vas luteum & fictile, ſcutella lignea illi plus ſatis.*

Ubi rejectam ſenſit ſuppellectilem argenteam, ſtanneam tranſmiſit, ratus eam non ingratam FRANCISCO futuram; ſed & hæc quoque ingrata fuit, abjectaque.

Quid hæc inter Rex, ut videri poterat beneficus, ac munificus? D. Matris Iconem ex auro puro fuſam dono miſit, ingentis ſanè pretii; æſtimabatur enim ſeptemdecim ſcutorum millibus, & illam Eccleſiæ ſacrique ſacelli ornamento dicatam

ſervatam-

ſervatamque Rex voluit. Verùm Iconem remiſit FRANCISCVS, addens & illud dignum paupere *Puſilloq;* Chriſti. Deiparam amare ſe, ac colere in paucis; non tamen aurum.

Quid ad hæc Rex Chriſtianiſſimus? Iconem eamdem iterum, ac tertiò remiſit, adjiciens & iſtud; *Cap. 8.* Si minus eam ſibi temploque ſervatam vellet, at certè juſto pretio venderet, & illud in egenos, ac mendiculos erogaret, effunderetque. Cui FRANCISCVS. Non deſunt Regi Chriſtianiſſimo Eleemoſynarii, vendant Iconem illi, pretiumque ex ea quæſitum, pauperibus diſtribuant.

Quid denique Rex? ne quid intentatum relinqueret, adiit Virum Dei, cellulamque illius ſubingreſſus, ubi ſolus cum ſolo, ſine teſte, ſine arbitro. Agedum, inquit, FRANCISCE, en ſacculum auro nummato grave, en plenum ſcutis aureis, ea dono ex me accipe, & in Urbe Romana Orbis principe, tibi, tuiſque inde Monaſterium extrue. Hæc ille, quibus tentari, concuti, vincique potuit cujuſvis alterius in ſua tenuitate amor, & conſtantia: at ne tentata quidem in D. FRANCISCO: hic enim ſua paupertate ſe involvens, ſic ad Regem libera voce, animo liberiore:

Tibi expediret magis ea bona, quæ ab aliis ſive per vim rapuiſti, ſive per enormia tributa à miſero popello extorſiſti, illis reſtituere, quàm ex iis, quæ tua non ſunt eleemoſynas liberales facere. Non hæc opera tibi ad ſalutem neceſſaria, imò nec utilia. Hactenus ille, quibus etſi pungi ſe ſentiret Rex; diſſimulavit tamen, & æquiore animo tulit. Sat in poſterum certus de FRANCISCI animo, candore, & ſincero paupertatis amore.

Multa hinc habent Viri Religioſi, quæ diſcant in ſacratiore illa D. FRANCISCI ſchola.

Primùm, quis ex vero dives? Deinde, quis ſimul & dives, & pauper? Denique, quàm cara, quàm pretioſa paupertas?

Primæ quæſtioni faciet ſatis *D. Gregorius* Pont. *Tom. 6. in Zach.* Max. & ipſe in ſumma opulentia animo pauper, dicet ille tibi: *Cui benè convenit cum paupertate, dives eſt.*

Epiſt. 1. Dicet & D. Hieronymus: *Affatim dives eſt, qui cum Chriſto pauper eſt.*

Secundæ reſpondebit *S. Leo* Papa, & ipſe ſimul dives, & pauper, è Petri Sede pronuntiavit iſtud: *Serm. 4 de Quadrag.* *Chriſtiana paupertas ſemper dives eſt, quia plus eſt, quod habet, quàm quod non habet: nec timet in mundo iſto indigentiâ laborare, cui datum eſt in omnium rerum Domino omnia poſſidere.*

Quod ſi adeo dives etiam *Chriſtiana paupertas*; *2. Cor. 6. 0.* quàm opulenta erit *Religioſa*? quàm etiam ab illa divites Religioſi? audeo dicere, adeo divites, ut, etſi ſint *quaſi nihil habentes*, ſint tamen ſimul *& omnia poſſidentes.*

Et hinc delabor ad tertiam quæſtionem, quo in pretio, quo in amore debeat eſſe illa paupertas?

Pretium colliges ex eo quod D. Bernardus ſcribens ad *Attonem* Trecenſem Epiſcopum, eundemque pauperem, ſic ait: Nobilis revera titulus paupertatis, quem ipſe Deus ore commendans Prophetico: *Ego ſum*, inquit, *vir videns paupertatem meam.* *Epiſt. 23.* *Super omnes regios theſauros hic vos titulus nobilitat amplius, & reddit illuſtres.*

Ecce ut Bernardo judice paupertas ſpontanea, ſuper omnes, etiam regios theſauros eſt; ecce ut nobilitat, & reddit illuſtres: attende ut etiam felices.

Primis illis, id eſt aureis, Chriſtianorum ſæculis, adeo in pretio erat paupertas, ut in ea ſitum eſſe crederent fœliciſſimi honoris & gloriæ apicem. Hinc illud Auguſtini dulce, & propè divinum acroama: *Serm. 18. de Verb. Apoſt.* *Magna felicitatis eſt conditio Chriſtianorum, quibus claritudo regni in paupertate poſita eſt.*

Quod ſi poſita; illam æſtima, illam ama, illam ſequere, & illud etiam audi Romani Sapientis, id eſt Senecæ, monitum:

Incipe cum paupertate habere commercium. Aude hoſpes, addam ego, aude, ô Chriſtiane, ô Religioſe, *contemnere opes, & te quoque dignum finge Deo. Nemo alius eſt Deo Dignus, quàm qui opes contempſit.* *Epiſt. 18.*

Ita contempſit S. FRANCISCVS à divite, & pretioſa ſupellectile mirum quantum alienus, futurus in hoc aliis & documento, & exemplo; ut à ſupervacanea atque exquiſita ſuppellectile caveant. Et certè quidni caveant? Ecquid enim illa ſuppellex? audi Franciſcum Petrarcham de ea ſic Chriſtianè, imò & religioſè, philoſophantem:

In ampla domo ſupellex eximia, ſupervacuo in ſpatio pondus inutile eſt. Illa furibus latebras dabit, hæc prædam. Vtraque periculum tibi, alimentum incendio, atque livori. *Dialog. 30.* *Illa cùm te loco moveris deferenda eſt: hæc ſi uti volueris, ſæpiſſimè transferenda, plus difficultatis allaturæ, quàm voluptatis, & plus oneris, quàm honoris. Multa tibi varii generis ſupellex domi eſt? iuge bellum, non cum furibus modò; ſed & cum muribus, tineiſq; & araneæ, & rubigo, fumuſq; & pulvis, & imber in vos dimicant. O divites delicati! Quibus armis eos hoſtes arcebitis? pretioſiſſima eſt ſupellex? Non rei pretium; ſed contemptus divitem facit.* Ut autem in te ſit ille contemptus, audi quid illa ſit:

Supellex, inquit, *præfulgida, eſt pro captu oculorum, & forſitan animorum, verè autem onerofa rerum colluvies ac turbida.* Quid ampliùs ad illius contemptum dici potuit?

§. 6. *S. FRANCISCVS PVSILLVS MVNDO, hoc eſt Humilis & in ſe quàm abjectiſſimus.*

DE S. Maximo pronuntiavit illud Euſebius: *Homil. de S. Maximo.* *Honoris impatiens, humilis ad merita, ſuperbus ad vitia.* Ita nimirum ſe habet humilis animus, & in ſeipſe abjectus.

Honoris eſt *impatiens*, quia nec eum admittit, nec patitur.

Humilis ad merita, quia ea vel celat omninò, vel quà poteſt imminuit.

Denique, *Superbus* eſt *ad vitia*, quia ea ut minima ſint, quaſi grandia æſtimat ac venditat; & hoc vel eò tantùm, ut qui ſibi vilis eſt atque abjectus, etiam, aliis à vitiis & vilis & abjectus haberi poſſit, nihil enim hominem ſic abjicit ac vitia.

Et ita fuit D. FRANCISCVS. Primùm *honoris impatiens* fuit. Romam cùm veniſſet, exceptus à Proceribus ampliſſimæ illius urbis, exceptus à Patribus Purpuratis: imò & ab ipſo Summo Pontifice, qui eum ultrò ad colloquium familiare etiam tertiò admiſit, ſibique aſſidere juſſit, & per tres quaturóve continentes horas tenuit; adeo piis illius ſermonibus, & ea, qua pollebat gratia capiebatur. Ea primùm ſuaſit ſupremo Chriſti in terris Vicario, ut Inſtitutum, quod moliebatur probaret, dein eumdem ad ſacerdotium promoveret.

Quid hîc FRANCISCVS? ad ſacerdotis nomen exhorruit, magiſque ad ſummam illius, ut rebatur dignitatem, ſacramque majeſtatem, qua indigniſſimum ſe dum reputat, omninò ſacerdos fieri renuit, abjecitque ſeipſe ad Summi Pontificis pedes, & quà potuit deprecatus eſt, tum pro ea, qua erat animi demiſſione de ſeipſe abjectè ſentiens, vitam omnem ſuam eam protulit, pronuntiavitque ut indignum redderet hominum conſortio, magiſque indignum communione illius poteſtatis, quæ ipſis Angelis par; imò & ſuperior.

Hæc ubi pro ſua cauſa extulit Vir Sanctus; tum addidit ne quidem admiſſurum ſe ullum ordinem, ne minores quidem; ſatis ſuperque ſibi fore, ſi & viveret & moreretur, & nomine, & re etiam *minimus.* Ecce ut *honoris* erat *impatiens.*

Vis noſſe, quî etiam *humilis ad merita*? Ex eo diſce. Deus illi vim indiderat, donumque mira-

culorum; ſic ut morbos omnes è corporibus (velut ex injuſtè uſurpatis hoſpitiis) depelleret vel attactu, vel etiam ſolo nutu. Hinc paſſim audire Sanctus, & ævi ſui alter *Thaumaturgus*: quod nomen ut à ſe depelleret, enitebatur ſedulò eam miraculorum gratiam vel aliò detorquere, à ſéque removere quàm longiſſimè, vel naturæ aſcribere, quæ erant ſupra naturam. Hinc vel unguêtis uti, vel herbis, aliiſque ejuſmodi, quibus in morbos nulla omninò vis eſſet.

Oblatus aliquando puer cœcus, ut ei vel attactu ſolo viſum reſtitueret, quod aliàs non ſemel fecerat. Quid hîc FRANCISCUS? negare omninò vetabat caritas, qua ardebat; concedere, prohibebat humilitas. Modum invenit quo & illi pareret, & huic. Puellulum illum manu prenſat, herbas fronti applicat, & vitta probè alligat, ratus ſic tegi poſſe quod in manibus, & in oculis erat miraculum.

At tegi noluit Deus. Vix enim exceſſerat è monaſterio puer, cùm & vitta ſpontè excidit, & aperti illi oculi. Ita quod tegere, quod velare ſatagebat humilitas, ſuavis Dei providentia aperuit: adeo illi placebat *humilis ad merita* Franciſcus; uti etiam *ſuperbus ad vitia*.

Audierat D. Franciſcum Aſſiſium, quem uti nomine, ſic & virtute referebat, ſe aliquando peccatorem, imò peccatorum omnium maximum jactitaſſe; & cum ſe quoque prodebat, jactabátque, bellè *ſuperbus ad vitia*, qui *humilis ad merita*. Secus omninò ac cæteri mortales, qui ad merita ſuperbi, atque inſolentes; ad vitia autem humiles, ac demiſſi. Si quid enim illis boni exciderit, ſi quæ vox quæ virtutem ſonet, ſi quod opus quod ſanctitatem redoleat, & illam ad omnium aures, & hoc ad oculos appellere volunt. Et hoc unum amant *digito monſtrari, & dicier, hic eſt*; hic eſt ille Sanctus, ille ſui ævi miraculum, ille ſtupor orbis, ille ſtatua virtutum: cùm tamen ex vero ſit potiùs ſtatua, idolúmque vanitatis. Ne & tu is aliquando ſis, excipe ſic benè monentem *Iſidorum*:

In Synonimis,

Eſto parvus in oculis tuis, ut ſis magnus in oculis Dei. Tanto enim eris apud Deum pretioſior, quanto fueris in oculis tuis deſpectior.

§. 7. *S. FRANCISCVS PVSILLVS, id eſt, nomine & re etiam ipſâ Minimus.*

AMabilis Dei Providentia (quæ in nominibus ludere amat, & futuris eventibus præludere) omni ferè ævo, quo unum quempiam in alium virum (hoc eſt à virtute gratiáque præcelſum ac nominatum) abire voluit, ei quoque nomen mutavit, in melius.

Ita *Ob*, id eſt, *Propheta* dictus à Deo *Iob*, hoc eſt *Propheta Dei*, ſumpta ſcilicet litterula, *Iod*, ex ineffabili nomine *Iehova*.

Ita *Abram*, id eſt *Pater excelſus*, appellatus *Abraham*, detracta etiam è Dei nomine littera, *He*, qua fieret *Abraham*, id eſt, *Pater multarum gentium*.

Ita *Simon*, id eſt, *obediens*, ab ipſo Salvatore vocatus eſt *Cephas*, id eſt, *Petra*, vel Petrus à firmitate.

Ita denique (ne omnia conſecter) *Saulus* vel ab Hebræo *Scheol*, quod idem eſt ac *infernus*, (qui in prædam ſemper hiat ac patet) vel à græco σαλὸς, id eſt, *inquies*, *commotio*, fluctus, & æſtus quidam irati maris: appellatus deinde eſt *Paulus* ex aliqua communione divini nominis Meſſiæ, qui hebraicè dicitur *Pele*. Itaque primam illius litterulam induit, ut ex Saulo Paulus, ex perſecutore Apoſtolus fieret, & quaſi Meſſias alter.

Quod illis olim: hoc D. Franciſco de Paula, hoc ſanctiſſimo illius Ordini datum eſt, vel ab ipſo Pontificum, id eſt, Vicariorum Dei oraculo.

Sibi, ſuiſque *Eremitæ* nomen aſſumpſerat FRANCISCUS, cui ſcilicet Eremus, & ipſa ſolitudo erat in amoribus: at Deus, id eſt, Pontifex Dei in terris Vicarius, mutavit in melius, & Franciſcum *Minimum*, illiuſque Fratres, & in Chriſto filios, *Minimos* voluit appellari. Cap. 11.

Ita Alexander hujus nominis ſextus in Bulla, qua primam Regulam in Eccleſia probatam, firmatámque voluit, adjecit & è Petri Sede Oraculum:

Volo ut ſocietas, quæ ante hoc nomen præferebat, Societas Eremitarum Fratris Franciſci de Paula, in poſterum vocetur, Ordo Fratrum Minimorum. Anno 1491

Ita denique Iulius Secundus, qui ſecundam, id eſt, poſtremam illius Ordinis Regulam, confirmavit, eo etiam nomine inſcribi voluit, ac notari, ut diceretur & eſſet, inquiebat, *Ordo Fratrum Minimorum*. Fortunatâ ſanè, ac felici appellatione.

Primò, quia cognata, atque affinis ipſi Salvatori, qui ut è *Minimâ* tribu Iuda naſci voluit, ita & *Minimus*, hoc eſt noviſſimus virorum appellari: Et quod uni è *Minimis* factum eſſet, id quoque ſibi, hoc eſt *Minimo*, factum eſſe cenſebat.

Deinde, quia & cognata Paulo Gentium Apoſtolo, qui audire voluit, *Minimus Apoſtolorum*.

Denique, quia luculenta virtutis arduæ, id eſt Humilitatis, nota atque index, quam uti à Petri Sede, primíſque Religionis incunabulis, veluti hæreditario quodam jure acceperunt: ſic & efferre debent in poſteros omnes, ſeramque ætatem, ut audiant & nomine & re etiam ipſa, *Minimi*, id eſt, humillimi: ſicque Ordinis veluti ſui teſſeram oſtentent in ipſa fronte, hoc eſt, in nomine, & manu ipſa, id eſt, opere exhibeant, futuri tum quàm optimi parentis & filii, & hæredes, divite ſanè ac ſublimi hæreditate; ut quæ in humilitate, id eſt, Chriſtiana virtute repoſita ſit, & à qua ad veras Cœli divitias, arduaque beatitatis ac gloriæ, aperitur via.

Utque tibi aperiatur, *Amice Lector*, author ſum; imò author eſt ipſe Chriſtus, noviſſimus Virorum, ut & tu inter mortales ſtudeas eſſe noviſſimus, & omnium minimus. In hoc enim repoſita eſt omnis ſapientia.

Si rectè ſapimus, inquit D. Chryſoſtomus, *nullos nobis eſſe minores arbitrabimur; ſed nos excelſi ab omnibus hominibus dicemur. Et hoc dico, non de nobis, qui innumeris immerſi ſumus peccatis; ſed etiam ſi quis ſibi plurimorum benè geſtorum conſcius ſit, niſi apud ſe ſentiat, quod omnium ſit poſtremus, nulla ei futura utilitas eſt ex omnibus bonis operibus.* Hom. 11. in Gen.

Ecce, judice Chryſoſtomo; nulla à virtute, nulla ab opere bono utilitas emerget, niſi à tuiipſius demiſſione, quæ te reponat in poſtremis, & cum D. FRANCISCO *Minimum* faciat & nomine, & re etiam ipſa.

Neque mihi dixeris, à rebus præclarè geſtis magnus ſum, magnus à virtute, in qua ſola magnitudo: Benè habet. Magnus certè ſis cœli calculo: at tuo ſis minimus; & ſic eris ab humilitate magnus: eadem quippe & magnitudinis, & humilitatis eſt menſura; ut enim diſertè D. Auguſtinus:

Menſura humilitatis cuique ex menſura ipſius magnitudinis data eſt. Quanta ergo hæc eſt: tanta etiam illa ſit oportet. Lib. de Virginit. c. 31.

Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam; monet Eccleſiaſticus. Cap. 3. v. 20.

Sed audio, rurſum obſtrepis, objicisque etiam illud: ut ſuus humilitati ſit locus: et ſuus quoque debet eſſe veritati, quæ non patitur ut plus te abjicias, quàm etiam patiatur veritatis leges. Non abnuo; ſed & iſtud tibi repono ipſis D. Bernardi verbis:

Non eſt periculum quantumcumque te humilies, quantumcumque te reputes minorem quàm ſis, hoc eſt quàm ſe veritas habeat. Eſt autem grande malum, horrendumque periculum, ſi vel modicè plus vero te extollas, ſi vel uni videlicet in tua cogitatione te præferas, quem fortè parem veritas judicat, aut etiam ſuperiorem.

QUÆ-

QUÆSTIO SECUNDA MORALIS.

Ad illa verba: *Complacuit Patri veſtro, dare vobis Regnum.* Lucæ cap. 12. verſ. 32.

QVOD ILLVD REGNVM? ET QVOMODO ab Æterno Patre datum D. FRANCISCO DE PAVLA?

REGNVM Cœlorum (de quo in præſena eſt quæſtio) ſubinde dicitur *Eccleſia*, in quam per Fidem datur ingreſſus; ita vel ipſo primæ Veritatis oraculo, *Regnum Cœlorum* dicitur *ſimile decem virginibus*, è quibus *quinque fatuæ, quinque prudentes.*

Quandoque *Regnum Cœlorum*, eſt ipſa *Gratia*, quæ eſt *Vita æterna*; non in ſe, ſed quaſi in ſemine: ad quam etiam aliquando accedit *Gratia gratis data*, quæ dicitur *Gratia miraculorum*, à qua etiam puſillo homini datur regnum, atque imperium in omnes omninò creaturas, ipſos inferos, ipſamque mortem.

Denique *Regnum Cœlorum* eſt ipſa *Cœleſtis Beatitudo*, quæ repoſita eſt in clara Dei viſione, amoreque beatifico, ad quem ſequitur & gaudium beatificum, atque ex his Dei ipſius; ſeu ſummi boni, perfecta poſſeſſio, atque fruitio.

Regnum Gratiæ, etiam illius, quæ dicitur *gratis data*, atque imprimis miraculorum, data D. FRANCISCO & inde imperium in omnes propè creaturas.

§. I. *REGNVM S. FRANCISCI in Elementa.*

IN IGNEM.

ORdiar ab Igne, qui ut loco aliis elementis eſt ſuperior: ſic & natura, ſic & vi agendi; quo proinde in prodigiis ac portentis uſus eſt author naturæ Deus; imò uſus, pro aliquo ſymbolo ſui Sic Moyſi ſeſe viſendum dedit in rubo; ſed igneo, ſed ardenti. Sic Moyſi legem dedit in monte; ſed qui ignitus eſſet totus. Sic Eliam in Paradiſum terreſtrem extulit; ſed curru igneo. Sic Eliſæo contra acies Syri Regis, acies dedit; ſed igneas: ut inde noſſes, quæ dignitas eſſet, quæve etiam vis ignis, quod elementorum aſt Princeps, quod proinde domare ac vincere, est virtutis eſt propè cœleſtis, ac divinæ. Et ita tamen edomuit, vicitque S. FRANCISCVS. Meditabatur Paulæ, loco natali, primi Cœnobii molem: quam ut erigeret, fornacem extruxerat coquendo in calcem lapidi; ſed ô malum! ita exarſit fornax, ut diſſiliret, ut flammas evomeret, atque incendia: hinc & terror omnium & fuga præceps, qua ſe flammis eriperent. Monetur FRANCISCVS periculi, monetur & damni & ruinæ fornacis; nec mora advolat ipſe, ſignoque Crucis & frontem & pectus muniens in flammas involat, inſilit in fornacem, illiusque damna ſuis ipſe manibus reparat, ex eoque recedit illæſus, innoxio corpore; imò & innoxiis veſtibus. Ecce ut præcelſus ignis domitor FRANCISCVS, ecce ut flammarum victor: nimirum reverebantur illæ Virum Dei, & ſua incendia voraceſque flammas damnabat Ignis, certè à D. FRANCISCO cohibebat. Et certè quidni cohiberet in eo, qui alio ardebat igne, igne divinæ caritatis? quo, qui ardet ut ille; elementari nunquam ardebit igne: ſic nec arſerant in fornace Babylonica tres illi pueri grandes animæ.

Cap. 7.

Vidiſti qui FRANCISCO pepercerit ignis, vide etiam qui obedierit: fortè Ruſticus unus aliquis in agello ſuo ſepes, ſpinas, aridáque dumeta incenderat, cùm ecce afflante vento, & volare ſcintillæ, & ignis ſerpere, & vicina quæque incendere, ac depopulari; ſic ut & domibus, & pago præſens eſſet incendium: quod veritus FRANCISCVS, illicò ſe dat in flammas, dat in media incendia, & quidem nudo pede; & quod mireris, amesqua, non modò ignem ſiſtit & flammas; ſed & repellit, fugatque: vidiſſes ante Virum Dei non recedere, ſed fugere flammas, ſi eas fugabat ipſe; accedere, ſi revocabar. Adeò obediens Dei ſervo erat illud elementum: nec mirum quia ipſe Deo, qui ignis eſt, obediens erat quàm maximè.

Quod probat & aliud ejuſdem generis miraculum. Fortè Ruſticus aliquis in ſuo hortulo ſepes incenderat, cùm ecce in ſylvam vicinam deferente vento elabitur flamma: erat autem ea ſylva excisa, datáque D. FRANCISCO in ſui Cœnobii uſus: cumque jam eam invaſura videretur flamma, ſic ad eam: *Ex caritate exure quod tuum eſt, alieno autem parce*: Cap. 8.
dixit, & pepercit flamma, retroque abiit.

Mitto cætera ejuſmodi, ut quod illi familiare fuit, ignem, carboneſque incenſos, & manu, & veſte circumferre, & quidem tam hac, quàm illa penitus illæſis: venio ad ſuppar Igni elementum, ut Sancto quoque ſit imperium

IN AEREM.

Eſt aëris regio fœcunda meteororum parens, in ea enim & grandines gignuntur, & pluviæ, & venti ſpirant, regnantque aquilones, quibus dominari altioris eſt potentiæ, & ſolius ferè ſupremi Numinis, aut certè paucorum, qui in eam cum Deo venêre potentiæ communionem, ut iis & maria obediant, & venti. Ex his quoque, paucos inter fuit D. FRANCISCVS, de quo dici potuit & illud quod olim de Chriſto: *Quis eſt hic? quia venti, & mare obediunt ei?*

Vehebatur unà cum aliis triremi FRANCISCVS, cùm ecce incurrunt Pyratæ, ferrumque minantur Cap. 14.
& ignes, quos ut declinent, in altum ſeſe infundunt mare: ſed inde periculum, unde ſalus ſperabatur: repentè enim intumeſcunt maria, altùm ſonant venti, & ſic triremem quatiunt, ut ondarum eſſet ac ventorum luſus atque ludibrium; imò & præda mox irati maris. Ne porrò eſſet, aſſurrexit FRANCISCVS, *imperavit ventis & mari, & facta eſt tranquillitas magna.* Ecce ut ipſa quoque aëris regio, Viri ſancti vocem audit, & mandatis obedit, etiam in ventis, quibus tamen ludus eſt ipſe aër, & naves quantumvis magnæ adinſtar pilarum, ſic enim eas quatiunt & jactant.

Quod ventis; hoc & pluviæ, cui ut illis imperavit. In lapidicina ſimul cum aliis inſudabat Vir ſanctus, ut novo Cœnobio extruendo lapides erueret, cùm ecce turbatur Cœlum, nigreſcit aër, &

ingens nymbus depluit, non pluviam diceres, ſed effuſas toto æthere aquas undarum adinſtar: diffugere omnes, non ſolùm ne maderent; ſed ne undis illis obruerentur: ſolus operi intentus manſit S. FRANCISCVS, quem etiam reveritæ pluviæ, nymbique: ſic enim & hinc, & inde collapſi ſunt, ut ne quidem ex iis vel una guttula, aut Patrem, aut veſtimentum aſperſerit. Crederes ſenſiſſe illius imperium: & ſanè ſentiebant, atque ut cæteris minimè parcerent, parcebant illi. Ecce ut in aëra evaſit illius regnum: videamus ut etiam

Cap. 16.

IN AQUAS.

Moyſes ævi ſui Taumaturgus, ad alia prodigia, quibus inclaruit, hoc quoque adjecit: ſitienti populo aquam dedit, lympidosque fontes, quos etiam ex arido, duróque ſaxo eduxit; ut ex eo biberet populus, biberent & jumenta: ſic enim ad illum Deus: *Tolle virgam in manu tua, & vade. En ego ſtabo ibi coram te ſupra petram Horeb, percutiesq́; petram, & exibit ex ea aqua, ut bibat populus.*

Exod. c. 17. v. 5. 6.

Quod populo Moyſes: hoc operariis ſuis FRANCISCVS. Inſudsbsnt coquendæ calci, & lateribus, & inde à labore, æſtúque magna ſitis; cui extinquendæ in loco arido & exſucco aqua deerat: quod ut vidit Vir ſanè pius ac miſericors; ex ſicco, arenoſoq́ue ſolo unicâ voculâ fontem evocavit, qui & illis extinquendæ ſiti ſerviit; & modò etiam illi *Minimorum* Cœnobio ſervit, & vicinis illius accolis; in eo certè vel pat, vel ſuperior ipſi Moyſi; hic enim virgâ petram percuſſit, & quaſi illata vi aquam effundere coëgit; at ille verbo unico, quod tamen audiit terra, & patuit, in eo velut æmulus Dei Creatoris ſui, qui *dixit, & facta ſunt.*

Cap. 16. *Geneſ. c. 1.*

Spectaſti copioſum manaſſe fontem vel ad ſolam FRANCISCI vocem; ſpecta nunc flumina vel ad ipſius dumtaxat votum intumeſcere.

Romà in Galliam reditum parabat, cùm ad fluvium venit, qui in oſtia Tiberina influit: ibi juſſa erat ſubſiſtere ad anchoras triremis, quâ veheretur. Sed, ô malum! adeo ſubſederant aquæ, ut propè ſicco alveo triremis hæreret, nec ulla vi moveri poſſet etiam loco, ne dum è flumine in altum mare. Quod ut advertit FRANCISCVS; ſic ad præfectum triremis: *Ex caritate rurſum explora quis aquæ fundus, invenies opinione tua profundiorem.*

Suprà.

Paret ille etiam contra animi ſui ſenſum, & artem nauticam, probè doctus ad Viri ſancti vocem, nutumq́ue patrari miracula: patet, inquam, bolydemq́ue in aquas demittit. Et ecce mirum dictu, viſuq́ue; ſentit in inſtanti ad ſex omninò pedes excreviſſe, & intumuiſſe fluminis illius aquas, ut ſcilicet & triremi promovendæ ſervirent, & expetitæ navigationi. Sublatæ igitur anchoræ, & ſecundo, altóque flumine itum ad oſtia Tiberina, & inde ſecundo mari Lugdunum: ipſo aquæ elemento Viri Dei imperium patiente: ſupereſt in eo genere unum iſtud, ut attendamus qui etiam illud exetcuerit

IN TERRAM.

Benè cenſuit, benè dixit, qui *Fidem* veluti *omnipotentem* cenſuit, & dixit: Ex verò enim omnia poteſt.

Quidni enim poſſit, quæ Deum habet in ſe habitantem.

Ita potuit Ioſue qui (ut annotat D. Hieronymus) *Fiducia habitantis in ſe Dei locutus eſt, ſtet ſol, & ſtetit.*

Ita potuit & Moyſes, qui fide inſtructus *ipſis elementis ſtationem imperavit*; ut in ſimili Tertullianus.

Ita poterit & ille, qui *Fidem* habuerit *ſicut granum ſinapis*; dicet enim *monti huic*,

Matth. c. 17. v. 19.

Tranſi hinc illuc, & tranſibit & nihil impoſſibile erit ei. Et ita (ne ab argumento mihi propoſito diſcedam) potuit D. FRANCISCVS DE PAVLA; dixit enim & ipſe *Monti huic, Tranſi hinc illuc, & tranſivit.*

Moliebatur novi Cœnobii fundamenta, quæ dum jacit, ecce occurrit rupes ingens, quæ locum fundamento deſignatum ſic occupabat, ut duci per lineam rectam minimè poſſet.

Quid igitur conſilii? quid remedii? omninò nihil, loco eam movere ut unus omnium, ne tota multitudo potuiſſet: tundere, & fruſtatim effringere, moræ erat longioris, operæ plurimum, & irriti laboris. Quid igitur? ad preces, arma ſibi uſitata confugit FRANCISCVS, & en (mira vis orationis & Fidei) ipſa rupes quanta quanta erat aliò trãſit, & in vicinum flumen abjicitur, locumq́ue vacuum, & jaciendo fundamento oportunum relinquit. Adeò etiam hic verum illud: *Si quis Fidem habuerit, & dixerit Monti huic. Tranſi hinc illuc, & tranſibit.* Cujus oraculi veritatem probat & aliud ejuſdem generis miraculum.

Cap. 18.

Meditabatur rivulum, qui vicino monti imminebat in Cœnobii Paternenſis ſepta deducere: ſed obſtabat obvia & ingens rupes, quæ rivulo aditum præcludebat, nec artis induſtriæve humanæ erat; nec laboris, & operæ eam inde dimovere. Quod ut vidit Franciſcus, aliis ſpe deſtitutis, in Deo ipſe ſpem concipit, ac reponit; tum ſic ad illos: *Ite alacres, ne diffidite, aderit nobis Deus.* Dixerat, & ecce rupes ſponte moveri, nutare, loco cedere, ac tantum recedere, quantum opus erat parando alveo defluxuro mox rivulo. Adeo Fidei obediunt omnia, adeo parent ex ea imperanti, etiam ſaxa indomita abruptæq́ue rupes, uti etiam ex hoc uno patebit.

Eidem Cœnobio extruendo dum adlaborabant frequentes operæ, parsq́ue eorum in lapicidina deſudat excidendis lapidibus. Ecce pars rupis illius longè maxima, diſſilire viſa, & ruinam in ſubjecta capita, operasq́ue omnes minari, jam jamq́ue imminere. Exclamare omnes voce lamentabili: *Periimus, periimus.* Perculit ea vox Viri Sancti animum, qui miſericordiâ motus, ſic ad rupem jam elabentem.

Cap. 19.

Ex caritate ſta, quo enim ruis? dixit, & quaſi imperantis vocem audiſſet inanima rupes, ſeipſam ſtetit. Ecce ut Fidei obediunt omnia. Ecce, ut ei *nihil impoſſibile.*

§. 2. *REGNVM S. FRANCISCI In Animalia.*

IN primâ naſcentis orbis infantia, cùm adhuc innoxia eſſet ætas, innoxius & homo, ei parebant animalia omnia, ceu Domino, ceu Regulo. Hoc nimirum datum erat innocentiæ, & ſanctitati primi hominis, uti deinde innocentiæ & ſanctitati quorumdam poſterorum dabitur; quibus ut par à virtute erit animus; ſic & pat erit in animalia imperium.

Tale fuit Eliſeo in feroces urſos, quos evocavit è denſo nemore, ut puerorum Hierichuntinorum impudentem inſolentiam, & petulantes in ſe jocos puniret.

Tale Daniëli Prophetæ, qui cum leonibus, quaſi cum animalibus domeſticis luſit, eluſitq́ue rabidam eorum famem.

Tale D. Franciſco Aſſiſio, ad cujus imperium illicò tacere, & obmuteſcere garrulæ hirundines.

Tale D. Antonio de Padua, cujus concionem cùm excipere recuſarent Hæretici Arimineuſes, ipſe ad maris alveum converſus; ſic ad mutos piſces: *Audite piſces maris, audite, excipite Dei verbum, quod duri homines contemnunt.* Res mira, illicò confluunt piſces, ex imóque maris in ſummas aquas evadunt, capitáque efferunt, minores quidem littori viciniores, majores autem remotiores, quaſi hoc pacto commo-

Wadingus Anno Min. 18.

commodiùs ſacrum oratorem audituri. Et verò etiam audierunt. Cùm enim dixiſſet de beneficiis, quæ liberalis Dei manus in piſces effudit, & quæ propter illa gratitudo, audire viſi ſunt piſces, nam & capita movere, & geſtire, & pinnis applaudere, omniaque probare, nec delabi in profundum oceani, niſi prius veniâ datâ acceptâque à ſuo oratore ſolemni benedictione. Et hinc etiam in ipſis hæreticis primùm ſtupor, atque admiratio, dein etiam animorum in meliora mutatio.

Cap. 19. Tale denique (ut alios in præſentia taceam) S. FRANCISCI DE PAVLA, ad cujus nutum, vocemque & cicures cervi, & muſcæ Religioſis aliàs importunæ è monaſterii ſeptis in ſylvas excedere juſſæ, nec olli aculeum infigere, paruêrunt illæ & cùm prius denſo agmine in fratres, & cellas ipſas involarent, accepto recedendi imperio, ne una in poſterum comparuit. Quod muſcæ, hoc & aviculæ, quæ è liquido aëre in ejus manus venire, & eum eo colludere: hoc rabidi canes, qui & latratum cohibere, & morſum ferociorem: hoc etiam & colubri, ſerpenteſque venenati: quo in genere memorabile eſt illud, quod ſubjicio.

Cùm jacerentur fundamenta novi Cœnobii, non procul Turonis. Ecce è ruderibus ac latibulis erumpere cœpit vis ingens colubrorum, ac ſerpentum, ad quorum aſpectum primò effugere omnes, atque ab opere deſiſtere, tum etiam lapides congerere, quibus obruerentur, tum circum circa ignes extruere, ut extinguerentur: ſed & inter hæc molimina, erumpere ſerpentes atque involare. Quid hic Vir Dei? jubet à vi abſtinere manus, & ſaxa removere, & ignes; tum ad foſſas, & ſerpentum latibula accedere ipſe, & nudis manibus ac brachiis prenſare & colubros, & ſerpentes, atque in vicinam ſylvam efferre: prenſabat porrò, atque efferebat innoxiè; nec enim ei vel morſu, vel veneno affuſo nocuere. Ita nimirum & illis imperitabat Vir ſanctus, & imperanti parebant illi, uti etiam & morborum genus omne, imò & mors ipſa, ut ex ſequentibus apparebit.

§. 3. *REGNVM S. FRANCISCI in morbos omnes, ipſamq́; mortem.*

MAgnus ille Baptiſta, & Præco Veritatis, cùm eſſet in vinculis duos è diſcipulis ſuis, ad Chriſtũ emiſit, qui ex eo quærerent: *Tu es qui venturus es?* quibus ille: *Ite, renuntiate Ioanni quæ audiſtis & vidiſtis: Cæci vident, claudi ambulant, ſurdi audiunt, mortui reſurgũt.* (Matth. c. 11. v. 5.) Ecce ut Chriſtus magiſter optimus quæſtionem illatam ſolvit, non lingua, ſed opere prodigioſo. Et ita factum oportuit, ut ex eo pateret, quæ latebat in homine Divinitas: nimirum miracula ſigilla quædam ſunt Divinitatis. Quod in Chriſto, Deo homine, ex ipſa utique illius natura factum, hoc & ſubinde in puſillis mortalibus, non quidem naturâ; ſed gratiâ, & quadam commonione divinæ poteſtatis, ex qua ſi quæſieris ecquinam illi? qui, quantíve? pro reſponſione audies & illud, *Cæci vident, claudi ambulant, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt.* Ecce opera, quæ hominem produnt. at quem hominem? conſortem certè divinæ poteſtatis, qualis & fuit D. FRANCISCVS DE PAVLA, de quo ſi petieris, ecquis ille? excipies non verbo; ſed facto expreſſum etiam illud: *Cæci vident, Claudi ambulant, Leproſi mundantur, Mortui reſurgunt.*

Ita in Urbe Paternenſi puellula, cui nomen Iulia Catalana jam inde à nativitate cœca, illius ope, attactúque vidit: ita & adoleſcentulus, cui morbi vis viſum ademerat, reddidit illi vis altior, quæ erat in Franciſco.

Ita *Paulæ*, urbe Vito ſancto natali, puellula dicta *Calidonia*, & manibus & pedibus capta, & horum & illarum uſum, ejus precibus, ac beneficio recepit.

Ita è Græcia (quo etiam evaſerat fama miraculorum D. FRANCISCI) Filiolus ſacerdotis græci, & ipſe leproſus, ad eum emiſſus, vel ipſâ Cœnobii aura, vel Viri Dei conſortio, ac benedictione, lepram poſuit, omninoque ab illa liber, Patri, Patriæque redditus.

Ita hominem mediis in nivibus, algidóque cœlo extinctum, atque ad Cœnobium deportatum, ut ibi tumulum inveniret, his verbis vitæ reddidit. *Ex caritate, reſuſcitare, hanc enim tibi gratiam Deus facit.* Ad has voces illicò ſurrexit, qui diu jacuerat mortuus. Et ita ſurrexere complures, vel ad illius primas voculas, vel ad ſolum attactum. Et hoc ab illo beneficium in homines derivatum. Simile etiam in animantia bruta: nam & agnellum, & cervulum, & piſces vitâ donavit: juvat ſingulorum paucis meminiſſe.

Ruſticus unus aliquis, cui nomen *Ioannet de Franck*, dono acceperat agnellum; ſed mortuum; quem etiam, equo, quo portabatur, appendebat. In via dum ſolus ſecum agit, fingitque mente alia atque alia cogitationum inanium ſimulacra, & hanc inter alias effingit. Verùmne pauperculum Eremitam, (FRANCISCVM notabat) miracula patrare poſſe? ea certè ſolius Dei videri, in aliis præſtigias inveniri, & malos dolos, atque ſubinde Dæmonum artes, & inania credulorum figmenta. Herbas adhibet Eremita noſter, etiam curandis cujuſvis generis morbis, harum virtutem ſi quis ut ille noſſet, eadem & majora profectò poſſet. Cap. 14.

Deinde ecquis enimverò ſcit, an non & ille ſagus aliquis, & magicis artibus addictus? an non malò Dæmoni perfamiliaris? explorabo certè, atque hinc rectà *Paulam* ibo, videbóque an etiam & hunc agnellum meum reſuſcitare poſſit.

His dictis calcaria admovet, equum incitat ardentiùs; ſed mox (ut olim ab aſino Balaam) ſic & ipſe ab agnello ſuo ſiſtitur: videt enim quaſi è profundo ſomno excitari, caputque motare, agitare aſtrictos pedes, mox etiam audit balare, attonitoque ſimilis aliquamdiu hæret obtutu defixus in uno: in uno, inquam, agnello, quem & domum lætus reducit, & domeſticis oſtentat, atque exteris, & in miraculi Fidem diutiùs vivum ac vegetum alit, fovetque, ex eo jam certus FRANCISCVM DE PAVLA miracula patrare poſſe, & re etiam patrare.

Et hoc agnello à Dei famulo beneficium, cui ſimile datum & cervulo: Erat hic domeſticus, & FRANCISCO familiaris, à quo & nomen acceperat *Martinet*: ſed, ô malum! latomus unus aliquis (qui forte cum aliis extruendo Cœnobio laborabat) eum furto ſuſtulit, jugulavit, unáque cum ſociis voravit, & ne per oſſa pedéſve, ſi palam abjicerentur, deprehenderetur furtum, ea in furnum, quo coquerebatur calx injecit. Ibidem. FRANCISCVS ut erat amans ſui cervuli, proque eo perdito bellè ſollicitus, dum eum quæritat, ſubintellexit quid perperam actum cum cervulo: nec mora ad furnum ardentem venit, & altiore voce, imò & clamore valido exclamavit: *Martinet hinc egredere*; mirum ſanè & à ſæculis inauditum. FRANCISCI vocem audit Cervulus, & mox integer ac vivus è furno egreditur; *Franciſcoque*, ceu Domino, ſe ſiſtit, non ſine aſtantium ſtupore, & miraculo. Quæ Cervulo data vita, eadem & piſcibus, ut in omnia propè animantia beneficus eſſet.

Fortè ad FRANCISCVM venerat Archiepiſcopus Cuſanus, ut cum eo pranderet, verius ut jejunaret. Pro ea, qua erat in hoſpites caritate & comitate, ſollicitus eſſe cœpit, quid tanto Præſuli apponeret, nihil erat domi, in penu etiam nihil, omnia pauper. Verùm qui Deo dives eſt, is abundè dives eſt, &

locuples;

locuples; habet enim eum promumcondum, ac proviſorem optimum: & certè tum etiam habuit: adfuit enim homo peregrinus, atque ignotus, qui piſces mortuos & faſciculo herbaceo involutos offerret. Agnovit Vir Dei beneficam à Cœlo manum, gratias egit, ſicque ad hominem: *Opportunè adveneris, eamus ad fontem, lavemus piſciculos, coquamuſque dein magno Præſuli.*

Explicatur faſciculus, educuntur, piſces; ſed exanimes, & mortui: ex iis unum manu prenſat Vir Sanctus, & ecce, quaſi vitæ fons & origo eſſet illi manus, eamque præſentiret ipſe, illicò moveri cœpit, atque exilire: diceres ab eo vitâ donatum, vitam petere longiorem, & verò petiit, impetravitque: abjecit enim in fontem elementoque ſuo reddidit in quo & vixit, natavitque per plures annos, ut in eos iret ea miraculi fama, fideſque, dum in oculos veniret & aquis & vitæ redditus piſcis. Quo in genere mirabile & illud, quod vidit, ſtupuitque Neapolis.

Ferdinandus Rex Neapolitanus multa cùm inaudiſſet de ſingulari FRANCISCI abſtinentia, quod pane victitaret, & aqua, paucisque leguminibus, explorare voluit veráne, quæ de illo fama vulgaverat. E menſa regia ferculum ſubmiſit opiparum, duos piſces aſſos, & probè conditos, quos dum videt FRANCISCVS, Cruce eos ſignat. Et ecce inſolens prodigium, illicò moveri cœperunt & ſaltitare, donari ſcilicet vita, ac libertate: tum ſic ad Ephebum, qui eos attulerat: *Regi ex me gratias habe de ferculo liberali & regio, & hæc inſuper adde. Remittere me piſces vivos, ac liberos, rogareq; impenſiùs ut pauperes captivos ipſe è vinculis liberos dimittat.*

Ludovicus Dony, in Annal. l. 1. §. 11.

Hic ſtupor invaſit Ephebum, invaſit & Regem, aulamque totam, quæ dum oculis fidem habet, habet & miraculo, & S. FRANCISCO, ceu alteri ævi ſui Taumaturgo, quem probant & alia ejuſmodi propè innumera, è quibus unicum hîc attexam, quod facit ad fortunatum mortis genus, in quod Viro Dei etiam regnum fuit, atque imperium, eſtque etiam modò.

In Civitate Parthenopæa, nobilis eſt familia, cognomento *Galeotta*, cui univerſæ S. FRANCISCVS DE PAVLA dicitur impetraſſe à Deo, ut ex illius ſtirpe nullus abſque cœleſti Viatico decedat, ſed eo inſtruatur, muniatúrque ingreſſurus viam univerſæ carnis, viam æternitatis, hoc eſt, verbo uno, moriturus. Ecce ut in ipſum quoque mortis genus ſervo Dei fuerit olim, ſitque modò imperium, cui quodammodo obedit ipſe vitæ, mortiſque arbiter Deus; hactenus enim ita ſemper evenit, nec actum aliter etiam cum illis, qui aut ferro læſi, cæſique mortem violenter oppetivere. Ita his omnibus emori non tam communis neceſſitas fuit, quàm ſingularis felicitas, quam uni D. FRANCISCO debere ſe fatentur, ac prædicant.

Silveſter Petra ſancta Taumoſia, Tom. 3. c. 21.

Omitto alia, eáque diverſi generis prodigia, ea qui volet conſulat, quæ de illis fuſiùs ſcripſit R. P. Claudius Vivier, & Ludovicus Dony in Annalibus ejuſdem Ordinis. Tranſeo ad alium Regnum, quod etiam annuente Cœlo, Viro Dei conceſſum. eſt erit illud

REGNUM GRATIÆ,
illius ſcilicet, quæ dicitur & eſt Gratum faciens.

DE Gratia multi multa, & quidem elatè, & piè. Jeremiæ, *Gratia, aurum* eſt: ab hac, inquit, *Filii Sion inclyti, amicti auro primo*, id eſt, *Gratia.*

Thren. c. 4.

Eidem Gratia *gemma* eſt, à qua iidem *Filii Sion Sapphiro pulchriores.* Sapphirus eſt *gratia*, quæ decorem conciliat.

Tertulliano: *Gratia dos* quædam eſt data Sponſæ, id eſt animæ, à cœleſti Sponſo, hoc eſt Deo: Ita data primo homini in illius molitione, qui deinde à peccato *condemnatus, cum ſæculi dote*, id eſt, *gratia*, ut doctè diſerteque Tertullianus.

Ruperto interprete: *Gratia Cœli ros* eſt, quem etiam in ſe illabi ſenſit aliquando, ſuſpexitque *Pachomius*: Cùm enim ab Imperatore Conſtantino, miſſionem è militia impetraſſet, protinus ad Thebaidis ulteriora progreſſus eſt, & Eccleſiam ingreſſus primò factus Cathechumenus; dein & Sacracrarioris lavacri gratiam adeptus; denique ea ipſa nocte vidit in ſomnis veluti rorem cœlitus illapſum ſuam repleviſſe dexteram, atque in mellis creviſſe pinguedinem, quam dum amat, miraturque, ſimul audit & hanc vocem: *Conſidera Pachomi quod geritur: eſt enim hoc ſignum gratiæ tibi à Chriſto collatæ*; Ecce ut Cœlo teſte gratia *Ros* eſt.

Lib. 1. de Vit. Patr. c. 3.

Vide ut etiam *imber*; ſed cœleſtis, & propè divinus, de quo olim Ioel Propheta, ſic ad Iſraelem: *Deſcendere faciet Dominus ad vos Imbrem matutinum, & ſerotinum. Matutinus Imber*, eſt *Gratia præveniens*; *Serotinus* autem *obſequens.*

Cap. 2.

D. Ioanni: *Gratia cœli clavis*: & *beatus*, inquit, ille, *qui habet clavem David*: id eſt, *Gratiam* qua ſcilicet Cœli regiam aperit.

Apoc. c. 3.

D. Paulo, gentium Apoſtolo: *Gratia ſigillum* eſt. *Spiritus Sancti, quo credentes ſignati.*

Ad Epheſ. c. 1.

Theologis, *Gratia*, eſt veluti *delibata quædam Divinæ naturæ portio*, per quam efficimur *Divinæ conſortes naturæ*, & cœleſtis regni hæredes.

2. Pet. c. 1. v. 4.

Denique, Diſcipulo quem diligebat JESUS: *Gratia eſt vita æterna.* Quod ſi vita æterna (utique in ſemine) ita & regnum æternum etiam in ſemine. Et hoc, uti & illam adeptus, etiam in terris D. FRANCISCVS, & quidem in eo dignitatis & excellentiæ gradu, in quo & charitatem: fatendum enim gratiam eò aſſurgere, quò aſſurgit & charitas, quam ubi oſtendero, ſimul & Regnum, quo donata eſt, oſtendero.

§. I. *D. FRANCISCI ARDENS IN DEVM CHARITAS, & ejus prognoſtica.*

AMabilis Dei providentia Sanctorum conceptioni, vel nativitati ſubinde quibuſdam ſignis amat præludere, maximè verò Igne, amoris Divini ſymbolo:

Ita præluſit nativitati *S. Fechini Abbatis*, cujus mater dum eſſet in puerperio, domus illius ardere viſa, non tamen abſumi; nimirum innoxia flamma, & ima, & ſumma domus adlambebat, non tamen conſumebat, quia altior erat flamma, nec elementaris, & vorax; ſed index illius in Deum amoris, quo aliquando incendi debebat atque ardere infantulus, & quo etiam domum, id eſt, Eccleſiam univerſam, incendere, atque inflammare.

Bollandus 20. Ian.

Ita (ne diſcedam ab argumento mihi propoſito) ſub ipſam S. FRANCISCI conceptionem, ſuper ſumma tecti, conſpectæ faces accenſæ, quæ longè lateque lumen effunderent, Judicium ſcilicet cæleſtis illius flammæ, ardoriſque divini, quo & accendi ipſe primùm, dein etiam Dei domum, id eſt Ec- I.
cleſiam, accendere aliquando debuerat. Et hoc primum illius prognoſticon.

In ejus vita cap. 1.

Alterum eſt, quod ipſa naſcentis illius Ordinis II.
ſenſerunt incunabula. His parandis ornandiſque dum vacaret FRANCISCVS, Cœli indulgentia, propenſaque ſupremi Numinis in eum inclinatio hoc dedit prodigium, & pronoſticon ſui amoris.

Emiſit è Cœli regia Angelum, qui ei ſuo nomine, juſſuque ſcutum deferret, cujus area cærulei coloris erat, oſtentabatque in medio litteris aureis expreſſum, auguſtum illud, ac divinum nomen, *Charitas.*

Hiſtor. Ord. Minim. per P. Ludovic. Dony l. 1. § 2.

Charitas. Scutum dico, quod & ipſi FRANCISCO, & ſacro illius Ordini pro teſſera, ac typo gnomico, & iconico fuit.

In quo miretis, & ames Dei ter Opt. ter Max. in FRANCISCVM, ejuſque familiam amorem. Primùm in eò, quòd ſcutum ipſe quaſi gentilitium ei adinvenerit, dederitque. Deinde quod per Aulæ cæleſtis principem, unumque è ſupremis illis Cœlorum Intelligentiis tranſmiſerit. Denique quod pro Symbolo *Charitatem*, hoc eſt, quaſi ſeipſum donarit: *Deus enim noſter Charitas eſt.* Charitas, inquam, & Ignis, quem in FRANCISCO, *Fratribuſq; Minimis* voluit vehementer accendi: nec in illis tantùm; ſed & per illos, quaſi terreſtres Angelos; Cœli nuntios, Eccleſiæque minores Intelligentias, in Orbem univerſum efferri

Ab hoc certè poterat S. FRANCISCVS proportione quadam ſuum facere illud Chriſti de ſeipſo, adductum ab Origene: *Qui juxta me eſt: juxta ignem eſt.* — Tom. 5. in rom.

Et hoc ſecundum prognoſticon illius Charitatis, quâ exardeſcebat FRANCISCVS, & à quâ, de illo dici potuit iſtud, quod de Stephano D. Auguſtinus:

Serm. 2. de S. Stephan. — *Stephanus* (dicam ego FRANCISCVS) *charitatem pro armis habebat, & per illam ubique vincebat.*

Tertium prognoſticon, fuit imperium in Ignem hunc elementarem, quem ſic edomuit, ut & carbones ardentes manu prenſaret ipſe, & veſte circumferret illæſa, quod Ignem ſiſteret, fugaretque: crederes illius nutum, manumque ſequi; & certè ſequebatur; nam & accedere, ſi annuiſſet; & recedere, ſi renuiſſet, ut ſupra fuſiùs oſtendi, & hoc, quia altiore, id eſt cœleſti, calebat ardebatque Igne.

Et hæc de prognoſticis Divinæ illius Charitatis: deſcendo ad illius quaſi effectus.

§. 2. EIVS SIGNA ET EFFECTVS.

I. PRimus, eſt ſingularis cum Deo familiaritas, & conjunctio: quæ ut arctior eſſet, imprimis amans erat ſolitudinis, quæ mater eſt bonarum cogitationum, & fomes Divini amoris: hic enim ſæpè frigeſcit, aut tepeſcit in publico; calet autem in ſecreto amicæ ſolitudinis. Ut in hanc veniret D. FRANCISCVS, ſæpiùs ſecedebat à turba, à ſuis; imò & à ſe, modò ad dies duodecim, modò ad quindecim, modò ad plures, non ſemel ad totam quadrageſimam, quam exigebat ſolus in ſua cellula, ſine ullo cibo, potúve: nimirum illi cibus, illi potus erat oratio, dulcior nectare, & ambroſia; hac alebat animum, hac ſuſtentabat & corpuſculum. — Hiſtor. l. 1. § 4.

II. Alter Amoris effectus, & ferè comes individuus accenſæ orationis effluxit ex oculis, & in geminos lacrymarum fontes erupit. Videre erat Dei ſervum ad Crucifixi pedes abjectum, eos ſuis lacrymis irrigare; non ſecus ac olim pœnitens Magdalena: ita nimirum (uti de hac D. Chryſologus) ſic ego de illo ipſius ore:

Serm. 93. — *En mutatur ordo rerum. Pluviam terra Cælum dat ſemper: Ecce nunc rigat terra Cælum; imò ſuper Cælos, & uſque ad ipſum Dominum, imber lacrymarum proſilit humanarum, & aquæ quæ ſuper Cœlos ſunt, laudant nomen Domini.*

III. Ad illos incenſæ charitatis fontes, qui Viri Dei faciem, qui terram, qui Cœlum, qui ipſum cœli Dominum irrigabant, acceſſit igneus quidam ſplendor, adinſtar ignis luculenti, & flammarum. quæ eum, ejuſque corpus omne circumdare: & circumveſtire viſæ ſunt, & facies, quæ non ſemel ardere, & veluti quoſdam radios emittere eſt conſpecta: ſi oculis habenda fuiſſet fides, credidiſſes non unius hominis faciem eſſe; ſed ſolis, adeo lucebat ardebatque, quia nimirum & lucebat animus,

& ardebat, & quæ intus ab oratione luxerat, & qui erat ardor, ſeſe prodebat exterius.

Portò hos inter ardores, & æſtus Divini amoris, & animus ſæpiùs abibat à ſenſibus, & à ſeipſo, & in Deum rapiebatur totus, & corpus ipſum (gravior licet, ac carnea luteáve moles) tamen & à terra elevari, & in aëre ſuſpendi videbatur, quaſi naturæ immemor ſuæ. IV.

Ita corpus ipſum velut amœna quædam veſtis animæ, & ejus luce perfundebatur, & ejus levitate gaudebat, tollebaturque in excelſum. V.

Hos porrò raptus, & exſtaſes fovebat, recreabatque ſuaviſſimus Angelorum concentus, qui ſæpiùs in FRANCISCI cellula auditus, non ſine amabili ſtupore, ſenſuque voluptatis: putaſſes FRANCISCI cellam Cœlum eſſe: & profectò Cœlum erat, quia FRANCISCVM celabat terris, celabat & mortalibus oculis; ſed aperiebat Cœlis, ipſiſque Cœlorum Intelligentiis, quæ in eam, ceu Cœlum novum, deſcendere ſolitæ. Et certè quidni deſcenderent, cùm in ea nihil inſonaret, niſi una *Charitas*, quæ Deus eſt. VI.

Vulgò dici ſolet, & verè, *Ex abundantia cordis os loquitur:* & ita loquebatur in D. FRANCISCO, cujus in corde cùm nihil eſſet niſi *Charitas*, in ore quoque nihil erat niſi eadem *Charitas*. Hinc ſi quid ageret, ſi quid ab aliis agi etiam vellet, adjiciebat ſolemne ſibi hoc Lemma: *Ex Charitate, ex Charitate*; quod omnia ex Charitate agere vellet ipſe, & ab aliis ex eâdem etiam agi; quod certum fuit indicium ſummi in Deum amoris. Et hoc ſecundum fuit *Regnum* quod D. FRANCISCO, ab Æterno Patre datum eſt, *Regnum* utique *Gratiæ* & *Charitatis*. Supereſt & tertium VII.

REGNUM RATIONIS, *hoc eſt partis ſuperioris, in corpus, ſeu inferiorem hominis partem, etiam D.* FRANCISCO *datum eſt.*

QUÆRI hîc poteſt ecquis Imperator? ecquod imperium? Ne crede, cœli calculo, imò nec ſapientis, Imperatorem dici poſſe, qui aliis imperat, & ſibi ſervit; néve etiam imperium dixeris, quod in homines extenditur, & abit extra ſe; intra verò propudioſam relinquit ſervitutem: nec hoc Imperium eſt, nec ille Imperator. Ecquis ergo? D. Baſilium audi, & intelliges: ſic ille:

Tuis ſac imperes cogitationibus, Imperator ut ſis. Et quia his non imperavit Alexander, ideò Sapientis Romani judicio, nec Imperator fuit: — Hom. 11. in Geneſ.

Alexander, inquit, *Perſas quidem, Hircanos, & Indos, & quidquid gentium uſque in oceanum extendit Oriens, vaſtabat, fugabatq;; ſed ipſe, modò occiſo amico, modò amiſſo, jacebat in tenebris, aliàs ſilens, aliàs deſiderium ſuum inferens. Victor tot Regum, tot populorum, iræ, triſtitiæque ſuccubuit. Id enim egerat, ut omnia potius haberet in poteſtate, quàm affectus.* — Ad Lucilium.

Ecce quomodo qui aliis imperabat, non imperaret etiam ſibi, adeoque nec Imperator eſſet: quia potiſſimo, & veriſſimo deſtitutus erat Imperio: ut enim ille ipſe Seneca:

Imperitare ſibi maximum imperium eſt. Atque ad hoc etiam nati ſumus.

Sanè, inquit Baſilius Magnus, *in hoc creatus es, ut imperites affectibus. Et ad hanc* quoque *formulam collatus nobis principatus ſuper animalia, ut noſtri ipſorum diſcamus eſſe Domini*, aiebat ille ipſe S. Doctor: — Suprà.

Eſt in nobis pars quædam veluti animalis, eſt corpus, eſt carnea moles, & innata illi concupiſcentia, & appetitus etiam animalis; ſed & eſt pars ſuperior, eſt *Ratio* veluti Domina, atque Imperatrix, quæ illi dominetur, illi imperet, illamque ſubigat, ut equum ſeſſor ſolet, eoam admotis calcaribus, & acriore flagello, ſi recalcitret. Et ita feciſſe viſus eſt D. FRANCISCVS, verè ſui Domi-

nus, verè domitor carnis ſuæ, quam ut jumentum, ut aſellum & habuit, & tractavit etiam quàm peſſimè. & hoc ut rationi ſubderetur, & ratio ipſi Deo.

Serm. 10 de Nat. Io. Bapt. De S. Ioanne Baptiſta ſolemne illud, ac vulgatum ab Evangeliſta: *Nec manducans, nec bibens*; addit S. Bernardus, *profectò neque veſtiens*; addi potuit, *neque cubans*: Dictus eſt non manducare, quia etſi locuſtas, & mel ſylveſtre elitabat; tamen tantillus cibus pro non cibo haberi potuit. Sicut nec bibere dictus, quia aquæ ſolius potu ſitim extinguebat, nec cubare, quia nuda humus pro lectulo.

Pari ratione S. FRANCISCUS dici potuit non ediſſe, quia cibus illi modicus, & vilis, panis ſicci buccella, & pauca oluſcula; potus autem, aqua pura, & lympida. Jejunium juge ac perpetuum, quod nonniſi ad occaſum Solis ſolvebat; cubatio vel in nuda humo, vel in ſubſtrata corpori tabula, tegula capiti ſuppoſita, parum oportuna ad ſomnum conciliandum, niſi dixeris, quod juxta S. Maximum:

Hom. 1. *In lecto corporis hujus mollius dormit, quiſquis duriùs, inclementiuſque tractaverit.* Et ita tractavit S. FRANCISCUS, cui corpus pro jumento, & quaſi aſello, qui fuſte, aut flagellis continuo vapulat ac tunditur. Incredibile, & horrendum eſt, quantis aſperitatibus corpuſculum, cæteroquin innoxium attriverit.

Aſperrimo ad nudam carnem cilicio ſine intermiſſione utebatur, diverberabat corpus ſuum quot noctibus, flagello uſus, non quali quali; ſed catena ferrea, variis con[...]xta catellis, quarum ima pars in runcinæ modum ſerrata, dirè corpus excarnificabat. Pedes nudi, etiam aſperrima anni tempeſtate, nec domi dumtaxat, & in cellula; ſed etiam foris, & in luto per oppida, vicoſque in longis peregrinationibus per ſaxa duriora, perque loca dumis, ac ſentibus obſita.

Et hæc Viri ſancti in carnem duritia, imò & ſævitia fuit, quam utinam attenderent molliculi, ac delicatuli mortales, qui corpuſculo ſuo blandiuntur improbè, qui illud conquiſitis undique melioribus ferculis ſaginant, atque obruunt, qui vino meroque madent, qui in molli dormiunt anſere, & carnem, etiam rebellem ac recalcitrantem, ad ſui perniciem enutriunt ac fovent, meliùs profectò facturi ſi illam, ut animi mancipium, tractarent duriùs; & flagellis etiam adinſtar jumenti atque aſelli affligerent. Sed hoc, inquies, pugnat cum natura, & indito nobis ab illa in carnem amore.

Ne nimium tibi ſeverus cenſor, aut judex eſſe videar in hac, quæ tecum eſt cauſa, appellabo ad Senecam, illum audies, & ſequeris. Sic ille ad amicum aliquando, ſic hodie ad te:

Epiſt. 14. *Fateor inſitam eſſe nobis corporis noſtri caritatem, fateor hujus nos gerere tutelam: non ergo nego, indulgendum illi; ſerviendum nego.* Rationem ſi velis, hanc addit, etiam hauſtam è naturæ ſinu: *Ad majora natus ſum, quàm ut ſim mancipium corporis mei.*

Hæc profanus Orator, hæc Ethnicus homo: quid Chriſtianus? quid Religioſus? ſerviet ille corpori? erit ille mancipium corporis ſui? Enimverò non erit, ſed Dominus, ſed tutor; ut tutor illi aliquid indulgebit, tantum ſcilicet, quantum ratio poſtulabit. Ut Dominus illi imperabit, illud ſubiget, futurus in hoc Rex, atque Imperator etiam ſui, quod ſummum & Regni, & Imperii, jus atque faſtigium.

REGNUM GLORIÆ AC BEATÆ immortalitatis, *quod D.* FRANCISCO *à Deo conceſſum eſt.*

GLORIA, & Beatitas, alia eſt corporis, alia mentis: illa ſervatur alteri ævo, cùm ſcilicet è cinere ſurget corpus, & vitæ, animæque reddetur, quod fiet ab ultima pereuntis Univerſi periodo: hæc verò conceditur ſtatim à morte, ſi nihil animæ expiandum, vel paulò poſt, ubi per ignem expiatorium purgatus, & liber è carceribus illis exceſſerit animus. De hac, & illa quæſtio incidit, ubi de Regno Gloriæ, ac Beatitate ſermo inciderit.

Et quidem primò de ea, quæ eſt corporis (illius ſi non tota) at ſaltem aliqua portio conceſſa D. FRANCISCO, etiam in terris.

A Jejuniis, atque inedia, aliiſque ſpontaneis afflictationibus exhauſtum erat illi corpuſculum; at vegetus, integer, & fortis animus, cui id unum erat in votis, excedere è corpore, ceu ergaſtulo, ceu hoſpitio magnæ mentis, Deoque, ceu centro ſuo, reddi.

Exacta erat Quadrageſima, jamque illuxerat dies Veneris Chriſto patienti, ac morienti ſacer, illum extremum ſibi fore præſenſit Vir ſanctus, eoque omnia ad felicem exceſſum compoſuit, Chriſti Domini Paſſionem ſibi prælegi non ſemel voluit; tum exarſit ingenti deſiderio eundi in amplexus, ſinumque Dei ſui; tum illius amore vehementi incendi cœpit, & ita quidem, ut propè perennes pateretur extaſes, æſtuſque deficientis ab amore animulæ, quos dum diutiùs non patitur, amori cedit, & qui Deum ardentiùs amando vixerat, etiam amando moritur, & amore victus emoritur. O verè *fortis ut mors dilectio!* Huic, & illi cùm ceſſit; terris corpus reliquit, & animam Cœlis immiſit.

At quod terris corpus? utique nobiles exuvias ingentis animæ hoſpitium magnæ mentis, & feracem virtutum omnium officinam. Corpus, quod etiam animâ vacuum & vivere & ſpirare viſum eſt, & ſuaviſſimum odorem expirare; nunquam ſuaviùs accidit ullus odor, ſeu ille Thuris eſſet, ſeu Thimiamatis.

Qui enim ſuavius accideret? & hic, & ille oritur ex temperie primarum qualitatum, calore tamen, & ſiccitate prædominante, & aërem primùm imbuit, dein ad nares appellit, olfactumque benè afficit ac recreat: at qui de corpore FRANCISCI manabat odor; manabat à corpore, ut magnarum virtutum efficina, imò relictus erat ab animâ, ipſoque, qui in ea erat, virtutum odore, qui etiam in ipſum corpus emanabat.

S. Eugendo Abbati, viro notæ ſanctitatis, id annuente cœlo datum eſt, ut per odoris fragrantiam, aut fœtoris afflatum dignoſceret, quæ in illis virtutes, quæve in his flagitia. Nimirum illis mens recta odorem efflabat ſuaviſſimum; ſcelerata verò teterrimum his fœtorem expirabat. *Bollandus Tom. 1. 1. Ian.*

Quod *S. Eugendo*: hoc D. FRANCISCO. Noſſe vis, quæ in illo vis animi? quæ virtus? quæ apud Superos gratia? noſſes ex odore, qui etiam ex mortuo, exanimique corpore exhalabat.

Habet nimirum illud amabilis Dei providentia, ut è corporis afflatu prodere ſoleat, quis olim animi fuerit; ſic è ſacro corpore *S. Severini*, *S. Simeonis Stylitæ*, *B. Laurentii Iuſtiniani*, *Odonis Carthuſiani*, etiam poſt annos quadraginta expiravit odor longè ſuaviſſimus, index, & teſtis illius odoris, qui ab animo quondam emanarat: odoris, inquam, virtutum omnium. *Bollandus Tom. 1. Ian.*

Et hic Sancti corporis odor, & ſuaveolentia, primum indicium fuit gloriæ ac beatitatis, quâ præcelſa illius anima fruebatur in Cœlis.

Acceſſit & aliud, ſcilicet integritas corporis. Vertebatur à felici illius obitu annus quintus ſupra quinquageſimum; cum Hugenotti in Gallia, Cœnobium, cui nomen *Du Pleſſis* non procul *Turonis* expilarunt: nec in vivos tantùm; ſed & in mortuos ſævierunt. Nam & Turonis D. Martini corpus è ſepulchro erutum exuſſerunt, & in cineres redegerunt: & inſuper Urbe egreſſi, totiſque agris palantes, D. FRANCISCI DE PAULA ſepulchrum invaſerunt, aperueruntque.

Hic

Hiſtor. Ord. Minimor. l. 1. §. 19.

Hic mirabile; verendumque etiam ipſis Angelis ſpectaculum: jacebat corpus exanime quidem; ſed integrum omnino vividumque, ac ſi recens animâ vacuum; imò & illi veſtes omnes integræ, illæſæque; ſic nec tempus edax rerum, nec mors ipſa lento morſu, vermeque erodens omnia, quicquam attigerat, nedum arroſerat, conſumpſeratque. Debuiſſet id ſpectaculum, & edomare feroces animos, & conatus impios frangere, & manus efferas cohibere: at neque has cohibuit, neque illos fregit, vel ſepulchri ſacer horror, vel Sancti corporis integritas, ac reverentia; imò furorem potiùs auxit, & rabiem: nam & illud ſepulchro ſummâ vi extrahere, & è Templo educere in vicinum hoſpitum conclave, & in eo flammis, inviriſque ignibus tradere (& quod oderis ac horreas (cùm non deeſſent aliunde ligna, quæ ignem accenderent foverentque, ſacram Crucem è Templo detractam, ignis pabulum fecere, ut ab ea, etiam arderet FRANCISCVS, qui dum viveret, ejus amore exarſerat.

Putares Crucifixum etiam FRANCISCO mortuo compati, & iiſdem cum eo flammis abſumi velle, ut idem omninò rogus & FRANCISCVM haberet & *Crucifixum*, tanta hujus, atque illius conſenſio, etiam poſt fata.

A corpore diſcedo, accedóque ad animæ gloriam, ac Beatitatem: eam aperiet, exhibebitque *Corona*, & quidem triplex.

Solet ſubinde Deus paratam in Cœli regia gloriam oſtentare etiam in hac mortali vita *Coronæ* Symbolo.

Bollandus 17. Ian.

Ita in *S. Meruli* caput illapſa *Corona* è floribus albis pulchrè contexta, index fuit *Laureolæ Virginitatis*, quâ aliquando coronari debuit.

27. Ian.

Ita *D. Birgittæ*, ipſa Agnes Virgo & Martyr coronam impoſuit ſeptem lapidibus pretioſis illuſtrem, ob toleratas fortiter afflictiones.

9. Ian.

Ita *Celſus*, Ethnici præſidis filius, adhuc puer *S. Iulianum*, qui per plateas fœdum in modum raptabatur, vidit ab Angelis redimiri, ornarique coronâ aureâ, gemmis intexta: nempe index erat *Laureolæ Martyrii*, quæ illum ab hac aurâ mortali apud immortales genios manebat.

In ejus vita c. 24.

Ita (ne diſcedam ab argumento mihi propoſito) Religioſus in paucis pius, cui nomen frater *Nicolaus Noſchel*, S. FRANCISCVM, labori, operíque inſudantem, vidit ornatum *triplici corona*, qualis ferè appingi ſolet in *Tiara Pontificia*.

Erat autem ea *Corona* multo dives auro, & gemmis adeò nitens, ut aliquam veluti radiorum ſolarium coronam ejus capiti circumfunderet.

At cur, inquies, triplex? ad beatitatem (ut aiunt Theologi) *eſſentialem*, quæ in viſione, amoreque beatifico ſita, accedere ſolet *accidentalis* altera; quæ *Laureola* dicitur, eſtque etiam *triplex*. *Virginitatis* una, *Martyrii* altera, poſtrema *Doctoris*. Tam hac, quàm illis donandus erat in Cœli regia FRANCISCVS, ideóque etiam ex hàc vita ornatus viſitur *corona triplici*, quia triplicem habiturus erat in Cœlis: & quidem.

Primam *Virginitatis*. *Eſt Angelis* (Hieronymo teſte) ſemper *cognata Virginitas*, & hinc Virginibus familiare cum Angelis commercium, quale & fuit D. FRANCISCO: quo cum enim potiùs? Angelis cognatus erat; imò & in terris Angelus; amplius dico, ſuperior Angelis, quia ut disertè D. Chryſologus: *Angelum eſſe fœlicitatis: Virginem eſſe virtutis.*

Richardus l. 1. c. 6.

Eſt *Virginitas ros Cœli, ut pinguedo terræ fœcunditas*; ab illa repletur Cœlum, ab hac verò terra: verùm enim illud D. Hieronymi: *Nuptiæ terras replent, Virginitas paradiſum*; & ita replevit S. FRANCISCVS & ſeipſo, & virginea ſua ac ſpiritali ſobole: & hinc illi in Cœlis *Corona* prima *Virginitatis*.

Altera fuit *Martyrii*, cui uti ipſe non defuit, ſic nec illa dicenda eſt ei defuiſſe. At nec ferro ceſſit, inquies, nec igni; nec ſanguinem ſudit; nec vitam Dei causâ poſuit. Non abnuo: at illud aſtruo, poſuiſſet niſi & periculo, & perſecutori, & ferro ereptus fuiſſet, etiam miraculo.

14. Ian.

S. Felicem Nolanum Presbyterum, Eccleſia ut Martyrem habet, ac colit; etſi nec ille vitam Religionis causâ perſecutori dederit: & hoc, quia non tam martyrio defuit ipſe, quàm martyrium ipſi, Deo illum oculis perſequentium ſubtrahente: cùm enim in eum irruerent inſano impetu idolorum cultores, fugiens in anguſto duorum parietum intervallo ſeſe occultavit, qui aditus eùm derepentè aranearum telis pertextus viſus eſſet, nemini recentis latebræ ſuſpicionem reliquit; & hinc ſalvus, & incolumis evaſit *Felix*; ac deinde ſuaviter obdormivit in Dominò, nulla extrinſecus à Tyranno illatâ vi; & tamen, ut ita obdormierit, inter martyres ab Eccleſia recenſetur, & colitur; cur non igitur & D. FRANCISCVS, qui ſimili beneficio, imò & miraculo, mortem evaſit?

Infenſum ſibi, ac ſuis habebat *Ferdinandum primum Neapoli Regem*, non ſuo vitio; ſed Aulæ malevolentiâ, & maledicentiâ, & eò quidem infenſum, ut ad arma veniret ille, vimque pararet: utque pararet, triremium ſuarum præfectum expedivit, cùm feroci, ac numeroſa militum manu; veriùs, ſicariorum: quibus id dederat in mandatis, ut Dei ſervum abducerent, vel vivum, vel mortuum. Advolant igitur illi, monaſterii ſepta ſubeunt, templum ingrediuntur, & animo & manu ad cædem parati. Ad ſacras aras advolutus FRANCISCVS, Deo ſupplex acciderat: it, reditque minax militum turba; it, reditque præfectus, nec tamen FRANCISCVM aut hic, aut illa videt; etſi viderent alii omnes. Nimirum illorum oculis eum ſubtraxerat, & inviſibilem reddiderat inviſibilis Deus; itaque eorum furori, ferróque ſubtraxerat, & hoc, & illo alioquin caſurum, ut eſſet nobilis cœlo victima, Deique Martyr.

In ejus vita cap. 6.

Et hinc illi primùm debita *Martyrii* palma; inde etiam ſecundò ab ipſa morte, & longa ſepulchri nocte, ac quiete, è qua erutum exanime corpus, ut flammis præda eſſet, ac veluti ſecundæ morti. Et hoc quidem malè-ſana hæreticorum manu, in fidei, ac religionis odium, quæ princeps eſt *Martyrii* cauſa, & à qua addita D. FRANCISCO veluti quædam *Martyrii Laurea*.

Supereſt poſtrema, quæ eſt *Doctoralis*: ea cœlo judice iis conceditur, qui ad Iuſtitiam erudiunt multos; utque erudiant donati ſunt à Deo altiore, id eſt, cœleſti, ac divina quadam ſapientia. Quæ ſit illa quæris, & qua ſpecie? eam tibi tradit, *B. Henricus Suſo*, qui illius cùm eſſet amantior, objectam ſibi ſpectavit hoc ſchemate.

Bollandus 25. Ian.

Erat illi forma qualis eſſe ſolet Virgini; currus, quo vehebatur, columna nubis, thronus, cui inſidebat, eburneus; facies adinſtar ſolis; oculi ſtellarum more modoque micabant. Hanc ut vidit *Suſo*, adamavit ut Virginem, delegit ut ſponſam.

Et ita eam ſibi, & adamavit, & delegit S. FRANCISCVS, eáque ornatus, *Italiâ* primùm, dein *Franciâ* totâ luxit, & doctrinæ ſanioris lucem longè latéque diffudit, errorum caliginem, hæreſeos tenebras, enaſcentemque noctem diſſipavit.

Tuam appello fidem *Italia*, tuam & *Gallia*, tuam etiam antiquiſſima ac nobiliſſima *Turonenſis Civitas*. Vidiſti olim, imò & audiſti tonantem è pulpito invictum Præſulem *S. Martinum*: vidiſti deinde & audiſti, ex eodem, rogatu Cleri univerſi, fulminantem S. FRANCISCVM, atque in hæreſim recens iſtic enatam, eâ ſacræ dictionis luce fulgurantem, ut eam illicò diſſiparet. Tanta vis eſt hauſtæ de Cœlo ſapientiæ; à qua deinde & in terris, illi ſacri *Doctoris* nomen, & in Cœlis *Laurea Doctoralis*.

Cap. 24.

Hac aliquando nitere ſulgereque ſi voles, *Amice Lector*, age, D. FRANCISCI veſtigia lege: præit ille, & doctnnæ ſaces præſert, & clariora magnarum virtutum exempla.

Hæc inter ſuit inſignis animi demiſſio, quâ ſibi viam fecit in ſublime: tum ardens in Deum, & proximum caritas; tum pium odium ſui, vitæ auſteritas, & in carnem ſalutaris ſævitia. Er hanc, & illa ſedulus imitare. At *hoc*, inqnies, *opus*, *hic labor eſt*: non abnuo; ſed & illud eum D. Chryſoſtomo affirmo:

2. Cor. c. 4. *Sunt laborioſa quæ tranſeunt; ſed quæ permanent ſunt glorioſa: propter quod Paulus, tribulationem noſtram vocat levem: non utique ad naturam tribulationem reſpiciens; ſed ad futuram ſpem.*

Et hanc, & illam æqua lance dum expendit D.
Serm. 15. de Temp. Auguſtinus, exclamat: *O infelix voluptas, quæ per dulcedinem tranſitoriam, præparat amaritudinem ſempiternam*: Contra verò: felices *vigiliæ*, *orationes*, *jejunia*, *quæ per anguſtias breves*, *perducunt ad æternas Pradiſi dalirias*.

Has oculo, has animo dum ſpectat *S. Melanius* Epiſcopus, perſecutores ſnos etiam epulo excepit: Bollandus 16. Ian. crederes eò veniſſe, ut S. Præſuli epulum pararent, & opiparum quidem: & certè parabant; ſed in aula cœleſti, in nuptiis Agni, & hinc illos, quaſi benefactores ſuos liberaliùs tractavit Vir Dei, ſat conſcius quantum in tribulatione bonum, etiam æternos in annos, quos dum animo memori retinet *B. Ælredus* Rievallenſis Abbas, ei, qui ſe petulanti manu, auſuque planè temerario in ignem lu- 12. Ian. culentum injecerat, & ignovit ipſe; & ignoſci etiam voluit à ſuis, à quibus è flamma ſemivivus extractus, protulit etiam illud patiens invictique in malis animi: *Nolite quaſo, nolite Filii, Patrem veſtrum tunica patientia ſpoliare*; nec enim per hoc, quod in ignem violenta manu conjectus ſum, ideo & læſus: *Ille, ille per hoc me purgavit, non peremit.*

Hæc ille, quæ & nos ſi ii eſſe volumus qui ſumus, Cœli candidati.

****

DE SANCTO IGNATIO SOCIETATIS JESU FUNDATORE.

PROOEMIUM.

DIvus Gregorius Nazianzenus, Orator ſacer & ſacundus; cùm totus ire vellet in pias laudes, & ſacratiora ſorons ſuæ *Gorgonia* encomia; hoc, in ipſa funebris Orationis quaſi fronte legendum omnibus exhibuit:

Orat. 11. *Sororem laudans domeſtica prædicabo; non tamen, quia domeſtica, ideo falsò; ſed quia vera, ideo laudabiliter. Vera autem non modò quia juſta; verùm etiam quia nota. Nec verò ad gratiam, etiamſi cupiamus, loqui conceditur; quippè cùm auditor, tanquam peritus quidam arbiter, inter veritatem, & orationem ſtet, ut immeritas laudes improbans, ita meritas efflagitans, ſi modò probus, & æquus ſit. Quocirca hoc non vereor, ne ultra veritatis metas proſiliam; ſed illud contrà, ne infra veritatem ſubſiſtam, ac procul à rei dignitate remotus, laudatione mea gloriam ipſius imminuam. Quandoquidem difficile eſt tum actionem, tum ſermonem ipſius, laudum ornamentis adæquare. Proinde, nec quidquid alienum eſt, laudetur, ſi iniquum ſit; nec quidquid proprium, & domeſticum eſt, contemnatur, ſi honeſtum, & eximium: ne alioqui & illi lucro ſit, alienum eſſe; & huic, propinquitas detrimento cedat. Utrimque enim æquitatis ratio læderetur, ſi & illi laude afficerentur, & hi ſilentio premerentur.*

Hæc Nazianzenus de ſorore ſua *Gorgonia*; quæ ego de S. IGNATIO mutatâ dumtaxat vocula *ſororis* in amabile Parentis nomen:

Parentem laudam, domeſtica prædicabo; non tamen, quia domeſtica, ideo falsò; ſed quia vera, ideo laudabiliter.

Et hoc primum mihi erit excuſationis ſcutum,
Reynaudus de S. Ignatio nec deficiet alterum, quo etiam aliquando uſus *Hilarius Arelatenſis*, in encomio *S. Honorati*, ſui in Chriſto parentis:

Non verebor, ne nimis forſitan favorabiliter de meo loqui credar, quia præterquam, quod nihil non inferiùs dici ſuis virtutibus poteſt; nemo eſt, qui non illum, ſuum ſenſerit, ſuumq́; crediderit.

Hactenus *S. Hilarius*, qui invidiam domeſticæ exornationis, vel inde multum imminutam, vel etiam omninò ſublatam putavit, quòd *S. Honoratus* communis omnium Pater, & dici poſſet, & haberi. Qood ipſum in re præſenti excuſaturus, non injuriâ videbor. Ea quippè S. IGNATII in omnes beneficentia fuit; ut communis omnium Pater audire poſſit, ac debeat; etiam ab ipſis enatæ Societatis incunabulis, in quibus paternam in omnes caritatem, ac ſollicitudinis affluentiam probavit: cùm enim non poſſet ipſe unus adeſſe omnibus, omnibus operam ſuam, imò & ſeipſum dare, atque effundere; paternâ curâ, atque affectu id effecit, ut dum IGNATIVM haberet Italia, XAVERIVM occuparet India & Japonia, LAINIVM Gallia, RODERICIVM Luſitania, FABRVM Hiſpania, IAIRVM Germania, PASCHASIVM & SALMERONEM Hibernia, CODVRIVM Velitræ, BOBADILLAM Inſula Ænaria, itaque, tam per ſe, quàm per ſocios, Europam propè Univerſam, & Indiam, novosque Orbes, effusâ atque incredibili caritate complexus eſt, communis uniqueomnium Parens, & is omnino, quem ut ſuum, agnoſcant omnes, & prædicent; ideóque dum eum ipſe laudabo, atque extollam; non tam meum, quàm omnium Parentem, & laudaſſe & extuliſſe videbor. At quem illam eſſe dicam?

Ingentem Eccleſiæ columnam? eum certè futurum pronuntiavit, qui ei, recens à ſæculi dælitiis abſtracto, fuerat à confeſſionibus. Sic enim de illo: *Hic,* Summa proceſſus Canoniz.
ſi vivat, futurus aliquando Columna ingens Eccleſiæ, Succeſſor Apoſtoli Pauli, ſincerumq́; Vas electionis, ad converſionem Orbis, hoc eſt, Infidelium, Hæreticorum, & Peccatorum.

Appellabo *Communem Orbis terrarum theſaurum?* Imago r. Sac. l. 5.
aom priùs ſic appellandum exiſtimavit Eminentiſſimus *Ludovicus Cardinalis Ludoviſius*, qui cùm ei Bononiæ, in Eccleſiâ Metropolitanâ, unum è præcipuis Sacellis dedicaret, conſecraretque; ſic etiam

ad

ad ſpectatores, ex animi ſui voto pius Orator & Præſul: *Opta ac vehementer oro cunctos, & hortar, ut communem Orbis terrarum theſaurum, Ignatium; in ſuo quiſque corde, amantiſſima pietatis ſenſu, complectatur.* Et aurum, & gemmas, & uniones, & alios novi Orbis pretioſos partus, arculâ recludant, abſcondantque alii: at vobis in intimo corde ſit IGNATIUS, & in illo *Communis Orbis terrarum theſaurus.*

Cenſebo *Lumen* eſſe *Eccleſiæ?* idipſum ante me cenſuit, & dixit *Gabriel Cardinalis Paleottus.*

Pronuntiabo *eſſe Divinum Herculem edomandis inferni monſtris? Eſſe ſubmiſſum cœlitus Athlantem fulciendo regna Dei, quod eſt Eccleſia, doctrinâ ſcilicet ac pietate, veluti geminis humeris inſtructum? Eſſe prodigioſum in Apocalypſi Angelum?* Eum profectò jam diu pronuntiarunt uno ſenſu, unaque voce totidemque verbis, in Provinciali Tarracone Concilio, Congregati Patres ac Præſules, Anno M. DC. XII.

Aſpiciam, ut pellucidum quoddam eximiæ virtutis ac *Sanctitatis ſpeculum?* Et illum ut talem aſpexit, ſuſpexitque *Ludovicus Granatenſis*, & ipſe à calamo, doctiſque ingenii monimentis Orbi notiſſimus.

Laudabo, ut novum *Eccleſiæ defenſorem, Propugnatoremque Religionis* adverſus enaſcentes Lutheri, Calviniqùe hæreſes, aliáque hæreticorum munſtra? Et talis audit in Conſiſtorio ſecreto Coram S. D. N. Gregorio XV. in quo ſic de illo *Franciſcus Maria*, Epiſcopus Portuenſis S. R. E. Cardinalis;

Ineffabilis Dei bonitas & miſericordia, quæ præteritis ſæculis contrà ſubnaſcentes hæreſiarchas deſtinavit Athanaſium, Baſilium, Nazianzenum, Cyrillum, Hieronymum, Auguſtinum, Bernardum, Dominicum, Franciſcum, cæteraſq; ſanctitate Viros illuſtres: ſupremis hiſce temporibus excitavit ſpiritum Ignatii Loiolæ; qui ex medio *Bulla Canonizat. edita ab Vrban VIII.*

honorum curſu, atque à ſæculari militiâ, admirabili quadam ratione vocatus, ita ſe divino Imperio regendum, formandumq; permiſit, ut tandem novâ Religione, hujus Sanctæ Sedis authoritate fundatâ, quæ Gentilibus convertendis, Hæreticis ad Fidei veritatem revocandis, Romani Pontificis poteſtati tuendæ, ex inſtituta ſe totam impendit.

Suſpiciam illum, in conſcribendâ Filiis ſuis Regulâ, quaſi *Dei digitum?* excipiam ut *afflatum Divini Spiritus?* Et illum è Petri Sede, è Cathedrâ veritatis, ex Eccleſiæ ſpeculâ ſic aſpexit Paulus Pont. hujus nominis III. cùm de Inſtituti noſtri formulâ, hoc protulit Oraculum: *Digitus Dei hic eſt. Spiritus Dei eſt hic.* *Imago primi Sec. l. 1. c. 3.*

Venerabor ut *Sanctum?* colam in terris ut *Beatum?* Et talem veneratus eſt, talem & coluit (etiam cùm adhuc in vivis eſſet) *Ioannes Vega*, Caſtellæ Præſes, Siciliæ Prorex, Romæ pro Carolo V. Legatus; qui ſic etiam de illo: *Beatum videri, & Sanctum, & ejuſmodi omninò Ducem, cujus ſigna in Cœlo cum DD. Dominici & Franciſci trophæis ſint conſtituta.* *1. Part. hiſt. Societ. l. 16. n. 128.*

Ad illum, ut *Arcem refugii*, ut *afflictorum ſolatium*, ut *pereuntium aſylum*, confugiam? eique me poſternam, velut ad aliquam beneficentiæ ac miſerationis *Aram?* Et ita me, mortaleſque omnes, confugere voluit ac proſternere Summus in terris Chriſti Vicarius, Cœli claviger, Gregorius XV. dum eum Sanctorum numeru aſcripſit, ſacris Aris impoſuit, & Orbi univerſo colendum propoſuit, colique impensè voluit: quod ut faciamus & ipſi, vel ipſo extimulante Summi Pontificis mandato, vel bono etiam noſtro, ex ipſius Vitâ, rebuſque præclarè ab illo geſtis nonnulla per quæſtiones digeremus. Sit itaque

QUÆSTIO PRIMA

MORALIS.

Ad illa verba: *Sint lumbi veſtri præcincti.* Lucæ c. 12. v. 35.

CUR HIC LUMBOS PRÆCINGI IUBET MAGISTER OPTIMUS? Et quid in eo myſterii occultæque Virtutis?

DIE ſacro Confeſſori (non Pontifici) exhibet Eccleſia Evangelium ex D. Luca petitum, in quo Salvator, ceu Magiſter Optimus, primùm Diſcipulos, deinde etiam mortales omnes inſtruit, ut ſeſe apparent ad ineundam viam æternitatis. Ut autem ſe parent:

Primò, Iubet ut lumbos arctè præcingant quaſi ad iter accincti.

Secundò, Ut lucernas, eaſque ardentes, & multa luce coruſcas, manibus præferant.

Tertiò, Ut ſint ſimiles hominibus expectantibus Dominum, ut cùm à nuptiis redierit, illicò ei fores aperiant.

Quartò denique, Beatos pronuntiat illos, quos ita Dominus invenerit vigilantes; utpotè cumulandos bonis omnibus. Et hæc ſumma Evangelii, in quo Chriſtus ſupponit oculis præclara quædam virtutum magnarum ſeu præſidia ſeu etiam ornamenta, quibus ſanctos Confeſſores muniri ac nitere neceſſum eſt. In quibus, ut aliquo rerum explicandarum ordine procedamus: Primò diſquiram, quid Cingulo indicatum velit; Deinde, quid Lucernis, iiſque ardentibus, & quidem in manibus.

CINGULUM DATUR VIRGINIBUS in ſignum ſervatæ Caſtitatis.

IN humani corporis fabrica, lumbi ſunt veluti ſedes generationis, & vaſa quædam libidinis à quibus nè quid vetitum, nè quid impurum efflueret, eos Chriſtus arctiùs præcingi voluit. Quid enim potiùs? *Cingulum.*

Eſt *Cingulum ſymbolum* aliquod Continentiæ & eximiæ cujuſdam *Caſtitatis*; quod ipſa invenit ac probavit Antiquitas morum magiſtra, apud quam receptus ille mos, ut Virgo Cingulum geſtaret: nec illud ſolvere ulli concedebatur niſi ſponſo, & hoc ipſa nuptiarum die toróque conjugali. *Symbolum Caſtitatis.*

Dicebatur id Cingulum à Poetis *Zona caſtæ*, quam etiam Numini dicare & ſacris Aris appendere ſolebant novæ nuptæ in ſignum ſervati eòuſque pudoris, & tum primùm ſoluti.

Servator Optimus, cui nota Antiquitatis omnis ſymbola, etiam iis ſubinde uſus ad formandos mores; & hic maximè Cingulo, ſymbolo Caſtitatis, quo docent ſacri Confeſſores (ut ait D. Cyrillus) *Fluxæ libidinis luxuriam, & animi cupiditates Caſtitatis & temperantiæ cingulo coërcere.*

Quo enim potiùs?

 Ad

Hanc ſervāt Cōfeſſores. Cicer. 1. de Legibus.

Ad Deum propiùs accedere debent Myſtæ ac Confeſſores, adeóque caſti eſſe: *Ad Deos caſtè adeunto*, monebant antiqui. Ego Chriſtianè: *Ad Deum caſtè adeunto.*

Tibullus. lib. 1.

Supremo Numini placere debent pii Confeſſores: At *caſta placent Superis*, ut canit Lannus Poëta.

L. 4. Strom.

Alios mundare debent, & Cœlo Deóque purgatos ſiſtere; ideóque & ipſi purgati ſint, atque animo mundo. *Non lavacro mundus eſto, ſed animo*, ut benè monebat Clemens Alexandrinus.

L. de Pudic.

Templorum quaſi præſides, & Eccleſiæ cuſtodes eſſe conſueverunt Confeſſores. At hujus *Æditua eſt pudicitia*, ut doctè & eleganter Tertullianus.

In hac mirè excelluit S. IGNATIVS etiam ab ipſo limine ſuæ ad ſanctiùs inſtitutum vocationis. Juvat illius meminiſſe temporis.

IGNATIVS injecto ſibi novo quodam ardore cùm paternarum ædium anguſtiis ultrà contineri non poſſet, in iter ſe dedit: ac principiò Montem Serratum petiit, celeberrimum Virginis domicilium, eâ mente ac conſilio, ut eò loci prima jaceret fundamenta vitæ melioris.

Hanc vovit Ignatius.

Utque jaceret, in ipſa via voto ſe Caſtitatis obſtrinxit, idque Deiparæ obtulit, amoris mutui pignus æternum.

Quod enim melius? Eſt illa Mater Caſtiſſima, & Virginum Regina, quæ proinde in filiis ſuis ac clientibus Caſtitatem imprimis amat ac requirit.

Et verò in IGNATIO adamaſſe argumentum eſt illud, quòd etiam in paterna domo adhuc exiſtenti, nocte quadam dum vigilaret, ſeſe illi ſpectandam dederit auguſtiſſimâ ſpecie, multóque lumine circumfuſa, puerum JESUM in ulnis geſtans.

Virginis ope.

Fuit illa ſcenâ amabilis in qua IGNATIVS Virginem aſpiciebat, & IGNATIVM Virgo, è cujus oculis tela, ſed amoris; faces, ſed caſti ardoris, emittebantur: à quibus ſic arſit IGNATIVS, ut nihil amaret ardentiùs quàm illibatam animi corporiſque Caſtimoniam, quam in omnem deinceps vitam ab omni labe, imò & libidinis ſenſu immunem ſervavit.

Ab illa propè Angelus.

Fuit ille Cœli favor & Virginei amoris in IGNATIVM teſſera; derepentè ita in alium virum abiiſſe, ut non hominem diceres in carne mortali; ſed Angelum in humano corpore: imò (quod pace tua dixerim, ô Angele) etiam te longè ſuperiorem: & hoc quia *Angelicā gloriā acquirere majus eſt quàm habere. Eſſe Angelum felicitatis eſt; Virginem eſſe virtutis. Virginitas enim hoc obtinet viribus, quod habet Angelus ex natura.*

Chryſoſt. Serm. 143.

Et ita obtinuit S. IGNATIVS, qui in carne ſic vixit quaſi carnis expers: quod quantum ſit, ita aureè explicat D. Chryſologus:

In carne præter carnem vivere, non terrena vita eſt, ſed cœleſtis.

Et ea quoque IGNATII fuit, ut in eum verè cadere poſſet quod adulatoriè ac mendaciter de Alypio jactabat Ennapius in Jamblicho: Alipium fuiſſe *totum animam*: Et quod de Viro quodam ſanctiſſimo dixit B. Ennodius, *meritò ignoraſſe tamdiu ſe carne veſtitum, donec moriens eam exueret.*

Totus Anima.

Et ſic ignoraſſe ſe potuit IGNATIVS: ſic enim vixit quaſi corpore, & materia caruiſſet, ab hac, & illo prorſus abjunctus, & *totus anima*; argumento eſt iſtud, quod ejus cogitatio nihil ſpectabat, nihil meditabatur quod carnis eſſet: Ejus affectus & amor nihil ſequebatur quod etiam carnis eſſet: imò ejus ſenſus, corpori licèt immerſus, nihil tamen ſapiebat, quod eſſet corporis. Nec mirum; quia *totus anima* erat IGNATIVS.

Unde porrò *totus anima*? Certè non aliunde quàm à caſtitate; à qua habuit quòd propè ſpiritus eſſet, quòd velut expers corporis, quòd homo cœleſtis, quòd terreſtris Angelus, quòd *de familia Angelica*: de qua etiam filios ſuos eſſe voluit cùm eis hanc regulam inſcripſit:

Conſtit. P. 6. c. 1. §. 1.

Quæ ad votum Caſtitatis pertinent, interpretatione non indigent, cùm conſtet, quàm ſit perfectè obſervanda nempè enitendo Angelicam puritatem imitari & corporis & mentis noſtra munditiâ.

Ad Vxor. l. 1. c. 4.

Angelicam, inquit, *puritatem*, à qua ut ait Tertullianus homines etiam in corpore luteáque domo habitantes, tamen *de familia Angelica deputantur.*

Quod ſi de hac alumnos ſuos ac filios eſſe voluit IGNATIVS; de illa omninò primus omnium fuit, ut qui Angelicam illam puritatem in ſe priùs expreſſerit, quàm in aliis imprimeret.

Ut enim in hiſtoria Societatis annotat Orlandinus. Id habuit IGNATIVS, *quod nihil præciperet perfectionis, quod ipſe priùs non impleſſet.* Lib. 1. 2. 76.

Et quia ſic implevit dum adhuc inter mortales eſſet, impleri in aliis voluit etiam additus immortalibus.

Argumento ſit illud, quod refert P. Daniel Bartoli in Vita, & Inſtituto S. Ignatii. Cubiculum, ubi flens, ac gemens IGNATIVS primos vitæ annos melioribus mutavit, & novos de cœlo inſtinctus hauſit, donumque perpetuum caſtimoniæ ſingularis, eum veluti ſenſum ſanctitatis illius retinuit, ut quem mala ſors ad illud violandum impulerit, aliqua præſertim fœditate, ipſi parietes ſentire injuriam viſi ſint, etiam priuſquam ex profanis uſibus ad ſacros transferrentur. Lib. 1. n. 1.

Ludovicus Ianinus ibid.

Certè reſcitum de quodam externo milite, nec diu poſtea de viro, magis nobili, quam probo; ab Loiolæ dominis hoſpitio exceptos, & in illo IGNATII quondam conclavi locatos, dum neſcio quid minus caſtum remaſſent, concuſſæ domus terribili motu, viſiſque ingentibus ita exterritos, ut horrerent toti. Contra verò nonnullis bonæ mentis ibidem pernoctantibus contigit, abrumpi derepente ſomnos, infundique nunc inſuetas alioqui de rebus divinis cogitationes, nunc eorum quæ forte peccaſſent deteſtationem, affectuſque ſuaviſſimos ignoræ ſibi antea pietatis. Diceres ipſis parietibus affuſum aliquem ſenſum, ſeu velis eum eximiæ caſtitatis, ſeu etiam numeris omnibus abſolutæ ſanctitatis.

Quæ cubiculo S. IGNATII appreſſa quodammodo puritas: eadem deinde ſpeluncæ Manreſanæ, in qua prima pietatis tyrocinia poſuit. Hanc aliquando ſubingreſſi juvenes octo impudici cum ejuſdem farinæ ſcorto, rati opportunum eſſe ſuæ turpitudini locum, utpote arbitris vacuum: ſed qui cubiculum, ubi primos novæ vitæ ſatus hauſerat, non eſt paſſus fœdari probroſis flagitiis: idem & ſpeluncam frequenti Virginis ſpecie, & ſancta in corpus proprium crudelitate dicatam, ab ejuſmodi ſpurcitia immunem ſervavit: dum enim facinus attentant juvenes ſcelerati, ecce cadaverum inſtar ſtupere membra, atque emori ſentiunt; horrore inſuper, nulla ex cauſa, repente coorto, extra ſpecum impuri canes exturbantur: adeo IGNATIO, etiam poſt fata, etiam cœlis addito, cordi fuit illibata caſtitas: adeo in odiis omnis omnino ſpurcitia. Bartoli ſupra n. 22. in fine.

Sed de his in præſentia ſatis: Venio ad aliud Virtutis ſymbolum, quod nobis reliquit Servator Optimus, cùm reliquit monitum illud: *Sint lumbi veſtri præcincti.*

CINGVLVM DATVR VIATORIBVS ac Peregrinis in ſignum Animi abſtracti ab omni terrenorum affectu.

QUiſquis in hac mortali vita, ceu via, peregrinus eſt ac viator, jubetur is etiam cœleſti Oraculo lumbos accingere, ne fortè veſtis ad pedes temerè defluens progredi volenti impedimento ſit. Cingulum.

Teſtes erunt Iſraëlitæ, quos cùm ex Ægypti ſolo educere, atque in terram Promiſſionis inducere vellet Dominus, ſic ad illos:

Renes

Viatori neceſſarium.

Renes veſtros accingetis. Quod illis pro tranſitu feliciore in terram melle ac lacte manantem; hoc nobis pro feliciſſimo è terris exitu viáque ad Empyrei Cœli Regiam, quæ ſanè eſt quàm longiſſima: Nam ex P. Clavii Aſtrologi periſſimi calculo, Cœlum Empyreum diſtat à terra pluſquam ducentis millionibus milliarium: ex qua diſtantia conſequens eſt illud, ut ſi quis quotidie per centum milliaria recto itinere ſurſum aſcenderet, necdum poſt ducentos annos ad Empyreum perveniret.

Benè habet, quod ad illud non ſit eundum greſſu corporis; ſed animi, ſed amoris, qui humanæ menti eſt quod pes corpori.

Etiam omnibus hominibus.

Ut porrò in illud ex hac vita, ceu peregrinatione, excedat homo, neceſſum eſt ut lumbos accingat: hoc eſt affectus ſuos aſtringat primùm baltheo caſtitatis, deinde etiam Cingulo Viatoris.

De hoc & illo extat Dei præceptum, de quo ſic elatè D. Chryſologus:

Serm. 24.

Lumbos noſtros aſtringi jubet baltheo caſtitatis, & totum carnis noſtræ pendulum, fluidum, reſolutum conſtringi mandat continua zona virtutis, ut carne ſuccincta ad Domini occurſum liber, velox, expeditus noſtræ mentis reddatur inceſſus

Quod ſit illud?

Rectè, inquit, *continua zona virtutis.* Sed quænam illa? Paucis edico. Eſt animi amoriſque à terrenis omnibus abſtractio, qualis etiam eſſe ſolet in viatore ac peregrino, qui ad patriam leviore greſſu pergit ac feſtinat.

Illi de via occurrunt agri albeſcentes à meſſe & multa ſegete divites.

Occurrunt & viridaria herbeſcente viriditate perquàm amœna; nec tamen in his & illis moratur: Et hoc quia viator eſt ac peregrinus, qui aliò cogitat.

Incurrunt & Urbes nominatæ à turribus, & vallo formidabiles, à populo frequentes, à mercimoniis celebres, à palatiis atque ædium ſtructura ſpectabiles; ſed neque in his degit, niſi fortè ad unam noctem. Et hoc etiam quia Viator eſt ac peregrinus, cujus animus patriam ſpectat.

Quod illi, hoc & cuique mortalium in hac vita, (ceu via) in Cœlum (ceu patriam) tendenti. Nihil illum hîc moratur, nihil retinet, imò nihil allicit; quia illi Cœlum in oculis eſt, in amoribus primiſque curis. Hinc animum à terrenis omnibus abſtrahit abducitque.

Abſtractio à terra.

Et hæc abſtractio abductióque mentis, eſt *zona virtutis*, de qua Præſul Ravennas. De qua & Chriſtus cùm lumbos jubet præcingere, hoc eſt affectus omnes à terra abſtrahere: quod ut Sanctis omnibus commune: ita & Confeſſoribus ſingulare.

S. Macarius de quibuſvis Dei ſervis hæc dicere ſolebat:

Hom. 41.

In unum ſpiritum & in unum temperamentum evadunt anima & Dominus, atque corpus ejus in terram projicitur.

Quia ſcilicet ſancti Dei homines ſic corpus abjiciunt ac ſi ad eos nihil attineret.

Et hæc eſt ἀναχωρὴ Iſidoro Peluſiotæ laudata; ſeceſſio, inquam, & avulſio Sanctorum à materia & terrenis omnibus, ipſoque etiam propriò corpore.

Inde conſtituuntur ἄγεοι ſive abſque terra & materia; ut de Intelligentiis philoſophatur Theodoretus.

Ita conſtitutus olim D. Paulus Apoſtolus, de quo illud magnificè D. Chryſoſtomus illius amator.

Talis D. Paulus.

Paulus erat *nuda propemodum anima.* Credidiſſes corpus ceu veſtimentum aliquod exuiſſe, & duntaxat ſervaſſe nudam animam, nudam inquam à terrenis omnibus.

Talis S. Ignatius fuit.

Ità etiam conſtitutus S. IGNATIUS, qui licèt adhuc mortalis in carne viveret; non in carne, ſed in ſpiritu vivebat: quod aliis atque aliis argumentis liquidò probari poteſt.

Primùm enim ex quo DEO ſe addixit, impensè ſibi ſordere terram, & quæ in terra ſunt univerſa ſæpè eſt conteſtatus.

Appello liberas illas voces, quas in exceſſu mentis & orationis æſtu auditus eſt jactaſſe. Primũ illius Argumentum.

Quàm mihi ſordet terra cùm cœlum aſpicio: Sordebat enimverò terra, quia cœlum ſapiebat: Sordebat omnis creatura, quia Creator unus ſapiebat.

Hinc etiam & iſtæ voces teſtes abſtracti à terrenis animi, imò ad cœleſtia abducti, & ad DEUM unum converſi:

Quid mihi eſt in Cœlo, & à te quid volui ſuper terram? Magna illa mens & intelligentia ſpectabat quid in Cœlo, quid in Sole, Luna & Aſtris omnibus, quid in ipſa Empyrei ſede DEI ter Opt. ter Max. Regia: & in his nihil agnoſcebat, ubi animus conquieſceret.

Oculos deinde demittebat in terras, & hunc Orbem aſpectabilem, Urbes, Provincias, Regna, Imperia, & quidquid in eis magnum auguſtumque eſſet, deſpiciebat: & nihil in his reperire poterat, quod affectum ſiſteret, quod cor ulla ratione diſtineret, quod oblectaret; multò minus quod impleret.

Nimirum DEI capacem animum quidquid DEO minus eſt non implebit.

Et hoc primum argumentum illius avulſionis à terrenis omnibus: Addo & alterum.

Quemvis hominem ſecundùm proprium corpus, nihil magis afficit, quàm cognatus ſanguis, quàm propinquitate juncti: & ab his quoque penitus abſtractus fuit IGNATIUS. Sic enim à conſanguineorum cura negotiiſque aberat quaſi eſſet ſine patre, ſine matre, ſine genealogia, ut alter Melchiſedech; quaſi mundo mortuus & omnibus quæ mundi ſunt, & nihil ad eum attineret quod ad carnem & ſanguinem attinebat. II. Argumentum.

Argumento ſit illud, quod cùm ejus fratris neptem Loiolæ familiæ hæredem multi nobiles & locupletes viri cuperent uxorem ducere, magni Principes, & alii longè clariſſimi per litteras rogarunt IGNATIUM authoritatem ſuam interponeret ipſe, & ad ſuos ſcriberet: Nunquam induci potuit ut id faceret; ſed omnibus ita reſpondit, ut diceret matrimonium illud ſua nihil intereſſe: ſe jam tot ante annos ſæculo mortuum, curia illius omnibus nuntium remiſiſſe, nec eſſe æquum ut repeteret quod pridem owſerat. Vit. lib. 5. c. 5.

Hæc aliáque S. IGNATIUS ab omni parentum ac propinquorum affectu alienus atque abſtractus, cujus indicio eſt etiam aliud.

Abierant anni complures, ex quo è patria nihil litterarum acceperat, cùm ecce inopinatò ad domus Profeſſæ janitorem defertur faſciculus IGNATIO Societatis JESU Generali inſcriptus, quo amicorum epiſtolæ complures claudebantur: hîc exultare, hîc propè triumphare bonus frater, & ad Patris optimi cubiculum celer accurrere ac ferè advolare; ratus fore ſe longè grariſſimum, ut qui nova deferret è patria & nobiliſſima Loiolæ domo: ubi porrò in cubiculum admiſſus eſt, tum ſic ad IGNATIUM: Ecce mi Pater è patria tuæ litteræ: tum faſciculum in illius manus reſignat, quem, ut erat clauſus & probè obſignatus, in ignem, qui fortè ardebat, injecit; non ſine janitoris & aſtantium ſtupore, propè dixi etiam dolore. III Argumentum. Lib. 5. Vitæ c. 1.

Erit hîc fortaſſe unus aliquis, qui id cenſura graviore notabit, qui perperàm factum volet; qui reſignandas litteras ac legendas fuiſſe judicabit. Ecquid enim? An non in illis fortè aliquid alicujus etiam momenti quod vel ad ipſam Loiolæ familiam, vel etiam ad Societatem ſpectaret: vidiſſe ac legiſſe nocere nemini potuit, prodeſſe autem pluribus.

Quid igitur? IGNATIUM damnabimus? Minimè. Quod factum eſt, enimverò factum eſt quàm optimè,

Digitized by Google

optimè, interiore quodam Divini ſpiritus impulſu, qui magnas illas mentes abripit docetque etiam multa agere, quæ mirari poſſumus ac debemus; imitari nequaquam, niſi idem nos impellat cœleſtis Spiritus.

Voluit nimirum S. Pater in hoc poſteris exemplo eſſe ac documento, ut eſſent illi procul non à conſpectu tantùm & colloquiis amicorum; verùm etiam ab ipſo litterarum commercio, quo inter abſentes amicitia foveri ſolet, & ſæpè recrudeſcere ac reviviſcere nimius amor carnis & cognati ſanguinis, qui benè ſopitus erat atque extinctus.

Quot enim amicorum litteris ceu laqueis capti? Quot ab incœpto vitæ religioſæ inſtituto revocati? Quot vanis impliciti curis atque diſtracti?

Ut his malis etiam exemplo ſuo obviam iret IGNATIVS, allatas è patria litteras, nec reſignatas, nec lectas, flammis tradidit: Arſerunt illæ licèt innoxiæ; ne poſtea quis filiòrum ab aliis etiam noxiis arderet.

Et hoc in S. IGNATIO argumentum fuit animi à carne & ſanguine penitus abſtracti.

Addamus etiam alia: Duo ſunt quibus homines etiam ſubinde Deo ſacri capiuntur ut aves viſco; captique ita tenacitèr adhærent, ut vix ulla vi poſſint avelli. Ea ſunt *Ambitio* & *Avaritia*.

IV. Argumentum. Primùm igitur eſt malè ſana honoris ac dignitatum ſacrarum ambitio, qua elati etiam è pœnitentiæ pulvere, etiam è ſacro, & paupere Religionis ſinu, ad Inſulas evolare contendunt.

Contendunt, inquam, ad aliquem *gloriæ ſplendorem*, qui, ut ait D. Baſilius: *Facilè mutatur & evaneſcit.* Epiſt. 42.

Orat. 5. Ad *diarios & fugitivos honores*, ut pulchrè D. Gregorius Nyſſenus.

De merced. cond. Ad *ampullas inauratas*, ut eleganter Lucianus.

In Protrep. Ad *falſa ſomnia*, ut verè Clemens Alexandinus.

Contendunt, inquam, omnibus animi corporiſque nervis etiam Sacerdotes, etiam viri Religioſi: verum enim illud D. Cypriani oraculum:

De jejun. & tent. Chriſti. *Etiam in ſinu Sacerdotum ambitio dormit, ibi ſub umbra recubat, in ſecreto thalami ſe fraudulenter occultat.*

Et hinc ingens Eccleſiæ malum, & immanis quædam Religioſorum Ordinum ruina.

Primis illis Sæculis, id eſt Aureis, Eccleſia Παρθένος, id eſt Virgo nominabatur, quod nulla Eccleſiaſticorum hominum ambitio eam corrupiſſet, ut mihi author eſt Hegeſippus apud Euſebium: Lib. 4. hiſt. c. 21. At poſtea Virgo eſſe deſiit, ubi eam viri Eccleſiaſtici, imò & Religioſi inſana ſua ambitione quaſi proſtituerunt.

Ne porrò hæc Religioſæ familiæ peſtis etiam in ea, quam inſtituebat, Societate, locum inveniret, opportunè providit S. IGNATIVS.

Nec enim gloriam ſæculi & honores tantùm refugit ipſe; ſed etiam à ſuo cœtu quantis potuit repagulis arcuit, ubi quatuor votorum profeſſos (qui princeps Religioſi hujus corporis ſunt membrum) etiam expreſſo voto obligari voluit, non ſolùm ne dignitatem Eccleſiaſticam ambirent; ſed ne etiam ultrò oblatam admitterent, niſi coacti obedientiâ illius qui præcipere poteſt ſub pœna peccati.

Quod ut in aperto ſit, viſum eſt pauca hanc in Tit 6. D. 2. Decret. 70. rem deſumenda eſſe ex formula votorum ſimplicium, quæ Profeſſi emittunt juxta Conſtitutiones S. Patris, & quæ etiam extracta ſunt ex prima Congregatione Generali, & recognita à tertia; ut inde pateat quis & S. Fundatoris & ipſius Societatis univerſæ ſit ſenſus, & quàm alienus ab impura illa & bonorum temporalium & honorum cupiditate. Sunt autem illa hujuſmodi:

P. 6. c. 2. §. 1. *Ego N. Profeſſus Societatis IESV, promitto Deo Omnipotenti, coram ejus Virgine Matre & tota Curia Cœleſti, nunquam me acturum quacumque ratione, vel conſenſurum ut quæ ordinata ſunt circa paupertatem in Conſtitutionibus Societatis immutentur: niſi quando ex cauſa juſta rerum exigentiam videretur paupertas reſtringenda magis.*

Præterea promitto nunquam me acturum, vel prætenſurum, ne indirectè quidem, ut in aliquam prælationem, vel dignitatem in Societate eligar, vel promovear. P. 10. §. 6.

Promitto præterea nunquam me curaturum, prætenſurúmve extra Societatem prælationem aliquam, vel dignitatem; nec conſenſurum in mei electionem, quantum in me fuerit, niſi coactum Obedientiâ ejus qui mihi præcipere poteſt ſub pœna peccati. Ibidem.

Tum, ſi quem ſciam aliquid prædictorum duorum curare vel prætendere, promitto illum remq́; totam me manifeſtaturum Societati, vel Præpoſito ejus. Ibidem.

Et hi ſunt obices, quos S. Pater cenſuit opponendos, ne in ſuam quoque familiam, uti in alias, aliquando irreperet religioſæ humilitatis inimica ambitio: quod factu facilè erat in ea qua vivimus naturæ corruptela, inditiſque ab ea gloriæ igniculis, à quibus (niſi caveris) accenditur animus atque inardeſcit; maximè verò cùm parta à ſingulari eruditione fama nomenque acceſſerit.

Venio ad ſecundum, quod eſt auri argentique Reg. 23. 24. 25. Sum. Conſt. pondus & nimia illius appetentia atque cupido, cui ſubinde ſeſe inclinant etiam elata capita. Ne autem etiam in Societate inclinarent aliquando: Primùm paupertatem à ſuis diligi voluit ut matrem; deinde etiam ſervari ut murum Religionis, tum victus, veſtitus ac lecti rationem ut pauperibus accommodatam; denique etiam ſuos omnes abſtinere à ſtipendiis miniſteriorum & omni quæſtu, etiam ſpecie pietatis, probè ſciens illud Clementis Alexandrini; *Præſtantiſſimas eſſe divitias paupertatem cupiditatum.* Lib. 2. Pæd. c. 3.

Et hæc paucis dicta ſint, ut conſtet illud, quod S. IGNATIVS fuerit *totus anima*; hoc eſt totus à materia & terrenis abſtractus, & cum D. Paulo, *Nuda propemodum anima.* Chryſoſt. epiſt. 2.

CINGVLVM DATVR MILITIBVS & Athletis in ſignum Fortitudinis.

Cingulum militare. MOs ille fuit Antiquis, ut qui in arenam deſcenderent, vel in campum pugnaturi, Cingulo arctiore lumbos ſuos aſtringerent, ut & fortiores eſſent ipſi, & fortiùs in hoſtem irent.

Cujus ratio hæc eſt è natura petita, quòd cùm lumbi toti ſint carnei, molles atque infirmi, Cingulo aſtringi debeant, quo firmiores ſint ac validiores.

Sic patiens Iobus & ſibi & aliis inſcripſit illud: Iobo. Cap. 30. *Accinge ſicut vir lumbos tuos*, ut nihil ſit quod fœminam oleat; ſed virum teſtentur & probent omnia poſtquam in arenam veneris. Ita venit Iobus, & quidem in tartareum hoſtem, quem ſtravit ac vicit.

Sic etiam David in Goliathum pugnaturus, & Davidi. carneam illam molem, ſeſe accinxit, & ſolo hoſtem inſtravit. Hinc mille Deo ac Superis grates, cùm ait: *Præcinxiſti me virtute ad bellum.* Pſal. 17.

Sic invicti illi Gedeonis milites in Madianitas Gedeoni. facto agmine proceſſêre ſuccincti omnes, & tenentes lampades, hoc eſt faces in lagenis accenſas, Lib. Iud. quas cùm inter ſe comploſiſſent, emicante derepentè flamma perculerunt, atque in fugam egerunt, imò & in mutuam cædem. Tantum intereſt, ut in pugnæ locum accinctus deſcendas.

Ita ſanctos Confeſſores deſcendere voluit Salvator dum ſic ad illos: *Sint lumbi veſtri præcincti.* Confeſſoribus. Luc. c. 12.

Et ita deſcendit S. IGNATIVS invictus Chriſti S. Ignatio. pugil, & Chriſtiana in palæſtra novus miles, accinctus & ipſe fortitudine & robore militari: Quod paucis probare eſt animus, ſi tamen priùs dixero. Symbolum Fortitudinis.

Quid ſit Fortitudo, & quæ ejus partes?

Lib. 2. de invent. Romano oratori, *Fortitudo eſt conſiderata periculorum ſuſceptio, & laborum perpeſſio.*

Quæ ſit illa? Et hæc definitio: in qua duæ partes. Una eſt *Periculorum ſuſceptio*, quæ docet agendum eſſe fortiter: Altera, *Laborum perpeſſio*, quæ ſuſtinendum patienter oſtendit.

Hinc verſatur Fortitudo circa *Metum & Audaciam*, duas animi affectiones, quas pulchrè regit ac moderatur. *Quæ ejus partes?* *Metum* quidem, ne ſcilicet objectu immanium periculorum ac difficultatum voluntas abducatur à bono & felicitate. *Audaciam* verò, ne inconſideratè, temerè, & ſine cauſa ſe periculis offerat: quo nihil poteſt eſſe ſtultius.

Et hoc magni animi decus, hæc fortitudo in S. *I. Pars, In ſuſtinendo.* IGNATIO enituit quàm maximè, & omnes illius partes, è quibus hæc prima & potiſſima, *ſuſtinere.* In tolerando enim glorioſa & ſui & aliorum etiam victoria; quæ quia varia eſt, ut etiam & varia pugna,

Primo apetiam quid & quantū à ſeipſo paſſus ſit.

Deinde quid ab aliis, ſeu eos eſſe voles ſui generis, id eſt homines de eo perperàm ſentientes; ſeu etiam ex ipſis infens infeſtos cacodæmones.

Inter Sanctos DEI electos, & homines de trivio (id eſt mundanos) hoc intereſt: quòd hi corpus ſuum ut Dominum habeant & colant; illi verò tractent ut ſervùm, ut mancipium, imò ut aſellum: & hoc, ut animo ceu Domino ſubeſſe ac parere diſcat.

1. Cor. 9. Sic Apoſtolus ſe corpus aiebat *Caſtigare atque in ſervitutem redigere*; quaſi loqueretur de mancipio in piſtrino collocato, quod fame enectum, verberibus lividum, & omni ratione domitum eſt.

Ut hanc implevit Ignatius. Quod Apoſtolus & dixit & re etiam ipſa fecit, hoc & S. IGNATIUS. Ut novæ militiæ tyrocinia poneret, citato equo venit in montem Serratum, & animo priùs per ſacram Exomologeſim purga-*Anno 1522.* to, gladium pugionemq́ue, quibus mundo meruerat, ante Aram Beatiſſimæ Matris Dei appendi juſſit: tum pridiè ejus diei, qui Verbo olim Incarnato ſacer eſt, ſub noctis tenebras quàm occultiſſimè potuit, mendicum pannoſumq́ue hominem adiit, ſuas veſtes ſibi detractas dono dedit; ipſe *I. Veſtitu paupere.* autem aptato illius veſtimento indutus ad ſacram Divæ Matris Aram conſtitit, & ibi quaſi novis contra diabolum armis accinctus in militari ſtatione ac vigilia totā noctem inſomnem exegit, ſeipſe ſolemni Sacramēto illius ac Filii obſequiis ac militiæ addicēs.

Et hæc prima, ut ita dicam, in corpus ſævities, perennis vigilia: tum acceſſit altera; extrema ſcilicet pauperies. *Ribad l. 1. vit. c. 5.* Serrato enim Manreſam venit vili tegumento ex tela tectus, baculo armatus, fune præcinctus, nudo capite, & pede altero (nam alterum adhuc ex recenti vulnere infirmum convolutum habebat.)

II. Corporis maceratione. Eo habitu in campum proceſſit novus Chriſti miles; eo corpuſculum texit, quod illi pro mancipio, imò & pro aſello: ter enim ſe diebus ſingulis acriter verberabat, ſeptē horas in oratione fixis humi genibus ponebat, idq́ue magno ſtudio ac cōtentione.

Cogebat quotidiè ſtipem; aqua & pane vitam tolerabat, carnibus vinóque ſemper abſtinens, omnibus diebus, præterquam Dominicis, jejunans; humi cubitans; noctis maximam partem vigilans: tum impensè corpus ſuum in ſervitutem redigens, ut quidquid oblectationem ullam corpori poſſet afferre, ſtudioſè refugeret.

Iſraëlitæ quondam in Ægypti ſervitute, duriſq́ue, quibus exercebantur, laboribus, conqueſti quòd imponerentur lateres, & non darentur paleæ: & de IGNATIO queri potuit corpuſculum, quòd etiam jumento gravius haberetur, quòd imponerentur lateres (duri ſcilicet ac continui labores) & non darentur paleæ; vix ſuppeteret victus illi ſuſtinendo.

Verùm incaſſum jactantur iſtæ querelæ: ſtat IGNATIO fixum illud firmúmque, corpus affligere atque edomare; ſtat gravia Ducis ſui Chriſti Domini amore perpeti. Et hæc prima laus Fortitudinis, etiam à ſeipſo pati.

Sed longè majora ab aliis. Poſt difficilem illam & laborioſam ad loca ſancta peregrinationem, poſt exantlatos in ſtudiis ea in ætate labores, Complutum venit, ad Hoſpitalem pauperum domum divertit, oſtiatim de more panem in victum emendicans: Quod dum facit, à Sacerdote quodam irri-*III. Injuriarum perpeſſione.* detur, & ab aliis etiam otioſis hominibus præteriens contumeliis afficitur, ſumma ſemper patientia, & animi æquitate: qua dum altiora Dei ſui cauſâ molitur; tum domi & privatim piis colloquiis; tum foris & in compitis ac plateis, rudes ac pauperculos ad vitam piè inſtituendam cœpit adhortari; tum etiam tres ſibi ſocios ejuſdem Inſtituti ſectatores aſciſcere.

Hìc commoveri univerſa Civitas, hìc magnus ad IGNATIUM concurſus, hìc magna vitæ ac morum in melius inclinatio.

Eam porrò invidit, nec tulit malus dæmon, nec ipſi inferi tulêre.

Alexandro Magno, qui Perſas vicit ac Medos, *Machab. l. 1. c. 1.* qui *Reges terræ interfecit, qui pertranſiit uſque ad fines terræ, qui accepit ſpolia multitudinis Gentium*, illud ſacræ Paginæ adjecerunt velut epiphonema:

Et ſiluit terra in conſpectu ejus: quaſi attonita ſtupore quodam aut bellicæ virtutis in Alexandro, aut felicitatis illius in vincendo. Et hoc magnum videri & eſſe potuit: At majus quoddam in IGNATIO, qui cùm primùm & novam militiam, & pugnam cum Mundo, Carne, Dæmone, vel tantùm meditari cœpiſſet: *Commota eſt terra in conſpectu ejus.*

Juvat illius meminiſſe temporis. Nocte intempeſta cùm ad orationem è cubili ſurrexiſſet IG-*Lib. 1. c. 2.* NATIUS, & ſe primùm Virgini Matri, dein per eam & Filio; ceu Imperatori ſuo, devoviſſet; ſanctè ſpondens illud, & à Mundi caſtris abiturum ſe, & ad Chriſti ſigna tranſiturum: *Ecce tibi terræ motu derepentè facto domus tota contremeſcit, fragor ingens exauditur; & cubiculum, ubi IGNATIUS erat, à fundamentis concutitur.*

Nempè Dæmon ab IGNATIO vincendus aliquando, imò & *jam victus, frendens ac fremens non obſcura dabat diritatis atque indignationis ſuæ ſigna*, ut hic annotat ſcriptor vitæ Ribadeneira.

Dedit enimverò tum temporis in paternâ S. IGNATII domo: dabit & Compluti, dabit & Salmanticæ, dabit & aliis in locis: ubicumque ſcilicet novus ille Chriſti pugil, & ſacratioris militiæ Dux IGNATIUS, argumenta dederit vel in DEUM amoris, vel in proximum caritatis; tum enim omnia ſurſque déque movebit invidus Dæmon.

Ita movit Compluti, ubi primùm in ejus vitam, *Lib. 1. c. 4.* mores ac doctrinam examen inſtituerit Fidei Inquiſitores, ubi deinde etiam apparitor in carcerem vo-*IV. Carceris & vinculorū.* cabit, & ad dies duos ſupra quadraginta (licèt innocentem, imò nec conſcium impoſiti ſibi criminis) detinebit.

Laborarunt hìc quidem illuſtres viri ac fœminæ, quibus apprimè nota IGNATII innocentia, quas inter etiam Leonora Maſcarena poſtea Philippi Hiſpaniarum Regis moderatrix: Laborarunt, inquam, ut eum è carcere illicò liberarent: ſed vetuit ille; quòd carcer, & vincula gratiora eſſent omni libertate, quòd dulce & decorum duceret pro virtute, pro DEO pati.

Quod Compluti, hoc deinde Salmanticæ; nam *Lib. 1. c. 15.* & hìc quoque Vicarii apparitor IGNATIUM unà cum ſocio detruſit in carcerem malè materiatum, pervetuſtum, repletum ſordibus, fœtore tetrum; atque eadem catena duodecim tredecimvé palmo-

rum longitudine altero utrimque pede ita colligavit atque conſtrinxit, ut alter alteri ſemper adeſſe cogeretur. Et hoc eò tantùm quòd IGNATIVS, ea qua pollebat ſacratioris eloquentiæ vi & ſanctæ converſationis exemplo, omnes ad ſe allieeret atque in alios mutaret.

Sed quid hîc IGNATIVS? Quid in vinculis? Quid in hac catena? Utique quod olim Gentium Apoſtolus.

Ad Epheſ. c. 1. v. 1. Hac ſcilicet gaudere, hac gloriari, hac auditoribus ſuis dicere quod ille: *Paulus vinctus Chriſti IESV pro vobis.* IGNATIVS vinctus Chriſti JESU pro vobis.

Hom. 10. ad Coloſſ. Hac etiam triumphare, hac coronari. De Pauli vinculis elatè & magnificè dixit illud D. Chryſoſtomus: *Eum coronabat catena.* Quod ego de S. IGNATIO: *Eum coronabat catena*, ut quæ illi eſſet pro ſummo in terris bono.

Maffeius l. 1. c. 17. Certè de ea ſic judicare, ſic loqui ſolebat ipſe: *Si quæ à Deo creata ſunt, omnia in una parte ſtateræ collocarentur: in altera verò carcer, catenæ, & cætera ejuſmodi; vix illa omnia præ iſtis momentum ullum apud ſe habitura.*

Adeò carcer & vincula illi erant in pretio atque amoribus.

Cap. 3. Mitto alia, quæ aliis in locis eſt paſſus; ut Pariſiis, ubi virgarum periculo & infamiæ expoſitus, vel eò tantum, quòd juventutem à mundi illecebris ad ejus contemptum traduceret: *Cap. 6.* Ut Venetiis, ubi etiam traductus & accuſatus: *Cap. 14.* Ut etiam Romæ urbium principe & Orbis capite, ubi ſumma in eum & ſocios tempeſtas excitata.

Diceres IGNATIVM ubique manere perſecutiones, tribulationes, cruces, propter quas æquo ſemper, ac libenti animo tolcratas S. IGNATIVS mox à ſuo obitu, à Patribus Congregationis S. Pauli, in epiſtola ad ſocios data (præter alia decora, quibus honeſtatur) appellatus eſt *Martyr in otio.* Quo ipſo nomine S. Cyrillus ab Alipio Epiſcopo donatus eſt, ob graviſſimas hoſtium fidei inſectationes, quibus non abſimiles paſſus eſt IGNATIVS, quem ubique exercuere perſecutiones, & cruces. Has nimirum & alias illi portenderat objecta in Romano itinere viſio.

Lib. 2. c. 11. Ibat Romam ſociis omninò duobus Fabro & Laino comitatus: hiſce non nihil interquieſcentibus, ipſe in ædiculam ſacram haud procul à via tantiſper interea precaturus abſceſſit.

Hîc in ſummo orationis æſtu raptus à ſe, vidit: imò & audivit hinc Deum Patrem Deo Filio Crucem geſtanti IGNATIVM & ſocios commendantem; inde verò ipſum Dei Filium ſpondentem ſibi ſociiſque omne præſidium, additis expreſſiſque verbis hiſce ſuaviſſimis: *Ego vobis Romæ propitius ero.*

Ab illo mentis exceſſu, poſtquam ſibi & ſociis redditus eſt IGNATIVS, rem totam illis aperuit, adjiciens etiam illud: Quid nobis Romæ futurum ſit ignoro, in Crucem nos Deus, an in rotam agi velit: hoc tamen mihi compertum eſt, JESVM-CHRISTVM nobis ſore propitium.

Hîc ego paucis quæri velim cur amabilis JESUS, qui in eam cum Æterno Patre ſcenam venit, qui ſe IGNATIO ſpectandum dedit, dedit onuſtus cruce?

Aliàs, idque non ſemel, unà cum Virgine Matre viſendum objecerat ſeſe; ſed amœna pueri ſpecie multum amabilis: hîc autem horrenda, & gravi cruce admodum formidabilis. Quæ cauſa?

Si mortali fas eſt in Dei Chriſtique arcana penetrare, non alia crediderim, niſi ut IGNATIO & ſociis laborea, ſudores, cruces, & mille mortes portenderet; & in his omnibus inſignem patientiam, invictumque robur: quod quia altè in animum admiſit IGNATIVS, hinc nihil antiquius habuit, quàm Dei ſui cauſa amoreque & multa & gravia perpeti.

II Pars In aggrediendo. Et hæc in illo prima pars & laus fuit Fortitudinis, quæ ſcilicet eſt in patiendo: cui quoque acceſſit altera, quæ eſt in agendo & aggrediendo: è quibus.

Hoc primum, nec tamen poſtremum, quòd homo è nobiliſſima Loiolarum familia, in aula Regia à pueritia innutritus, militari gloriæ & pulveri aſſuetus, ætatis autem ſuæ annorum trium ac triginta Grammaticam inter pueros cœperit addiſcere: quod quàm arduum ſit, novit ille, qui quæ in iis ſtudiis tædia ſuperanda ſunt, noverit.

Ut etiam illam implevit Ignatius, Sed ea conſtanti ſemper animo ſuperavit IGNATIVS, vel eò tantùm quòd ad Dei gloriam amplificandam probè ſciret opus eſſe litterarum ſubſidio.

I. Studiorum contentione. Poſt exantlatos illos ſtudiorum labores ab ipſa Grammatica ad ipſum ſacræ Theologiæ verticem, aliud aggreſſus IGNATIVS non minus audacter, quàm feliciter. Socios ſibi adjunxit novem, omnes ferè ut locis atque nationibus, ita naturis ac linguis primiſque conſiliis diſſimiles: quos vitæ morumque ſimilitudine jungere quàm difficile arduumque fuerit, is facilè videbit, qui ſingulorum nomina, nationis cujuſque genium, & genii diſſimilitudinem ac pugnam attenderit.

Eum in finem tibi & hunc & illa ſub oculos ponam, amice Lector.

II. Sociorum delectu. Cùm nova Eccleſiæ auxilia contrahere laboraret IGNATIVS, ad ſocios ſibi adjungendos animum adjecit, juveneſque ſpectato ingenio omnes deſignavit: uſus ad hoc ſolerti cenſura & amabili comitate: quâ primum omnium nactus eſt Petrum Fabrum in Allobrogibus natum, virum poſtea ſuis virtutibus magnum: mox Franciſcum Xaverium gente Navarrum; inde Iacobum Lainem Seguntinum hunc in Europa, illum in India conſpicuum.

Tum deinde alii ſuper alios acceſsêre: Alphonſus Salmeron Toleto oriundus, Simon Rodericius è Luſitania, & Nicolaus Bobadilla Palentiâ profecti. Quos paulò poſt ſecuti tres alii, præclara ſanè priorum appendix: Claudius Iaius Allobrox, Ioannes Codurius Delphinas, Paſchaſius Broëttus Ambianenſis.

Horum in nova illa militia Dux atque Anteſignanus fuit IGNATIVS Loiola, genere nobilis, natione Cantaber.

Ecce prima Sociorum Decas quà ſanguine, quà gente diverſiſſimorum, etiam eo tempore collecta, quo Hiſpania Galliaque hoſtilibus odiis diſſidebant. Et tamen ipſi nihil inter ſe diſſidere: Ea nimirum inter illos vincula fuerunt animorum, quæ profectò nectere Ignatiani roboris ac fortitudinis fuit.

Et hæc de Sociorum delectu: Venio ad eorum in varias Orbis partes Miſſionem.

III. Sociorum Miſſione. Hunc enim, quantus is fuit, ſibi ſociiſque deſignavit IGNATIVS veluti campum aliquem, in quo pius eorum labor atque induſtria deſudaret: & ita quidem ut uno ferè eodémque tempore IGNATIVM habuerit Italia, Xaverium India & Japonia, Laïnium Gallia, Rodericium Luſitania, Fabrum Hiſpania, Jaium Germania, Paſchaſium & Salmeronem Hibernia, Codurium Velitræ, Bobadillam Inſula Ænana: omnes tanquam exploratores expeditos tam *ad bellandum* contra Divini nominis hoſtes, quàm *ad gradiendum* ad ultimos utriuſque Orbis fines. *Ioſue c. 14. v. 11.*

Hos nimirum ſpectabat altiſſimus IGNATII animus neſcius unius Regni aut regionis terminis contineri; ut qui ad nova Regna, novos Orbes, Deo, ceu Imperatori ſuo, ſubigendos natus eſſe videretur.

Sed longiùs quàm par ſit excedo: Romæ ſiſtere debui, & mente ac cogitatione pervidere, quid rerum ibi priùs egerit IGNATIVS; quod ſcilicet aliàs ſolet,

ſolet, ubique tonare, ubique per ſe, per ſuos fulminare; cùm enim ſub mediam Quadrageſimam eò veniſſet, primùm pane in diem quæſito victitare cœpit, dein propè ubique locorum aliis atque aliis linguis dicere de pulpito.

Ignatius quidem Hiſpanicè in templo Beatæ Mariæ Montis-Serrati, Faber in Divi Laurentii in Damaſo, Laines in Salvatoris ad Laurum, Salmeron in D. Luciæ, Claudius in D. Ludovici, Simon in D. Angeli ad Forum Piſcarium, Bobadilla in D. Celſi.

Mirabiles hinc Urbe tota animorum motus, & magna morum in melius inclinatio; in qua tamen non ſtetit Ignatius, certum enim erat altiora moliri, & (quod illi inter agenda princeps erat) novam Religionem Deo ac Maria Duce inſtituere.

IV. Societatis inſtitutione.

Res ſanè ardua, nec ab alio tentanda quàm ab Ignatio; cui ſcilicet uni eam Provinciam Socii demandatam eſſe, cenſuerunt.

Paulus III. tum Pontifex negotiorum turbis ſeſe nonnihil ſubduxerat, & Tiburtini receſſus amœnitate ac ſolitudine animam ac vires reparabat.

Hanc nactus opportunitatem Ignatius inſtituti ſui formulam per Cantarenum Cardinalem illi ſupplicirer offert.

Pontifex acceptam jubet à Thomâ Badia ſacri Palatii Magiſtro (qui deinde in Cardinalium numerum eſt adlectus) cognoſci.

Ab ea probatam ubi legit, accuratéque perpendit ipſe Pontifex, ſive illius admiratione captus, ſive Divino actus inſtinctu, *Digitus Dei eſt hic*, inquit.

Hoc oraculum Summi Pontif. veluti prima quædam approbatio videri potuit; alteram petiit Ignatius, qua ſcilicet etiam diplomate ſanciret atque confirmaret.

Tum Pontifex, ne quid præcipiti conſilio feciſſe videretur, tribus Cardinalibus negotium totum commiſit. Erat in illis Bartholomæus Guidiccionius, vir quidem pius, & humani Divinique Juris peritus in paucis; ſed à novis Religionibus ita alienus, ut ne antiquarum quidam ferret frequentiam.

Is igitur, cùm hoc præjudicium ad hanc cauſam attuliſſet, adverſarius magis quàm judex videri poterat: & re etiam ipſa is erat: Primò enim vix adduci potuit ut formulam Inſtituti legeret; dein etiam Collegas, in Ignatium parum propenſos, in ſuam quoque ſententiam facilè traxit.

V. Difficultatum occurrentium victoriâ.

Sic rem illam ſuo conſilio atque authoritate diſcuſſit, & tantùm non evertit; ſed non ſpem & animos Ignatii. Inſtat ille urgetque; inſtant & litteræ tum plurimarum Civitatum, tum Principum ad Cardinales & Pontificem. Incaſſùm cadunt omnia: at animo non cadit Ignatius, adverſis omnibus, imò & ſeipſo ſuperior: diceres illi repulſas ipſas ſtimulos addere, & ſpem nullam ſpei majoris cauſam eſſe.

Sic nimirum in altum tolluntur præcelſæ mentes, ubi dejiciuntur abjectæ; ſic certius ſibi Divinum pollicentur auxilium, ubi humana deſunt omnia.

Et certè cùm deeſſent, ad cœleſtia confugit, & Divinæ Majeſtati tria devovit ſacrorum millia, ſi voluntates humanas inflecteret ſuâ.

Et verò derepente inflexit: cùm enim Inſtitutum diligenter inſpexiſſent, non minore conſenſu illud approbarunt, quàm antè obſtinatione rejecerant.

Tantum potuit Ignatii in ſuſcipiendis negotiis conſtantia ac fortitudo: cui etiam debetur ea Societatis per univerſum Orbem propagatio.

De hac agens Marcellus II. Pont. Max. indultum aiebat Ignatio, ut inter omnes Ordinum Religioſorum Fundatores nemo unus omnium, dum viveret, tantam familiæ ſuæ, quantam ille, dilatationem viderit. *Imago primi ſec. l. 2. c. 3.*

Fuerunt aliæ fœcundæ quidem: ſed Fundatorum auſpiciis pleræque vix aliquot Regnorum fines, paucæ unam Orbis partem exceſſêre. At recens enata Ignatii Societas extremas terras, extrema pervagata maria, ubique ferè Gentium, non modò ſedes, ſed & Provincias habuit: Et quidem omninò duodecim; videlicet in Europa novem: Unam in Aſia, qua ſcilicet tota patet India, imò & Japonia: Unam item in Africa, quæ tum etiam Æthyopiam complectebatur: Poſtremam denique Braſilicam in America.

VI. Societatis Orbe toto diffuſione.

Sicque vivo adhuc ac ſpirante Ignatio quatuor Orbis partes eſt complexa condita ab illo Societas: magno ſanè incremento, felicitate majore, fortitudine maxima. Stetit enim ea propagatio labore multo, ſudore multo; ſtetit & ſanguine invicti pugilis P. Antonii Criminalis, qui primus ex hac minima JESU Societate vitam Religionis Deique ſui causâ profudit, in Braſiliam emiſſus ab ipſo S. Franciſco Xaverio Indiarum Apoſtolo. *Lib. 9 Vitæ S. Ign. c. 20.*

Stetit & ſanguine duorum Heroum, Petri Coreæ & Joannis Soſæ, qui ob Chriſtianæ Fidei defenſionem à Barbaris in eadem Braſilia fœdè trucidati. *Lib. 4. Vit. cap. 2.*

Stetit & Fundatoris ſui lacrymis, quæ D. Hilario dicuntur & ſunt *ſudor animæ* piè apud Deum *ingemiſcentis*. *Lib. 10. de Trinit.*

Ita nimirum filiorum ſuorum ſanguini lacrymas quoque ſuas & Animæ ſudorem miſcendum eſſe cenſuit Ignatius, certus pro Dei ſui cauſa agere, & pati omnia: quæ duæ ſunt partes Fortitudinis.

Tacitus prætereo labores alios atque alios, quos evicit ipſe dum alia atque alia molitus eſt: & quidem:

Primò, in Collegio Romano, velut Athenæo quodam, in quo ampliſſimos litterarum ludos Societati univerſæ aperuit.

Deinde in Collegio altero, quod Adoleſcentibus Germanis ad optimas diſciplinas formandis deſtinavit.

Tum etiam in alio quod S. Marthæ dicatum eſt, iis fœminis bonum, quas vel à viris divertentes libido traxerat, vel quæ ex corpore quæſtum facerent: quas omnes in illud velut aliquod caſtitatis aſylum traducere laborabat.

Denique & alio, quod S. Catharinæ Cœnobium appellari placuit, in quo ſcilicet Virginum caſtitas in tuto poneretur.

Et hæc aliaque quamplurima aggreſſus Ignatius etiam in quotidianis curis ac domeſticis laboribus, quos ei impoſitum ab ineunte Societate Generalis onus afferebat, quibus ſic vacabat, ut ab aliis omnibus expeditum credidiſſes; & nihilominus ſic etiam illis, ut ab his quoque liberum exiſtimaſſes.

Nimirum & his & illis pares humeros dederat invicta animi fortitudo, cui nihil aggreſſu difficile, nihil adynaton.

Et hæc paucis dicta ſint ex eo *Symbolo*, quod Oraculo primæ Veritatis, & Eccleſiæ præceptione, offerri ſolet inter ipſa Miſſarum ſolemnia; *Cingulo* ſcilicet, quo ſacros Confeſſores accingi voluit, vel ut Virgines & caſtos in paucis; vel ut peregrinos ac viatores; vel etiam ut milites & Chriſtiana in paleſtra Duces fortiſſimos.

QUÆSTIO SECUNDA
MORALIS.
Ad illa verba: *Et lucernæ ardentes in manibus veſtris.* Lucæ cap. 12. v. 35.

QVID ILLÆ LVCERNÆ? CVR ARDENTES? Et cur in manibus?

Lucerna quæ?

SYMBOLVM aliud proponit Magiſtee optimus: Lucernas ſcilicet easque accenſas, quibus opus ſit in hac vita, ceu nocte quadam, ad ineundum iter Æternitatis, ad eundum obviam cœleſti Sponſo.

Sed quæ inquies illæ Lucernæ?

I. Ratio.

Theophilacto, *Lucerna* eſt ipſa *Rationis lux*, cuique noſtrûm indita ab Authore naturæ; de qua illud Vatis Regii: *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.* Hæc pedibus noſtris, id eſt affectibus, eſt pro lucerna; hæc voluntatem quæ cæca eſt, regit, eſtque illi quod Dux cæco.

II. Fides.

S. Auguſtino, *Lucerna* eſt ipſa *Fides*: de qua ſic olim Vates: *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Hæc accenſa ſit & ardens igne caritatis; nec enim ad Agni nuptias, ad Cœli adyta ducere poteſt lux Fidei ſine ardore caritatis.

III. Oratio, dilectio.

S. Maximo, *Lucernæ ardentes*, ſunt *Oratio, Contemplatio, & ſpiritalis dilectio.*

IV. Fulgor boni operis.

S. Gregorio Pont. Max. *Lucerna* eſt *Lumen veritatis in operatione*, vel ut ait Celeſtinus: *Fulgor boni operis.*

At cur *in Manibus?* Nempè quaſi jam accincti ad iter, quaſi in procinctu. Ex quo manavit apud Fideles pius ille mos, ut in extremo agone detur moribundo in manus accenſus cereus, isque benedictus, quo teſtetur ſe ardenti Fide inire viam Æternitatis ut cœleſti occurrat Sponſo.

Et hæc paucis attigi ut propoſitæ quæſtioni facerem ſatis: ſed ab hac in aliam devolvor. Cur ſcilicet Eccleſia, ipſo ſancti Confeſſoris feſto, ceu nuptiali die, lucernas oſtentat, easque accenſas, & quidem in manibus.

V. Confeſſores.

An confeſſores Lucernæ? Enimverò *Lucernæ* ſunt. In iis enim eſt quod in lucernis, *Lux & Ardor.* Lux, quæ tenebras diſſipet, ſeu eas ignorantiæ eſſe velis, ſeu etiam erroris: *Ardor* autem, qui frigida mortalium corda meliore igne, id eſt cœleſti, ſuccendat. Et hoc quidem quia ea lucerna, ea lux, is ardor in manibus eſt, hoc eſt in operibus; non autem in ventoſa lingua.

Ioan c. 5. v. 35.

Quod ſi vel ipſo Chriſto judice, vel Eccleſia interprete, Confeſſores Lucernæ ſint: & *Lucerna* erit IGNATIVS; & quidem *ardens & lucens*: quod ut oſtendam aliquo tamen rerum narrandarum ordine; Primò ſub oculos ponam, quæ in illo lux à ratione & prudentia; tum etiam quæ à Fide atque oratione; tum quæ ab ipſa Regula; tum quæ in animo ab objectu cœleſtium viſionum; tum etiam quæ corpori; denique quis ardor à Charitate, ſive ea ad Deum aſcendat, ſive ad proximos deſcendat. Sit itaque

S. IGNATIUS *LVCERNÀ LVCENS*
à Ratione & ſingulari Prudentia, à Fide firma, ab Oratione & rerum Divinarum Contemplatione, à Regula ac Conſtitutionibus.

S. Ignatius Lucerna lucens.

EX Interpretum ſenſu atque authoritate ſtatuimus illud: *Lucernam*, de qua hic, primò eſſe lumen Rationis ac Prudentiæ; deinde etiam Fidem; tum etiam Orationem.

Supereſt modò ut paucis oſtendamus ab his etiam animi ornamentis S. IGNATIVM Lucernam fuiſſe, & quidem lucentem illam.

I. A Ratione.

Primò à Ratione & in rebus agendis Prudentia: tam hac quàm illâ ſe regebat IGNATIVS: & quidem.

Ratione qua hominem à brutis diſtingui cùm diceret, illâ in omni vita tanquam duce uſus, nec ſe unquam, ex quo novum inſtituti genus aggreſſus eſt, aliquâ paſſione duci aut abripi paſſus eſt; adeò ſui Dominus, ut etiam expers paſſionum eſſe videretur.

II. A Prudentia.

Rationi comes adfuit Prudentia, vel ſi voles germana illius ſoror, quam Iamblichus Scholæ Dictator, *Oculum intellectualem* appellabat.

In Pſal. 13.

D. Chryſoſtomus, *Lucernam animæ, Reginam cogitationum, Magiſtram eorum quæ pulchra & honeſta ſunt.*

De Fortit. p. 169.

Philo autem altiore voce uſus, *Sidus inoculare*, quæ ſcilicet animum hominis velut oculo grandi ſplendidóque illuſtret atque exornet.

Et hæc illuſtravit ornavitque S. IGNATIVM, & ita quidem ut ea ferè principem locum inter illius virtutes tenuiſſe videatur.

Argumento erit illud quod aliquando dixiſſe fertur Clemens VIII. Pont. Max. cùm enim apud illum de IGNATIO ſermo incidiſſet, & hic illâ, alius aliâ virtute excelluiſſe diceret, addidit magnus Pontifex; & *Summâ Prudentiâ*, quaſi hæc ſummum in eo locum habuiſſet.

Et certè non habuiſſe infimum ſatis ſuperque probant tum res ab eo geſtæ, tum ſcriptæ regulæ, ac Conſtitutiones, ipſaque vivendi ratio ex certæ rationis regulâ & Prudentiæ legibus expreſſa, tum denique univerſæ Societatis regimen, quod tenuit ipſe per annos quàm plurimos magnâ ſemper prudentiæ laude ac commendatione.

2. Reg c. 21. v. 17.

Sed quia hæc, ſi ex rationis dictamine ſit, naturæ fines non excedit, pluribus ſuperſedeo, & pro coronide addo, dici poſſe de S. IGNATIO quod olim de Davide, qui ob rarum animi lumen, exquiſitamque Prudentiam, audiit *Lucerna Iſraël.* Et *Lucerna* Societatis erit IGNATIVS. Etſi enim princeps *Lucerna* ſit *Agnus*, ſit JESUS ipſe: At ſecundùm illum eſt IGNATIVS, cui etiam Dei beneficio ſingulari, præcipua quæque Fidei capita oculis animi ſunt objecta.

Apoc. c. 21.

III. A Fide.

Primùm enim magna cum ſpiritus claritate propoſitus ei modus, quo mundum condidit Univerſi Rector, quo eundem conſervat ac gubernat per occultas mortalibus providentiæ ſuæ vias ac rationes.

Deinde ipſum myſterium SS. TRINITATIS oſtenſum eſt, illiusque menti altè impreſſum.

Tum etiam ipſa Sacro ſancta Chriſti Humanitas in Euchariſtia exhibita.

Tum denique alia Fidei myſteria: cùm enim die quadam Manteſâ exceſſiſſet, & in via ad flumen, quod leni lapſu fluebat, conſediſſet, aperti ſunt ei mentis oculi, ut quæ ad Religionis ac Fidei noſtræ arcana pertinerent, intelligeret.

Et

A

Digitized by Google

Et hæc mentis illuſtratio uſque adeò copioſa atque excellens fuit, ut nuſquam aliàs tota vita major: ex qua etiam id conſecutus eſt, quod (etſi nec ex Scripturæ fide, nec Eccleſiæ authoritate, nec Sanctorum Oraculis, imò nec aliis revelationibus ea myſteria credenda proponerentur) ſe tamen ex iis quæ in illo mentis exceſſu didicerat firmiſſimè iis ſemper adhæſurum ſanctè profiteretur. Tanta & tam firma in illo Fides.

L. 1 Vitæ c. 6.

Et hæc baſis fuit ac *fundamentum* ædificii ſpiritalis, hoc eſt magnarum virtutum, quas deinde in Cœlos uſque tollere debuit.

Hoc *Sacrificium*, quod ſancta illa mens offerre Deo voluit.

Hæc myſtica & ſpiritalis *Oblatio* illius fuit.

Hoc *Obſequium*, quod Deo, ceu Domino, reddere fidelis ſervus.

Ad Philip. c. 2. Ne mireris, amice Lector, quod S. IGNATII, fidem, appellem *Sacrificium*, *Oblationem*, *Obſequium*: ſi enim Apoſtolus Philippenſium fidem ſic appellandam cenſuit, quidni & ego S. IGNATII fidem iis titulis ſic exprimam, ſic honorem?

Fidem, inquam, quæ illi fuit quod ſponſæ *Annulus*.

B. Petro Damiano *Annulus*, Fidei ſymbolum eſt: imò ipſa Fides annulus eſt, cujus gemma Charitas.

Cap. 2. Hoc ſibi Sponſam facit cœleſtis Sponſus, qui hæc ad Sponſam, id eſt animam, Oſeæ voce: *Sponſabo te mihi in ſempiternum, & ſponſabo te mihi in Fide.*

Et ita ſibi deſponſavit IGNATIVM annulo Fidei, ſed cui (ut infrà oſtendam) pro gemma Charitas fuit.

Ab amœna illa Fidei luce, à qua S. IGNATIVS meritò audiit *Lucerna lucens*.

Venio ad Orationem, & arduam illam rerum divinarum Contemplationem; ab hac enim etiam mirum quantum Orbi illuxit.

A ſæculi vanitate ad Deum converſus, omnes contendit nervos ut cum Superis jugiter & familiariter converſaretur: utque hoc faceret in Oratione totus erat.

Primùm enim in horas ſingulas ſeſe colligebat, & à reliquis animum in Deum avocabat.

Deinde id faciebat eo niſu, ea contentione, quæ poteſt eſſe maxima.

Teſtes illæ lacrymæ, quas inter preces horarias
Lib. 3 Vitæ c. 1. effundebat ea vi atque ubertate, ut dum in iis continuò natarent oculi, eorum propè jacturam fecerit: & verò feciſſet omninò, niſi de Medicorum conſilio, ne valetudinem peſſundaret, obtinuiſſet à cœleſti Numine jus in lacrymas cùm laxandas tum coercendas nullo diſpendio ſanitatis.

Teſtis & illa corpuſculi debilitas ac morbi, quos non ſemel contraxit ex nimia in orando contentione. Certè Anno Domini milleſimo quingenteſimo quinquageſimo, quod ipſo die Natalis Domini duo Sacra continenter feciſſet, in extremum vitæ diſcrimen adductus eſt.

Teſtes & illæ voces exultantis animi, in ipſo Orationis æſtu ſæpiùs auditæ: *Quid ego Domine extra te volo, aut quid velim?*

Teſtes & illi exceſſus ac raptus animi etiam ex tenuiſſimis rebus (puta plantæ, frondis, floris, vermiculi) ex quorum conſideratione totus aſcendebat & rapiebatur in Authorem.

Fuit autem ille exceſſus, & raptus ille ejuſmodi, ut jam IGNATIVS *non agere*, ſed tantùm *pati* videretur.

Quod primus & ſummus eſt gradus Contemplationis, & abſolutiſſimæ Orationis faſtigium; ut Aſcetæ veteres tradiderunt.

Certè magnus ille ab Areopago Dionyſius Hierotheum ex eo commendat atque extollit quàm maximè, quòd, ut ait, *Divina pateretur.*

Et ita *Divina paſſus* eſt S. IGNATIVS: Divina, inquam, lumina in Intellectu, Divinoſque ardores in voluntate; à quibus etiam orantis facies lucere ac propè ardere ſæpiùs eſt viſa; & corpus ipſum in ſublime tolli; ut infrà exponemus.

Et ſanè quidni luceret qui per altiſſimam illam cœleſtium rerum Contemplationem ad Deum, ceu fontem luminis aſcendebat?

Quidni arderet, qui ad Deum, qui totus amor, totus ignis eſt, accedebat?

Ex hac porrò ſeu orantis luce, ſeu ardore acceſſum ingens deſiderium, quo æſtuabat, & unum illud optabat, diſſolvi & eſſe cum Chriſto; & ita quidem ut quoties de morte ſua cogitaret, ſibi à lacrymis præ lætitia temperare non poſſet.

Facit nimirum hoc Oratio ut orans cum Deo eſſe velit: utque etiam poſſit, Deo illum præparat ut ſponſam ſponſo. Et inde à Tertulliano dicitur, *Lib. 1. ad Uxorem, c. 4.*
Dos animæ.

Ut enim à dote Virgini paratur conjugium; ſic animæ ab oratione connubium ſpiritale cum Chriſto: quod quia in votis eſt atque amoribus, hinc, & rectè Iuvenalis:

Veniunt à dote ſagittæ.

Votorum ſagittæ, ſagittæ deſideriorum, ſagittæ caſti amoris, quibus dum vulneratur IGNATIVS, iterum in orationis exceſſu inclamat illud: *O Domine quid extra te volo, aut quid velim?*

Et hæc de luce S. IGNATII quæ illi acceſſit à Ratione, Prudentia, Fide, Oratione: Aliam ſpectemus, quæ illi erit à Regula quam & ſibi & ſuis conſcripſit; & quæ dici ex vero poteſt *fulgor boni operis*: Hoc enim præcipuum eſt opus S. IGNATII, opus illuſtre ac conſpicuum cœleſti luce, quod non eſt datum publico niſi priùs approbatum à SS. TRINITATE Divini luminis fonte.

Viris ſanctis uſitatum illud ac ſolemne, cùm aliquid moliuntur, vel à Cœlitibus, vel ipſo Numine lucem petere, atque approbationem. V. A ſua Regula.

Ita S. Leo Pont. Max. cùm Epiſtolam ſcripſiſſet ad Flavianum Epiſcopum contra hæreſim Eutichetis (quæ deinde lecta & probata in Concilio Chalcedunenſi) eam in altari Principis Apoſtolorum D. Petri depoſuit; & per dies omninò quadraginta jejuniis & orationibus id enixè petiit, ut ſi quid in ea emendandum foret, id emendaret Apoſtolus, ac deinde ſua manu ſubſcriberet. Poſtremum hoc, factum eſt etiam miraculo, nam & ſubſcripſit beatus Petrus.

Quod pro Epiſtola magnus Pontifex; hoc pro Regula ſua ac Conſtitutionibus fecit S. IGNATIVS: Ubi earum aliquam magno molimine excuderat, (etiam ſubinde per dies quadraginta fuſa ad Deum oratione) eam deponebat in Altari; utique ab eo inter ſacrificium approbandam.

Quod vel maximè molitus eſt abſolutis jam Conſtitutionibus: tum enim ut ad eas accederet lux Divina, cùm ad Aram faceret ipſe; eas ibi depoſuit, inſtititque ardentiſſimis votis, ut ſuo eas calculo probaret Æternum Numen.

Hæc inter à ſeipſo totus diſceſſit, abreptus extaſi altiore quàm aliàs unquam. In hac autem mentis oculis clarè perſpexit SS. TRINITATEM Regulas ac Conſtitutiones à ſe conſcriptas approbantem. Ut ſcilicet jam eſſent illæ & IGNATIO & Sociis pro lucerna, qua ſeipſos in nocte hujus ævi mortalis dirigerent, tum ad ineundam viam virtutis, & conſummatæ perfectionis; tum ad ipſam gloriam ac Beatitatem.

Et ita factum IGNATIO, qui cùm *nihil præciperet quod non impleſſet priùs* (ut annotat Orlandinus Hiſtoricus Societatis) eà Regulà viam ſibi aperuit ad Sanctitatem & Gloriam.

Eo horæ momento quo vivere deſiit D. Benedictus, viſa primùm ab ejus cellula via quædam cœleſti luce conſpicua; tum auditæ illæ voces: *Hac eſt via, qua dilectus Deo Benedictus aſcendit.*

Quod de ejus Regula dictum volunt illius Interpretes: Quibuſcum & ego de S. IGNATII Regula eodem jure pronuntiabo:

Hac eſt via, qua dilectus Deo Ignatius aſcendit.

Via, inquam, *Regula*; ſed altiore quodam ac cœleſti lumine conſpicua atque illuſtris, à qua & dici, & eſſe potuit S. IGNATIVS, *Lucerna lucens*; nec ab illa tantùm, ſed & vel maximè ab objectu cœleſtium imaginum; ut infrà videbimus.

S. IGNATIUS *LVCERNA LVCENS à cœleſti luce, & objectu Divinarum viſionum, à quibus illi inclaruit animus.*

Lucerna lucens.

Bollandus 15. Ian.

CUm & vitæ ſanctitate & miraculis celebrari cœpiſſet S. Virgo Ida: unus aliquis illius obſervantior explorare voluit, quid in ſecretum cubiculi rerum ageret: quod ut faceret, ſuſpenſo gradu propiùs ad illud acceſſit: orantem vidit flexis humi genibus, ſublatiſque in Cœlum manibus cœleſti quadam ac Divina luce circumfuſam: ſed mirum quantum copioſa illa: illuſtrabatur enim à triplici ſole, à quibus undique radii, lux undique, & undique fulgor; quo micare tota, quo lucere, quo fulgere, quo propè ardere Ida videbatur.

At qui Soles illi tres? Utique tres Perſonæ SS. TRINITATIS, quæ in Idam Virginem quodammodo illapſæ. Hinc lux aurea, cœleſtis, divina.

Lib. 1. vita c. 7.

Quod illi; hoc S. IGNATIO. Stabat ille fortè in gradibus ædis S. Dominici, & SS. TRINITATIS (cui mirè addictus erat) preces & vota de more reddebat, cùm repentè animus illius Divina luce

I.
A SS. Trinitatis oſtenſione.

collustratus ingenti cum gaudio SS. TRIADEM cœpit intueri, & quandam tantæ rei imaginem, quoad licuit, felicibus oculis uſurpare.

Quæ tum illi lux animo, quis etiam corpori fulgor affulſerit, is facilè viderit, qui viderit à tribus Solibus, hoc eſt à tribus SS. TRIADIS Perſonis, illuminari.

Ea porrò illuſtratio in ejus mente hoc ineffabile Myſterium ſic inſcripſit atque impreſſit, ut illo ipſo tempore, homo legendi ſcribendique tantùm ſciens; de eo librum ſcribere ſit aggreſtus ad ſtuporem & miraculum.

II.
Ab Eſſentiæ Divinæ viſione.

Et hoc illi datum adhuc mortali, ſingulari ſanè & raro privilegio, cui aliàs etiam illud, quòd ipſam Divinitatis (ut Theologi loquuntur) eſſentiam viderit: quod probari poteſt ex divinis tabulis, in quas diebus ſingulis referebat Cœli Deique in ſe beneficia: in his autem (Vir cætera demiſſiſſimè ſentiens de ſe) hoc reliquit diſertis verbis:

Imago primi Sæc. l. 3. c. 1. Ex Bidor.

Vidi ipſam Divinum eſſe, ipſammet Divinam eſſentiam.

Quod ne cuiquam mirum aut inſolens videatur, velim attendat quod docuere Theologi non infimæ notæ, id gratiæ & propè gloriæ datum eſſe Moyſi, ut Deum facie ad faciem videret: datum & D. Paulo in ſuo ad Paradiſum raptu; datum & D. Benedicto: Quod ſi illis, quidni & S. IGNATIO?

Scio objici poſſe effatum illud Apoſtoli, quod Deus *Lucem inhabitat inacceſſibilem, quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt.*

1. ad Timot. c. 6. v. 16.

At etiam ſcio, quod Deum nemo adhuc mortalis viderit; ſed nec etiam videre poſſit *de Lege*, & *via ordinaria, permanentur & ad modum habitus* (ut in Scholis jactari ſolet) verùm *ex potentia Dei abſoluta, per tranſennam, & ad modum actus tranſeuntis*: Quidni videri poſſit? Quod ſi poſſit, quidni & ſic aliquando viſus?

Sed iſta fuſiùs Theologi: ego hîc parciùs. Redeo ad S. IGNATIVM, & oculos reflecto ad ipſius lumina; ea derivantur à fonte luminum, ab ipſo igne Divini Spiritus.

III.
Ab igne S. Spiritus.

Cùm Regulam ſcriberet ipſe & Conſtitutiones, quibus univerſum Societatis corpus regeretur, in eum illapſus Spiritus ſanctus uti quondam in Apoſtolos; videlicet ignis ſpecie, qui ejus capiti diu inſedit. Ut tanti, & tam illuſtris beneficii memoria iret in poſteros, in ipſo cubiculo ſancti Patris (quod modo verſum eſt in ſacellum) ad cornu Evangelii viſitur tabella elegans, in cujus area litteris aureis inſcripta ſunt iſta:

Hic Spiritus Sanctus in linguis igneis in Ignatium illapſus.

Hanc ego tabellam vidi, & legi Anno 1655 cum in eodem ſacello Sacrum facerem, Romam è Belgio miſſus ad Congregationem Procuratorum. Ab eo porro Spiritu manarunt illa lumina, illi ardores, illa incendia, quibus lucebat, ardebatque IGNATIVS.

Bidorm. in Gloria S. Ign.

Illa etiam lux, illa imago vitæ longè perfectiſſimæ, quam videre eſt in ejus Regula, velut in ſpeculo, quod Divinæ lucis radios excepit, atque in ſeſe reflexit.

Erant illi radii, qui à Spiritu ſancto ceu *Dexteræ Dei digito* emanabant, facem quodammodo præferebant, & ſcribentis IGNATII manum regebant.

Bollandus 9. Ian.

De S. Filano in Scotia Abbate ſanctiſſimo illud memorant vitæ illius ſcriptores, quod nocte concubia viſus ſit à cæteris Monachis cœleſti quadam luce circumcinctus, & quod mirandum magis, denſiſſimis in tenebris ſiniſtra illius manus adinſtar facis luciſſimæ, dexteræ manui dum ſcriberet lumen præbebat.

Et hic indulgentis cœli favor fuit, cui non abſimilis ille, qui datus olim *B. Conrardo*, primum Abbate Villarienſi, dein Ciſtercienſi, & Clarevallenſi, denique S. Romanæ Eccleſiæ Cardinali, & Epiſcopo Portuenſi; de quo Guilielmus Abbas Villarienſis id poſteris teſtatum voluit; quod digiti manuum ejus, quorum ſcilicet ad conſecrationem ſingularis eſt uſus, ſic denſis in tenebris, profundáque nocte prælucerent, ut ad ſcriptionem, & ſacrorum librorum lectionem ſatis eſſe viderentur: crederes candelas fuiſſe, lucidáſve faces, non digitos carne, oſſibus, nerviſque compactos.

Henriquez lib. 1. Faſc. Ciſt. D. 26. c. 2.

Quod S. Filano ſiniſtra manus; quod B. Conrardo ipſi manuum digiti, hoc D. IGNATIO *Dei digitus*, id eſt Spiritus Sanctus: fuit illi pro lucerna, pro face, qua illuſtratus etiam in hujus vitæ nocte ac tenebris Regulam ſcriberet, manumque duceret ad exprimendos illos vitæ Religioſæ characteres, & ſanctioris Inſtituti nobiles typos, quos deinde accuratâ obſervantiâ ſuorum filiorum animis, ceu animatis tabulis, imprimeret.

IV.
Ab Æterno Patre.

Et hæc IGNATIO à Spiritu Sancto lux affulſit; nec minor antea ab *Æterno Patre*; utique *Patre Luminum*: & *à Filio*, qui *Deus eſt de Deo*, & *Lumen de Lumine.*

Hanc aperit nobilis illa oſtenſio, de qua ſuprà Cùm ſcilicet ædiculam ſacram ingreſſo ſe Deus Pater objecit, Chriſtuſque ipſe in humeris crucem geſtans effudit illas voces, plenas Divinæ lucis, plenas ſacri in IGNATIVM Socioſque ardoris.

Ego vobis Romæ propitius ero.

V.
A Filio.

Et hæc fuit amabilis ſcena, quam illi Cœlum aperuit, in qua hinc Pater Æternus, & inde Filius, & tam ab hoc quàm ab illo cœleſtia quædam lumina, quibus mirè inclaruit magna illa mens IGNATII.

Nec minus ab objecta deinde ejuſdem Chriſti Salvatoris in Euchariſtia imagine.

Bollandus 20. Ian.

S. Euthymius Abbas cùm ad Aram faceret, & Sacrum Domini Corpus populo de more diſtribueret, primùm vidit in eo officio ſibi comites Angelos; deinde quoſdam à Dominici Corporis ſumptione, velut Sole quodam illuminari; quoſdam verò mirum quantum oſcurari.

Ita

Ita nimirum ab Euchariſtia malis mentibus profunda nox triſtesque remanent tenebræ: bonis autem ab eadem alta lux, & amœna quædam, velut à Sole aſſurgit dies.

VI. A S. Euchariſtia. Et ita aſſurrexit IGNATIO: cùm enim in S. Dominici Cœnobio ſacris litaretur, ipſaque demum hoſtia manibus ut ſolet in ſublime ſuſtolleretur, claro mentis obtutu Chriſtum vidit ſub illo panis velo latitantem, & ab illo etiam exterioribus oculis cœleſte quoddam lumen hauſit. Crederes illi ab Euchariſtia novum affulſiſſe Solem, ſic ab illa radiabat ipſa facies, ſic fulgebat animus.

L. 1 Vita c. 7.

VII. A Virgine Matre. Ut autem ab illa: ſic & priùs à Virgine Matre. In ipſo primæ converſionis limine cùm ad ſectanda in poſterum cœleſtia raperetur IGNATIUS; neſcio quæ derepentè ejus animo triſtitiæ nubes incubuit orta ex metu vitæ quondam liberioris, & enata in ſe mala conſuetudine: ſed illam mox diſcuſſit objecta cœleſtis ſpecies.

Imago primi Sæc. l. 3 c. 1. Ipſa enim Virgo Mater conſpicuam ſeſe obtulit oranti, & quem habebat in complexu parvulum exhibuit veluti Solem alterum, qui ſua luce tenebras omnes evicit illicò atque diſſipavit, & clariſſimum quoddam pacato jam animo jubar intulit, quo deinceps in omni vita inclareſceret atque illuſtraretur.

Et hic cœleſtis Matris ac Filii favor non ſemel IGNATIO conceſſus; ſed ſæpiùs.

Fatetur enim Franciſcus Maria Cardinalis à Monte, in relatione coram Gregorio XV. Pont. Max. *Compertum eſſe ei plus tricies aut Chriſtum, aut Matrem ejus Virginem, inter precandum apparuiſſe.*

VIII. Ab Angelis lucis. Et hæc Cœli benignioris in IGNATIUM indulgentia fuit; ſed & alia quoque ab ipſis Cœlitibus, ab *Angelis lucis*.

Ne mireris, mi Lector, quod Angelos lucis appellem: ſunt enim & Angeli noctis ac tenebrarum, & hi ſubinde etiam Viris ſanctis ſeſe objiciunt ementita ſpecie boni Angeli, Angeli lucis.

Lib. 1. Vita c. 7. Ita ſeſe aliquando objecerunt etiam ipſimet IGNATIO. Cùm in hoſpitali domo ageret, oculis illius ſe obtulit clara luce pulchra quædam ſpecies, quæ ſerpentis formam aliquam præferre videbatur multis quaſi oculis reſplendens.

Et hoc viſum ſæpiſſimè ipſi ante oculos verſatum, nec tamen unquam cognitum unde, & ex quo, à quóve eſſet, bono, an malo genio: Non, inquam; illi cognitum niſi cùm die quadam ad crucem proſtratus orans jaceret: tum enim apertè cognovit ſub illa, ut videbatur amœna veſte lucis, latere infernum tenebrionem: qui ex eo tempore & Lutetiæ Pariſiorum, & Romæ ſæpiùs illi apparuit, non jam ampliùs luce coruſcus; ſed aſpectu deformis atque abjectus; ita ut baculo, quem manu geſtare ſolitus erat, facilè ab ſe abigeret.

Ibidem. ſuprà. Et hæ IGNATIO ab Angelo noctis ac tenebrarum ſtructæ non ſemel inſidiæ: at præſidium ab *Angelis lucis*, qui ſæpiùs ei ſeſe in conſpectum dederunt; maximè verò cùm Regulam ipſe & Conſtitutiones meditaretur ac ſcriberet: adfuerunt enim tum Angeli, qui nativa ſua ac cœleſti luce illi oculos & animum perſtrinxerunt; imò & aures ferire cœperunt, ac meliore, id eſt cœleſti muſica, recreare.

IX. A S. Petro Apoſtolo. Et hic à bonis Angelis favor, hæc & corpori & menti infuſa lumina, nec minora à D. Petro Apoſtolorum Principe.

Jacebat in paterna domo ex accepto vulnere propè depoſitus IGNATIUS, cùm adfuit illicò, & quidem vigilanti, Apoſtolus Petrus; certumque argumentum præſentis Apoſtoli tanquam Medici, reddita extemplò ſanitas fuit: Sanitas, inquam, corporis à lethali plaga; ſanitas animæ à luce gratiæ Divinioris, quæ exinde mirum quantum eſt aucta.

Sed hactenus datum eſt ſatis ſupernis illis, ſeu Divinorum è Cœlis, ſeu Angelorum, ſeu Magnæ Matris, ſeu Unigeniti Filii, ſeu etiam ipſius Supremi Numinis viſitationibus, & hauſtis inde luminibus: Demus aliud, quod in raptu datum eſt non ſine quodam Divinæ Providentiæ miraculo. Eſt illud ut in aliis Sanctis inauditum; ſic in hoc etiam mirabile. X. Ab Ecſtaſi dierum octo.

Mantreſæ cùm eſſet (ubi ferè prima virtutum magnarum ei Schola) die quodam Sabbati, ſub horam Completorii, ſenſibus repentè deſtitutus, propè exanimis per dies octo continuos jacuit, nihil à mortuo diverſus, niſi hoc uno, quòd adhuc leviuſcula quædam cordis palpitatio deprehenderetur.

Nova illa ecſtaſis, & inſolens à ſenſibus abſtractio, ſuſpenſos omnes habuit, & in rei eventum erectos ad diem uſque Sabbati hebdomadæ ſequentis; quo circiter eandem diei horam oculos recluſit, & quaſi è placidiſſimo ſomno ſolveretur, inter ſuaviſſimos affectus JESU nomen leniter appellavit.

Hic ego te volo, te compello, mi Lector: Quid actum IGNATIO in illa à ſenſibus alienatione? Quid octiduo toto à corpore abſtractus animus? Ubi, ubi fuit ille? Quid cogitavit? Quid egit? Quid molitus eſt? Imò quid in eo egit Deus, cùm hic non tam ageret, quàm pateretur Divina? Res ea nobis in occulto, quia illam ſilentio preſſit IGNATII demiſſio: at in aperto eſt Deum ter Opt. ter Max. qui ſervi ſui animum ſic à corpore, ſic à ſenſibus abſtraxerat, in eum penitus illapſum fuiſſe per nova quædam & mortalibus oculis hactenus inviſa lumina, per quæ, ut pia nonnullorum eſt conjectura, Divinus amor rerum magnarum artifex condendæ ab eo Societatis ideam impreſſit, & futuram longè progeniem oſtendit.

Et hæc de lumine, quod IGNATIO, ceu Principi novæ hujus Religionis Intelligentiæ immiſit Deus: oculos flecto ad illud quod etiam corpori.

S. IGNATIUS *LUCERNA LUCENS* *etiam à lumine, quo ille conſpicuum vel ipſum corpus.*

AB Anima beata cùm à lumine gloriæ illuſtris fuerit, in ipſum corpus transfundi ſolet claritas aliqua, quæ dos appellatur corporis Beatifici. Lucerna lucens.

An autem ea claritas vel ab Anima beata, vel ab ipſo lumine gloriæ emanet Phyſicè, an verò Moraliter, in quæſtione eſt, in qua probatur magis moraliter emanare,

Fortè aliquid non multum abſimile videre licebit in Anima ſancta etiam in hac mortali via: Ubi enim illa cœleſti luce perfuſa fuerit, ubi diviniore quodam amoris æſtu incaluerit, in ipſum corpus, in frontem, in oculos, in faciem aſcendit neſcio quis inſolitus fulgor, & cognata Soli lux aurea, index illius, quæ eſt in Anima. Deo ſcilicet etiam extrinſecus prodere volente, quod intrinſecus latet. Ita fulgoris illius cauſa Phyſica Deus eſt: Anima autem quaſi moralis, cujus ſcilicet lumini, cujus ardori donat illum fons ipſe luminum Deus.

Sic donavit Agneti Virgini & Martyri, cujus corpus etiam in ipſo Lupanari cœleſti luce circumfuſum: crederes admiſſum illuc eſſe vel ipſum Solis jubar, quia admiſſa erat Agnes divinioris Solis æmula. *Bollandus. 21. Ian.*

Sic donavit S. Sebaſtiano invicto Martyri, cui ab oratione corpus ipſum ad unam ferè horam cœleſti quodam ſplendore colluſtratum eſt. *20. Ian.*

Sic donavit B. Margaretæ Hungaricæ Virgini, cujus animus cùm in Cœlum ferretur totus, & ipſum quoque corpus eòdem ferri videbatur, atque in ſublime tolli: ſic & aliis quamplurimis: atque imprimis S. IGNATIO Fundatori Societatis JESU; *28. Ian.*

cui

Etiam à lumine corporis.

cui ſæpiùs ab animi luce nonnulli radii vel in partem aliquam corporis, vel in totum corpus, vel etiam in locum, quo claudebatur, exundarunt.

Ita cùm inter puerulos pro Arâ ſummâ conſideret, ab Iſabella inſolito ſplendore radiare viſus eſt.

Ita in ipſo Loiolæ oppido, cùm illuc ex Gallia rediiſſet & relicta paterna domo in Hoſpitalem ſeſe recepiſſet, in ipſo orationis æſtu viſus eſt à Ioanne Paſchali altiore quadam luce conſpicuus totus.

Biderm. l. 2. de gloria S. Ign. c. 9.

Ita Romæ à S. Philippo Nerio authore Oratorii, & notæ ſanctitatis Viro, ſpectatus eſt non ſemel fulgentibus radiis multóque capitis nitore coruſcans: memorabile quidem illud; ſed multò memorabilius, quod Alexandro Petronio contigit Medico Romæ celebri, & inter IGNATII amicos ſingulari.

Decumbebat ille gravi oppreſſus morbo, & in cubili ob valvas obſeratas perobſcuro.

Hunc ut inviſit IGNATIVS, relucere locus novis ſplendoribus eſt viſus: Ad hoc ſtupere æger ac ſciſcitari, ecquænam, & unde tanta lux? Non aliunde compertum, quàm ab IGNATIO, qui & lucem illam intulerat, & deinde etiam ipſi ægro confeſtim ipſam ſanitatem.

Maffeus in ejus vita.

Ita denique dum pubicè immortali Deo ſacrificium offerret, globo ignis in capite ardere viſus eſt, flamma ſurſum redeunte, atque ut ita dicam, victimam referente ad ipſum Numinis ſolium, cui ſcilicet immolabatur.

At unde ea flamma? Utique ab Anima IGNATII, quæ tota erat in luce totáque in Deo fonte lucis, in ipſum corpus effundebatur lux alia illi ſuppar: nec in illud tantùm; ſed & in locum, in quem ipſe ſubintraſſet. Imò quod & mirabilius, ipſa corporis moles ab eadem animâ in altum attolli viſa.

Certè ille ipſe Ioannes Paſquaſius Barcinone inter preces IGNATIVM ſæpè ſublimem vidit, ad quinque etiam cubitos ab humo elatum in aëre ferri; identidem hæc ſecum queritantem: *O Deus, ô mi Domine, ſi homines te agnoſcerent.*

Sic anima hoſpes ſui corporis, & illud quoque, ceu diverſorium ſuum, & ſua luce perfundere ſolebat, & in ſublime tollere, ut etiam hinc meritò audiat IGNATIVS *Lucerna lucens*: Lucens in animo; Lucens & in corpore.

S. IGNATIUS *LVCERNA ARDENS ab æſtu ignéque caſti in Deum amoris.*

Lucerna ardens.

POëtæ veteres Amoris ſimulacrum effinxerunt orbatum oculis, & faces dextrâ geſtans: idem nimirum & flammas admovet, & videndi aciem removet: *Quid deceat non videt ullus amans.*

Amans ſcilicet impuro amore; at non ſic caſto: Hic enim oculatus eſt, & quid deceat, quidvè dedeceat videt quàm maximè: & hoc illi primum: Alterum quod etiam manu facem præferat, & ignem, quo ignem vincat.

Quod ingenioſè advertit Poëta Græcus, qui Amorem effinxit mirantem; imò & querentem ſibi ab alio amore ignem igne extinctum.

Quis ignem, inquit, *igne domuit?* Huic ego reſpondebo IGNATIVS, qui ſacro igne profanum edomuit. Ecquis iſte, inquies?

Amoris igne.

Eſt ſummus in Deum amor. Hic ex vero ignis eſt; eum nemo celarit unquàm; proditur enim lumine ſuo: & ita ſe prodidit in IGNATIO.

At qui, quibus indiciis? Duo potiſſimùm ſunt, quibus ſeſe aperit atque explicat Dei amor, quæ pauculis verbis expreſſit, qui dixit: *Amantis eſſe agere, & pati fortia.*

Et hæc dedit IGNATIVS ſigna ſui in Deum amoris, cujus unius cauſa amavit *Agere, & pati fortia.*

I. Indicium illius;

Primum quidem probat ea, quam ſibi aliquando propoſuit è duobus optio, ut ſcilicet vel confeſtim vita excederet cœli ſecutus, vel ſuperſtes aliquamdiu non proinde certus degeret; in hanc iturum ſe partem ſanctè aſſeruit, dummodo pro Deo magnum aliquid ac præclarum agere liceret. Tantus in illo ardor, tanta cupiditas *agendi fortia*, ut vel hoc, ipſi beatitati (quæ tamen ſummum eſt bonum) cenſuiſſet anteponendum, & re etiam ipſa antepoſuiſſet.

Agere fortia.

II Indicium. Pati fortia.

Alterum verò oſtendit ſimilis aliqua etiam è duobus aliis optio, quam ut faceret IGNATIVS, hinc ſibi propoſuit ea omnia, quæ prima, & ferè ſumma in hoc ævo à mortalibus habentur.

Cujuſmodi ſunt delicata omnia, quæ blandiuntur ſenſibus; divitiæ, quæ cupiditati ſerviunt; honores, qui ambitionem exſatiant; ut Infulæ, ſceptra, coronæ, thiaræ; & vita omnis in his blandè, molliter, opiparè, & glorioſè acta.

Inde autem ea omnia, quæ in poſtremis habentur, imò in odio & ſumma miſeria.

Ejuſmodi ſunt extrema pauperies, contemptus, calumniæ, injuriæ in bonum nomen, vincula, carceres, compedes, manicæ, cruces, ignes, ipſaque mors per ſummos cruciatus extorta: ſi, inquiebat, apud ſe IGNATIVS, ſi è duobus illis daretur optio, in quam te partem verteres, ô Anime?

Hæc ubi ſecum cogitare, ſecum loqui, tum illud apud ſe ſtatuere; prima illa, quæ ab hominibus bona habentur tanti apud ſe numquam fore, quanti hæc poſtrema, puta carcer, injuriæ, aliáque omnia ejus generis in Dei gratiam exantlata; nec aliunde accidere poſſe tantum animo gaudium, quod eam æquaret voluptatem, quam in perferendis pro Chriſto convitiis hauſiſſet.

Et hic ſummus eſt in Deum amor, pro illo *pati fortia.*

III. Indicium, Dei injuria, non ſua tangi.

Sed & aliud ſignum, quo veluti ad lydium lapidem probatum in IGNATIO aurum Divini amoris.

Subierat animo reputare, ecquis ſibi ſenſus foret, ſi Deus pro ſupremo dominio in omnes creaturas, quas habet in ſua manu, ut figulus lutum, è quo vas facit aliud in honorem, aliud in contumeliam, & hoc ſine injuria luti: Si, inquiebat, me inferni carceribus atque ignibus addiceret; quis mihi in illis ſenſus, quodvè malum?

An anguſtiæ inferni carceris? An horror æternæ noctis ac tenebrarum? An edaces flammæ & ignes æterni? An verò jactæ in Deum meum (amores unque meos) injuriæ, convitia, blaſphemæque voces?

Ubi hæc apud ſe reputare S. IGNATIVS, tum illud reſolvere, prima illa pro nihilo ducere præ poſtremis, quia illa, ut mala ſint: at IGNATIO mala ſunt; ſed hæc mala etiam Deo meo, amori meo. De malo autem meo certum eſt non dolere: at de malo Dei mei quàm maximè.

Ecce quanto amore arſerit IGNATIVS, qui inter pœnas & pœnarum & ſuiipſius oblitus, ſolius Dei injuriâ, tanquam illi malo, percelleretur.

Juvat in hanc rem exſcribere, quæ in membrana ipſemet aliquando annotavit.

Duabus, inquit, *rebus defixus hærebam: altera, quæ ibi ſupplicia mihi forent luenda; altera, quibus ibidem quantiſve Dei nomen convitiis peteretur. Ac priori quidem nihil adeo moveri me, neque terreri ſentiebam: cæterum audire illas Diviniſſimi Numinis injurias, id demum magnopere me ſauciebat.*

Hic oculum fige, mi Lector; *ſauciari* ſe dicit IGNATIVS, & quidem *magnoperè* Dei ſui injuriis: at inferni ſuppliciis nihil *moveri*; imò nec *terreri.*

An non ille amoris exceſſus, unius Dei ſui malo tangi, imò & ſauciari; ſuo autem vix tangi, nedum ſauciari.

Huic affine aliquid invenio in B. Angela de Fulginio. Hæc aliquando ſibi ipſi iſta dicere.

Quod

Bollandus majus vita 4. lan c 3

Quod ſi certiſſimè ſcirem me damnandam, nulla ratione poſſem dolere, nec minus laborarem, nec minus ſtuderem orare & honorare Deum, nec in ejus amore intepeſcerem. Hæc illa animo forti ſupra naturam, ſupra ſexum, quod magnum eſt.

At majus aliquid in S. IGNATIO: hæc enim illa in deſignatione & expectatione calamitatis æternæ: at S. IGNATIVS in ipſa calamitate nec doleret, nec laboraret malo ſuo, ſed Dei: nec in ejus obſequiis, & amore intepeſceret: ſed arderet totus ab igne & zelo Divini honoris, quem ſentiret illis convitiis peti, illis injuriis laceſſiri: pro ſe autem nec ſentiret, nec moveretur; imò nec terreretur illa ipſa ſuppliciorum æternorum immanitate, aut ignium vi; doctus ſcilicet *ignem igne domare*, ignem inferni igne ſui in Deum amoris.

Deſinet jam profanus amor mirari; deſinet & queri quod ignis igne extinguatur, ignis igne dometur, cùm audierit etiam inferorum rogos atque incendia ab IGNATIO domita, atque extincta igne caſto, igne puro Divini amoris; à quo audit, & verò audiet æternitate tota *Lucerna ardens*.

S. IGNATIUS *LVCERNA ARDENS* *ab incenſa in proximum Caritate.*

Exod. c. 20.

A Summo rerum artifice Deo probè doctus Moſes Propitiatorii fabricam ſic deſcripſit, ut duo eſſent Cherubini, qui & utrumque Propitiatorii latus regerent, & reſpicerent ſe mutuò, verſis tamen vultibus ad Propitiatorium.

Hic Lyranus aliique quæſtionem injiciunt; primùm cur duo Cherubini? Quia amor nonniſi inter duos eſſe poteſt, & *dualitas* ſymbolum eſt amoris.

Deinde, cur & ad Propitiatorium, & ad ſeſe mutuo verſi vultus & oculi? Quia amor Deum primò ſpectat; ſecundò proximum.

Et hic ordo eſt amoris, qui etiam in ipſo Charitatis habitu intimè imbibitur; eadem enim Charitas, idem omninò habitus, & in Deum inclinat, & in proximum, ut ea quiſquis ornatus ſit inſtar Cherubini, qui *Propitiatorium*, id eſt Numen ipſum primò aſpiciat atque amet, deinde & *Proximum*.

Lucerna ardens.

Et is fuit S. IGNATIVS, ex vero Cherubinus ab inſita ſibi luce Divinæ cognitionis (ut antè vidimus) & Seraphinus ab ardore Charitatis, quo in ſupremum Numen raptus aſcendit, & quo ad proximos deſcendit ſuavi quadam paterni amoris inclinatione.

Igne Charitatis in domeſticos.

Et quidem primùm in filios ſuos, quos Deo ac Religioni dederat, ſolatio ac præſidio ſeſe totum impendebat.

Tum etiam aliis omnibus quantumvis abjectis, quorum ſaluti impenſiùs vacabat. Demus aliqua tam hujus quàm illius Charitatis argumenta.

Primum hujus Indiciũ: Suorum votis ſatisfacere.

Coloniæ degebat P. Leonardus Keſſelius gente Belga, & Sociis ibidem Præfectus magna virtutis, & ſanctitatis fama.

Hunc urgebat ingens cupido IGNATII vivendi: quam in rem litteras ad Patrem exarat copiamque ab eo ſibi fieri flagitat Romam proficiſcendi, ejuſque videndi ac colloquendi.

Bidermanus l. 2. de gloria Ig. c. 7.

Ad hæc poſtulata IGNATIVS ſic reſcripſit, ut & indicaret non expedire id laboris & itineris ſuſcipi, & ſimul innueret aliam eſſe viam ac rationem, qua videre ſe poſſet, & eam quidem in Dei manu, & amabili Providentia: huic innixus acquievit Leonardus: nec fruſtrà. Nam non multò poſt vigilanti ſcientique, ſe illi IGNATIVS ſtitit, atque aliquamdiu commoratus, ex oculis rurſum diſceſſit, eo adhuc tempore quo Romæ vitam ipſe mortalem degebat.

Ecce ut ſuorum votis etiam miraculo adeſt IGNATIVS: audi ut in eorum quoque periculis non ſine cœleſti prodigio.

II. Periclitantibus ſuis adeſſe.

In hoc genere occurrit primum illud, & quidem *admirabile*, quod in Relatione ſua coram Summo Pontifice extulit Cardinalis à Monte:

Folio 15.

Quod cùm magnis itineribus per montium cacumina numeroſus Badagarum exercitus in Regnum Travancoridis, & Comorini Promontorium furens excurreret in ruinam Chriſtianorum, Xaverius ſolus invictæ in Deum fiduciæ clypeo tectus, obviam Barbaris proceſſit, militeſque ſeverè increpavit.

Mirum dictu viſuque! *Stetit illicò exercitus immobili veſtigio, nec progredi ulteriùs potuit. Quin etiam ducibus pergere volentibus reſpondebant milites, ſe nequaquam poſſe, & cernere è Regione aſtantem cum Xaverio virum quendam majeſtate terribilem, nigra veſte indutum, qui eos terrebat, neque ardorem ex vultu atque oculis emicantem ferre ſe diutiùs poſſe.*

Imago primi ſæc. l. 2. c. 2.

Quod cum & ipſi etiam duces experirentur, retroceſſit totus exercitus atque ab incœpto deſtitit: victorque Xaverius Chriſtianos, quos Chriſto pepererat, à cæde & rapinis liberavit.

Suo nimirum merito, & IGNATII auxilio, cujus appenſum collo nomen gerebat in pectore, & ſub quo prima jecerat militiæ ſacræ rudimenta.

Adfuit ille periclitanti ceu filio, ceu commilitoni ſuo. Eccui enim alteri præ IGNATIO conveniat illa ſpecies Viri majeſtate terribilis, nigra veſte induti, & ardentis vultu atque oculis; cujus ſcilicet etiamtum viventis præſentia & Coloniæ Keſſelio ad ſolatium, & in Indiis Xaverio ad Præſidium & tutamen fuit à Deo conceſſa.

Et hoc ut exiſtimo datum impenſæ illius in ſuos charitati, à qua cùm arderet totus, eos radios, quos in altâ pace ſpargebat blandâ quadam & amicâ luce, inter arma & Chriſtiani nominis hoſtes adinſtar fulminis evibrabat.

III. Suorum ſaluti conſulere.

Sed hoc, inquies ad terrorem: producamus aliud quod ad ſalutem: primò corporis; tum etiam animi.

Romæ coquum agebat frater Coadjutor, cui nomen *Joannes Baptiſta*, vir magnæ humilitatis, & mortificationis, qui ab officio, cui vacabat, piæ meditationis materiam ſumere ſolitus, etiam à foco ſumpſit: ignem Inferni cum eo, quem ſpectabat, componere cœpit; tum æterna incendia profundiùs animo inſpicere, debita ſcilicet vel uni noxæ mortali, unde & petere hujus momentum, ac pondus, ac deinde horrorem, doloremque de peccatis à ſe aliquando in ſæculo commiſſis; tum etiam ex hoc inardeſcere, & in ſui vindictam ſic ferri, ut & ſubito impete, ac fervore ſanè indiſcreto manum in ignem injecerit, & penitus exuri comburique ſit paſſus.

Daniel Bartolus in vit. S. Ignat l. 5. p. 711. n. 80.

Dum hæc in culina geruntur, fortè illac pertranſiit Miniſter, qui aduſtæ carnis nidorem, & graveolentiam perſentiens, quæſivit illico, unde manaret illa. Tum Frater, ſeu dolore, ſeu conſcientiâ tanti facinoris evictus, manum exuſtam prodere, veniamque effuſis lacrimis rogare inſtitit. *S. Patrem* illico adiit Miniſter, totamque rei geſtæ ſeriem expoſuit, quæ dum etiam per domum, & omnium ora volitat, non defuere, qui hominem ſuâ culpâ, & officio, & Societati jam inutilem, ex eâ amandari debere contenderent: at S. IGNATIVS, cui mens magis oculata, culpam illam (qualis qualis demum eſſet) veniâ potius dignam exiſtimavit, quàm pœna. Unde & ſequentem noctem (ut aliàs ſæpè ſolitus) inſomnem in oratione exegit, Deumque rogavit impenſiùs, ut & bono fratri parceret, & ſanitati priſtinæ reſtitueret.

Optimo Patri pro Filio ſic precanti annuit propitium Numen, & inſequenti luce, manus ſana, integra, & ſucculenta, uti prius apparuit: adeò ſuperis grata, ea S. Patris in Filium caritas, ex qua velim exemplum ſumant ii omnes, quos, vel in

Societate, vel etiam alibi locorum, Deus aliis præfecerit. Sciant illi ſe & homines eſſe, & homines regere, adeóque, ut nihil à ſe, ſic nec ab aliis humani alienum ducant: Sciant proinde & condolere, & compati, ſi quid fortè ſubditus unus aliquis perperam egerit, vel ex nudo ſimplicique ingenio, vel ex zelo, qui non ſit ex prudentiæ normâ & legibus.

Impoſuiſti homines ſuper capita noſtra, inquiebat olim Regius Vates. Homines certè; non Angelos. *Super capita*, non ut ea conculcent, & proterant; ſed potiùs, ut protegant, ac tueantur contra aliorum incurſus, impetusque malè ſanos. Et ita protegere, ac tueri voluit IGNATIUS, qui vel ex hoc uno poſteros edocuit, & quâ apud Deum gratiâ fuerit, & quâ etiam vivens miraculorum gloriâ, & quâ denique in ſuos caritate, quâ ut vivus; ſic & mortuus, cœliſque additus magis efferbuit; ut videre erit ex iis, quæ ſubjungo.

Societatem Romæ ingreſſus erat Adoleſcens natione Scotus, præſtantis ſanè ingenii, cui nomen *Iacobus Tirius*. Is in tyrocinio probatus, ad Collegium Romanum tranſiit ſtudiorum causâ: quibus dum vacat imperiſiùs; ita illis captus eſt, ut dum ſpeculativæ ſcientiæ capitur illecebris, omnem, qui priùs ab oratione, rerumque cœleſtium meditatione guſtus erat, amiſerit.

Bartoli ſuprà l. 3 n 8. p 641.

Et hinc alterum malum: Tempus propè omne, quod à Regulâ præſcriptum vel orationi, vel lectioni ſacræ, vel etiam excutiendæ conſcientiæ, ad ſtudia detorſit; atque excolendum iis ingenium.

Et inde aliud quoque damnum: quantum in litteris proficiebat, tantum deficiebat in ſpiritu, zeloque acquirendæ religioſæ ſanctitatis, quâ ſanè vacuus, dum à maligno genio tentatur, reſiſtendo vix fuit; parumque abfuit ab exitio: adeò periculoſæ plenum opus aleæ, nimia in litteras propenſio, cum jacturâ, contemptuque propriæ perfectionis, à quâ dum alienus fuit, & à ſe, & à Deo fuit alienus, & eò quidem, ut de ſalute propè conclamatum videretur.

Verùm, quæ Dei clementia fuit, aliqua adhuc bonæ mentis, aliqua ſalutis cura, ceu ſcintilla, mediâ illâ in nocte promicuit.

Ad orationis arcem, & præſidium confugit, Deique, ac Sancti Patris opem imploravit, in arduo illo, & periculoſo, cui imminebat, lapſu: nec in vanum; adfuit enim periclitanti IGNATIUS, qui à decennio jam obierat; adfuit, inquam, ceu indulgens pater, ceu ſeverus monitor, ceu etiam oportunus ægro animo medicus, & ſeſe *Tirio* noſtro ſpectandum obtulit: ſed oculis iram ſpirantibus, contractâ, ſeveráque fronte, ad quam etiam acceſſit vox paterna; ſed gravis illa, & acrior. Sic enim ad eum:

Credíſne profanis illis lucubrationibus tuis, ac litterarum ſtudio, fructuque, in Societate mea promoveri, ac proficere? falleris enimvero, falleris; non is Societati, non is mihi, non is Deo finis propoſitus. Tum addidit iſtud, ſeu extremum monitum, ſeu etiam oraculum: *Minus litterarum, & plus Spiritus.*

Dixit, & evanuit: at oculis, non animo *Tirii*: huic enim adeo infixa manſit, vel IGNATII ſpecies oculis hauſta, vel admiſſa vox auribus, ut & illicò diſſipata ſit mali dæmonis ſuggeſtio (ceu vento, leviuſcula nebula) & reddita quies animo, & tranquillitas, & primus, qui in tyrocinio fuerat, orationis æſtus, cœleſtiumque ſapor & guſtus: cui deinde reliquâ vitâ dum induſit, in virum alium abiit, magna in Societate ad Dei gloriam, animarumque lucrum præſtitit, ac deinde Germaniæ aſſiſtens fuit, quo munere dum fungitur, & vitâ quoque defungitur, relicto poſteris deſiderio ſui, famâque ſanctitatis, quâ dum capimur, atque oblectamur, diſcamus & illud, ad præfixum in Societate finem, hoc eſt Dei obſequium, & noſtram, aliorumque ſalutem, plus in virtute poſitum eſſe momenti, quàm in doctrina. Illa etenim (ut disertè S. Pater) nos Deo, ceu artifici jungit, ut magna per illum moliamur, atque præſtemus; magna, dico, cœlo ac beatæ æternitati, cui nos parant ſolidæ virtutes; non inane ſtudium, multæque litteræ.

Sed ad S. Patris in ſuos caritatem redeamus. Pariſiis cùm ex primis novem Sociis unus aliquis moleſtiſſima & periculoſiſſima tentatione laboraret, eoque res eſſet adducta, ut non multum ab extrema pernicie abeſſe videretur, tres integros dies jejunus exegit, nihil omninò guſtans, fuſiſque ad Deum uberibus lacrymis, atque oratione aſſidua, hominem in Societate ſervavit.

Felices IGNATII lacrymæ, quæ gratiam habuere Baptiſmatis.

Felices lacrymæ, quæ Divinæ miſerationis fontes aperuerunt quibus extingueretur ignis, quem in anima filii ſui malus genius accenderat.

Dicitur aliquando *Gelgehes* S. Furſei Mater profuſis ubertim in terram lacrymis, ex ea fontem adeò copioſum excitaſſe, ut tres rogos in ſuam, & ejus quem adhuc utero geſtabat fœtus, perniciem jam incenſos, penitus extinxerit.

Bollandus in vita S. Furſei. 16. Ian.

Erat Lutetiæ Pariſiorum recens excitata Societas, ceu multorum filiorum fœcunda Mater: fœtus ejus concepti quidem; at necdum editi: ſed ô malum! invidus dæmon ex ipſis inferis petitos tentationum ignes evomit, rogos extruit atque incendia, quibus jam conceptus è filiis unus etiam in ipſo parentis utero malè uratur ac pereat, unáque propemodum & ipſa parens.

Verùm, & huic & illi oportunè ſuccurrit IGNATIUS: lacrymas fundit ea copia eaque felicitate, ut dum iis madet terra, madet & propè cœlum ipſum: illicò educatur atque effluat fons uberrimus miſericordiæ cœleſtis, qui excitatos illos tentationum ignes, tanquam affusâ copiosè frigidâ ſuffocet atque extinguat. Et ita ſuffocavit atque extinxit; nam & ſibi ſocius ille ſervatus, & matri.

Vidimus qua in domeſticos caritate fuerit S. IGNATIUS, cui probè notum illud Apoſtoli: *Qui ſuorum maximè domeſticorum curam non habet, Fidem negavit*; addam ego & caritatem: hæc enim primò domeſticos reſpicit; deinde extraneos, quanquam IGNATIO nullus extraneus, ut qui omnes corde ut erat latiſſimo complecteretur.

Igne Caritatis in extraneos.

Cujus indicium.

Teſtis erit Luteria, quæ primos Solis hujus, id eſt Ignatianæ caritatis, radios excepit.

Erat iſtic adoleſcens nefario pellicis amore implicitus, à quo expedire ſæpiùs tentarat IGNATIUS, ſed fruſtrà. Quà igitur infelici amaſio tranſeundum erat, inſidias oportunè ſtruit.

I. In adoleſcente nefario.

Locum occupat, & in lacum frigidiſſimum collotenus ſe immergit, adventantem expectat, ſequitur demum ille & peſſimi conſilii certus, tranſire pontem properat.

Hìc inſperatò à gelidis aquis vox, & cum voce terror: Sic enim ad illum IGNATIUS: Perge miſer, perge libidine tua incendi, perge & aduri; Ego certè hìc frigidis in undis tamdiu me macerabo, donec parata in caput tuum irati Cœli fulmina de Dei vindicis manibus excutiam.

Vita S. Ign. l. 5. c. 2.

Ad hoc ille tonitru continuò hærere, planéque jam fulminatum ſe credere: & certè fulminatus erat; ſed Ignatiano fulmine, id eſt caritate; imò charitatis miraculo, quo captus pedem retulit, animum mutavit, & veterem illam cum periculoſa ſirene conſuetudinem æternùm abolevit.

Hìc jactare lubet illud Sapientis: *Aquæ multæ non potuerunt extinguere caritatem, nec flumina obruent illam*; imò nec ipſa maria, ardet enim ardebitque dum vivet IGNATIUS non alio igne quàm caritatis, & incenſo zelo animarum, etiam earum, quæ vel à

ſcelere

ſcelere ſun, vel ab inſolenti quadam ingratitudine omnis beneficentiæ & amoris indigniſſimi haberi & eſſe videbantur.

II. In homine ingratiſſimo. Teſtis erit ille qunndam Lutetiæ IGNATII contubernalis, cui ſtipem & pecuniolam alicunde ſibi ſuppeditatam, reique litterariæ neceſſariam commiſerat, malo certè quæſtori; qui ſcilicet cum peculio, ærarioque omni, furtim elapſus effugit.

Sontem ſecutus à tergo Deus: cùm enim Rhotomagum venit, in morbum incidit. Agnovit hic ultricem Dei manum, & ſimul etiam indulgentiorem IGNATIS animum ac caritàtem, quam etiam per litteras implorare eſt auſus: nec fruſtrà.

IGNATIVS enim, perinde ac ſi ab amiciſſimò invitaretur, repentè itineri ſe accingit, Rhotomagum properat, nullâ cibi micâ, neque potûs guttâ refectus, totum triduum hilariter currit (nimirum pedibus alas amor addiderat) milliaria octo ac viginti nudis pedibus conficit, etiam inter preces pro prædonis ſui incolumitate.

Ita nimirum S. Pater in caput ingratum congeſſit *carbones ignis*, non ardentes à vindicta (quales vulgus congerere ſolet) ſed ab amore & caritate, ut aſſolent præcelſæ mentes, quæ non ſolùm in immerentes atque ingratos beneficia ſpargere ſolent; ſed etiam in maledicos, in ſui ſuorumque inimiciſſimos. *Ad Rom. c. 12.*

IIII. In homine inimiciſſimo. Teſtis erit Religioſus ille, in profanis ſcientiis doctus magis, quàm in ſchola Chriſti, qui Romæ ex amico inimicus factus, invidia iraque extimulante ſic in IGNATIVM ejusque Socios exarſit, ut jactaret petulans iſtud atque immane, curaturum ſe ut homines de Societate Perpiniano Hiſpalim uſque igni traderentur. Quod ipſum etiam ſcribere non eſt veritus.

Quid ad truculenta verba? Quid ad feroces minas? Quid ad litteras illas ſtygio ſuccenſas igne, reſpondit IGNATIVS.

Unum illud. Tu noſtros ignibus & flammis devoves, & iis crematos voles; ego verò te tuosque omnes ubique locorum meliore Divini Spiritus igne accendi atque ardere velim. Eóque tibi tuisque hunc opto ac voveo.

O ſublimem IGNATII animum odiis omnibus & injuriis ſuperiorem! ô puros amores! ô incendia caritatis, quibus etiam infenſiſſimi quique involvi potuerunt atque inflammari.

Sublimem dico IGNATII animum: quia ut injuriis injurias, contumeliis contumelias, minis minas rependere abjecti pectoris eſt; ſic & præcelſi per mollia atque amantia verba, per ſalutes mille, per ampliſſima beneficia vices reddere ſorte meliori.

Puros dico IGNATII amores, quibus ſcilicet nihil humanæ fæcis adhæſerit, nihil luti vitioſæ aliàs naturæ.

Si enim (ut diſertè ac verè Caſſianus) *evidens indicium eſt animæ necdum vitiorum facibus eliquatæ, in criminibus alienis non affectu miſericordiæ condolere; ſed rigidam judicantis tenere cenſuram.* *Collat. 21. c. 10.*

Sic clarum eſt argumentum animæ defœcatæ, & cordis puriſſimi, alterius crimini non condolere ſolùm; ſed & indulgere, ſed & optima quæque pro peſſimis apprecari atque reddere.

Et ita apprecatus eſt, ita reddidit IGNATIVS qui eos animos hauſit ab avito ſanguine, ſcutoque gentilitio.

Nobilitas omnis Biſcaiæ in ſignum priſcæ nobilitatis effert, atque oſtentat Lupos, quibus ad aliquod familiarum inter ſe diſcrimen adjicit ſymbolum aliud, & quidem petitum ex illuſtri aliquo facinore; à quo familia Loyolana duos pro inſignibus habet Lupos, & quidem in pedes erectos, qui introſpiciunt ollam pendentem è camino, ſuppoſito etiam igne luculento.

Id porrò ex eo ſumptum. Loynlanæ ſtirpis caput ab alio nobili ob acceptam contumeliam plurimum diſſidebat, & ita quidem ut ad arma, cædemque veniendum eſſe videretur, niſi id malum avertiſſet generoſus animus ſui ſemper memor, immemor autem injuriarum. Avertit autem hac ratione.

In hoſtis ſui ædes inopinato cùm famulis ingreſſus, eum ad ignem ſopitum, profundéque dormientem offendit: opportunam ſanè ſeſe de eo vindicandi occaſionem nactus, ſi modò id tuliſſet animus; at non tulit, nec illum vel levi digito attingendum putavit.

Sed tantum ollam ſubjecto igne bullientem extulit, ut ubi à ſomno ſibi redditus eſſet hoſtis, noſſet vel inde ſe in Loyolæ manus ad cædem fuiſſe; & verò fuiſſet, niſi ei peperciſſet altior animus.

Id facinus adeò probatum omnibus, ut exinde familia univerſa pro ſuo ſymbolo ollam acceperit; ut ſcilicet ires in poſteros, iret in ſæcula, imò in ipſam æternitatem Loyolanæ mentis, ac ſtirpis eſſe, injurias injuriis non vindicare: ſed remittere, & beneficiis compenſare.

Et ita fecit S. IGNATIVS: & ſui memor, & familiæ, pro malis bona reddidit. Et ſic reddere nos oportet, & in eos, etiam mites ac humanos eſſe, qui in nos immites fuerint, atque inhumani.

Oportet, inquam, ſi Deum aliquando etiam in nos mitem ac miſericordem experiri velimus. Fruſtrà quippè expectabit Dei judicis clementiam & humanitatem qui ſuam alteri denegarit, cùm idem jus pati conveniat; quia ut doctè Salvianus:

Quid dignius? Quid juſtius? Non audivimus, non audimur: Non reſpeximus, non reſpicimur. Legem enim imponimus Deo, & judiciorum formam; ut quemadmodum nos gerimus erga alios, ita ſe nobis exhibeat. *Lib. 5. de Gubern.*

Et hæc pauca è multis de S. IGNATII eximia Caritate aliisque virtutibus, quibus expeditus ornatúsque, ſimilis fuit homini expectanti Dominum ſuum, hoc eſt cœleſtem Sponſum, ut cùm veniſſet hic, januamque pulſaſſet per extremam ægritudinem illicò lubens volensque ei aperiret; quod & fecit fidelis ſervus ac prudens.

Primùm enim Deum multis lacrymis urgere cœpit juberet ſe ſtatione excedere, & quietem demum illam capere, ad quam jam annis gravis, laborúmque ærumnis exhauſtus, æſtuanti animo atque in Deum ſpectandum intento, aſpirabat.

Deinde confeſſione piaculari, & Epulo Euchariſtico refici voluit.

Tum etiam à Summo Pontifice benedictionem, & ſolemnem noxarum veniam poſtulari: quod & factum per P. Polancum, quo tum Secretario Societas utebatur.

Denique hora poſt ortum Solem, ad Solem alterum, Chriſtnm, inquam, Deúmque ſuum, abiit: cùm enim manus Cœlo ſublatas, eodémque oculos defixiſſet, & ſuaviter quà animo, quà etiam ore JESUM vocaſſet, inter ſereni vultus indicia exceſſit, animámque Deo authori, à quo acceperat, feliciter tranſmiſit, Anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſexto, ætatis autem ſuæ LXV. Confirmatæ Societatis XVI. Kal. Aug.

Sic B. IGNATIVS corpus terris, animum Cœlo, filiis deſiderium ſui, omnibus exemplum, Poſteris etiam patrocinium reliquit.

Et certè quidni relinqueret cœlis jam additus.

Eo ipſo momento quo terris vivere deſiit, ſeſe ſpectandum obtulit ſanctæ, & nobili fœminæ, cui nomen *Margarita de Lilio*, eique extremum valedixit, aſtra jam petens, & ſuperas domos: Sed quo vultu? quo animo? eo ſanè, quo animæ jam donatæ beatitate: ſplendido illo, & cœleſti quadam luce conſpicuo: ut ex eâ noſſes, quæ illi parta in cœlis eſſet gloria; quæve apud Superos, Deumque authoritas, *Lancicius in gloria S. Ignatii, cap. 17.*

quam & probarunt propè innumera ab illo edita miracula, veluti ſigilla quædam eximiæ Sanctitatis, quam *Gregorius XV.* Orbi univerſo honorandam propoſuit, dum cum Sanctorum faſtis aſcripſit. Et *Innocentius* X. cùm ejus Officium Kalendario, & Breviario Romano inſertum voluit; ut publicus ei deſerretur cultus, publicáque ad ſacras Aras veneratio, quam ut augeret Eminentiſſimus Cardinalis *Ludoviſius* in Urbe Romana, Orbis capite, ſumptu planè regio, Baſilicam illi erigi voluit, in qua & ſacræ magni Pontificis *Gregorii XV.* feliciſſimæ Recordationis, exuviæ conquieſcunt, & ipſius deinde Cardinalis, aliorumque Principum ex eadem Illuſtriſſima familia; quæ inſigni illa in S. IGNATIUM munificentia, poſteris omnibus, futuriſque retro ſæculis teſtari voluit, quo illi in pretio, quóve in amore eſſet minima noſtra IESU Societas, & qua etiam in veneratione illius Parens, ac Fundator S. IGNATIUS, qui dum è cœlis; velut è ſpecula, fabricam illam ſuo nomini dicatam, ſpectabit; ſimul etiam in Illuſtriſſimum *Ludoviſium* Principem, ubertima gratiæ ſuæ, cœleſtiumque benedictionum, fluenta derivabit.

S. IGNATIUS *LUCERNA LUCENS & ARDENS à Beatitate.*

BEatitatem in cœleſti Regia faciunt potiſſimum duo: *Viſio beatifica*, & *Amor beatificus.* Ab illa S. IGNATIUS in cœlis *Lucerna lucens*, luce utique cœleſti, ac propè divina: ab hoc autem *ardens*, ardore quodam entheo. Quis autem, & quantus ille; quæ etiam, & quanta ſit illa, quia mortales oculos fugit: ex objecta nonnullis viſione quodammodo oculis ſubjiciam, ac ſenſibus. Et his prior erit illa, quæ mortuo jam IGNATIO necdum tamen beatorum catalogis aſcripto, oblata eſt Virgini Neapolitanæ, vitæ ſanctimonia clariſſimæ, cui nomen *Ioanna ab Alexandro.*

Lancicius Opuſc. ſpir. XVII. cap.

Hæc dum in ſacello noſtro Neapolitano ferventiùs orat, derepentè vidit illud cœleſti lumine conſpicuum totum, tum ſuper illius altare thronum aureum, cui inſidebat Chriſtus quatuor Angelis circumcinctus. Et his, & illo dum oculos recreat, animumque paſcit, ecce tibi alia ſpecies, ea Virginis Deiparæ fuit, cui facies Solis inſtar, imo Sole clarior radiabat; veſtis erat candida auro, ut apparebat, intexta; pallium verò coloris cærulei, aliis, atque aliis adamantibus bellè diſtinctum, ac nitens.

Hoc ſeſe dum oblectat *Ioanna*; en illi imago objicitur alia; ea fuit S. IGNATII, Fundatoris Societatis JESU. Illi facies mirè ſplendida, veſtis candicans, & opere veluti phrygio elaborata, cingulum coccineum adamantibus aliis, atque aliis illuſtre, ac dives, in cujus medio nitebat ſapphyrus, ſymbola virtutum, quibus olim claruit in terris, & gloriæ, qua modo fruitur in cœlis. Accedebat hic ad Chriſtum, atque ad ejus genua abjectus, Societatem illi ſuam omnem commendabat ducto initio ab ejus capite, qui tum erat *Claudius Aquaviva* Præpoſitus Generalis, quem, ut & ſocios omnes blando, ac ſuavi vultu cum aſpexiſſet Chriſtus, ſic deinde ad *Ioannam*, qui & ipſi Societatem illi commendabat:

Scias, ô Filia mea, quod Societas illa mea ſit, quam ſemper teneo intra cor meum. Tum ad Virginem Matrem converſo vultu, ac ſermone, Socios omnes eidem donare viſus eſt, ut deinceps eos haberet ut ſuos.

Et verò habuit Auguſta Dei Mater; habuit, & Filius: Et quidni haberet, qui in Anima ſervi ſui IGNATII mirè ſibi ſemper complacuiſſe viſus; quod ipſum etiam in cœlo ipſo, ſinuque beatitatis conſpexit *B. Maria Magdalena de Pazzis.*

Dies erat *D. Stephano* Protomartyri ſacra, qua in æſtu orationis exceſſum paſſa eſt, atque in cœlum ipſum elata eſt. Ibi vidit Deum peculiari quadam ratione, modoque complacere ſibi, atque oblectari in Anima ſervi ſui IGNATII, quaſi unicus is fuiſſet in ipſa cœli regia: tum illius cauſam eſſe hanc intellexit, quod Deum unum, dum in terris eſſet, quæſiviſſet IGNATIUS, in eoque uno amores omnes ſuos, curas omnes, ſtudia omnia ſitiſſet, illius, & quidem unius gloriam in omnibus amando, ac quærendo.

Hæc porro Dei complacentia, hæc veluti oblectatio index eſt illius gloriæ, ac beatitatis, qua modo fruitur in cœlis, frueturque in omnem retrò æternitatem.

Ut autem hanc Dei ſui complacentiam, atque oblectationem, quam in Anima ſervi ſui IGNATII percipit Deus, renovare quodammodo ſtudeant amantes illius Filii, neceſſum eſt, ut eodem ducti Spiritu quo Sanctus illorum parens, Deum unum & ipſi ſpectare, amare, ac quærere diſcant, atque ut docet D. Auguſtinus, *delectent* quodammodo *ſuavitatem Dei.*

Tom. 9. de medit. Ieju. cap. 1.

DE

DE SANCTO PHILIPPO NERIO CONGREGATIONIS ORATORII FUNDATORE.

PROOEMIUM.

VRBANVS VIII. qui *Gregorio XV.* jam vitâ functo, ſubrogatus fuerat, & ad Summi Pontificatus Infulas evectus, Bullam Canonizationis S. PHILIPPI NERII expediri mandavit, & in ejus quaſi fronte legendas propoſuit rationes, quæ Sanctam hanc Sedem permoverunt, atque impulerunt, ut Beatum hunc Virum in Sanctorum numerum referret, univerſæque Eccleſiæ ſolemni ritu colendum præſcriberet.

Bulla Canonizat. Eæ porrò ſunt: *Vitæ puritas, & omnium Virtutum congeries, & Miraculorum gloria*, à qua ſic Orbi *elucebat*, ut ſerenâ aurâ ſplendeſcere ſolet Sol meridianus: Sol, inquam, ceu mundi ocellus, ceu cœli gemma, ceu Soli vita, ceu eximiæ ſymbolum puritatis; quam probat vel ipſa ejus lux, quæ etſi in putidam cloacam incidat, innoxiè tamen incidit, nec ab illâ radios ſuos infici patitur: Et talis fuit D. PHILIPPI puritas, quæ nullo unquam carnis contagio potuit contaminari.

Audierat nimirum, & altè in animum admiſerat *Epiſt. 10.* illud *D. Ignatii* ad *Heronem* Diaconum: *Te caſtum, & purum conſerva, ut domum Dei, templum Chriſti, organum Spiritus Sancti.* Et eum certè ſe conſervavit D. PHILIPPVS, quem eodem jure *Caſtitatis margaritam* appellare poſſum, quo *Euſtachium* Antiſtitem, *Lib. 8. c. 45.* aliquando nominavit *Nicephorus*.

Ad eam virgineæ, imo & Angelicæ Caſtitatis lucem, acceſſit *omnium Virtutum congeries*, quam ut amavit, ſuſpexitque Summus Pontifex; ſic & teſtimonio ſuo, veriùs Oraculo probatam voluit.

In aliis plerumque eminet, emicatque una aliqua Virtus: in his, certa firmáque Fides, atque in Deum fiducia; in illis Spes ardua; in iſtis incenſa Caritas; in aliis invicta Conſtantia, atque in adverſis Fortitudo; & ſic alia, atque alia in aliis: at in D. PHILIPPO, *Omnis virtutum* chorus viſitur, & earum quælibet æquo jure cum cæteris de palmâ certat, ut neſcias, quæ vincat, quæque vincatur, nec mirum, quia vincunt, & vincuntur omnes: victoriæ genere nulli invidendo, omnibus expetendo.

Virtutibus autem (quæ ingentis animæ, decora ſunt, atque ornamenta) addita quoque *Gloria Miraculorum*: quæ ut à Cœlo manant, & cœleſti quadam vi, atque potentia, ſupra omnes naturæ leges, atque ordinem: ita eximiæ cujuſdam Sanctitatis indicia ſunt, atque argumenta, & veluti ſigilla quædam, tum illius Virtutis quâ Sancti floruerunt in terris, tum etiam partæ apud Superos, Deumque authoritatis, cui fidem negare, nemo unus omnium audeat. Et ea D. PHILIPPO fuit, eritque in ævum omne; ut aperient, quæ de illo ſubjicientur quæſtiones, atque elogia, ubi priùs pauca

EX EVANGELIO.

ECcleſia, non ſine Numine, Luce Sancto Confeſſori ſacra, inter Miſſæ ſolemnia, duo proponit magnarum virtutum ſymbola. Primum eſt expreſſum in *Cingulo*, quo illum præcingit. Alterum in *Lucernis*, quas ei dat in manus. Quid enim potiùs?

Cingulum dari ſolitum *militibus*, in ſignum roboris & militaris fortitudinis, quo ſi per probrum exuerentur, & militari gloria exui credebantur.

Ita fortiſſimi Chriſti pugiles, Baſſus, Eutychius, *Bollandus 20. Ian.* Euſebius, & Baſilides, cùm Imperatori ut Chriſtiani ſiſterentur primùm *Cingulis* militaribus ſpoliati ſunt, ac deinde aliis, atque aliis ſupplicus affecti.

Cingulum quoque *Monachis* oblatum, veluti Symbolum continentiæ, & illius quæ illi comes eſt, mortificationis. Ita Antonium, Pachomium, Macarium, alioſque, quos *Deiferos Patres* appellat S. *Doctrina 1. de Renuntiatione.* Dorotheus, cingulo probè accinctos facit.

Denique *Cingulum* præberi ſolitum *Virginibus*, nec ſolvi niſi à ſponſo, & quidem ipſo nuptiarum die, in ſignum ſervatæ eò uſque Virginitatis, illibatique pudoris.

Hoc *Cingulum* à Poëtis appellatum, *Zona caſta*, quam & Numini dicare, & ſacris aris appendere moris erat.

Et hæc pauca de *Cingulo*, quod ſacris Confeſſoribus offert Eccleſia.

De *Lucernis*, & ſua quoque eſt ratio; eáque petita à Luce, atque ardore, quæ lucernis ineſt, eſtque tam hic, quàm illa illuſtrium virtutum Symbolum, ut ex dicendis patebit. Sit itaque.

QUÆSTIO PRIMA
MORALIS.

Ad illa verba: *Sint lumbi vectri pracincti.* Lucæ c. 12. v. 35.

QVID IN CINGVLIS OCCVLTÆ VIRTVTIS?

EX iis, quæ jam ex antiquitate, veterumq́ue monumentis erui, facilè eruitur, quod in quæſtione eſt. Nimirum *Cingulo Caſtitatem* notari, & intactum, illibatumq́ue, tum corporis, tum animi à Virginitate nitorem. Quem in S. Philippo Nerio fuiſſe in aperto eſt.

Enm prodidit vita omnis, in qua illi Virginea Caſtitas in primis curis, atque amoribus; Tentsta eſt illa non ſemel, non uno in loco; ſed ubique victrix, ubique ſua, ubique pura, atque illibata. Erat nimirum illa non abſimilis ſolari radio, qui ſive in fimum, putidámque cloacam incidat, ſive in candentia lilia, nitentéſque floſculos; tam in hæc, quàm in illam, purus, atque innoxius incidit.

Teſtis fuit impudorata quædam meretricula. Hæc Philippvm) qui fortè ad unam noctem extra ſuas ædes cubabat) nocte intempeſta aggredi auſa eſt: tacitè enim cubiculum ſubingreſſa, eum, qui intus latebat ignem, aperuit: at eo, nec ardere, nec verò etiam tangi potuit Philippvs: ratus enim in fugâ ſalutem eſſe, mox eâ ſeſe ſubduxit illi Lupæ, à cujus ungue, dentéque malè haberi poterat.

Pet. Iacob. Bacci l. 2. Vit. c. 15.

Et hæc prima illi à caſtitate victoria: altera fuit à famoſa peccatrice, cui nomen *Cæſarea*, Hæc multa inaudierat de rarâ Philippi Nerii Continentia, quam tamen & tentare, & vincere ſe poſſe jactitavit, utq́ue tentaret, vinceretq́ue, ægram ſe finxit: & certè ægra erat, ſed à Venere, morboq́ue inſanæ cupidinis, quam ut expleret, Philippvm ad ſe invitavit, conſcientiæ, ut aiebat, per ſacram exomologeſim, exonerandæ gratiâ, re autem ipsâ explendæ causâ libidinis. Adfuit illicò Philippvs, cui prima erat animarum cura; ſed & adfuit impudens meretricula, venitq́ue in occurſum Viri Dei, comptula, ceruſſata, & quod mireris, horreas, damneſq́ue, propè nuda, lineâ telâ, eaq́ue tenuiſſimâ malè tecta; imò & patens omninò, ac detecta; addiditq́ue ad illas infandæ nuditatis illecebras, blandula verba, amicamq́ue ſalutationem: At nec hac allici, nec illis teneri potuit mens pudica, cui in fugâ, in pedibus ſalus; vix enim viſa, vix audita erat, cùm è gradibus feſtinus deſcendit, terga vertit, effugitq́ue.

Quid hic effrons fœmina? quid amor, pudorq́ue? ubi ſe deluſam vidit, amore in odium, cupidine in rabiem verſa, ſcabellum, quod fortè ad manum erat, in fugientem injicit, ut duriore ligno confringeret caput, quod impuri amoris illecebrâ mollire non poterat.

Et hæc Philippi de Venere victoria, hic de libidine triumphus, quem deinde excepit, coronavitq́ue de Cœlo victrix Caſtitas, quæ ex eâ luce tanta fuit, ut nullo in poſterum libidinis in corpore ſenſu tangi potuerit. Tanti refert in hoc pugnæ genere, vel ſemel viciſſe.

Et certè quidni vinceret Philippvs cui omnia ad victoriam aderant præſidia. Hæc ab Aſcetlcis Patribus præcipuè ſex recenſentur. *Fuga periculorum, temperantia* (vix enim *caſtus qui benè paſtus*) *Corporis caſtigatio, pietas, externa munditiès, & ſenſuum, maximè oculorum, cuſtodia.* Et hæc omnia adhibuit Philippvs, præſertim verò inſignem oculorum continentiam, de quâ extat illud Virginis Romanæ teſtimonium, cui Philippvs per annos triginta fuerat à confeſſionibus, & cum quâ, ſæpè ſæpiùs ut ageret familiariùs, nunquam tamen eam de facie vidit, uti nec alias Virgines, ac matronas, quibuſcum conſcientiæ ſalutisq́ue negotia tractabat.

De *S. Marcella vidua* proditur illud continentiæ teſtimonium, quod nunquam virum, ne Clericum quidem, aut monachum ſine arbitris viderit: at majus de S. Philippo Nerio, quod fœminam, ne quidem cùm arbitris: adeo rara in eo oculorum cuſtodia, adeóque rara & caſtitas, quam ut in vita, ſic & à morte teſtatam voluit.

Bollandus 31. Ian.

Cùm è corpore, ceu hoſpitio, purus exceſſiſſet animus, etiam tum amans, ac retinens fuit Virginei pudoris; qui ne quid in exanimi carne pateretur, cùm ea (ut moris eſt) ad ſepulchrum elueretur, ideóque hinc, & inde nuda verſaretur, ſuis ipſe manibus verenda naturæ, viſus eſt non ſemel obtexiſſe, non ſine miraculo, & amabili aſtantium ſtupore. Quod ipſum, iterum, atque iterum feciſſe notatus eſt, cùm de amicorum, ac filiorum conſilio, chirurgi manu, ferróque exenteraretur; tum enim, etiam admotâ manu, eas partes, quas natura, pudorq́ue celari vult, celavit ipſe, texitq́ue. Credidiſſes etiamnum vivere, ac ſpirare. Et certè vivebat, ſpirabatq́ue in cœlis aurâ meliore; atque in terris amore, ſenſuq́ue Virginei pudoris; quem ut in vitâ, ſic & à morte probatum voluit. Ita nimirum, animus hoſpes, comeſque corporis, hujus meminiſſe viſus; ne qua illi, aut pudori, contumelia inferretur, vel à viſu, tactúque cujuſquam; vel à nuditate minùs verecunda decentíque.

Lib. 4. Vit. cap. 7.

Adeo caſtis mentibus etiam poſt obitum cordi eſt verecundia, & caſtitas, quam etiam oſtendit aliquando *S. Geraldus* Comes Aurelianenſis, qui nono ante quâ naſceretur die, in utero matris ter vagitum emiſerat. Is videlicet cùm in vita miraculis plurimis floruiſſet, ſtatim ab obitu manus, quas ei pollinctores ſupra pectus compoſuerant, ſemel, iterum, ac tertiò retraxit, ut ſuam tegeret nuditatem, dum ritè corpus ejus proluerctur.

Oddo Lab-bas Cluniacenſis.

Et hoc in illo, uti & in B. Nerio illuſtre virgineæ mentis, carnisq́ue teſtimonium fuit, hoc argumentum, etiam in exanimi corpore, aſſumpti quondam *Cinguli Caſtitatis*, cujus proinde jure meritiſſimo inter ſacra Miſſarum ſolemnia mentio infertur, ſimulq́ue tibi ponuntur ſub oculos opportuna ad ſervandam caſtitatem vel præſidia, vel documenta.

Primum eſt fuga occaſionum peccandi, quæ nos undique circumſtant, & facto veluti cuneo aggrediuntur.

Chryſoſtomum audi: *In bello ſumus in mundo, in circuitu noſtro impii ambulant, peccatores intendunt arcum, hic quidem aures ſagittat, ut jucundè detractiones audiamus, hic autem oculos excitat in laſciviam, ille verò linguam, ut fratribus inferat convitia, hic autem ventrem in ingluviem irritat, ille verò manum in avaritiam, & rapinam, alius verò pedes movere in malitiam hortatur.*

Hom. 22. ad pop.

Ecce

Digitized by Google

Ecce quæ, & quàm fortia ad peccandum incitamenta, ecce quot hoſtes, quot tela: quæ dum timet, horretq́ue D. *Bernardus*, ſic ad Deum ſupplex:

Serm. 6 in quadrag. *Heu mihi Domine, undique mihi bella, undique tela volant, undique pericula: undique impedimenta, quocumque me vertam, nulla uſquam ſecuritas eſt, & quæ mulcent, & quæ delectant timeo; uſuries, & refectio; ſomnus, & vigilia; labor, & requies militant contra me.*

Unde præſidium? unde & ſubſidium? Inde certè, unde Paulus, *aſſumenda arma fidei, & galea ſalutis, quibus poſſimus extinguere omnia tela ignea maligni,* maximè verò oculorum. His enim petiri fortiſſimi quique, & læſi, & proſtrati. *Epheſ. c. 6.*

His primi generis noſtri Parentes, etſi ab innocentia, juſtitiáque originali probè muniti, etſi altiore ſapientia ornati, ab oculis tamen malè capti.

Gen. c. 6. *Vidit enim mulier lignum, quod eſſet bonum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectúque delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit, deditq́; viro ſuo, qui comedit,* & unà cum conjuge petiit: ecce quot ab oculis mala, quæ ſtrages, etiam in ſapientiſſimis ac fortiſſimis Heroibus.

Heroas inter, Adam, & Eva: & hi ab oculis, & ſe, & poſteros omnes, in immanem attraxere ruinam.

Heróas inter David; & huic ab incauto oculorum conjectu, fuit quàm peſſimè.

Heroas inter, & Salomon, cui Parens hoc impoſuit nomen, *Letida*, ideſt *amabilis Domini*, nec inane, aut boni quod portendebat vacuum erat nomen; addit enim ſacer textus: *Dominus* quippe *dilexit eum.* Et tamen ut is eſſet, & à nomine, & à te etiam ipſa: ab oculis tamen cecidit: vidit enim uxores alienigenas, vidit, adamavit, & periit. Quod ſi & hic, & illi, oculorum illecebrâ, atque inſidiis ſic deluſi, ſic capti. Quid te fiet, ô puſille homuncio; qui ad illos non es quod ad gygantes pygmæus? Et tamen ut is ſis, totus abis in occaſiones peccandi, totus ab oculis extra te effunderis, in caſum ruinamq́ue tuam nimis pronus. Ecquid enim, ut te D. Auguſtini verbis alloquar.

Nimium præceps eſt, qui tranſire contendit, ubi conſpexerit alium cecidiſſe; vehementer infrænis eſt, cui non incutitur timor, alio pereunte. *Lib. de ſingul. Clericorum.*

Hanc igitur in malum noſtrum pronitatem ſiſtamus dum licet, domemus effrænes illos concupiſcentiæ motus, impetusq́ue; & ſalutari Dei timore, ceu fræno retenti, in bono figamus pedem, nec in occaſiones malè agendi elabamur. Sed potiùs,

Quantum poſſumus à lubrico recedamus, quia in ſicco, etiam parum fortiter ſtamus. *Seneca Ep. 17.*

QUÆSTIO SECUNDA
MORALIS.
Ad eadem verba: *Sint lumbi veſtri præcincti.*
Lucæ cap. 12. v. 35.

QVID RVRSVM IN HOC OCCVLTÆ VIRTVTIS?

VT cingulo notatur virginea *Caſtitas*; ſic & virilis maſculáque *Fortitudo* deſignatur. Hujus porrò duæ ſunt partes: una *in aggrediendo* poſita eſt; altera *in ſuſtinendo*: & hanc, & illam, apprimè explevit S. PHILIPPVS NERIVS.

Eam quidem, quæ *in aggrediendo* repoſita, duabus, ut aiunt, *Confraternitatibus*, quas inſtituit ipſe, caritate magna, labore pari.

Una ſerviebat excipiendis Romæ peregrinis, qui Religionis avitæ zelo, vel ad limina Apoſtolorum proficiſcuntur, vel anno Iubilæo, ad ſolemnes, ac plenarias indulgentias. Ut his, & illis opem adferret PHILIPPVS; & domos amplas conduxit, & *Fraternitatem* erexit, quæ vulgò dicta eſt *SS. Trinitatis*, cujus inſignis caritas, piáque munificentia ſeſe explicuit, primùm Anno 1550. ſub *Iulio III.* Pont. Max. tum etiam anno 1575. ſub *Gregorio XIII.*

Lib. 6. c. 18. tum ſub *Clemente VIII.* Anno 1600. eo pietatis Chriſtianæ zelo, æſtúque cantatis, ut in illius quoque partem venerint, & Viri, fœminæq́ue Principes, & Purpurati Patres, & ipſe Summus Pontifex, qui eò loci, ac temporis, & peregrinorum pedes lavit, & menſæ benedixit, & ſolemni epulo excepit, quod ipſum Anno 1625. feciſſe viſus eſt. *Vrbanus VIII.* Tantum potuit, vel unus PHILIPPI NERII virtus ardua, vel exemplum illuſtre.

Ad has porrò *confraternitates*, acceſſit princeps illud, atque arduum opus, *Inſtitutio Congregationis*

Cap. 57. *Oratorii*, quod & fundavit ipſe, & optimis legibus ſtabilivit, non ſine ingenti laboris mole, & perſecutionum pondere, cui tamen nunquam ceſſit, quæ illi fuit *in aggrediendo fortitudo*, invictáque conſtantia; cui comes altera, quæ eſt *in ſuſtinendo*: hanc explicuit, Primò in injuriis, quæ famam petunt, & bonum nomen.

Fuit nonnemo, qui eum apud Vicarium Summi Pontificis incuſaret inſcitiæ, damnaretq́ue imprudentiæ ac levitatis in concionibus; imò & apud Pontificem: is erat *Pius V.* felicis recordationis.

Fuit alius, qui apud eundem Vicarium, querelas de eo deponeret, quòd in ſacro Confeſſionis tribunali, non animas quæreret, non Deum; ſed ſe- *Cap. 16.*
ipſe, & vani nominis exiſtimationem, auramq́ue popularem emeritæ ſanctitatis (imò quod ſeditioſi animi eſſe, & videri poterat) eo populi ad ſe confluxu, factionem moliretur. Et inde ejuſdem Vicarii juſſu, mandatóque per dies omninò quindecim, juſſus ab eo tribunali abeſſe.

Paruit ille, & in Crucifixum oculos dum defigit, petitq́ue ab eo patientiam, ſimul hanc vocem audiit. Enimverò eam tibi dabo; ſed velim, ut prius emas. Et verò emit, non alio pretio, quàm eâ ipſâ; patientiâ.

Fuit alius, qui in vulgus ſparſit *Philippum de S. Hieronymo*, (ſic eùm appellabat ab ipſa oratorii ſe- *Lib. 2. c. 201.*
de, ac domicilio, quod ei Divo dicatum erat) in vincula conjectum, quod cum fœminis familiariùs, quàm par erat, egiſſet.

Error erat, impudensq́ue calumnia; cui locum dederat PHILIPPVS alius, in eodem D. Hieronymi oratorio ſervus, ejus ſceleris reus, quem in PHILIPPVM NERIVM traduxerat invidia, & inſignis de eo maledicendi licentia, quam ſuſtinuit illuſtri ſanè patientiæ exemplo; quod & latiùs explicuit in aliis, atque aliis morborum moleſtiis. Ab his ſæpiùs ad extrema deductus; certè quartò extrema unctione munitus, in hac tamen ſemper animo liber, ſemper, & ubique ſuus.

Teſtes volo, teſtes amo liberas illas voces, & in his de morbo, déque morte triumphos. Cùm ab ægritudinis inſolentiâ, viq́ue inſolitâ, defeciſſet ars

Digitized by Google

ars medicorum; ſimul & optimis PHILIPPI filiis defecerat animus: quod, ut advertit ille, collecta voce, liberóque ſpiritu. *Paratus ſum*, inquit, *& non ſum turbatus.* Ita nimirum his, & ſibi, & ſuis animos faciebat PHILIPPVS.

Bollandus in ejus vita 16. Ian.

Ad vicinam ſibi mortem æger ibat; imò properabat *S. Honoratus, Epiſcopus Arelatenſis*, cùm ſic ad diſcipulum ſuum *Hilarium*: *Quid fles inevitabilem humani generis neceſſitatem? Imparatum ergo te invenire meus tranſitus debuit, cùm me non invenerit imparatum?* Hæc ille *Hilario*; nec abſimilia ſuis PHILIPPVS dum ſic ad illos; *paratus ſum, & non ſum turbatus.* Quidni ergo vos parati, nec turbati? certè & paratos eſſe oportebat, nec turbatos ſub tanto magiſtro diſcipulos.

At unde paratus PHILIPPVS? unde non turbatus à præſenti mortis imagine, ſpectróque horrifico quo etiam turbari ſolent Heroës magni? Inde certè, quia ſibi ad aſtra viam fecerat, non mollem, ſed arduam; non roſis, & violis nitentem; ſed ſpinis horridam.

Eâ ipsâ nocte; imò eo ipſo momento, quo è corpore exceſſit, ſeſe viſendum dedit Religioſæ Virgini, in Cœnobio *Sanctæ Marthæ*, ſicque ad illam. Ne fortè de me queri poſſis, quòd te inſalutatâ è terris in Cœlos abeam, en adſum, extremumque tibi dico vale. Cui illa, *Sicne mi Pater in Paradiſum ſine me?* cui ille mox aperuit ingentem, & ſpatioſam campi aream; ſed ſpinis obſitam, ac rigentem: tum ſic ad illam: *Si me ſequi in cœlum voles, en via, en ſemita; illam inivi, illam trivi, illa ad ſuperos abii; abibis & ipſa ſi voles: & quidni voles, cùm non alia ſit ad Deum via.* Hæc cœli candidatus, quem utinam audias etiam, *mi Lector*; nec ſolùm audias, ſed & ſequaris inſigni patientiâ, ac fortitudine, quam explicabis primò, in tolerandis æquo animo injuriis; memor quod injuria, quæcumque demum illa ſit, ſit veluti *carbunculus*, quem ſi toleras, illicò extinxiſti; ſin autem iniquo feras animo, ſi conqueraris, ſi teipſe ex eâ crucies, atque affligas, facies quod ille, qui ex carbone ignem accendit; ligna congerit, ac fomenta illi propagando, dein fumum excitat, denique & luculentum ignem, & quandoque etiam incendium.

Lib. 4. c. 4.

Doll. 6.

Sic, *D. Dorotheo* teſte ac judice facis: Injuriam, ceu carbunculum, in ſinum tuum conjecit inimicus: turbaris inde, & in animo tuo quaſi fumum excitas: verba jactas, & auras, cœlumque querelis fatigas; & ecce iis, velut afflatu vehementiore, ignem excitas, atque accendis; non accendiſſes, ſi cum patientia, & ſilentio toleraſſes. Tolera ergo, motus vel exemplo S. PHILIPPI, vel tuo bono.

Dein etiam, morbos omnes, ceu mortis prodromos, excipe, ipſamque etiam mortem, ad eam ſemper comparatus.

Sabelius, l. 6. c. 4.

Hilarionem adhuc adoleſcentem, in aviâ, quâ degebat, ſolitudine quæſierant latrones, nec invenerant: fortè, nox & tenebræ eum ipſorum oculis eripuerat: ubi dies illuxit, in eorundem oculos; imò & manus venit: ſed intrepido animo, hilarique vultu, quem intuentes ac demirati, ſic ad illum:

Quid ſi te hîc invadant latrunculi? Quid enimverò facies? Quibus ille: *Nudus, latrones non timet.* Cui ille: Quid ſi vitam, jugulumque petant? *Nec id timet*, inquit, *qui paratus eſt mori.*

Ut hæc audiere latrunculi illi, primò ſtupent, laudantque juvenis conſtantiam; dein meditatum crimen fatentur; denique abjecti in genua, veniam rogant.

Diſce, mi Lector, ex *S. Hilarione*, diſce ex *S. Philippo Nerio*, nec latronum rapaces manus, nec mortis falcem extimeſcere; diſces autem, ſi omni loco, omnique hora, paratum te mors invenerit; & ſic cum Davide dixeris etiam ad Superos, & Cœli cives: *Aperite mihi portas juſtitiæ, ingreſſus in eas, confitebor Domino. Hæc porta Domini. Porta*, inquam, mortis, hæc enim nobis eſt ad æternitatem porta; hac intrabimus aliquando, utinam eadem ſemitâ, quâ S. PHILIPPVS, quâ Sancti omnes, ſpinis ſcilicet ac ſentibus horridâ; hoc eſt, tribulationibus, perſecutionibus ac crucibus reſperſa. Hæc *perfectorum* eſt via, hæc etiam *prædeſtinatorum*: de illa audi *B. Laurentium Iuſtinianum*; is tibi faciet animos ad audendum, atque patiendum:

Pſal. 117.

De vita Sol. c. 12.

Si adverſum te, inquit, *Mundus ſæviat, latret invidus, Diabolus rugiat, obloquatur malus, inſidiasque tendat elatus, eſto confidens, quoniam perfectorum graderis ſemitas.* Vis noſſe, ut etiam *prædeſtinatorum*? paucis accipe ex eodem Beato Præſule, ſic enim ait:

De caſt. Connub.

In Iuſta tribulatio, amoris indicium, futuræ beatitudinis præſagium, & prædeſtinationis teſtimonium eſt.

Quid ad tribulationis commēdationem illuſtrius? quid ad pretium majus? quid ad extimulandos animos potentius dici potuit? Enimverò nihil.

QUÆSTIO TERTIA

MORALIS.

Ad illa verba: *Et lucernæ ardentes in manibus veſtris.* Lucæ cap. 12. verſ. 35.

QVID ILLÆ LVCERNÆ? QVÆVE IN ILLIS LVX? Et quis ardor?

Bollandus in ejus vita 2. Ian.

EST in Luce, eſt in Igne neſcio quid cœleſte, & propè divinum; quò factum, ut ex antiquis nonnulli, etſi prophana Gentium ſimulacra, & ſacrificia rejicerent, *Ignis* tamen, ac Lucernarum cultum, tenaciùs retinerent. Ita retinuit *Hipſiſtariorum* Hæreſis, ac ſuperſtitio, in quam aliquando venerat & ipſe *Gregorius Nazianzenus*; & à quâ deinde diſceſſit, altiore Fidei luce illuſtratus, & meliore divinæ caritatis igne ſuccenſus.

Verùm, ut ut ſit, de illa Hæreſi, quam arguimus, atque damnamus; ex eâ tamen elucet illud. In Lucernis, atque igne, nitere aliquid cœleſte, ac ferè divinum, ut proinde Chriſtus, ſublimioris, id eſt, cœleſtis, ac divinæ diſciplinæ, magiſter, & Lucernis, & Igne uſus ſit, veluti ſymbolo magnarum virtutum, quibus ad Deum, ac beatitatem paratur via. Et ita in Evangelio, quod præ manibus eſt; ſic ad Diſcipulos: *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris.* Quid porrò lumbis præcinctis innuerit, jam vidimus: ſpectemus modo quid Lucernis. Eſt in his ab Igne *Lux*, & *ardor*, & in hoc, illóque virtutum ſanè illuſtrium, cœleſtiumque donorum ſymbolum, ut in S. PHILIPPO NERIO, fuſiùs oſtendemus.

§. 1. SAN-

§. 1. SANCTUS PHILIPPUS NERIUS Lucerna lucens *à ſingulari Prudentiâ.*

DE Prudentiâ, multi multa, eáque præclara.
6 Eth. 1. 12. Ariſtoteli, *Prudentia eſt anima ex virtute operantu veluti oculus.*

l. de Prud. Critoni Pythagoræo, eſt *Mater & Dux virtutum omnium.*

In Pſal. 13. D. Chryſoſtomo, aureo Oratori, eſt *Lucerna animæ, Regina cogitationum, Magiſtra eorum, quæ bona ſunt & honeſta.*

Prudentia virtutum princeps eſt, reliquisque omnibus utitur, ipſarumque ordinem, modum, & occaſionem oſtendit, veluti lucidiſſimus quidam mentis oculus. Iamblicus Ep. de Prud.

Hujus beneficio bona, & utilia, honeſta, & turpia diſcernimus, factáque convenientia judicamus, inconvenientia damnamus, atque emendamus.

Denique (ut paucis omnia complectar) Prudentia gubernatrix eſt hominum, & omnis inter ipſos conſtitutionis princeps.

Et hæc ſunt, quæ de Prudentia cenſuerunt olim Viri ſapientes, tam profani, quàm ſacri, è quibus illud maximè ad meum inſtitutum, quod Prudentia ſit *animæ lucerna*: quia quod corpori media nocte eſt Lucerna; hoc animæ, in obſcuro corporis ergaſtulo concluſæ eſt *Prudentia*: ut enim illa viam aperit, quâ ſecuro paſſu incedas: ſic & illa, quid agas, quid fugias, quid ſequaris, oſtendit.

Ab hac porrò *Prudentia* mirum quantum ſuo ævo illuxit S. PHILIPPUS, non ſolùm in iis, quæ huic tempori ſerviunt; ſed & in illis, quæ animo, atque æternitati. Inde factum ut tam pro hac, quàm illis, eum conſulere ſolerent Viri Principes.

Certè, *Gregorius*, Summus Pont. hujus nominis *XIV.* ejus conſilio in rebus agendis uſus, eodem &
Lib. 3. c. 9. *Clemens VIII.* & *Leo X.* qui cùm adhuc eſſet in purpurâ cardinalitiâ, eum adire ſolebat ferè quot diebus, & ſubinde quatuor, quinquéve horas cum eo exigebat, adeo capiebatur, vel ejus conſiliis, vel prudentiâ.

Quod illi in Thiarâ Pontificiâ; hoc in Infulâ, Pedóque *S. Carolus Borromæus*, qui ejus colloquio, & in rebus, ſeu decernendis, ſeu agendis, amabili facilitate, ac felicitate ſic rapiebatur; ut ei ſubinde daret dies integros.

Quod ipſum feciſſe viſus *Claudius Aquaviva*, Societatis JESU Præpoſitus Generalis, & ipſe à prudentiâ, & Romanæ Curiæ & Orbi notiſſimus; qui etiam in ſummo rerum agendarum æſtu, tres, quatuórve horas illi concedebat; conſiliáque ſua cùm illo agitabat: quod & fecit Cardinalis *Baronius*, notus à Purpurâ, notior à calamo, doctisque Ingenii monumentis, qui, dum de eligendo ſtatu deliberaret; S. PHILIPPUM non ſemel conſuluit. Inerat nimirum illi, non humana dumtaxat prudentiâ; ſed & altior, ac cœleſtis, quæ etiam ad animos regendos evaderet, æternáque conſilia funderet, à quibus etiam illi fuit ſingularis illa, quæ à Theologis dicitur, & eſt *ſpirituum diſcretio*, non minima pars prudentiæ, quæ ſcilicet, pro inditâ ſibi à Cœlo luce, diſcernit inter bonos, malóſve ſpiritus, atque impulſus.

Multùm enim intereſt, quo agaris impetu, quo ſpiritu impellaris; & hoc intueri, non humana poteſt mentis acies; altior ſit oportet, & à cœleſti ac divina Luce, veluti deciſa portio, quod cùm probè calleret *Gregorius XIII.* PHILIPPUM NERIUM deſignavit, qui exploraret, quo æſtu raperetur monialis quædam Neapoli, nomine ſoror *Urſulina Benincaſa*, quæ extaſes propè continuas patiebatur & paſſa fuerat, etiam in ipſo Summi Pontificis alloquio, atque conſpectu. Exploravit porrò PHILIPPUS, probavitque à Deo Cœlóque immiſſos ejuſmodi mentis exceſſus. Mitto ejuſdem argumenti quamplurima, deſcendóque ad alia.

§. 2. SANCTUS PHILIPPUS NERIUS Lucerna lucens *à cogitatione ſecretorum humani cordis, abſentium & futurorum.*

IN ſinum humani cordis, dum mentis oculos injicit Jeremias, æſtu quodam, ſeu doloris, ſeu ſtuporis excitus, exclamat: *Pravum eſt cor omnium, & inſcrutabile, quis cognoſcet illud?*

Hebraicè *tortuoſum, anfractuoſum, fallax cor omnium* q. d. ſinuoſum, & mille cogitationum, intentionum, ac cupiditatum ſecretis diverticulis, ſinibus, receſſibus, inſtar labyrinthi implexum, ideóque *inſcrutabile*; hoc eſt, *impenetrabile* etiam altiſſimis, ac perſpicaciſſimis Cœlorum Intelligentiis. *Quis* proinde *cognoſcet illud?* nemo certè, nemo unus omnium, ſeu mortalium, ſeu immortalium, ſi Deum exceperis, cui uni patens ſemper, atque apertum.

Quò factum, ut Antiqui, tres claves, ſoli Deo ſervatas fuiſſe dixerint; ſcilicet *ventorum*, *vitæ ac mortis, & humani cordis*. Et hoc quidem quàm veriſſimum eſt, ex communi naturæ lege, atque inſtituto; at non ſic ex benigniore Cœli indulgentiâ, qua fit, ut etiam homini, ſubinde aperiatur & pateat.

Et ita, cæteros inter, etiam patuit B. PHILIPPO NERIO, cujus teſtes fuere è viris principibus longè plurimi, ſuâ ipſi experientiâ docti.

Cardinalis *Taurugi*, cùm junior eſſet, & in ſæculo multis implexus, ſi fortè confeſſionis gratiâ ad Sanctum veniſſet, priuſquàm vel verbulum protuliſſet, ei dicere ſolitus, tale periculum, tale peccatum incurriſti.

Cardinalis *Octavius Palavicini*, cùm illum colloquii causâ, & urbanitatis adiiſſet, ſecretas, quas conceperat cogitationes, occultáque molimina illi aperiebat non ſine ſacri Principis ſtupore, & amore. Lib. 3. c. 6.

Quod ipſum fecit Cardinali *Hieronymo Pamphilio*, & Cardinali *Petro Paulo Creſcentio*, & pœnitentibus quàmplurimis, qui ſi fortè occultum aliquod crimen, aut moleſtam tentationem, ceu cõſcientiæ lanienam, celaſſent; illicò retegebat ipſe, ſanabatque. Teſtis erit ille, de quo Cardilalis *Fredericus Borromæus*. Venerat ille ad B. NERIUM ſauciâ deformique conſcientia, cui ille: *Fili*, inquit, *quàm fœda, turpiſque tibi facies*, nempè animi, & internæ conſcientiæ.

Abiit ille, & poſt paucos dies rediit, purgatâ jam conſcientiâ, & à gratiâ nitenti. Cui rurſum B. PHILIPPUS, neſcius tamen, quid ab illo actum, ex ſolâ, quam habebat animi, internorumque cognitione. *Iam*, inquit, *tibi facies alia*, utique conſcientiæ, & quidem decora illa, & Cœlo amabilis. Sic nimirum evadebat PHILIPPUS ad occulta animi ſenſa, & ſoli Deo nota crimina; uti etiam ad rerum abſentium cognitiones.

Illuxerat Dominica dies quâ de more ad B. NERIUM venerat *Baronius*, confeſſionis faciendæ gratiâ, cui illicò Vir Dei. *Vade*, inquit, *& quidem feſtinò gradu ad Zenodochium, & hoc ſine mora.* Sic à Lib. 3. c. 7.
ſe inauditum dimiſit: abiit ille, & pauperculam mulierem offendit, extremâ unctione munitam, & animam jam agentem, nec tamen ſacrà exomologeſi expiatam: expiavit porrò *Baronius*, & illa mox expiravit: & hoc erat, cujus causâ eum ita properè à ſe dimiſerat, probè conſcius etiam abſentium: quo in genere, dignum illud poſteris, quod *Ioanni Baptiſta Lamberti* contigit. Monitus erat ille à parente per litteras, Meſſaniæ exceſſiſſe è vivis Patruum, qui ei adpromiſerat opimam hæreditatem, æſtimatam ad quadraginta ſcutorum millia. Quâ de morte, quóve de legato, dum agit cum B. NERIO,

RIO, hic (ut erat amans filiorum ſuorum) irruit in amplexus, & ſacro pectori appreſſum aliquamdiu diſtinet. Quo in amplexu, novum illud, uti & mirum, ſenſit, expirare è parentis optimi ſinu odorem longè ſuaviſſimum, quo dum recreatur, hæc illi placido vultu pius ſenex: *Bono eſto animo, fili, vivis, valetque patruus tuus, déque redditâ illi valetudine, poſt dies paucos litteras accipies etiam ipſius manu exaratas.* Et hæc Romæ B. NERIUS. Et ita factum ut præſenſerat præmonueratque, conſcius nimirum abſentium uti & futurorum, è quibus pauca tantùm attingam, ut lectoris oculis & calamo parcam.

Anno 1580. *Dominicus Rudolphi*, Clericus regularis, Neapoli Cremonam dum mittitur, Româ tranſiens PHILIPPUM inviſit, nominatum iſtic à ſingulari vitæ ſanctimoniâ, cui ille: *Vade, & ſtrenuè labora in vinea Domini: magis laboraturus cùm eris Epiſcopus.* (*Lib. 3. c. 5.*) ivit porrò, & ad annum uſque 1590. religioſam vitam duxit, ac deinde à *Paulo V.* creatus eſt *D'Oria* Epiſcopus. Quod illi in Infula, Pedóque; hoc aliis in purpurâ Cardinalitiâ.

Ioannes Aldobrandinus, Clementis VIII. Pont. Max. ex fratre nepos, cùm in B. NERII cubiculum veniſſet, vidit ad illius parietem affixam chartulam, in quâ ſupra caput hominis demortui, viſebantur ſcuta duo Cardinalitia; petiit ecquid illa? & quorſum illic expreſſa?

Hic primò tergiverſari Vir Sanctus, dein evictus piâ importunitate, reſpondit, ſcuta illa duo cardinalitia capiti hominis mortui eminentia, portendere quod à ſua morte, duo è ſuis, à Summo Pontifice, ad eam dignitatem eſſent aſſumendi: quod verum fuiſſe eventus docuit. Anno quippe ab obitu S. NERII, è congregatione Oratorii duo purpurâ donati à *Clemente VIII.* videlicet *Franciſcus Maria Taurugi*, & *Cæſar Baronius*, duo Eccleſiæ Lumina.

Quæ illi purpuram aperuit lux divina: eadem & Thiaram Pontificiam, cujus prænuntia ſolebat eſſe vox cœleſtis, quæ ad aures illius appellebat docebatque, vacante Sede quis futurus eſſet Pontifex.

Sic ab obitu *Pii IV.* prædixit futurum *Cardinalem Alexandrinum*, qui deinde dictus *Pius V.* & rurſum ab (*Lib. 3. c. 6.*) ejus morte *Cardinalem Buoncompagno*, qui poſt audiit *Gregorius XIII.* Tum etiam ab exceſſu *Sixti V.* & *Urbani VII.* (qui dies dumtaxat duodecim Pontificatum tenuit) edixit futurum Pontificem *Cardinalem Sfondrato*, qui appellatus eſt *Gregorius XIV.* Tum *Cardinali Hippolito Aldobrandino*, quem *Clementis VIII.* nomine ſignandum etiam denuntiavit. Denique *Alexandro Florentino*, cùm Romæ Ducis Florentiæ Legatum apud Pontificem ageret, tria præſaga voce illi denuntiavit. Primò, futurum Cardinalem; Tum etiam Pontificem; Denique in eâ dignitate non diu duraturum: quæ omnia vera fuiſſe probavit eventus, nam & Cardinalis creatus eſt, & Pontifex; dictuſque *Leo XI.* cujus prædictionis probè memor, cùm ad oſculum pedum unà cum aliis accederet, hæc illi Leo XI. *Non diu oneroſi mundo erimus, nec enim in Thiarâ diu vivemus*; quod evenit.

§. 3. SANCTUS PHILIPPUS NERIUS Lucerna lucens *vel ab ipſa luce corporis, faciei ac manuum.*

IN *Lucernâ* duo ſpectari poſſunt. Primò ipſa Lucernæ Fabrica, ac veluti illius *corpus*: ſecundò *Lux*, quæ eſt veluti anima Lucernæ. Quod in hac, idipſum in homine. Primùm corpus attendi poteſt; deinde & anima, quæ corpori eſt quod Lucernæ lux ipſa: Ut enim lux per ipſam Lucernæ Fabricam eminet, & radios evibrat, ejicitque; ſic & animæ lux in ipſum corpus evadit; imò & pervadit, nitetque etiam deforis: diceres animam eſſe corpori, quod lux Lucernæ; imò quod mundo Sol.

Et ita fuit B. PHILIPPO NERIO. Venerat hic ad *Ioannem Baptiſtam Midio* ab ægritudine graviore (*Lib. 3. c. 1.*) de vitâ periclitantem, cùm ecce ut periculum depelleret, in vicinum cubiculum ſeceſſit, ibique dum orat in exceſſu mentis, viſus eſt à domeſticis omnibus in aëre ſublimis, & cœleſti luce coruſcus: ita nimirum dum ab orationis æſtu lucet, & calet anima; lucet ab eadem & corpus, quod & illi uſitatum fuit, vel maximè in ſacro Miſſæ ſacrificio.

Aurelius Bacci patria Seneuſis, aſſeruit à ſe conſpectum *Vallicellæ*, in arâ principe, redimitum amœnâ aureâque luce, quâ veluti, diademate ornabatur, & radiabat caput. Ita nimirum *corona aurea ſuper caput ejus, expreſſa ſigno ſanctitatis, gloriæ, & honoris*, ut piè canit Eccleſia. Quod capiti Viri Dei datum eſt Cœlo auſpice; hoc & manui: hanc venerationis ergo dum exoſculatur *Vincentius Laniveri* illi tum familiaris, deinde *Archiepiſcopus Raguſenſis*; eam vidit velut auream, radiis quibuſdam adinſtar Solis circumfuſam: vidit, inquam, non ſine ſtupore, quod *P. Thomæ Bozzio*, aliiſque enarrare ſolitus, ad Sancti famam, & commendationem.

Ea ſcilicet eſt Cœli lex, ea providentia Numinis, ut ſanctia, quibus anima, à virtute, ceu Sole, lucet, luceat & facies, index virginei pudoris; luceat & manus bonorum operum artifex.

Ita facies, *Sancti Kentigerni* orantis, ignea apparuit, nota ſcilicet caſti illius ignis, qui intus ardebat. (*Bollandus 13. Ian.*)

Ita facies *B. Alberici* moribundi, ad ſupplices illas Virgini voces: *Sancta Maria, ora pro nobis*, adinſtar Solis reſplenduit. (*26. Ian.*)

Ita manus ſiniſtra *S. Eilani*, dexteræ ſcribenti, (*9. Ian.*) ad modum facis prælucere viſa; vel hoc ipſo, quòd ea ſcriberet, quæ virtuti, quæ Cœlo, quæ Deo ſerviebant; mandanda utique melioribus typis, & cœleſti luce illuſtranda. Ita denique (ne antiqua tantùm memorem) ille ipſe B. NERIUS, pro ea animi, quam habebat luce, cùm ad animas ipſas clarè conſpiciendas pervaderet, dicere ſolebat, (*Lib. 3. c. 2.*) eam *S. Ignatii* fundatoris Societatis JESU, interiorem eſſe pulchritudinem, quæ etiam in faciem evaderet, & ſpectandam ſe daret, ſuis oculis, objectu veluti cœleſtium radiorum ex ea fluentium. Quos etiam in *S. Caroli Borromæi* vultu (ut aiebat Angelico) viſos à ſe teſtatur, uti & in fronte *P. Petri* Martyris è Dominicana familia, primùm religioſi, tum Vicarii Generalis, denique & in vultu Patrum quorundam Carthuſianorum orantium, qui nitere illi viſi cœleſti lumine. Quod in illis vidit B. NERIUS; hoc in illo etiam alii, nimirum illi facies, frons, oculi, vultus, & modeſtiæ, & pudoris & virtutum omnium index erat, & manus etiam ingenium pro Dei gloriâ operum artifex, & inde tam hæc, quàm illa, cœleſti luce fuere conſpicua: ut etiam ab illâ eſſet *Lucerna lucens* (*Matth. c. 6.*) in domo Dei, id eſt, Eccleſia: Ut & ipſe in eadem ſis quaſi *Lucerna*, vide ut tibi luceat corpus quantum quantum eſt; luceat & facies, luceat & manus.

Lucebit corpus à purâ intentione, quâ Deum ſemper & ubique ſpectes, *Lucerna* quippè *corporis tui eſt oculus tuus*, hoc eſt intentio tua. Ab hac lucebit & facies tua: in quâ ut luceat duo requirit D. Bernardus: ſic enim inquit:

Duo in intentione (quam faciem animæ eſſe diximus) requiruntur tanquam duæ genæ, ſcilicet, *Res*, *& Cauſa*, (*Serm. 40. in Cant.*) id eſt, *quid intentas, & propter quid. Et ex his ſanè duobus animæ vel decor, vel deformitas indicatur.* Si enim ad Deum unum attendat, ecce inde illi decor: ſin autem ad creaturas deflectat, en deformitas.

Denique luceat tibi & manus; lucebit autem ab exemplis, & bonis operibus: de quibus illud Salvatoris: *Luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona.* (*Matth. c. 5.*)

Et hæc

Et hæc eſt animi lux, à qua Sanctis illis alia in corpus ipſum evaſit: non evaſiſſet, niſi prius in mente fuiſſet lux altior: da operam ut hæc in te ſit, ac deinde erit & illa.

§. 4. SANCTUS PHILIPPUS NERIUS Lucerna lucens *ab objectu cæleſtium viſionum.*

QUæ cœlo patenti ſubinde objiciuntur Beatarum mentium ſpecies, eæ Lux ſunt Animi, & ſplendor quidam de ſupernis in eum illapſus. Et ea fuerunt PHILIPPO NERIO, hærebat hic adhuc in tenebris, altâque, ut videbatur nocte, anceps, ac dubius de ſua vocatione, deque loco, ubi potiſſimùm & Deo, & animabus lucrandis impenderet ſeſe; utque erat ad ardua quæque natus, ad extremos aſpirabat orbes, ad Indos, ad barbaras quaſque, incultasque nationes: apud quas plus laboris, plus ſudoris, imò & plus ſanguinis Religionis causâ fundendi. Eò tamen nec vocabat Cœlum, nec animarum lucra: hæc nimirum illi quærenda erant *Romæ*, fidei ſpeculâ, Religionis arce, Orbis capite: utque in eâ etiamtum quæreret, ei ſeſe ſpectandum objecit *S. Ioannes Baptiſta*, Præcurſor Domini, docuitque, quæ divinæ vocationis eſſet via, quæ illi deſignata ſedes, quæ ratio, quæ munia: docuit, inquam, & cœleſti luce perfudit, ingentique gaudio, à quo cor illi vehementiùs palpitare, & propè è pectore exſilire, vel amoris æſtu, vel inuſitati gaudii exundantia: quæ ut eo ſpectaculo magna; at major à *Puellulo IESV*, qui ſubinde depoſitâ quaſi maturioris ætatis ac Viri ſpecie, amat Infantis formâ & videri, & amari.

Cùm primùm orbi viſus eſt, viſus eſt Infans; ſic nimirum (ut aureè D. Chryſologus) *ſic naſci voluit, qui amari voluit*: & quia ſic tum naſci; ſic deinde & videri. *Serm. 118.*

Sic ad Aram facienti *S. Raymundo de penna forti*, in Puelluli formâ apparuit. *Bollandus in ejus vita 7. Ian.*

Sic *B. Veronica de Binaſco*, in ipſâ luce octavà Corporis Chriſti, ſeſe viſendum obtulit ſub Infantis ſpecie; & quidem ut erat, medius inter duos Angelos, & veſte nitens candidiore, qualis ſcilicet Infanti congruit, & ab ætatulà, & à moribus candido.

Sic & *B. Angela de Fulginio*, ipſo Virgineæ Purificationis die ſacro, & in templum rurſus à matre deferri viſus eſt, & Deo Patri primùm offerri, tum etiam *B. Angela*, & quidem ut erat clauſis ocellulis, pannis involutus.

Sic denique ipſa Nativitatis Dominicæ feſtivâ luce, in præſepio jacentem vidit, & amavit *S. Franciſcus*; imò & oſculo, & amplexu fovit, atque à ſomno, cui pluſculum connivere videbatur Infantulus, excitare conatus eſt. Et ne vana ſpecies fuiſſe putaretur, miraculo probatam Cœlum voluit, nam & locus ille, in quo tum fuerat *Puer de Bethleem*, miros in omnibus excitavit ardores, & fœnum ipſum, in quo jacuerat, omnes ab Animalibus peſtes ac morbos depellebat. *Wadingus in Annal. Tom. 1.*

Quod illis, & huic datum eſt connivente Cœlo, hoc & D. PHILIPPO NERIO, cui ipſâ natalis Domini nocte, ſpectandum ſeſe dedit JESUS, Puelluli ſpecie: ſed amabili; ſed auguſta; ſed divina, ad cujus aſpectum amoréſque ſic exarſit, ut vix ſeſe caperet, vix vocem contineret: & verò nec continuit, ſic enim ad ſocios circumſtantes. An non videtis in Arâ, ceu præſepio meliori, jacentem Infantem JESUM? dixit, & conticuit. Nimirum illi, cum JESU, & animus, & oculus, & vox erat, & in JESU omnia.

Et hic à filio favor; ſuppar illi à Matre. Vertebatur annus 1594. cùm in febrim tertianam incidit; à quâ dum habetur quàm peſſimè, hæc illi vox una:

Adauge dolorem: ſed & adauge patientiam. Et certè adauxit pia Deiparens, MARIA. Nec adauxit modò; ſed & in gaudium vertit: adfuit enim jacenti, & amabili ſpecie ſe illius oculis objerit. Hinc ex intimo animi ſenſu, & contenta voce, exclamare: *O ſanctiſſima, ô pulcherrima, ô benedicta Domina.*

Ad has voces exciti vicini omnes, excitus & medicus, qui fortè tum ægrotanti aderat, qui ratus aliquid à morbo ſubeſſe mali, propior factus, lectuli cortinam explicuit: mirum dictu; viſúque 1 ſuſpenſum in aëre videt, modò brachia explicantem, modò contrahentem, ut in amplexu fieri ſolet, ſimulque ingeminantem illud amabile, ac pium: *O Altiſſima, ô Pulcherrima, ô Benedicta Domina.* Quid enim aliud in ejus aſpectu, amplexúque diceret? Ecce quis à virgineà luce favor, quæ gratia; imò quæ propè paradiſi gloria: hujus ſanè portio non minima à Virginis aſpectu, amplexúque: quamquam nec ab illâ tantùm, qui enim, uti & Matri, ſic & Filio erat in amoribus, Paradiſi gloriam in ipſo Miſſæ ſacrificio non ſemel videre dignus fuit; ut ipſemet piâ importunitate victus enarravit *Cæſari Thomaſio*, ſibi in paucis familiari: & hoc quidem mox à conſecratione, à quâ patiebatur exceſſum mentis, & duce JESU, in ipſam paradiſi regiam excedebat, explicatóque mentis oculo, illius gloriam contemplabatur, à quâ deinde ſibi redditus, totus ibat in ſuſpiria, in gemitus, in lacrymas; ſed amoris, ſed gaudii indices. Et mirum videri poterit, ſi ab ipsâ paradiſi luce dicatur & ſit B. PHILIPPUS *Lucerna Lucens*? *Lib. 3. c. 6.*

Enimverò non poterit: eſt enim & *Lucens*, & ſimul *ardens*, uti deinde videbimus.

§. 5. SANCTUS PHILIPPUS NERIUS Lucerna ardens *ab inſigni in ægros ac moribundos Caritate.*

EX ipſius naturæ ſenſu, & Galeni definitione, *Morbus eſt diſpoſitio contra naturam, manifeſte lædens functionem naturalem.* Verbo uno, *naturæ malum.*

Ex ſapientum dictamine, *morbus eſt prodromus mortis.*

Ex Hebræorum lingua, *morbus eſt iniquitas*, vel ſi mavis *partus iniquitatis*; eadem enim hebræa vox *Onas* & *morbum* ſignificat, & *iniquitatem*, ut inde diſcas, quæ cognatio morbi, & iniquitatis; cui proinde mederi ejuſdem propè caritatis eſt, ac naturæ malo, ac morti, ac iniquitati mederi; vel ſi minus mederi poſſis, at ſaltem adeſſe, & quà licet levare; ut in omni vitâ feciſſe viſus eſt B. NERIUS.

Graviore morbo laborabat *Baronius*, illuſtre decus, & lumen ſacræ illius Congregationis, cùm pro illo levando mirè ſollicitus pius pater, & JESUM & MARIAM ſpes ſuas, amores ſuos, orare cœpit, atque exorare.

Iacebat *Baronius* ad D. Ioannis Florentini depoſitus à medicis, & jam ad extremam luctam inunctus, cùm ecce paululum ſopitus, B. PHILIPPUM vidit in æde *D. Hieronymi*, & quidem ut erat, genu flexo, Chriſto, & D. Virgini ſupplex, tum audivit illas voces magno animi ſenſu expreſſas: *Da mihi Domine, da mihi Baronium, redde Domine, redde mihi ſanum Baronium.*

Dixit, & cùm preces aure ſurdâ excipere videretur Chriſtus, & omninò renuere; tum ad Virginem converſus, ingeminat rurſum illud boni parentis pro Filii ſanitate ſolliciti: *Da mihi, ô Domina, da mihi Baronium.* Dixerat, & à Filio mater *Baronium* ſalvum & incolumem impetrat, & PHILIPPO reddit, ſicque à ſomno ſibi redditus *Baronius*, non ſine ingenti animi ſenſu, ac ſolatio; ac deinde etiam & ſanitati. *Lib. 3. c. 11.*

Ita *Baronius* ſe B. PHILIPPO debet, & *Baronium* D. PHILIPPO debet Eccleſia, ingentiáque illius opera, quibus gaudet, gaudebitque in ævum omne poſteritas; à qua diſcedo, ut redeam ad B. PHILIPPVM, cui, ſi ea corpuſculi ſcura fuit; at major animi; ſi fortè à morbo periclitaretur.

Noveras nimirum, ut antiquum, ſic & verum illud, quod olim ſerpenti vindex Deus, qui ubi inimicitias poſuit ſerpentem inter, & mulierem; hæc
Gen. c. 3 v. 15. adjecit: *Et tu inſidiaberis calcaneo ejus*, hoc eſt, interprete *Alcuino*, extremo vitæ illius: is nempe, ſerpentis, id eſt mali dæmonis, genius eſt; extrema vitæ noſtræ obſervat ſedulus, iiſque malignè inſidiatur, quia in illo, quaſi vitæ mortiſque confinio, cardo vertitur æternitatis, ſeu illam beatam ames, & quæras, ſeu infelicem oderis ac fugias: ideóque multum intereſt, qui tecum in extremâ illâ vitæ periodo agatur, benéne, an malè. Et quia in ea malè, imò quàm peſſimè agi vult dæmon, ideo illi potiſſimùm inſidiatur.

Cujus probè conſcius B. NERIVS, id unum ſatagebat, ut in extremo illo pereuntis ævi articulo, ægris eſſet quàm optimè. Hinc illis diu noctúque adeſſe, iis animos altiores facere, & ſi fortè, aut inſidiis, aut apertâ vi impeteret tartareus hoſtis, eum arcere ac propulſare: quod experientia ſua, bonóque ingenti didicere quàmplurimi: è multis unum, alterúmve producamus.

Ex iis, qui apud PHILIPPVM peccata deponere erant ſoliti, fuit unus aliquis, cui nomen *Sebaſtianus*, vir notæ probitatis: huic in extremo agone ſeſe ſpectandum dedit malus dæmon; ſed eâ ſpecie, quæ & terrorem incuteret ægro, & propè ad deſperationem induceret. Hinc illæ pœnè emortuæ voces: *Heu me miſerum, miſerum me, ſi hinc ad æterna ex-*
Lib. 2. c. 6. *cedendum incendia.* Nimirum has voces elicuerat, ſeu mortis horror, ſeu tetra tartarei monſtri ſpecies, & jam per duas omninò horas tenuerat: cùm ecce opportunè adfuit PHILIPPVS, eum in finem à parentibus evocatus; & eo ubi ad illius aſpectum, primaſque voces effugere mali genii, mali hoſpites & inſidiatores: quos ut fugientes vidit æger; ſibi redditus, & hilaritati: *Philippus*, inquit, *dæmones fugat:* benè habet, exceſſit, erupit, evaſit infeſtus hoſtis, & quod ames, ac mireris, ad pauculas preces, quas fudit B. NERIVS, ad invocatum tertiò JESU nomen, derepentè quaſi apertis cœli valvis lætus, & hilaris exclamat æger: *En Angeli, en Archangeli, en Chorus cœleſtium geniorum.* Dixit, & animam, altiſſimis illis cœleſtis viæ comitibus, Deóque commiſit, tranſportandam utique in æternas beataſque cœli ſedes. Tantum intereſt in Sancti Patris oculis, complexuque mortali vitâ exceſſiſſe; uti exceſſit *Perſianus Roſa*, B. PHILIPPI confeſſarius.

Huic in extremâ cùm morte luctâ, apparuit dæmon, & quidem in aſſumptâ ad feralem illam ſcenam nigri canis formâ; in quâ ægro dum imminet, infeſtatque, vertere hic ſeſe cœpit, ac modò in hoc, modò in aliud latus, quaſi à feroce monſtro, oculos declinaturus, neque tamen declinabat.

Hinc terror, horror, & mixtæ lacrymis, ac ſuſpiriis eæ voces: *Tu judica me Deus, tu diſcerne cauſam meam:* Hæc inter, opportunè adfuit Vir Dei, ad quem illicò æger: *S. Philippe ora pro me, & hunc canem à me depelle.* Dixit, & oravit PHILIPPVS, & ecce ad illius preces effugit ferale monſtrum, ſicque ægro reddita tranquillitas, & die proximè ſequenti, mors pacata, via ſcilicet ad tranquillam, malique omnis expertem vitam.

Mitto alia ejuſmodi quamplurima, quæ & B. NERII caritatem explicarunt, & moribondis ſolatium inſigne attulerunt, quale ſcilicet ſpondebat, reddebatque effuſa in eos caritas, quæ ſeſe in duobus prodidit: Primò in cura corporis, deinde in procurandis animulæ laboranti remediis: & in his, ut tua quoque ſe prodat, eſt neceſſe. Stude è corpore, ceu hoſpitio malè uſurpato, morbos pellere, fuſis ad Deum, & Superos precibus; ſed magis ex animo vitia depellere labora.

Gnoſtici morbos aiebant eſſe *dæmones*, & proinde incantationes, ſeu carmen quoddam, excogitaverant, ad eos ex humanis corporibus ejiciendos.

Error eſt, & inane commentum, ut & inventum illi remedium. Hoc ex veritate dici poteſt, morbos animi, ſi, non dæmones, at certè dæmonum partus eſſe, quos expellere, tui eſt laboris, qui ægro fortaſſis es à confeſſionibus. Expelles autem, non alio carmine, quàm duabus voculis: *Abſolvo te.* Expelles per adhibita Eccleſiæ Sacramenta, quæ B. Iſi- Diſt. 23.
dorus appellabat *Medicinas Dei.* Expelles ſacratiore *Euchariſtiâ*, quæ à D. Ambroſio dicitur *Medicina ſpi-* In cap. 11.
ritualis, qua cum reverentiâ deguſtata, purificat ſibi de- 1. ad Cor.
votum. Ubi autem ſic expuleris omnes animi morbos per Sacramenta, in quibus D. Gregorius Na-
zianzenus agnoſcit, & prædicat *Medicam admirabi-* Orat. 10.
litatem: tunc effeceris, ut æger alius ſit à ſeipſo, ut ſanus totus, qui antea totus æger; imò ut animo, cœloque vivus, qui prius & huic, & illi mortuus.

Et hæc eſt ſtupenda mutatio, quam dum contemplatur, & amat D. Auguſtinus, æſtu quodam ſeu caritatis, ſeu admirabilitatis concitatus exclamat:

Vides hominem, heri voraginem ebrioſitatis, hodie orna- In Pſal. 88.
mentum ſobrietatis. Vides hominem, heri cœnum luxuriæ, hodie decus temperantiæ: heri ſervum creaturæ, hodie cultorem creatoris. Vides certè prodigioſa quadam mutatione quæ eſt à dexterâ excelſi, & quam David (etſi Vaticinio excellens) fieri vix poſſe putabat,
dum ſic ad Deum: *Nunquid mortuis facies mirabilia?* Pſal. 87.
aut medici ſuſcitabunt? Enimverò facies, & re etiam ipſâ jam facies, dum hominem à peccato letali mortuum excitas, & gratiæ, ceu vitæ, reddis; dum à morte ſpirituali ſuſcitas, melior utique Medicus, & Galeno, ac Hippocrate potior: hi enim corporibus medentur; at tu, etiam animis, quibus medelam afferre ſummæ eſt caritatis, ad quam te vel exemplo ſuo duxit B. PHILIPPVS NERIVS; ut & tu alios in eadem caritatis officia deducas vel verbo, vel exemplo tuo.

§. 6. SANCTUS PHILIPPUS NERIUS
Lucerna ardens *à præſenti in ſuorum periculis caritate & ſubſidio.*

VTi vulgatum illud, ſic & verum, *Amicus certus in re incerta cernitur*: incertam appello periculoſæ plenam aleæ; ſeu ea de valetudine, ſeu etiam de vitâ jactatur. In hac, & illa, *amicus certus* Vir Dei fuit; quod exemplis clariùs, quàm verbis explicabitur.

E Divi PHILIPPI pœnitentibus unus aliquis Neapolim meditabatur exiguâ vectus ſcaphâ, quæ ferè littus raderet. Navigationem porrò quà potuit diſſuaſit ille, utque diſſuaderet efficaciùs, imminens ei periculum prædixit vel à Turcis, vel ab
aquis, quibus eſſet hauriendus. Navim nihilomi- Lib. 3. c. 10.
nus conſcendit ille, & vela fecit: atque his abreptus, ecce in Turcas incurrit, quorum manus ut evaderet, è ſcaphâ ſeſe dejecit in mare: ſed nandi peritus cùm non eſſet, eo mergi cœpit, & propè abſorberi. Hic memor PHILIPPI, & Amici, & Patroni imprimis ſui, ſimulque vaticinationis, ei ſeſe impensè commendavit, ſpe plenus, ac fiduciâ. Ecce mirum, en prodigium caritatis. Apparet illi PHILIPPVS, aquis ipſis turbatoque imminens elemento, & hominem blandè ſolatur, per crines arripit, comatamque cæſariem, atque ſic in littus trahit, ſalvum prorſus, atque incolumem.

Dixiſſes

Dixiſſes *Maurum* alterum, qui *Placidum*, non è lacu, ſed ex ipſo mari in continentem extraheret. Dixiſſes & *Petrum* alterum, qui ſicco pede perambularet maria; non ut ille, iturus ad Dominum; ſed ad amicum de vitâ periclitantem: adeo & periculis ſuperior ipſa caritas, & aquarum victrix; imò & morborum, & ejus, quæ ab illis mors impendebat.

Suâ doctus experientiâ teſtis erit *Mathias Matrei.* Jacebat hic affixus lectulo, & à medicis depoſitus, cùm ei intempeſtæ noctis ſilentio ſpectandum ſe obtulit B. Nerivs adhuc vivens, & ſpirans; eúmque de nomine compellavit, juſſitque illicò è lecto ſurgere: paruit, ſurrexit à febri liber, & morbo; ecce ut hujus, atque illius victrix eſt caritas, ex vero *Lucerna ardens*, ſed ardens à cœleſti igne, atque amore; hunc oſtende, ubi amico grave periculum videris imminere, memor illius, quod olim Romanus orator:

Lib.9. Epiſt. *Vt aurum igne, ſic benevolentia fidelis periculo aliquo perſpici ſolet*: uti è contra infidelis; quod Plinius eleganti ſimilitudine expreſſit.

Lib.10.c.24. *Hirundo*, inquit, *æſtate ad nos advolat, hyeme verò avolat: ita infidus amicus, lætis rebus præſto eſt, commutatâ fortunâ, deſerit amicum*; quod eſt contra amicitiæ leges & pacta; quia ut verè Sapiens:

Prov. c.17. v.17. *Omni tempore diligit, qui amicus eſt, & frater in anguſtiis comprobatur*: vel, ut expreſſius in Hebræo: *Frater in adverſitate naſcetur*: ita nimirum in hac probatur, ut in eâ primò natum dixeris; antea, nec orbi notum, nec natum: crederes adverſitatem illi pro matre fuiſſe, ut ex eâ non ex aliâ naſceretur; quod tibi, *Benevole Lector*, altè animo impreſſum velim ut amicum, ut fratrem eo proſequaris amore, quo Beatus Philippvs Nerivs.

§. 7. SANCTUS PHILIPPUS NERIUS Lucerna ardens *ab incenſo ſalutis alienæ zelo & pio animarum lucro.*

Bollandus 25. Ian. Virgo Deo ſacra, quæ *B. Henrico Suſone*, ceu patre ſpirituali, utebatur; viſa ſibi eſt in exceſſu mentis, eum videre tum ſacris operantem, tum etiam excipiendis confeſſionibus vacantem, tum denique dicentem è pulpito: circumfuſa autem illi erat frequens corona virorum, ac mulierum, & innumerabilis propè multitudo, è quibus hi propiores *B. Henrico* (qui ſcilicet à virtute, & gratiâ Deo propiores) remoriores illi, qui nimirum etiam remotiores à Deo.

Hæc ubi aperto mentis oculo legit pia Virgo; ſimul etiam audiit, circumfuſam illam multitudinem eos omnes exhibere, qui conſcientias ſuas, animaſque *B Henrico* commiſiſſent, è quibus ne unus omnium eſſet periturus; nimirum eos omnes ſibi, cœloque dari poſtularat *B. Suſo*, & poſtulanti Deus annuerat.

Tantum intereſt, quis in ſpiritu Pater, quis à confeſſionibus, quis à ſpirituali directione.

Quod *B. Suſoni* indulgens Numen: & hic Sancto Philippo Nerio: circumdabat eum corona, ceu novellæ olivarum in circuitu menſæ ſpiritalis; ſeu ad Aram faceret ipſe, ſeu Dei Verbum jactaret è pulpito, ſeu pœnitentibus aures daret: Et verò quidni circumdaret eum, in quo & agnoſceret, & ſuſpiceret inſignem zelum animarum. Hic ſe prodidit vel maximè erga inveteratos peccatores, quos charitate, atque indulgentiâ vincebat, quos nemo alius rigidiore ſupercilio, pœniſque impoſitis viciſſet.

Teſtis erit unus aliquis, qui ut eſſet uni flagitio addictus, immerſuſque totus, ita emerſit. Cùm enim id unum ei injunxiſſet pius Pater, ut toties confiteretur, quoties in illud ipſum relabi contigiſſet: paruit ille, & hac pœnâ quali quali, levi certè ſed ſalutari, ita ſibi, virtuti, Deoque redditus eſt, ut & ſcelus omne depoſuerit & Angelicum propè animi nitorem acquiſierit. Lib. 2. c. 8.

Eadem Indulgentiâ vicit, fregitque inſolentem adoleſcentis animum, vitamque ſolutiorem; cùm enim id ei pœnitentiæ injunxiſſet, ut quot diebus *Salve Regina* ſepties decurreret, addito deinde terræ oſculo, & unà cum oſculo terræ, ceu communis matris, adjeciſſet & illa verba: *Cras fortè moriar*, poſt modicum temporis in alium virum abiit, obiitque non ſine famâ virtutis, ac ſanctitatis. Ecce quò animas, quò peccatores, etiam vel maximos provehat indulgens caritas; contra quam peccant ſeveriores illi confeſſarii, qui ſupplices, & ad genua abjectos pœnitentes, ſic excipiunt; ut & verborum tonitrua, & minarum fulmina jacere videantur; nec tam allicere ad pœnitentiam, quàm avertere, ac deterrere; in alios cenſores ac judices ſeveri, in ſe autem planè indulgentes: de quibus ſic aliquando D. Bernardus:

Serm 4. de Adv. *Nonnulli tam vehementer contra aliorum delicta zelantur, ut videri poſſint eſurire, & ſitire juſtitiam, ſi eſſet apud eos, de ſuis quoque peccatis judicium idem: ſed nunc pondus, & pondus; nam contrà alios tam impudenter; quam inaniter æſtuant, & ſeipſos tam inſipienter, quàm inutiliter palpant.*

Non ſic B. Nerivs; non ſic ipſe Salvator, qui & mulieri in adulterio deprehenſæ, nihil duriuſculè dixit, nihil acerbiùs intulit; ſed unum illud amabile: *Mulier, ubi ſunt, qui te accuſabant? Nemo te condemnavit; nec ego te condemnabo. Vade, & jam amplius noli peccare.* Ioan. c. 8. v.10. 11.

Hanc nempè indulgentis caritatis manſuetudinem in Chriſto exprimebat, qui intus ardebat Animarum Zelus, ut deinde arſit in B. Nerio, à quo & arsêre peccatores, qui ad illum ventitabant, quos ipſe cœlo intulit propè innumerabiles. Quem Animarum proventum, dum aſpiciunt, miranturque quamplurimi, in vulgus abiit illud, à Philippo Nerio Animas attrahi, ut à magnete ferrum, nimirum *magnes amoris Amor.* Et amor B. Patris, magnes erat amoris illius, quo in eum rapiebantur etiam graviſſimi peccatores, quos ut gratiæ, cœlóque pareret, nihil fugiebat ſeu laboris, ſeu doloris, non æſtus inſolentiores, ardoreſque ſolis, non gelidos Aquilones, aſperumque gelu, non pericula, non exilia, non pulchram per vulnera mortem, non famæ, nominiſque ſui æſtimationem, probè doctus ab Apoſtolo Dei miniſtros *in multâ patientiâ, in tribulationibus, in anguſtiis, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in longanimitate, in Spiritu Sancto, in Caritate, in verbo veritatis, in Virtute Dei*, animarum ſalutem quærere oportere; etiam *per gloriam, & ignobilitatem, per infamiam, & bonam famam*, ut dicere poſſet cum eodem Apoſtolo: *Os noſtrum, patet ad vos*, per Dei Verbum quod effundimus. *Cor noſtrum dilatatum eſt*, per ſalutis veſtræ curam, per amorem, per caritatem; à quâ etiam eò provectus eſt, ut ad Indos, remotaſque toto Orbe nationes excurrere pararet, niſi cœleſti monitu, vocéque *Magni Baptiſtæ*, juſſus eſſet Romæ ſubſiſtere; ut in eâ, velut in Veritatis ſpeculâ, & orbis univerſi luce, lucem effunderet ſuæ caritatis, & zeli divinioris ardores; quod & fecit luculentiſſimè, ingenti animarum bono, proventúque, qui quantus ſit, ex eo collige, quòd apud mortales eſt in pretio, atque æſtimatione.

In mendiculum, qui forte de viâ occurrit, effundat unus aliquis decem millia talenta, multum tibi effudiſſe videbitur; at judice Divo Chryſoſtomo, majus aliquid, qui animæ à gratiâ nudæ, ac pauperculæ, vel gratiæ guttulam affuderit.

 Amplius

Amplius dico: In manu tuâ, ſit terra, ſint maria, ſint cœli, ſit Orbis univerſus, & hunc dona liberali manu, majus aliquid donabis, ſi vel unam Deo reddideris animulam. Nempe hujus dignitas, atque pretium majus eſt ipſo Orbe univerſo; quod vel ex hoc confice, quod *hujus unius causâ, cœlum, terra, & maria condita ſint*, ut ſcitè D. Chryſoſtomus, qui ut eum in te animarum zelum excitet, ſpiritalem eleëmoſynam, cum corporali componit, & ait:

Tom. 5. Orat. adv. Iudaeos. *Qui dederit pauperi, famem ſolvit; qui correxit peccatorem, impietatem extinxit; ille corpus liberavit à dolore; hic animam eripuit à gehenna.* Hæc ubi altiore ſtylo extulit, tum effert & illud: *Oſtendit theſaurum, ne deſeras lucrum.* *Theſaurus* eſt anima, & ingens quidem: hunc & vidit, & in pretio habuit D. PHILIPPUS, ideoque nec illius *lucrum* deſeruit: ne deſeras & ipſe, ſi cœlo Deóque ſapis.

§. 8. SANCTUS PHILIPPUS NERIUS Lucerna ardens *ab incenſo in IESUM & MARIAM amore.*

VIdeo excelſis mentibus altè inſcripta JESU, MARIÆque nomina. Ita *B. Henrico Suſoni* inſcriptum amabile, Auguſtumque JESU nomen, *Bollandus 25. Ian.* in ea pectoris parte, quæ cor obtegit. Stylum nempe manu ſumpſit ipſe, duxitque per innoxiam carnem, in eáque cruento charactere expreſſit, quod in amoribus, quod in corde gerebat, JESU, nomen.

Quod pectori Suſonis dextra; hoc Dei manus in corde *S. Petri Thomaſii*, in hoc inſculpſit MARIÆ nomen, nomen auguſtum, nomen amabile; ut ex eo diſceres, inſculptum priùs, expreſſumque fuiſſe in illius amoribus.

Quod huic, & illi in pectore, in corde: hoc & *B. Veronicæ de Binaſco* in palmula: Hanc nimirum cœlo detulit bonus genius, *Veronicæ* obtulit, inſcriptaque illi oſtendit JESU & MARIÆ nomina; quòd ſcilicet ea prius inſcripſiſſet cordi ſuo, piiſque JESU & MARIÆ affectibus.

Quod illis; hoc & PHILIPPO NERIO, cui ut in ore frequens; ſic & in corde continuum erat JESU, *Lib. 1. c. 2.* MARIÆque nomen, quod ſcilicet etiam illi erat in amoribus puriſque deliciis, quas ut verbulo exprimeret, JESUM, & MARIAM appellare ſolebat. *Amores ſuos.*

Hinc illi noctu, diúque cum JESU, & MARIA dulce colloquium, & eò quidem ut inſomnis, in hac, & illo invocando nox abiret, eâ mentis ſuavitate, ut nocturnum, diurnumque tempus vix momentum crederet.

Hinc etiam ſuos omnes hortari, urgeréque impenſiùs, maximè verò ſub extremos vitæ dies, ut & JESU, & MARIÆ *Devoti*, & appellari gauderent, & eſſe.

Hinc denique, re etiam ipsâ teſtari, probareque, quàm JESU, MARIÆque amans eſſet, ut non voce tantùm proderet hujus, & illius amores; non corde retineret; ſed & opere exprimeret; illius cultum, honoremque in aliis ubique promovendo: adeo verum illud; quod ab incenſo in JESUM, & MARIAM Amore, *Lucerna* eſſet *ardens*.

Merces porrò, hujus, & illius ſeu amoris, ſeu ardoris, fuit ipſe JESUS: fuit & Auguſta JESU *Mater*, MARIA: ille dum ſe ſpectandum dedit Infantuli ſpecie ipsâ nocte Natalis ſui: hæc autem *Lib. 3. c. 2.* in extremâ cum morte luctâ in exitu vitæ mortalis, in aditu beatæ æternitatis. Quando enim potiùs? in hoc certè de Cœleſti gloriâ certamen eſt, de palmia agitur, & corona beatitatis, quam tum *Ibid. 4. c. 1.* Clientibus ſuis, & parare, & ſervare, & offerre ſolet, Pia Dei Mater MARIA.

Tuam appello fidem, tuam experientiam, ô *B. Margarita* Regis Hungariæ à natalibus filia, à virgineis amoribus, MARIÆ Cliens; imò & *Filia*. Iacebas paupere affixa lectulo, ultimoſque trahebas *Bollandus 29. Ian.* anhelitus, unáque cum iis etiam MARIÆ nomen, atque Amores; cùm tibi adfuit Auguſta illa, Cœli, terræque Regina, Virginum choris pulchrè ſtipata ad miraculum, ad ſtuporem; deferebat illa, tenebatque Virgineis manibus coronam miri candoris, gemmis & unionibus eleganter ornatam, quam & capiti tuo imponeret, & ſic redimitam, primò in cœleſte gynecæum admitteret, Virginumque Choros, tum etiam in cœli tecta, beataſque ſedes; quod & re ipsâ fecit. Nam & capiti tuo coronam impoſuit, & in cœlum, ac ſuperos eduxit.

Quod illi; hoc & B. PHILIPPO NERIO, quem & amplexu dignata Virgineo, & cœleſtibus deinde coronis.

Has nimirum ſibi texuerat tenello illo, pioque in Virginem, ceu Matrem, affectu.

Et has, eodem tibi texes, *Amice Lector*; & quidem primùm ab amabili, ac ſuaviſſimo JESU nomine, qui Bernardo teſte, tibi erit, *Mel in ore, melos in aure, jubilus in corde*: jubilus, inquam, in corde, à *Serm. 15. in Cant.* caſto illius amore, jubilus in æternitate, à cœli gaudiis, ac beatitate; ad quam etiam venies, vel ab ipſo MARIÆ nomine, favore, gratia. De quo ſponſorem habes *D. Bonaventuram*, MARIÆ clientem ac filium, in paucis ejus amantem. audi quid ille:

Qui gratiam MARIÆ acquirit, agnoſcitur à civibus Paradiſi, & qui habuerit characterem ejus, annotabitur in libro vitæ. En tibi duo, ad altiorem, id eſt cœleſtem vitam ſubſidia.

Primum eſt, MARIÆ *character*; ſeu MARIÆ *In Pſalterio.* nomen, & amor, quo qui fuerit inſignitus, annotabitur in libro vitæ, libro divinæ, æternæque prædeſtinationis.

Alterum eſt, MARIÆ *gratia*: favorque; quem, qui exhibuerit, oſtentaritque, veluti teſſeram in ipſo aditu æternitatis; agnoſcetur à civibus Paradiſi tanquam concivis, & incola cœleſtis illius Hieruſalem.

Ecce, quæ à JESU MARIÆque nominibus, gratia, gloria, felicitas.

§. 9. SANCTUS PHILIPPUS NERIUS Lucerna ardens *ex incenſo in ſacram Euchariſtiam amore.*

AMabilis Dei providentia, in ſacratiore Miſſæ ſacrificio, ſubinde quibuſdam ſignis, atque portentis oſtendit, quis ſit in Sacrificante pius animi ſenſus, quis æſtus, quis ardor.

Sic oſtendit in *S. Kentigerno* Epiſcopo Glaſcuenſi, cui ad Aras facienti, modò *columba nivea* capiti in- *Bollandus 13. Ian.* ſidere viſa; modò *nubes lucida* obumbrare; modò *columna ignea* inſiſtere: argumentum utique, quod extrinſecus exhiberet oculis; quod intrinſecus in magni Præſulis animo gerebatur.

Columna quippe, index erat illapſus Divini Spiritus. *Nubes* autem, utpotè ab aquis fœcunda, gravidáque, teſtis erat Spiritalis illius gratiæ ac fœcunditatis, qua in animas hominum, ceu molle ſolum, impluebat pius Præſul, acceptis aquis, id eſt gratiis, è fonte Euchariſtico.

Denique *Columna ignea*, ſignum erat divini illius ignis, id eſt, Amoris, quo totus ardebat, & quo deinde etiam alios incendebat.

Quod *S. Kentigerno*, cœleſtia illa prodigia de foris extulere; hoc intus eadem Dei bonitas B. PHILIPPO NERIO. Et quidem:

Primò ab illapſu divini in eum *Spiritus*; ſi quando in templum ſacra facturus veniret, veniebat in *Spiritu*, & eo quidem, ut ſæpiùs inter Miſſarum ſolemnia,

ſemnia, à ſe alienus eſſet, atque in Deum totus; ut neceſſe foret à miniſtrante admoneri, quam Sacrificii partem attigiſſet, ſeu Epiſtola legenda foret, ſeu Evangelium, ſeu alia peragenda Miſſæ cœremonia. Diceres *non agere*; ſed *pati divina*. Et ſanè

Lib. 2. c. 1 non agebat; ſed patiebatur ab illapſu Divini *Spiritus*, quo ſic abibat à ſenſibus, abibat à ſeipſo, ut in Deum totus iret, ac ſubinde à terrâ ſublimis, & quaſi pendulus in aëre appareret ad cubitum unum, eóque amplius à terrâ elevatus. Ita nimirum, ſenſilis corporis molem, pondusque attollebat, qui in eo erat cœleſtis *Spiritus*, ad quem etiam accedebat

Veluti quædam *Nubes*, ſeu tener aliquis pietatis ſenſus, qui ubi mentem occuparat, ceu gravida nubes; ſeſe deinde reſolvebat in lacrymas, ceu pluviam molliorem, calentemque; quæ in genas, in os, ſubjectamque veſtem defluebat, ſibi primùm fœcunda; dein etiam aliis, quos perpluebat, imbuebatque eodem religionis ſenſu; imò & in lacrymas excitebat: Crederes eam, quæ Sacrificanti B. Nerio incubuerat *Nubes*, ad alios aſſiſtentes transferri; eodem, quo illius ſpiritu, quem etiam ad extremum illuminabat accendebatque

Columna ignea, ceu Ignis Divini amoris, à quo illi non ſemel facies & lucere viſa eſt, & ardere. Ita nimirum, qui intus latebat, erumpebat ignis, prodebatque ſeſe etiam aſtantium oculis. Hoc porrò lumen, hic ardor ab Euchariſtiâ manabat, ceu fonte luminis, ceu fornace divini amoris.

Bollandus 20. Ian. Cùm ſacris operaretur *S. Euthymius Abbas*, cognomento *Magnus*, Angelos vidit ſecum unà Deo miniſtrantes, & ſacra contrectantes; tum deinde cùm ſacroſanctas Hoſtias populo ſumendas diſtribueret, ex iis, qui eas ore excipiebant, aliquos aſpexit illuminari; obſcurari alios: hos cœleſti quadam luce, ſplendoréque perfundi, & clarere; illos autem tenebris, ceu atrâ nocte, tegi, atque obrui. Nimirum illi purâ mente, atque illibatâ ad ſacratiores Epulas accedebant; hi contrà, impurâ, atque contaminatâ. Et hinc in illis ſplendor quidam igneus; in his autem obſcura veluti quædam nox. Diceres illis oriri ſolem, & à ſole lucem aſpergi benigniorem: his autem occidere, & ab illius occaſu denſiores incumbere tenebras. Et verò illis oriebatur Sol juſtitiæ Chriſtus; oriebatur, inquam, à Gratiâ, his autem occidebat à peccato.

Quod illis: hoc & D. Philippo Nerio. ſi ad Aras conſiſtebat, ſi Miſſam faciebat, ſi Hoſtias ſacratiores populo diſtribuebat, & manus illi, & facies lucere, ardereque videbatur; & meritò, quia illi ab amore & lucebat, & ardebat animus: & quidni arderet à Chriſto qui inſtar Ignis eſt?

Bollandus 4. Ian. *B. Angela de Fulginio* (cujus corpus adhuc integrum, *Fulginii* vidi, ac ſuſpexi) Chriſtum aliquando in animâ ſuâ ſenſit, & tunc, inquiebat, *erat ſicut Ignis*; ſed *Ignis ſuavis amoris*. Quod huic; idem & B. Nerio. Si quando in Epulo Euchariſtico, in ſtomachum, in animam illius deſcendiſſet Chriſtus; erat illi *ſicut Ignis*; ſed *Ignis ſuavis amoris*; quo ut calere, ut uri poſſet feliciùs, amabat & diutiùs calere, atque uri; utque poſſet, impetravit à *Gregorio XIV. Pont. Max.* ut celebrare ſibi liceret in ſacello ſecretiore, cubiculo vicino: quod cùm faceret, ubi ad *Agnus Dei* ventum erat, ſecedebat miniſter, ſecedebant & qui aderant, tum clauſis probè feneſtris omnibus, clauſo & oſtio, eum ſolum relinquebant, ut ſibi, Deoque vacaret liberiùs; adjecta extrinſecus & illâ voculâ *ſilentium*, *Pater celebrat*; ne quis ſcilicet aut verbo interturbaret, aut ſtrepitu: deinde poſt duas horas, eóque amplius, redibat miniſter; & ſi fortè oſtium pulſanti reſpondiſſet, intrabat; tum ſacrum peragere, & abſolvere, eo æſtu ſeu amoris, ſeu pietatis, qui omnes incenderet.

Hic mihi, hic Lector movebitur ea quæſtio, quid ageret id temporis vir Dei, ab illis voculis, *Agnus Dei*, ad reliquum, quod ſupererat Sacrificii?

Cœlum novit, novit & Deus; noverat & ipſe, qui Deum, & divinas illas Epulas per ſacrum illud otium guſtabat, eò uberius, quò diutiùs. Et certè quidni guſtaret, qui in eo Epulo incredibilem, & longè ſuaviſſimum ſaporem experiebatur?

Nimirum id Sanctis mentibus uſu venit, ut in menſâ Euchariſticâ, ciboque illo diviniore, mirabilem ſentire ſoleant ſaporem. Ita ſentiebat *B. Angela de Fulginio*, ita & B. Philippus, ita & alii; quibus ad illum ſaporem expeditus eſt guſtus, & quibus ad panem Angelorum Angelicus eſt animus, Angelicum & corpus; uti erat & B. Nerio, ad quem in extremâ morbi ægritudine conſtitutum, deſcendo, & finio.

Cùm à fluxu ſanguinis eò veniſſet, ut nec micare arteria, nec ſpes reliqua vitæ eſſe videretur; *Cæſar Baronius*, tum Oratorio *Præpoſitus*, extremâ illum Unctione muniendum putavit, ac deinde cùm ſibi paululum redditus eſſet, etiam ſacro Viatico. Ubi porrò in cellulam illatum *Venerabile Sacramentum*, illicò collecto ſpiritu, vocéque exclamavit B. Philippus: *Ecce amores meos, ecce bonum meum unicum. Date quàm citiſſimè, date amores meos.* Ita nimirum Euchariſtiam appellabat: & quidni ſic appellaret, qui ab incenſo illius amore *Lucerna* erat *ardens*.

Ut & ipſe *Lucerna* ſis, non extincta, ut mortalium plerique: ſed accenſa, atque ardens: priuſquam venias ad *Euchariſtiam* ceu fontem lucis, ceu ſacri ardoris fornacem; vide ut animum appares, ut ignita afferas deſideria; ignitoſque amores: tantum enim & lucebis, & ardebis ab Euchariſtiâ jam ſumptâ; quantum priùs in teipſe & luxeris, & arſeris, quod *D. Catharinam Senenſem* edocuit ipſe Chriſtus ſimilitudine familiari. *Dialog. c. 110.*

Sint, inquiebat, quamplurimi, qui candelas apportent, ut accendantur. Hic unius unciæ proferat, alter duarum, ille ſex; alius etiam unius libræ, & ponderis, ab accenſis candelis ſua cuique lux erit, ſuus calor, ſuus ignis: at illis minor, huic autem major.

Sacro-ſancta Euchariſtia, ut jam dixi, fons eſt luminis, eſt fons & ardoris, ſed cœleſtis ac divini. *Candela*, quam portas ipſe, ut eo ſeu lumine luceat, ſeu ardeat igne; eſt *deſiderium* tuum, votum tuum; ſi ſit illud unius duntaxat unciæ, hoc eſt exigui ponderis, ecquid mirum ſi puſilla ſit lux, ſi leviuſculus ardor; ſi exilis amor Dei tui, Chriſti tui? Sin autem ſit unius libræ, hoc eſt ingentis omnino molis ac ponderis, certè ab illo, & flamma luculentior, & æſtus major, & ignis erit ardentior; & ſubinde tantus, ut in divini amoris excreſcat incendium.

§. 10. SANCTUS PHILIPPUS NERIUS Lucerna ardens *ab incenſo in Deum amore*.

Beata *Angela de Fulginio*, vidit aliquando, *Amorem Dei* ad ſe de cœli regiâ venientem, quo habitu, *Bollandus 4. Ian.* quo vultu, non explicat; cœleſti utique; & ad ſcenam illam amabilem parato. *Fuerunt*, inquit, *aperti oculi animæ meæ, & videbam Amorem, qui veniebat verſus me, & neſcio dicere aliquam ſimilitudinem coloris*, quia ſcilicet, ſub ſole nullus ei ſimilis color: uti & nullus ſimilis Amor.

Is porrò Dei amor, veluti ſubingreſſus ima pectoris, ima cordis, miros in eo motus excitavit.

Unus fuit, rerum omnium creatarum, *deſpicientia*, & illarum veluti quædam nauſea: *Nolebam*, inquit, *nec videre, nec audire, nec ſentire aliquam creaturam.*

Alter fuit, *Languor* quidam *amabilis*. *Languebat*, inquit, *anima mea*, ut dicere poſſet, *Amore langueo*, & langueo ad mortem uſque.

Alius

Alius fuit, *diſruptio*, & quaſi *divulſio quadam membrorum*; maximè verò *cordis*, quod ſua de ſede, ac ſtatione dimoveri videbatur, non ſine ingenti doloris ſenſu.

Poſtremus, *conſtans, & obſirmata quadam, Deo per Amorem adhærendi, voluntas*, quæ erat ejuſmodi, *ut ſi*, inquiebat, *certiſſimè me ſcirem damnandam, nec dolere poſſem, nec deſinere Deum amare.* Ita ſenſui ſtuporem induxerat Amor; ſed amabilem, nempè, nihil ſentit amans, dum amat; quia illi in amore ſenſus eſt omnis.

Quod *B. Angela*: hoc & S. PHILIPPO NERIO; utque ad illam venit *Dei amor*; ſic etiam ad hunc. Juvat illius meminiſſe temporis. Imminebat dies Pentecoſtes, dies Spiritui Sancto, dies Amori divino ſacer ac dicatus; cùm B. PHILIPPUS æſtu quodam, ſeu Orationis, ſeu Amoris aliore, Spiritum illum Paracletum invocare cœpit ardentiùs. Et ecce inter illos ardores, venit *divinus Amor*, & PHILIPPI pectus, intimáque cordis ſubintrat, & hinc velut impar illius, ſeu amoris, ſeu ardoris: Primùm in terram delabi ſe ſinit, quia nimirum ſeipſe non ſuſtinet. Deinde togam explicat, ſinum aperit, ut qui in pectore, cordéque latebat *Amor*, aperto veluti ſinu, quà datâ viâ, expiraret. Tum etiam toto corpore commoveri, ac contremiſcere ſe ſentit. Denique ea vi, eo impetu cor palpitare; imò etiam exſilire, & quaſi de pectoris gremio, lectulóque excedere, ut coſtæ duæ, quæ illi erant pro vallo, muroque diſrumperentur, & earum partes divulſæ, diffractæque, à ſe invicem abirent, quatuor digitorum intervallo. *Lib. 1. c. 6.*

Et hinc totâ vitâ, è regione cordis, illi in pectore relictus eſt tumor aliquis uno pugno craſſior, qui vel maximè patuit, ubi poſt annos omninò quinquaginta, ab exceſſu felicis animæ, apertum eſt ſacrum illius pectus.

Ecce amabilem, ecce mirabilem vim Amoris, quam non patitur, non ſentit, niſi qui amat. Ita porrò ſenſit, ita paſſus eſt B. PHILIPPUS, qui ab illo intimi amoris æſtu, eos etiam in corpore patiebatur æſtus, atque ardores, ut etiam adultâ hyeme, rigidoque Cœlo ſotannam à pectore diducere cogeretur, quaſi impatiens illius, qui intus ardebat caloris, qui ut expiraret, explicato ſinu, frigidiorem captabat hauriebatque aërem. Et hic primus effectus fuit illius palpitationis; æſtuantis utique à cœleſti Amore, cordis.

Alter, iſque ſatis frequens; fuit quidam corpuſculi languor, natus è Dei ſui Amore, quo ita debilitari ſe ac frangi ſentiebat; ut deficientibus viribus lectulo ſe inſternere cogeretur, jactareque interim illud ſponſæ, id eſt, amantis Animæ: *Fulcite me floribus, ſtipate me malis: quia amore langueo.* Et hic alter Amoris effectus.

Alius fuit, ægritudo corporis, alia ſubinde, atque alia, orta ex inſolenti illa cordis palpitatione, à quâ dum laborare ſe ſentiret, exclamabat illud amantium: *Vulneratus Caritate ego ſum.*

Poſtremus denique, mors ipſa, quam indubiè attuliſſet languor amabilis, & deficiens à cordis palpitatione corpuſculum, niſi illud, etiam miraculo, Dei manus ſuſtinuiſſet. Hinc auditus non ſemel languidulâ voce emittere illud in cœleſtes auras:

O Domine! ô Domine, amore tuo langueo; amore tuo morior. Et certe mortuus illicò fuiſſet, niſi eum ſibi, ſuiſque, Deus cœleſti prodigio, diutius ſervatum voluiſſet.

In D. *Antonii* laudes, qui ſæpiùs ivere, religioſi filii; eum dixere *Deicolam*; & quod amplius fuit, *Θεόφιλον*, id eſt, *Dei amantem.* Quod illi, de D. *Antonio*; hoc & ego, de PHILIPPO NERIO. *Deicolam* appellabo; quod ſi nec illud ſatis. *Θεόφιλον*; *Dei amantem* eſſe dicam; & cùm hoc dixero, omnia de illo dixero. Eſt enim Dei amor, compendium quoddam virtutum omnium, & ſumma perfectionis, eſt culmen Sanctitatis. *Bollandus in ejus vita 17. Ian.*

Perfecta charitas (inquiebat olim D. Birgittæ ipſe Chriſtus) *illa eſt ad Deum, quando homo ſibi de ſe nihil relinquit, ſed ad omnem virtutem ac perfectionem ſe dilatat.* Ut & teipſe ſic dilates aliquando, ſub oculos ponam quatuor amores, quos olim in exceſſu mentis aſpexit *B. Magdalena de Pazzis.* *Extra Revel. c. 44.*

Primus, eſt *otioſus*: hoc in otio infinitas Dei perfectiones contemplatur anima, in Deoque omnia videt, in ſe verò nihil. Hinc Deum ſuſpicit, ſe deſpicit, & ſic in ſuo illo otio magna operatur. *Puccinus in ejus vit. 3. P. §. 14.*

Secundus, eſt *anxius.* Anxio quippe deſiderio, & quaſi inſatiabili, ad illud anhelat, ut Deum, ceu amores ſuos, cognoſcant, & ament univerſi.

Tertius, eſt *ſatiativus*, qui ſcilicet Deo gaudet, Deo delectatur, Deo paſcitur, & ſic quidem, ut illi Deus unus ſapiat, deſipiant cætera.

Quartus, eſt *mortuus*, nempè, qui nihil vult, nihil cupit, niſi quod Deus vult, aut cupit.

Per hunc amorem *Deo ſeſe adjungit* homo, inquit Epictetus, qui deinde quærit, ecquid *appellus ſeſe Deo adjungere?* & reſpondet: *Ut quod ipſe volet, ipſe quoque velit; & quod nolit, ab eodem ipſo abhorreat.* *L. 3 Enchir. c. 10.*

Hæc ubi ad alios extulit; tum ad ſeipſe redit, & ſic de ſeipſe, verénè hîc non diſputo, certè ex virtute dicta aſſero.

Ei quod accidit, inquit, *ſemper acquieſco, melius enim eſt quod vult Deus, quàm quod ego volo. Adſum ei ſervus & miniſter, adeóque pediſſequus, ad eadem contendo, nec alia expeto, idemque quod ipſe volo ego quoque, & ſentio.* *Lib. 4. c. 7.*

Hæc ille, Ethnicus licèt, quæ vix dicet Chriſtianus, nedum faciet. Et tamen ut faciat oportet, ſi modò Deum amet: eò enim tum ferri, eò inclinare neceſſum eſt, quò fertur & inclinat Deus.

Amor meus, pondus meum, illo feror, quocumque feror, inquiebat olim Auguſtinus, & verè: omnis enim amor pondus eſt; & quis ſit inde dignoſcitur, unde inclinat: Si ad cœlum aſſurgit, cœleſtis eſt; ſi ad Deum, audeo dicere divinus eſt. Vide modò quis in te ſit, utque videas, attende, quò incliner, quò vergat pondus amoris. Si ad Deum, benè habet; ſin ad creaturas, quàm peſſimè. *Epiſt. 89.*

Sed & alius Dei amor eſt, & is dicitur *exſtaticus*, qui exſtaſes patitur, & exceſſus eos amoris, ut anima excedat extra ſe, & ſubinde etiam extra corpus, pulſa ex eo vi impetuque amoris.

De hoc ita Tereſia: *Poteſt creſcere adeo amor, & deſiderium Dei, ut ſubjectum naturale illud ferre nequeat, aliqua perſona ita ſunt mortua.*

Et ita mortuam ferunt *D. Catharinam Senenſem*, de qua Surius: *Amoris Chriſti in ea tanta vis fuit, ut cor Virginis à ſummo uſque deorſum crepuerit, ruptiſque vitalibus venis, ſola vi divini amoris ſpiritum reddiderit.* O amabilem! ô mirabilem vim amoris! *In ejus vita 29. April.*

Hanc ſenſit *Catharina*, hanc *Tereſia*, hanc & Beatus PHILIPPUS NERIUS, atque utinam hanc ſentiamus & ipſi: & ſi à morte cadendum ſit, non alia cadamus manu quàm amoris. Feliciter cadit, qui amando cadit.

DE

DE SANCTA VRSVLA URSULINARUM PATRONA.

PROOEMIUM.

HOc mihi ab tua humanitate polliceor, *Amice Lector*, futurum ut à te probetur judicium hoc meum, quo D. URSVLÆ locum inter Fundatores Ordinum Religioſorum faciendum eſſe cenſui: datum illud & venerationi Sanctiſſimæ Virginis ac Martyris, & novo ſacrarum Virginum Ordini Religioſo, quas à S. URSVLA *Vrſulinas* appellare placuit.

D. URSVLA ſibi quondam Sodalitium elegit, & quidem Virgineum ac ſanè numeroſum, undecim millium Virginum.

Has collegit è Magnæ Britanniæ regno, futuras deinceps ſuperni Regis, id eſt Chriſti, ſponſas, à niveo primùm Virginitatis nitore candidas, tum ab effuſo illius causâ ſanguine purpureas.

Has etiam ut Magiſtra optima, probatiſſimo docendi genere, verbis ſimul & exemplis ad omnem morum honeſtatem, perfectioniſque Chriſtianæ diſciplinam inſtruxit, in longa illa, ac difficili, quam unà cum illis inſtituit, peregrinatione: Et hæc prima fuit D. URSVLÆ Societas & Congregatio: non quidem votorum aſtricta vinculis; ſed tamen aliquam religioſæ obſervantiæ ſpeciem præferens, cui deinde poſt multa ſæcula acceſſit altera *Vrſulinarum Virginum*, approbata primùm à *Paulo III.* Fel. Record. Anno 1544. qui etiam illi nomen hoc fecit, *Societatem Vrſulæ*. Quæ deinde confirmata à *Gregorio XIII.* Pont. Opt. Max. Anno 1572. & hoc rogante *S. Carolo Borromæo*, ut hunc quoque tam ſanctum Præſulem ac *Patronum* haberet hæc nova Societas, quæ etiam à *Paulo* hujus nominis *V.* confirmationem accepit; Anno 1618. & illud quidem urgente Eminentiſſimo *Franciſco Cardinale de Sourdis*, Archiepiſcopo Burdigalenſi. Denique ab *Vrbano VIII.* & hoc ex voto Sereniſſimi Principis *Ferdinandi Bavari*, Electoris Colonienſis, & Principis Leodienſis Anno Domini 1619.

Ecce quot Summorum Pontificum Bullis, tanquam oraculis inſtituta, approbata, & firmata fuerit illa *Vrſulinarum Societas*; fortunatâ ſanè ac felici appellatione, quæ & boni nominis eſſet, & ominis; quòd ſcilicet in ea magnæ Virginis & Martyris inclytæ, non nomen tantùm (quod inane eſſet, & vacuum laudis) ſed & virtutem, & divinæ gloriæ zelum eſſent aliquando conſecuturæ; & hoc in colligendis puellularum Virginumque manipulis, quas ad pietatem moreſque probos, ſimul ad artes ei ætati, ſexuique idoneas ac proprias erudirent, nobili ſanè, utilique inſtituto, cui initium dedit *B. Angela Brixiana*, Virgo notæ ac ſpectatæ virtutis & ſanctitatis, cui ſtimulos addidit, exhibita illi alia atque alia de cœlo ſpecies: *Ægidius Gelenius l. 3 Syntag. LXXXIV.*

Prima fuit Sororis ejus quam vitâ functam vidit in cœlum efferri, duce ipsâ Virgine Matre; deinde & audit illud: *Eris nobiſcum Angela, ſi perſeveraveris.*

Altera fuit ingentis ſcalæ, quæ à terra in cœlos uſque porrigebatur: per hanc Virgines binæ, & binæ, ordine longiſſimo ad Superos aſcendebant, binis etiam Angelis earum latera ſtipantibus. Hac imagine dum oculos paſcit, & animum recreat pia Virgo, ſimul etiam aure excipit iſtud: *Angela non morieris, priuſquam Societatis ſimilium Virginum ſis fundatrix.*

Manſit illud altâ mente repoſitum: ſed anni fluxerunt quamplures, antequam illi Vaticinio reſponderet eventus: reſpondit tandem, urgente etiam variis ſtimulis divino Numine: Primùm enim, à confeſſario monita eſt *Angela*, ut Cœlo, Deoque vocanti pareret; tum etiam occulto, cœleſtique compulſa eſt inſtinctu, cui dum non ſtatim obedit, vel timore, vel pudore victa, graviter ab Angelis afflicta fuit & verbis acrioribus, & flagello duriore: ut quam verba non flexerant ad Dei nutum ac voluntatem; verbera inflecterent, imò & cogerent.

Ceſſit igitur *Angela*, & Virgines ſupra ſeptuaginta, in unam veluti Societatem coëgit, Scholáſque excolendis puellulis erectas aperuit. Et hinc initium duxit ea Societas, cui etiam *Angela*, à D. URSVLA, *Vrſulinarum* nomen indidit, quæ primùm Italiæ finibus ſeſe continuerunt; deinde per Belgium & Germaniam diffuſæ ſunt ac propagatæ; ingenti ſanè & ipſarum, & Eccleſiæ bono. Habes, *benevole Lector*, conſilii mei & ſimul inſtitutæ, de S. URSVLA, panegyricæ diſſertationis rationes: eas approba, & benè vive ac vale.

QUÆSTIO PRIMA MORALIS.

Ad illa verba: *Mulierem fortem quis inveniet?* Proverb. c. 31.

QVÆ SIT ILLA MVLIER FORTIS?

HAnc quæſtionem injecit olim Sapiens, nec ſolvit: oculos reflexit ad ſæcula jam præterita, nec ſuo calculo mulierem fortem invenit; ad ſuam ætatem aſpexit, neque in hac reperit. Si mentis aciem ad futura extendere potuiſſet, eaque quaſi præſentia proſpexiſſet; inveniſſet utique *Salome*, invictam Heroïnam; & magnarum mentium, id eſt Machabæorum, Matrem. Inveniſſet deinde *S. Felicitatem* & nomine, & re felicem, & à ſeptem filiis ac Martyribus fœcundam. Inveniſſet & *S. Symphoroſam* etiam à ſeptem prolibus, ac martyribus nominatam. Inveniſſet denique (ne omnes conſecter) S. URSVLAM, Virginei exercitus Du-

cem, ac bellatricem fortiſſimam. Verbo uno *Mulierem fortem*, vel (ut hebræa vox habet) *Mulierem virtutis*, vel (ut Aben-eſra) *Mulierem divitiarum*, vel (ut Septuaginta) *virilem, maſculam*, vel denique (ut alii) *Mulierem exercitus*. Quæ ſit illa quæris?

D. Bernardo, eſt Virgo Dei Mater MARIA. Quæ enim potiùs? hæc enim & ſerpentis tartarei caput contrivit, & Dei Filium, vinci tot ſæculis neſcium, vicit ipſa, & è ſinu Patris excivit: quod divinæ fortitudinis fuit.

Aliis, Mulier fortis eſt *Anima Sancta, Virgo & Martyr*. Mihi hodie erit URSVLA. Ex vero *Mulier fortis*.

Mulier virtutis, de quâ dici potuit, quod olim de Viro virtutibus illuſtri *Statua virtutis*. Verè enim URSVLA in ſpiritali Eccleſiæ ædificio *Statua* fuit *virtutis*.

Mulier divitiarum, ſive genus ſpectes, & regiam domum, ſive gazas opulentiores, ſive virtutes, quæ animi divitiæ ſunt, & veræ divinæ, quibus Cœlo dives eſt, ceterà pauper.

Virilis & maſcula, à fortitudine, & conſtantia planè virili, & maſcula; à quâ convenire illi potuit iſtud Sapientis: *Fortitudo, & decor indumentum ejus*.

Denique *Mulier exercitus*, ut quæ ſub ſignis ſuis habuerit Virginum & Martyrum undecim omnino millia; quibus ut dignitate officióque præivit; ſic fortitudine, conſtantiâque Chriſtianâ, quam explicuit in triplici cum hoſte congreſſu, atque etiam triplici victoria, ut paucis exhibebit pagella ſequens.

PRIMUM PRÆLIUM

S. VRSVLÆ CVM PRIMO HOSTE, hoc eſt eximia corporis ſpecie ac pulchritudine.

NE me damnes, *Amice Lector*, ſi inſitam corpori ſpeciem, ac pulchritudinem hoſtem appellem animi: id facio cum antiquioribus, & ſapientibus, qui de eâ aliter, atque aliter ſunt philoſophati, & iſtud quidem ex illius aut naturâ, aut vitio.

Lib. de Rep. Iis, qui ex naturâ de eâ philoſophantur, *Pulchritudo maximè omnium amabilis, & naturæ privilegium*. Ita audiit Platoni, Philoſophorũ ætatis ſuæ principi.

Publio Syro, *Formoſa ſpecies, muta eſt commendatio*, quæ ſcilicet altùm loquitur, etſi taceat.

Carneadi, *Regnum eſt ſine ſatellitio*; ſibi nimirum ſatelles, ſive tutela eſt pulchritudo, cui benè volunt omnes; nemo malè.

De cultu Fœmin. c. 2. Tertulliano, *Fœlicitas eſt corporis, & veſtis quædam urbana. Accuſandus*, inquit, *decor non eſt; ut fœlicitas corporis; ut divina plaſtica acceſſio; ut animæ aliqua veſtis urbana*.

Hom. 9 de verb. Iſay. D. Chryſoſtomo, aureo oratori, *pulchritudo magnificum divinæ potentiæ opus eſt, atque donum*; ϑ ϑεȣ̃ ϲοφίας ἔργον, *divinæ ſapientiæ opus*.

Et hoc, inquam, eſt pulchritudo ex naturâ integrâ, ſibi gratiæque relicta; at ex vitio planè ſibi ipſi diſſimilis, ac diſſentanea. Ex hoc enim:

Theophraſto, *Fraus* eſt muta ac *Silens*, quæ ſcilicet fraudulentè, ac ſilenter per oculos ingreditur ad animum, eumque capit, occupatque molliore quadam voluptatis illecebra, peccandique libidine. Ita cepit olim, occupavitque *Davidem* vel uno oculorum conjectu.

Socrati *Pulchritudo, Tyrannus eſt*, & quidem crudelis, à cujus jaculis ſaucii cecidere etiam Heroës magni, qui à ferri acie non ceciderant. *Forma vincit armatos, ferrum pulchritudo captivat, vincentur ſpecie, qui non vincuntur prælio*, inquiebat Origenes.

Quod ſi à pulchritudine in fraudem vitiumque inducti multi, ſi multi victi; etiam induci vincique potuiſſet URSVLA. Fatendum enim pulchritudinem non aliis modò fraudi eſſe, ac vitio; ſed ſibi etiam ipſi: pugnat enim illa, & duas animi dotes, ac præſidia fortiſſimè impugnat, expugnatque, videlicet *ſapientiam, ac pudicitiam*.

Hinc illud Satyri: *Raram facit mixturam cum ſapientiâ forma*. Et hoc Poëtæ: *Lis eſt cum formâ magna pudicitiæ*. Et iſtud in pleriſque verum eſt quàm maximè; potiſſimùm verò in molli fœmineóque ſexu. At non ſic in URSVLA, in quâ cum formâ mixturam amabilem fecit Sapientia, nec litem pudicitiæ movit ipſa ſpecies corporis, & formæ gratia. Edomita nimirum erat formâ; & caro jugum ingentis animæ ferre docta, ab inſigni illa duce, ac bellatrice URSVLA. Cui ut primum cum pulchritudine prælium fuit: ſic & prima victoria; quam auxit, nobilitavitque

SECUNDUM PRÆLIUM

S. VRSVLAE CVM HOSTE SECVNDO, prima ſcilicet vegetâque juventute.

SCitè pronuntiavit illud D. Hieronymus: *Adoleſcentia multa corporis prælia ſuſtinet*. Primum eſt ab eo, qui in illa calet, æſtuatque libidinis igne: hic ut acer eſt & vorax, corpus ipſum invadit, inceditque; dein ab hoc evadit ad animum, & in ipſam mentis atque intelligentiæ arcem aſcendit; eamque complet impudicis ideis, atque imaginibus, ceu totidem eductis à tartaro hoſtium cuneis; Tum etiam voluntatem ipſam, ceu potentiarum Reginam Dominamque, pulſat, ſollicitatque ad deditionem, dato in eas conſenſu. Quid facias in eâ animi corporiſque pugna? qui hoſtem eludas? qui pellas? qui vincas? Non pelles certè, non eludes, non vinces ſine ſanguine, nobilique Martyrio. Ex quo illud D. Bernardi: *Caſtitas in juventute, martyrium eſt ſine ſanguine*. Epiſt. ad Nepotian.

Et hoc à primo, quod adoleſcentia ſuſtinet prælio, cui accedit & alterum à Mundi illecebris, & fuco blandæ voluptatis, quam nutrit augetque aulæ favor & gratia, regiuſque ſanguis, qui etiam in deliciis natare ſolet ac propè mergi; tum quia gazas habet auro plenas; tum quia menſam opiparam; tum quia alia omnia ſenſuum oblectamenta atque lenocinia: à quibus ut corpori; ſic & animo acre eſt ac crudele bellum præliumque; cui mox ſuccedit etiam

Tertium, ab inſito à natura in parentes amore, à quo ut corpore; ſic & affectu diſcedere, longè difficillimum: mentem enim ſæculo jam remotiorem, Deoque propinquam, ad ſæculum ipſum revocat, aut patris amor & reverentia; aut blandæ matris amplexus, & oſcula, molleſque lacrymæ; aut affinium amicorumque favor, & gratia: de quibus ſic olim ad Heliodorum D. Hieronymus.

Abierat ille primùm cum D. Hieronymo in vaſtam ſolitudinem: dein etiam ab illâ diſceſſerat: at quo victus hoſte? quibuſque armis? parentibus certè, atque conſanguineis, potentibuſque eorum illecebris, de quibus ſic ad illum, amico, ſed etiam acri ſtylo S. Doctor.

Nunc tibi blandis vidua ſoror hæret lacertis, nunc illi, cum quibus adoleviſti vernulæ, aiunt, Cui nos ſervituros relinquis? nunc & gerula quondam, jam anus & nutritius, ſecundus poſt naturalem pietatem pater, clamitat: Morituros expecta pauliſper, & ſepeli. Forſitan & laxis uberum pellibus mater, aratâ rugis fronte, antiquum referens mamma lallare, congeminet. Dicant ſi volunt & Grammatici. In te omnis domus inclinata recumbit. Epiſt. ad Heliodor.

Ecce hoſtes, ecce arma, ecce prælia, quæ ab amicis, & conſanguineis ſuſtinet adoleſcentia. Qui porrò fortiter ſuſtineat? qui vincat feliciter? Suſtinebit enim verò, vincetque, ſi blandis illis amoribus obfirmatum obduratumque pectus afferat, in Superos Deumque pius; in parentes autem affineſque, Chriſtianè crudelis: & *licet parvulus ex collo pendeat nepos*;

nepos; licèt ſparſo crine, & ſciſſis veſtibus ubera mater oſtendat; licèt in limine pater jaceat, per calcatum pergat patrem, & ſiccis oculis ad vexillum Crucis evolet. Hoc uno certus, *Solum pietatis genus, in hac re eſſe crudelem.*

Surius in ejus vita.

Et ita evolavit URSULA in hoc uno, & pia ſimul, & crudelis: hac pietate ſimul, & pià crudelitate, ceu clypeo, tecta in campum, in martium pulverem proceſſit URSULA. Et primùm pro tuendâ Virginitate certavit. Regius URSULÆ ſanguis, indoles regia; regiúſque formæ decor, & rara pulchritudo, longè, latéque diffuſa, ad Tyranni gentilis aures pervenerat, & filium (qui illi erat unicus) in ſponſum URSULÆ deſtinaverat.

Hinc ad Regem *Deonotum*, URSULÆ parentem adornata legatio, pro petendâ in ſponſam URSULA. Addita munera, donáque è gazis regiis, quibus & hujus, & illius animus capi poſſet; ſed & ſimul adjectæ minæ, & verborum fulmina, martiſque adverſi tonitrua, ſi fortè nuptias recuſaſſet.

Herman. Crombach Urſula vind. lib. 1. c. 3.

Quid hîc *Deonotus*, Catholicæ religionis, ſimul & Filiæ (quæ illi erat unica) amantior? ſi hanc nuptui tradat, gentili tradit; tradit & idolis, futuram fortè illis victimam. Et hoc crudele, atque impium. Si recuſet, timendus barbari Principis furor, arma, & ignes. Quid igitur conſilii? & hinc, & inde, periculoſæ plenum opus aleæ.

Cap. 4.

Legationis hujus capita audivit URSULA; audivit & parentis anxium pro ſe animum, inteque implexâ, non dubios metus, certaſque minas, & ab his immane belli armorumque pondus imminere ſenſit. Quò igitur mentem, quò conſilium vertat; admittere nuptias, & virginitatis jam Deo devotæ detrimentum erat, & unà fortè religionis ſalutiſque timendum à gentili ſponſo naufragium. Renuere, patriæ clades, & ruina urbium, ditionúmque paternarum ſtrages, atque incendia. Quid igitur? ad notas bonæ mentis artes, ad Cœli conſilia, ad divina præſidia confugit URSULA, intempeſtæque noctis ſilentio orationi vacat & Deo: Dumque ſic vacat,

Cap. 5.

fatiſcente corpuſculo in ſomnum incidit; in quo ei per amœnam ſomnii unius imaginem objecta futuræ deinde vitæ, rerumque gerendarum ſeries, ſuáque, & ſociarum Virginum, pro religione, pro fide certamina, trophæa, victoriæ, de quibus omnibus cœleſti oraculo jam docta, certáque; his nuptiis aliquando contrahendis (ſi Cœlum annueret) conditiones poſuit.

Cap. 6.

Prima, ut tam parens, quàm juvenis ille amaſius, ſibi deligerent Virgines decem; & genere, & forma nobiles: tum & ſibi, & ſingulis, mille alias colligerent, conſcriberentque.

Altera, ut undecim triremes pararentur; quas & conſcendere poſſent ipſæ, & vela facere, quò cœleſtis favonius duceret.

Cap. 7.

Poſtrema ut triennii ſpatium concederetur ad dedicationem, ſuæ, ut aiebat, virginitatis, torique maritalis inducias. Interea verò temporis & ſponſus in Chriſti fide probè inſtrueretur, & ſacro tingeretur lavacro.

Hæ conditiones legatis propoſitæ, atque acceptæ. Et in his, prima lineamenta ducta ſunt futuri deinde pro virginitate, pro Cœlo, Deoque congreſsûs.

Primùm enim hac arte, modóque, nuptias tot votis expetitas declinavit, & virginitatem, quam Deo jam voverat, in tuto poſuit, certa etiam pro illâ tuendâ mori. Et ecce primum cum hoſte prælium, primáque victoria.

Deinde & altera, de aulæ gratiâ, ac dælitiis aulicæ vitæ, imò & regiæ; quam ei pararat regius ſanguis; quem etiam effundere parata per longæ peregrinationis labores, ſudoreſque.

Denique, de patre, ac matre, à quorum caris amplexibus abiit, ut veniret in amplexus Cœleſtis ſponſi, etiam per medios barbarorum cuneos, per ferrum, & haſtas, per enſes, & mille tela, quibus obvium ferret pectus. Et ecce tibi, *mi Lector*, URSULÆ prælia, ecce victoriæ, palmæque nobiles, à quibus deſcendo ad

TERTIUM PRÆLIUM

S. URSULÆ CUM TERTIO HOSTE, vitæ ſcilicet amore, inſitóque illius tuendæ deſiderio.

ANtiquiores Sophi, ut ait *Ennodius*, effingebant duos amores: Uni nomen erat *Eros*, id eſt *Amor*. Alteri *Anteros*, quaſi contrarius amor. Hos inter acre certamen, quis quem vinceret. *Eros* enim dextrâ palmæ ramum prætendebat, quem ei rapere conabatur *Anteros*. Quis hic, & ille quæris?

Eros, amor eſt ſui, amor vitæ, iſque immodicus. *Anteros*, eſt Dei amor, & mortis ipſius Dei causâ. Hos inter perennis, & pertinax eſt pugna. Pugnat enim amor vitæ, & Dei amorem impugnat, etiam in præcelſis mentibus, etiam in martyribus.

Amor vitæ, à manicis, & compedibus; à ſqualore, noctéque carceris; ab equuleis, & cataſtis; à ſuppliciis; ab igne, ferróque, ipſáque mortis imagine revocat. Contra verò, *Dei amor*, ſanguinis, vitæque prodigus, ad vincula, ad enſes, ad ignes, ad immania quæque tormenta, ad ipſam mortem impellit. Ecce luctam, ecce pugnam hujus atque illius amoris, quis quem vincet? quis expugnabit? Vincet enimverò *Anteros*, vincet *Dei amor*.

Ita primùm vicit in Chriſto; ita deinde in Apoſtolis, invictiſque Martyribus.

Ita in ſanctimonialibus illius Cœnobii, quod fundarat *S. Modoaldus* Epiſcopus Trevirenſis, quæ *præoptarunt potius mori, quàm fœdari.* Sedem Petri tenebat *Clemens* hujus nominis *IV.* cum urbem Treviro-

Surius in Mago.

rum obſedere Nortmanni, certi & illam invadere, & occupare, & nemini parcere. Quid in iis rerum anguſtiis ſacratæ Deo Virgines? Cùm humana

Silveſter Petra ſancta Taumaſia Tom. 2. c. 14.

deeſſent omnia ad ſepulchrum S. Auſtini, ac Fundatoris ſui ſupplicandæ advolarunt, patrocinium ſuæ Virginitati apud illum, ut rebantur, inventuræ; & certè re etiam ipſa invenerunt; ſed non alia via, quam mortis. Res enim mira intra pauciſſimos dies ex hac mortalis vitæ luce migrarunt omnes, ac ſepultæ cum illibato pudicitiæ flore placidiſſimè quieverunt, priuſquam urbe Nortmanni potirentur. Ita nimirum & pugnare, & vincere doctæ Virgines illæ, non aliis armis quàm ipſa morte. Et ita etiam vidimus in URSULA ſociiſque Virginibus. Ita denique in excelſis mentibus, quibus in oculis eſt illud S. Ignatii ad Polycarpum:

Epiſt. 8.

Magni animi eſt, cædi; & vincere. Et ita vicit URSULA. Lubet illius meminiſſe. Poſt longæ navigationis tædia, laboreſque, tandem *Coloniam* appulit, unà cum Virgineis copiis, quas ad pugnam, ad cædem, ad victoriam, ad duplicem Virginitatis, ac Martyrii lauream cœlum evocabat: ut evocaret quàm citiſſimè, ecce Hunni, gens inculta, ferox, barbara, quæ fortè tum *Coloniam* obſederat, ut inaudiit eſſe in propinquo numeroſas Virginum lectiſſimarum turmas, in eas citatis equis incurrit,

Cap. 14.

& propè involat, non ſecus atque in agnellos feroces lupi.

Quid hîc URSULA? quid aliæ Virginum turmæ? an retrocedere? an fugam adornare? an detrectare pugnam? an nudatum ferrum extimeſcere? an vulnera? an mortem effugere? Minimè gentium. In URSULAM, in Virgines Deo jam ſacratas, nec armorum metus, nec ferri mortiſque horror cadere potuit. Stant omnes fixo pede, eodemque hærent veſtigio, paratæ pro tuendâ Virginitate ac Religione cadere ac mori: quod ne temerè fieret, ſine militari ſtatione, ſine lege, ſine modo ordinéque,

ſuas ipſa acies inſtruere atque explicare mihi viſa eſt Ursula, veluti Dux atque anteſignana ſacræ illius militiæ, quam in undecim veluti legiones diſtribuit.

Dignum Cœlo, dignum ſuperis, Deóque ſpectaculum; quod nulla hactenus vidit ætas, nulla viſura poſteritas. Rheni adlabentis ripas ingens erat atque effuſa planities, in hac ordines ſuos diſponit Ursula. In primâ acie mihi conſiſtere viſæ ſunt virgineæ legiones omninò quatuor; in ſecundâ totidem; in tertiâ verò tres: ſingulis autem præeſſe una ut genere nobilis; ita virtute præſtans ac robore, quæ cæteris animos faceret: media videtur, atque eminet Ursula, ut avito ſanguine, ac formâ; ita conſtantiâ militari, invictâque fortitudine omnibus ſuperior.

Ubi ſic in acie ſtetere virgines: ex adverſo incurrere viſæ ſunt armatæ Hunnorum copiæ, è quibus hi telis, ac ſagittis horridi; illi nudato ferro, enſéque formidandi; iſti bipennibus, & haſtis inſtructi; omnes in vulnera, in cædem, ſtragemque proni, ac præcipites. Ab his, pars Virginum una telis transfigitur; pars altera ferro cæditur; pars bipennibus ſecatur, & haſtis; & per immania vulnera, purpureas, imò & candidas, emittit animas; purpureas à Martyrio, à Virginitate candidas.

Quid hæc inter Ursula? hinc, & inde, ſolo inſtrata videt ſociarum Virginum cadavera ſuo merſa cruore; videt exuvias illas magnarum mentium, quæ cœlis jam receptæ, corpora terris reliquerunt. Una ſuis adhuc ſuperſtes Ursula; in quam illicò celeri curſu involat ſatelles, ferro arcúque timendus: jamque valido niſu arcum incurvat, armatque ſagittâ meliore: ſed, ô ingens naturæ bonum pulchritudo! ô potentes hujus illecebræ! ſimul atque Ursulam vidit, & in eâ formæ elegantioris miraculum; manum ſuſtinuit, iras repreſſit; & pronum ac præcipitem in cædes animum, à cæde tamen cohibuit: adeo verum illud, quod antè dixi: *Forma vincit armatos, & ferrum pulchritudo captivat.* Et certè vicit in Ursula, captivúmque tenuit & ferrum & animum ferocientis tyranni. Sed non diu vincet; quia Ursulæ continentiam non vincet. Mox enim adeſt Princeps barbarus, qui amabili illâ
cap. 11. virgineâque ſpecie captus, à minis, à ferro, & cæde, ad amatoria verba, blanditiasque deſcendit, & ſic illi paucis:

Gaude Virgo, & tibi, tuisque jam ſuperſtes; ſuperſtites & illæ, etiamnum forent, ſi prius in oculos veniſſes, ſi pro te illisque mihi ſupplex accidiſſes. Tua te forma, & vitæ ſervabit diuturniori, & regiæ, ſi modò annuis, fortunæ, regiisque mecum nuptiis, quas ne ſpernas, ne reſpuas, & Germaniæ domitorem, & Europæ propè totius victorem intuere, fruereque dum licet oblato tibi connubio: Sic enim & imperii mei conſors eris, & ſceptra manu geres, nobiléque capite diadema, quod augebunt, ornabúntque collectæ propè omnes Imperii Romani divitiæ: his utere, Virgo, dum licet.

Quid ad hæc Ursula? Enimverò, inquit, ſi quærendus mihi Sponſus, non è terris ille; ſed è cœli regiâ quærendus: & ſanè jam quæſitus. Æterni Patris is eſt Filius, generiſque noſtri Redemptor, *Sanguinum Sponſus*: data illi fides, datus & animus, & hæc, qualis qualis eſt corporis forma: ideóque ne verba, ne oleum perde, ſtat cum cœleſti Sponſo, Christo JESU, & vivere, & mori.

Dixit, & cervicem in vulnus inflexit, pectúsque obvium ferro obtulit. Nec mora; amor quippè in odium, ementitáque clementia in rabiem converſa, & arcum inflexit, & ſagittam emiſit in Ursulæ latus: è quo dum virgineus, isque copioſus ſanguis effluit; ſimul & effluit ingens anima; & in cœleſtia Sponſi amplexus, caráque oſcula proruit, ipſumque ſinum æternæ beatitatis.

Hîc pedem ſiſte, *mi Lector*, hîc oculos, hîc animum paſce; oculos quidem, fuſo veluti ſanguinis oceano; animum autem præclarâ illâ magnarum virtutum imagine, quas inter eminet conſtantia Chriſtiana, & ſupra ſexum, ſupra ætatem eximia fortitudo, ferro mortíque cedere neſcia. Hac ſibi ad ſuperos viam aperuit Ursula, hac ſociæ Virgines: eâdem & tu tibi feceris exemplo Martyrium, exemplóque Virginum.

Seneca, licèt gentilis, diſcipulos ſuos hortari ſolitus, ad audendum, ad patiendum, ad vincendum; & hoc tantùm vel exemplo eorum, qui ardua auſi ſunt, & paſſi gravia; in his, & illis ſemper victores. *Singula*, inquit, *jam vicere multi, ignem Mutius, crucem Regulus, venenum Socrates, exilium Rutilius, mortem ferro adactam Cato; vincamus & nos aliquid.* Epiſt. 96.

Hæc ille ad ſuos; eadem propè ego ad Chriſtianos. *Singula jam vicere multi*, Crucem Petrus, ferrum Paulus, ignem Laurentius, ſaxa Stephanus, feras Ignatius, exilium Chryſoſtomus, ſagittas Ursula: cataſtas, equleos, rotas, incendia, vicere Catharina; Lucia, aliæque Virgines pœnè innumeræ; *vincamus & nos aliquid*, certi non ſine pugnâ dari victorias; ut enim disertè Tertullianus: In Scorp.
Illorum victoriæ, quorum & pugnæ. cap. 12.

QUÆSTIO SECUNDA
MORALIS.

Ad illa verba: *Veni de Libano Sponſa mea, veni de Libano, veni coronaberis.* Cant. cap. 4. v. 8.

QVÆ SIT ILLA SPONSA? ET QVÆ CORONA?

SANCTI Patres, atque interpretes abeunt in tres ſententias, è quibus prima, cenſet Sponſum eſſe Chriſtum, *Sponſam* verò *Eccleſiam*; quæ è nivoſis, horridis, ſylvoſisque montibus, *Libano, Amana, Sanir*, & *Hermon* (hoc eſt, de Gentiliſmo, ubi inter infideles, atque idololatras, velut inter leones, pardóſque vixit) evocatur ad Fidem, ad gratiam, atque inde ad gloriam, coronamque beatitatis.

Secunda, per *Sponſam* intelligi credit *Virginem Deiparam*, quæ è mundo, ceu monte *Libano*, *Amana*, *Hermon*, & *Sanir* in Cœlos à Chriſto evocata eſt, ad immarceſſibilem gloriæ coronam; donatáque triplici *aureolâ*, ſcilicet eximiæ *Virginitatis*, *Doctoratus*, ac *Martyrii*, veluti primiceria Virginum, Doctorum, ac Martyrum.

Tertia, opinatur *Sponſam* eſſe *animam ſanctam*, cui Chriſtus Sponſus; & quocum primæ nuptiæ ſunt à fide, & primâ gratiâ, de quibus Oſeæ voce ſic cap. 2.
olim Deus: *Deſponſabo te mihi in fide.* ut enim Auguſtinus: *Deſponſationis initium eſt fides.* Secundæ, in

Cœli

Cœli regia, ſedéque beatitatis, & beatæ Æternitatis, de quâ ſic ille ipſe Vates: *Deſponſabo te mihi in ſempiternum.* Et in his nuptiis donatur, ornaturque ſponſa coronâ gloriæ.

Ex his Doctorum ſuper eâ re ſententiis, poſtrema in præſens faciet ad inſtitutum meum, atque ex hac pronuntiabo, & dicam illud, quod ex verò dici poteſt.

S. URSULA SPONSA CÆLESTIS SPONSI.

Vnde? & quò evocata? Ex capite Amana, Sanir, & Hermon, de cubilibus Leonum, de montibus Pardorum.

CUm Ursula, ceu Sponſa, primas nuptias contraxit cœleſtis Sponſus per Fidem, infuſamque illi in Baptiſmo gratiam, quam mirè deinde auxit, eâ, quâ ad ſponſum ivit vocatione: Secundas, quà ad coronas, ceu Regina proceſſit ad Dei thalamum, ſedémque beatitatis. De his poſtea, de illis modò.

Ad eximiam vitæ ſanctitatem, & gratiæ, ceu perfectionis culmen, evocata eſt Ursula voce *Veni*, tertiò à Sponſo cœleſti repetitâ. At cur inquies tertiò?

Primùm, ut inde noſſes, quo deſiderio, quibus votis, quo æſtu amoris arderet Sponſus, uſque veniret Sponſa, exoptaret.

Deinde, ut triplici illo *Veni, veni, veni*, ſatis inſinuaret evocari ſe ad Sanctiſſimæ Triadis obſequia, caſtóſque amores, atque amplexus, in quos ut veniret, evocata eſt de capite *Amana, Sanir*, & *Her-*
Ioan. ep. 1. cap. 2. *mon*, hoc eſt de *Concupiſcentiâ carnis, Concupiſcentiâ oculorum*, & *ſuperbiâ vitæ*.

Amana enim qui idem eſt, quod *nutrix*, carnem notat, & concupiſcentiam carnis.

Sanir, qui eſt, *mutatio novalis*, avaritiam deſignat, quæ eſt à concupiſcentiâ oculorum.

Hermon, qui *deſtructio*, atque *anathema*, indicat ſuperbiam vitæ, à quâ dilapidatur omnis animæ ſanctæ ſuppellex, bonáque omnia deſtruuntur: & hinc illi dicitur *anathema*, id eſt æterna *maledictio* indicitur: ne porrò indiceretur, Ursula evocata eſt primùm *de capite Amana*, id eſt *carnis concupiſcentiâ*, ſive luxuriâ per caſtitatem ac virginitatem, quam Chriſto, ceu Sponſo, vovit; & cujus amore, ſtudióque & terreni ſponſi amores deſpexit, & carnales nuptias; quibus ſpretis, abiit etiam de *Sanir*, hoc eſt ex aulæ luxu ac divitiis, longâ illâ, quam inſtituit peregrinatione, ac veluti exilio à patriâ paternâque domo. Tum ex *Hermon* exceſſit, hoc eſt è vitæ ſuperbiâ, cùm & aulam valere juſſit, & ſceptra coronáſque terreſtres contempſit. Denique è *cubilibus Leonum*, de *montibus Pardorum*, hoc eſt, ex immani Hunnorum manu; qui & animo ac feritate Leones ac Pardi: ab his, ceu feris, lacerata fœdeque laniata Ursula: non minus fortiter, quàm fœliciter evolavit ad cœleſte bravium, ad coronas. At quæ inquies illæ? & quàm variæ?

QUÆ S. URSULÆ CORONA?

FUit olim in terris; eſtque modò *Corona* præmium rei benè geſtæ, & inſigne gloriæ, dignitatis, ac majeſtatis. Eſt etiam, eritque in Cœlis nota beatitatis. Quod ne videatur à me dictum ex quadam oratoriæ artis licentiâ, aut ingenioſis Poëtarum figmentis; videndum nobis erit an Cœlo judice, vel beatis mentibus, vel bonis operibus, paratæ ſint coronæ.

Omninò paratæ, atque oculis etiam exhibitæ ſubinde in hac vitâ mortali, ſubinde etiam in alterâ immortali.

In Eleëmoſynas effuſus, & propè prodigus cùm fuiſſet *B. Ioannes eleëmoſynarius*, ei ſeſe viſendam dedit eleëmoſyna, ſpecie Virginis, cui corona con- Bollandus 23 Ian.
texta erat è ramis olivarum, ſymbolo utique atque ornamento piæ liberalitatis.

Ad ſupplicia, ad mortem intrepidus raptabatur *S. Iulianus*; cùm *Celſus*, impii Præſidis filius, eum 9. Ian.
cinctum vidit albatorum juvenum multitudine, & ab iis donatum coronâ ex auro & lapidibus pretioſis; utique virtutis ac fortitudinis inſigni. Sed hæc, inquies, data adhuc mortalibus: demus etiam quod immortalibus.

E vivis exceſſerat *B. Godefridus Cappenberga*, Or- 13. Ian.
dinis Præmonſtratenſis religioſus, cùm Abbatiſſæ apparuit aureo diademate coronatus.

Terris vivere deſierant, & cœlis jam cœperant Beatæ animæ *SS. Fructuoſi, Eulogii, & Augurii* Martyrum, jamque ad prima Cœli limina venerant, cùm à *Mygdono* & *Babylan*, fratribus, viſi ſunt coronati.

Maneat igitur, etiam in Cœli regiâ, domóque beatitatis, coronari felices animas.

At quâ, inquies, coronâ? aliâ certè atque aliâ, pro aliâ atque aliâ virtutum luce, & magnorum meritorum appulſu. ex quo Divæ Ursulæ, & ſociis offerri etiam poteſt alia, atque alia corona.

Caſtrenſis, Muralis, Civica, Triumphalis.

ROmanis rerum Dominis quadruplex erat: Prima dicebatur *Caſtrenſis*. Hæc dabatur iis, qui hoſtium caſtra penetrarant, verterantque.

Altera *Muralis* erat; ea inſigniti erant illi, qui hoſtiles muros, ac mœnia conſcenderant, expugnarantque militari robore, atque aſſultu.

Alia erat *Civica*: hac illuſtres ii omnes, qui ſagace conſilio, maturâque, ac ſenili prudentiâ, cives ſuos, ac patriam ſervarant.

Poſtrema denique erat ea, quæ appellabatur *Triumphalis*: eâ coronabantur illi, quibus publico Senatus-conſulto decretus erat Triumphus.

Si à prophanis aliquid in rem ſacram mutuari licet, atque à ſæculari militia ad Chriſtianam transferre; dicam, & quidem quàm veriſſimè, D. Ursulam donari poſſe *Coronâ Caſtrenſi*, ut quæ exercitum collegerit undecim millium Virginum, iiſque caſtra Mundi, caſtra Carnis, caſtra Dæmonum everterit.

Dicam & *Murali* inſigniri poſſe, ut quæ Cœli muros, altáque Empyrei mœnia ſuperarit etiam aſſultu, etiam vi, ac ſacro robore. Quo enim potiùs? certè *Regnum Cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.*

Dicam & *Civicâ* tegi poſſe, ut quæ Rempublicam Virginalem per longos Oceani terræque tractus, per mille pericula, inſigni prudentiâ, ac prudenti conſilio, ſibi, cœloque ſervarit, induxeritque tandem in portum beatæ æternitatis.

Dicam denique & *Triumphali* decorari poſſe, ut quæ in cœleſte Capitolium triumphantis in morem aſcenderit, profligatis, victiſque potentiſſimis hoſtibus, Carne, Mundo, Dæmone, totâque quantâ, quantâ eſt ſtyge, tartareiſque poteſtatibus. Verùm quia hæ coronæ, quales quales demum eæ ſint, petitæ ſunt ab ipſa gentilitate, profanóque ritu: erit qui malit è Scripturæ theſauro, divitéque gazâ erui. & illud perplacet.

Petatur ergo à *Salomône*, qui & inter Sapientes, & inter Reges facilè princeps. Erit illa

CORONA INCLYTA.

SIc enim aliquando de Dei ſponſa, de anima puriore pronuntiavit, effuſamque in eâ liberalitatem prædicavit: *Dabit capiti tuo augmenta gratiarum,*

 & corona

Prov. c. 4. *& corona inclyta proteget te.* Septuaginta vertunt: *Coronâ gratiarum.* S. Ambroſius: *Coronâ delitiarum.* Chaldæus paraphraſtes; *Corona pulchritudinis.*

Et ea fuit URSVLÆ corona: *Corona gratiarum*, *Corona delitiarum*, *Corona pulchritudinis.* Hae Dei manus eam protexit inter armatos barbarorum cuneos; haſtas inter, & enſes, ipſamque cruentæ mortis imaginem. Hac illi gratiam dedit apud Superos. Hac Angelorum delioas, imò & ſuas fecit. Hac cœliribus amabilem reddidit, quia redimitam *Coronâ pulchritudinis*, in quâ miræ caſti amoris illecebræ.

Sed bæc, inquies, generatim dicta, ſparſaque: deſcendamus ad ſingula, videamusque, quæ in URSVLA gratiæ? quæ delitiæ? quæ pulehritudo? verbo uoo, quæ *Coronâ inclyta?*

CORONA E PRETIOSA MARGARITA, ſymbolo virgineæ Caſtitatis.

EST *Margarita* inter gemmas facilè princeps; ut quæ alias omnes pretio ſuperet, *Principium, & culmen omnium rerum pretii Margaritæ tenent*, inquit Lib. 9. c. 35. Plinius. *Iis, nomen unionum Romanæ impoſuere delitiæ. Earum dos omnis in candore, in magnitudine, orbe, levore, pondere*, ait ille ipſe Plinius. A quo diſcedo, ut tranſeam ad mores, doceamque rectè Virginibus, ipſique URSVLÆ dari coronam è Margaritis, quod eæ ſymbolum ſint virginitaris, candidæ mentis, illibatique pudoris, quod è variis argumentis conficio: & quidem

Primò ex ipſâ Margaritarum origine, de quâ ſic Plinius. *Certo anni tempore, conchas luxuriare, & cœli rorem ſitire, ejusque deſiderio hiare, ſicque concipere, gravidasque fieri ex cœli rore, ideòque plus cœli, quàm maris habere, ac cœli colorem, lucem, & ſpeciem præſeferre.* Lib. 9. c. 35. Gignitur ergo *Margarita* è cœli rore, eſtque veluti ros è cœlo concretus; imò *ros Cœli*, & *ros Cœli* Vmbertus. *virginitas*, uti & *pinguedo terræ fœcunditas.*

Hæc olim Iacob ab Iſaaco benedictio: *Det tibi Deus* Gen. c. 27. v. 17. *de rore Cœli, & de pinguedine terræ abundantiam.*

Duplex Iacobo, electisque benedictio. Una à *rore Cœli*, hoc eſt à virginitate, quæ ex vero *ros Cœli*, & à quâ cœlum repletur moltâ prole ſpirituali; altera à *pinguedine terræ*, hoc eſt, à prolium carnalium fœcunditate, quæ terras replet: verum enim illud, *Nuptiæ terras replent; virginitas Paradiſum.*

Et ita replevit URSVLA, quæ adinſtar *conchæ*, mari, id eſt mundo, immerſæ, ſitire cœpit cœli rorem, id eſt virginitatem, ejusque deſiderio veluti hiare, hoc eſt, & os piis verbis atque orationibus aperire, & cor pandere cœleſtibus deſideriis; & hinc quodammodo coocipere, gravidaque fieri, & margaritam effundere, hoc eſt virginitatis votum, ceu cœli partum, & rorem: quò gravida cùm eſſet, & nuptias repudiare, & averſari terreſtrem ſponſum, & ſibi cœleſtem deligere: nec ſibi tantùm; ſed & ſociis Virginibus, quibus ot exemplo præivit ipſa; ſic & verbo, ut & ipſæ virginitatem ſervarent, & pro eâ, próque religione ſervandâ, fortiter mortem oppetereot: & quia ſic oppetierunt candidasque mentes cœlis tranſtulerunt; hinc illis Deo Judice datæ coronæ è pretioſis margaritis, æternom illibatæ virginitaois otoameotum, cui acceſſit

CORONA E SAPPHIRO, ſymbolo cœleſtis Sapientiæ.

CUm oculos animi in caſtam generationem intenderet Sapiens; eâ captus exclamavit: O Sap. c. 4. *quàm pulchra eſt caſta generatio cum claritate.* Io eo ſeu amoris, ſeu ſtuporis æſtu, duo in caſtitate commendat: Primò *pulchritudinem*; deinde *claritatem.* Ab hac, & illa datur ei in cœli regiâ coronâ è *Sapphiro*, caſti capitis ſeu iotegumentum, ſeu ornamentum. Quod eoim potiùs?

Sapphirus Hebraïcè *Sapphir*, id eſt pulcher: ea porrò pulchritudo, petitur ex ipſa Sapphiri naturâ, ac ſpecie, quæ io tribus potiſſimùm eminet, emicátque.

Primùm in eo, quòd quibuſdam punctis veluti totidem ſtellis irradiet.

Secuodò in boc, quòd cœli ſpeciem, coloremque præ ſe ferat; eſt enim cærulei coloris, cujus etiam eſt cœlum, cùm ſudum eſt, atque ſerenum.

Teròò io illo, quòd viſum acuat, ut opinatur Orat. 14. in Cant. D. Gregorius Nyſſenus.

Ex his omnibus fit ut *Sapphirus* ſymbolum ſit altioris ſapientiæ, quæ in URSVLA vel maximè enituit.

Primùm in ſapieote conſilio de ſtatu vitæ ſibi deligendo: *Ego*, inquiebat, Sapientia, *habito in conſilio.* Prov. c. 8. At quo conſilio? & unde petito? Ne erede à mundo, & mundi ſapienribus; ne à propinquis, ne etiam à carne; ſed à cœlo, à ſuperis, ab ipſo Deo: hic eoim unus bonæ oienti eſt à coofilus.

Epictetus gentilis licèt, naturæ tamen ductu, & rationis lùmine id protulit. *Magno animo Deos ut conſiliarios accedito.* Chriſtianè dixerit D. Grego- Epiſt. 120. rius Nazianzenus: *Cum Deo conſilium cape, & ab officio minimè aberrabis.* Et ita cœpit URSVLA, ubi cùm eâ actum de nuptiis, & maritali toro. Deum ſuper eo conſuluit; ad orationem, quæ *pudicitiæ præ-* Greg. Niſſen. *ſidium, & tutamen* eſt, confugit, ab eáque hauſit cœleſtia lumina, & illibatæ mentis corporisque nitorem amavit, atque amplexa eſt: utque eum ſervavet ſeros in annos, extremâque vitæ; media prudens elegit; & hoc ſecuodùm opus ſapieotiæ, atque dictamen.

Triennii ſpatium ſibi concedi petiit, quaſi ioducias ad dedicationem (ut aiebat) virginitatis.

Tum etiam Virgines ſocias, omninò decem & genere, & virtute illuſtres, & tam ſibi, quàm his mille Virgines alias aſſignari, ſeu virginitatis, ſeu peregrinationis comites.

Tum apparari, inſtruíque naves, quibus io Italiam locáque Deo, ae divis ſacratiora, vela faceret. Ecce media inſigni ſapientia ad finem propoſitum ordinata. His ad extremum feliciter uſa eſt URSVLA, quodque piè conceperat, re etiam implevit, quod poſtremum opus eſt ſapientiæ, quâ, ne ſibi ſoli ſaperet (quod videri poterat indigentiæ) etiam in Virgines ſocias effudit, (quod uberis animi & beneficentiæ fuit) io eâ enim peregrinatione, quà terra, quà mari, ſocias ad omnem pietatem, virtutemque inſtruxit, facta in ſcholâ Chriſti, undecim millium Virgioum Magiſtra, à quo ſacratiore Magiſterio, & io terris & io cœlis donata eſt *Doctorali Laureâ*, quam deinde ornabit extrema magnæ meotis lautea, quæ erit *Martyrii*, cui dabitur

CORONA EX ADAMANTE, ſymbolo utique Fortitudinis.

M*Aximum in rebus humanis pretium habet Adamas,* Plin. hiſt. nat. l. 37. c. 4. *olim nonniſi Regibus, & quidem admodum paucis cognitus.* Ejus ſex genera naſcuntur: *Indicus, Arabicus, Cyprius, Macedonicus, Lenchron, Siderites*: hos ioter, ut origine, ac natura, ſic & pretio eminet *Arabicus.*

Ejus enim origo eſt *in auro*, & quidem *excellentiſſimo. Duritia verò inenarrabilis, ſimulq; ignium victrix natura, & nunquam incaleſcens.*

Incudibus deprehenditur, itaque reſpuit ictum, ut ferrum utrimque diſſulcet, incudesq; ipſæ, etiam diſſiliant. Unde & nomen indomita vis, græcâ interpretatione accepit. *ἀδάμας* enim idem eſt, quod *indomitus*, ex *α* ſcilicet privativo, & *δαμάω*, id eſt domo. Ita Plinius de *Adamantis* origioe, naturâ, pretio, è quibus idenam

accepit

Digitized by Google

accepit, ut invictæ fortitudinis ſymbolum habeatur, & ſit; indéque etiam, viri fortes cum *Adamante* compoſiti, & quidem ipſius Dei voce, atque oraculo.

De filio ſuo ſub humanâ veſte, naturâque aliquando mortalibus oculis exhibendos ſic olim ad
Cap. 7. Amos Æternus Pater: *Ecce ego pono Adamantem in medio populi mei.*

Adamas Chriſtus, tum in omni vita; tum in Paſſione, ac morte: *Adamas*, inquam enam ſculpturam paſſus; de quâ etiam Deus Zachariæ calamo, vocéque.

Cap. 3. *Ecce ego cælabo ſculpturam ejus, ait Dominus*: & hoc effatum Æterni Patris de Filio, in quem velut in *Adamantem* tortorum manus ſculpturam duxit; tum in immani flagellatione; tùm in manuum, pedumque foſſione; tum in lateris hiatu, atque apertione.

Quod ſi Chriſtus *Adamas*, & ab illo viri fortes *Adamantes*, hoc eſt *indomiti.*

Sic invictus Ezechiel, *Adamas* fuit adverſus omnes Iſraëlis inſultus, quos ut retunderet frangeretque, ſic ad illum Deus:
Cap. 3. *Vt Adamantem dedi faciem tuam, ne timeas eos.*

Sic glorioſi Martyres: ſic URSVLA, & ſociæ Virgines *Adamantes.* Et hoc vel exemplo, vel etiam
Serm. 4. de Sanctis. Chriſti gratiâ, ac beneficio, qui ut ait S. *Hippolitus* Epiſcopus: *Suſceptum hominem, vertit in Adamantem.*

Ita vertit URSVLAM. Erant in illâ tenera omnia; & mollia.

Erat ipſe ſexus ad molliriem fictus; *mulier* enim quaſi *mollier* dicitur.

Erat ætas tenellula, & primus veluti Floſculus, qui aſperiore aurâ facilè inclinat, flacceſcit, & decidit.

Erat caro mollicula, aulæque delitiis innutrita. Et tamen ut ea eſſet à ſexu, ab ætate, à corpore: ab animo tamen verſa erat in *Adamantem*, & quidem *indomitum*, qui & ferrum vinceret, & flammas.

Teſtes appello Hunnos, immitem, efferamque gentem; quæ in URSVLAM ſociaſque Virgines toto impetu incurrit.

Teſtes & ſagittas, acutáque tela, quæ in eas depluere viſæ ſunt adinſtar imbris; imò & ferrei nymbi; quem in ſe immiſſum excepit URSVLA, excepere ſociæ Virgines, immoto veſtigio, immotáque mente.

Teſtem & ipſam, quæ vincit omnia, mortem, quam ut intrepida excepit; ſic & vicit URSVLA.

Teſtem denique terram, quæ virgineo ſanguine maduit, rubuitque: teſtem & Rhenum, qui cruentas ſenſit, evolvit, ac ſtupuit aquas, ab affuſo undique ſacro Virginum cruore. Ita nimirum fieri oportuit, ut & barbaros vinceret URSVLA, & haſtas, & ſagittas retunderet, omnemque ſeu tyrannorum, ſeu mortis impetum frangeret, ut ferrum ſolet *indomitus Adamas.* Ita porrò domuit, vicitque URSVLA, quæ etiam ſic vincendo, *emit immor-*
Cyprian. epiſt. 9. ad Martyr. *talitatem pretio ſui ſanguinis: accepit coronam de conſummatione virtutis,*

At, quam, inquies, coronam? non aliam, quàm ex *Adamante*, ſymbolo, utique, atque ornamento *indomitæ fortitudinis.* Illam in oculis, in amoribus, in votis ſi habes *Amice Lector*; age URSVLÆ, ſociarumque conſtantiam imitâre; ferrum admitte, obviumque da vulneri latus, audax omnia perpeti pro Religione, próque Deo: ſic enim tibi coronam in Cœlo parabis.

CORONA SOCIORUM SOCIARUMQUE D. URSULÆ.

Crombach. Vrſula vindicata, T. in 2. l. 7. c. 7. QUæ deinceps dicturus ſum, tam de Corona Sociorum, Sociarumque D. URSVLÆ, quàm de Corona Miraculorum, ea ferè deſumam omnia ex hiſtoria, quam de Urſulanis Virginibus conſcripſit Religioſus notæ ſanctitatis, illarum cultui, ac venerationi in paucis addictus.

Is fuit *B. Hermanus Steinfeldienſis*, Præmonſtratenſis Ordinis Canonicus, qui Deiparæ voce, imò & juſſu, ad id operis impulſus eſt: & cui etiam inter pias illas lucubrationes, ſæpiùs aſpectabiles ſeſe obtulerunt Virgines illæ, nunc parthenico ſchemate, nunc albicantis columbæ ſpecie, vel ſcriptionis materiam ſuppeditantes, vel etiam ipſa verba ſuggerentes; ut non homini dumtaxat fides eſſet, & Virginibus Urſulanis; ſed & quodammodo ipſi Deiparæ, Virginum illarum Duci ac Patronæ, cui fidem negare nec velis, nec ut velis, etiam jure poſſis.

Ordiar igitur à *Corona Sociarum* D. URSVLÆ. Eæ (ut habent antiqui Scriptores, & ipſa Eccleſiæ per tot ſæcula tranſmiſſa traditio) fuerunt Virgines ad undecim omninò millia, è diverſis Europæ partibus, Regnis ac Provinciis oriundæ; Angliâ, Scotiâ, Hiberniâ, aliiſque Britannicis Inſulis ac vicinis regionibus; è quibus & collectæ omnes, & D. URSVLÆ, ſeu Duci, ſeu Magiſtræ concreditæ.

URSVLÆ pientiſſimi Regis filiæ proximè acceſſere Virgines quatuor, ut ſanguine, ſic & animo virtuteque conjunctiſſimæ; è quibus

Prima, *B. Pinnoſa*, filia Ducis inclyti & patrui D. URSVLÆ.

Secunda, *S. Cordula*, antiquiſſimi juxta ac nobiliſſimi Comitis filia. Cap. 6.

Tertia *B. Eleutheria*, & ipſa filia Amitæ D. URSVLÆ, & magni Ducis generoſa ſoboles.

Quarta, *B. Florentia*, & ipſa filia Regis *Ægidii*, qui Patris D. URSVLÆ fuit conſobrinus.

Et hæ de familiâ, ac gynecæo D. URSVLÆ, ex quo prima exercitus Virginei capita, quibus additæ Virgines undecim, quaſi Chiliarchæ, & ipſæ Regum, Ducum, Principum, ac Comitum filiæ, quarum nomina, uti cœlitùs accepit *B. Hermannus*, ita melioribus ceris inſcripſit. Ex his

Prima fuit, *B. Iotha*, Regis filia, ut ſanguine, ita virtute aliis facilè princeps.

Secunda, *S. Benigna*, Ducis filia, quam comitatæ ſorores quatuor, videlicet: *S. Sibilia, Mobilia, Euphroſyna*, & *Euſtachia.*

Tertia, *S. Clementia*, Comitis filia, cui junctæ ſorores duæ: *S. Iuliana*, & *B. Inducta.*

Quarta, *S. Sapientia*, filia Principis illuſtriſſimi, & D. URSVLÆ patrui, cui pariter additæ ſorores duæ: *S. Eulalia*, & *B. Serena.*

Quinta, *B. Carpophora*, Regis ſapientiſſimi filia, cui etiam acceſſere ſorores duæ: *S. Eutropia*, & *B. Pallodora.*

Sexta, *S. Columba*, & ipſa Regis filia, cui comes ſoror una: *B. Cordula.*

Septima, *S. Benedicta*, Principis potentiſſimi & piiſſimi filia, quam comitatæ ſorores omnino quatuor *S. Cornala, Prudentia, Sapientia*, & *Illuſtris.*

Octava, *S. Odilia*, Viri nobilis ac potentis filia, cui ſorores duæ, viæ ac peregrinationis comites: *B. Iulia*, & *B. Vrſitia.*

Nona, *B. Celindris*, Comitis, ut nobiliſſimi; ſic & ditiſſimi filia, cui ſocia ſoror unica. *S. Virgilia.*

Decima, *S. Sibilia*, Regis prudentis ac ſtrenui filia, quam ſecutæ tres ſorores: *B. Iuliana, Lucia*, & *Eugenia.*

Undecima, *B. Lucia*, & ipſa Regis filia, & D. URSVLÆ cognata, quæ ſecum unicam eduxit ſororem, & quidem parvulam *S. Placidam*; nomine & moribus placidam.

En Virgines, en Duces, en Chiliarchæ, à ſanguine, à virtute nobiles: tales ſcilicet eſſe oportuit, quæ virgineis illis copiis præeſſent vel raro Chriſtianæ pietatis exemplo, vel inſigni prudentiæ ac ſanctitatis magiſterio. Præerant autem ſingulæ Virginibus omninò mille, illis autem, ut & aliis omnibus

omnibus, D. URSVLA: omnes certæ pro Fide, pro Religione, pro Caſtitate mori.

Vix in campo fundi cœperat, vix in acie ſtare totus ille Virgineus exercitus: cùm illi alii atque alii ſeſe adjunxêre, ex omni propè ordine ſtatúque: & quidem

Primò Epiſcopi quinque, è Magnæ Britanniæ regno, ſuiſque ſedibus exciti: quos inter, ut ſanguine; ſic loco primus

Cap 7. S. *Wilhelmus*, è regiâ ſtirpe, & patri D. URSVLÆ conſobrinus, Vir in paucis ſapiens, & prudens.

S. *Columbanus*, & ipſe de regali proſapiâ, & à conſilio ac prudentiâ nominatus.

S. *Iuvanus*, ſenex jam grandævus, & hic etiam de regiâ progenie, avunculus matris D. URSVLÆ; in hoc ſingularis, atque eminens, quòd virgineum animi corporiſque nitorem à cunis ad ſepulchrum uſque ſervarit.

S. *Eleutherius*, & ipſe nobilis magniſque Vir capitis, ac conſilii, fraterque beati *Euſtachii* Comitis.

S. *Lotharius*, etiam de regio ductus ſanguine, & regii juvenis, id eſt ſponſi D. URSVLÆ, conſobrinus.

Ecce quales, & quanti Viri, Inſulati omnes, futuri primò Comites Urſulanæ peregrinationis; deinde & coronæ Martyrii, victriciúmque palmarum.

Eliſabetha, Virgo probatæ ſanctitatis, & quæ divinâ revelatione de D. URSVLA, & ſociis plurima didicit, his Præſulibus addit *S. Maurisum* etiam ab Inſulâ Pedoque cſarum, & fratrem matris D. URSVLÆ. Ut ex hujus cognatione propè nihil illuſtre fuerit, quod non venerit in conſortium tam ſanctæ expeditionis ac laureæ, quæ ab illâ ſurrexit.

Ab Infulatis Patribus, tranſeo ad Reges, qui illis ſeſe aſſociarunt etiam ex ipsâ Britanniâ; ut non ab Inſulâ tantùm decus accederet; ſed etiam à Purpurâ, Sceptróque & ornamentum, & ſua quoque adderetur authoritas.

In Regum ſerie divinitùs, ut creditur, revelatâ; ſuo jure ac nomine

Primus eſt, *S. Ætherius*, aliàs dictus *Holofernes*, appellatione ſanè magnifica atque auguſta, & ipſe magni Regis filius, Divæque URSVLÆ primò datus in ſponſum; deinde in comitem peregrinationis; denique in coronæ Martyrii conſortem, ut infrà videbimus.

Secundus in illo Regum numero, *Oliverius*, Regis Oliverii ſenioris filius, cui ſponſa fuit *S. Oliva*, à quâ & Fidei Chriſtianæ additus.

Tertius fuit *Crophorus*, juvenis indole planè regià. Regis *Pimnoſi*, filius, *S. cleopatra* ſponſus, & D. URSVLÆ ſanguine junctus.

Quartus, nomine *Lucius*, Pater *S. Lotha* Virginis, quæ inter undecim Virginum millia facilè prima fuit, & *Lucium* parentem Deo ac Fidei peperit: & ipſe D. URSVLÆ cognatus.

Quintus, *Clodoræus*, qui ſimul cum Regina conjuge nomine *Blandina*, opera, & ſtudio *S. Eugeniæ* filiæ ſuæ, & religioni, & Urſulanis Virginibus eſt adjunctus, futurus comes peregrinationis, & nobilioris coronæ.

Sextus, *Cannutus*, & ipſe Rex, ætate grandævus, religioneque illuſtris, qui cum uxore Regina *Balbina*, filiis duobus, filiabus autem quatuor; URSVLÆ ſe adjungens, alteri filiorum terrenum regnum reliquit, ut ipſe cœleſte ſibi ſuiſque acquireret.

Septimus, *Pipinus*, cum Regina conjuge *Margarita*, filiis quatuor, & tribus filiabus profectus eſt; ut D. URSVLÆ, ſibi conſanguineæ junctus eſſet, & peregrinationis labore, & ſtudio virtutum; quibus acceſſere nepotes & neptes numero undecim; omnes ut ſanguine; ſic religione pares.

Octavus, *Adulphus*, Regis *Pipini* filius, cum uxore *Dionyſia*, & liberis.

Nonus, *Avitus* nomine, cui ſociatæ filiæ duæ: *S. Columba*, & *S. Cordula*; ut genere; ſic & virtute germanæ.

Decimus, Rex *Siranus* cum uxore *Sibilia*; & filia inſuper *Sibilia* nomine, tribuſque aliis ſororibus.

Undecimus, inclytus Danorum Rex, *Refridus*; unà cum uxore *S. Oliva*, Ducis Saxoniæ filia; felici nomine, & omine: *Oliva fructifera in domo Dei.*

Et hi omnes, aut Reges, aut Reguli; more gentis; imò & illius ævi, in quo, ut regna modica, & multa: ſic & multi Reges, aut Reguli, non abſimiles iis, quorum meminêre Libri Regum, in quibus triginta duos Reges, adverſus tres alios moviſſe legimus, Reges utique, aut quod verius, Regulos. 3. Reg. c. 20.

Et hi è Magnæ Britanniæ Regno, viciniſque regionibus D. URSVLÆ, & ſociis Virginibus adjuncti ſunt, jam inde ab egreſſu, primáque navigatione: Si *S. Ætherium*, D. URSVLÆ ſponſum exceperis, qui in reditu primùm Moguntiæ acceſſit.

Venio ad Reginas fœminaſque Principes, quæ URSVLÆ ſeſe comites addiderunt: *Geraſina*, Siciliæ Regina, cum quatuor filiabus. *Conſtantia*, Conſtantinopolitani Imperii moderatrix cum *S. Marculo* Epiſcopo ipſius avunculo. *Axpara*, Duciſſa *S. Ætherio* ſanguine proxima. *Anchira*, etiam Duciſſa cum filiabus quatuor. *Eleutheria*, Comitiſſa cum filia ſua Virgine *Lucentia*. *Sibilia* Regina, *S. Eulalia* filia, URSVLÆ Virginis matertera. *Hodierna*, Norwendorum Regina, cum filia, *Hodierna*. *Benedicta*, Suavorum Regina, cum *Hiacyntha*, & *Sophia* filiabus Virginibus. *Lucretia* Regina, cum filia decenni. Regina, *Clara* nomine, clarior virtute, cum duabus filiabus Virginibus, *Sapientia*, & *Charitate*. *Boniſacia*. Regis Boniſacii filia. *Reſindu*, Regis Corthaniæ filia. *Natalia*, Regis Arthuri filia. *Polodoxia*, cum ſorore *Iulia*, Regis *Polycarpi* filia. Tum etiam *Euſtemia*, *Eudonia*, *Eugenia*, Normannorum Regis filiæ. *Lucia*, & *Germana*, Flandriæ Comitis filiæ, cum matre *Theodora*, matrona; ut ſanguine, ſic & virtute quàm illuſtriſſima. *Gyana*, Ducis Brabantini filia. *Eliſabeth*, Ducis Friſonum filia, & Daciæ Regis cognata. *Urſula*, Comitiſſa, *Harderici* Comitis uxor, à qua D. URSVLA nomen accepit; & cui tres filiæ, *Iuliana*, *Ebina*, & *Haduuga*. *Neſtoria* Virgo, Regis Wallionum, ex matre neptis, cui additæ ſorores duæ & ipſæ Virgines *Eleutheria*, & *Ioſippa*: quas omnes D. URSVLA, & ſuæ peregrinationis comites habuit, & Coronæ participes. Eas nimirum, ſibi, cœloque delegerat Virginum ſponſus, & Martyrum parens Chriſtus inauditâ à ſæculis providentiâ, ut admirabili, ſic & amabili; quam ſuſpicere ac demirari ut pium eſt, ſic diſcutere velle, & humano pede metiri, audax, & temerarium. Conſilii nimirum iſta ſunt altioris, id eſt divini, ad cujus lucem ſplendoremque, dum hebeſcit, imò deficit acies humana, ſimul etiam illi ſeſe ſubmittit, diſcitque venerari, quæ non capit.

Deſcendo ad alios, qui de viâ acceſſerunt, ſeſeque D. URSVLÆ adjunxerunt. Cap. 16. Roma aberat itinere unius duntaxat diei, cùm ei occurrit *Caſarius*, Meldenſis Epiſcopus; cognitâque ſuſceptæ peregrinationis causâ, ſe illi comitem fecit.

Jam in oculis, & conſpectu erat Roma. Urbium princeps, Orbis Domina, & Chriſtianæ Religionis caput, cùm famâ adventantis exercitus Virginei exciti cives totis erumpunt portis, & ſeſe aperto effundunt campo. Imò & ipſe Urbis Senatus, Cleruſque omnis, Purpurati Patres, ipſeque imprimis Summus Pontifex *Cyriacus*, URSVLÆ ac Sociis Virginibus obviam procedit, & ſupplicantium in morem excipit, deducitque ad ſacra Apoſtolorum liminia, ad quæ ſupplex advolvitur URSVLA, advolvuntur & Virgines omnes, tum per

aliquot

aliquot dietum moram loca omnia avitæ Religioni, Diviſque ſacrata inviſunt, & tota corporis, animique dem ſſione venerantur, tandemque expletis omnibus Chriſtianæ pietatis officiis, reditum in *cap. 17.* patriam adornant: redeuntibus ſeſe junxit *Cyriacus* Summus Pont. & Chriſti in terris Vicarius, non ſine Numine, divinoque conſilio, quod in amœna ſomni imagine cognovit, eique dum fit obediens, illico *Hilarium* ſibi in ſancta Sede ſucceſſorem deſignavit; futuris deinceps & caput, & anteſignanus Virginei illius exercitus, ac deinde Martyrii, coronæque particeps. Pontifici ſeſe comites addiderunt Cardinales duo: *Pontius*, & *Petrus Vincentius*; quos ſecuti tum Diaconi duo: *Caliſtus*, & *Kilianus*. *cap. 18.* Ille ex ſorore nepos, hic autem cognatus; tum Subdiaconi tres: *Ambroſius*, *Iuſtinus*, & *Chriſtianus*: tum Archidiaconus, nomine *Florentius*, & ipſe Pontifici conſanguineus; tum Principes duo: *Eugenius*, & *Nicoſtratus*; tum etiam matrona longè nobiliſſima, & ipſa *Cyriaco* juncta ſanguine, nomine *Herrengardis* cum filia unica, & tribus puellulis. Denique & Pontificis familia propè univerſa. Sic & numero, & ipſo Romanæ Curiæ ſplendore, mirum quantum aucta, ac nobilitata Urſulana ſocietas, quæ terreſtri itinere primò *Baſileam* venit, tum naves ibidem relictas conſcendit, & ſecundo Rheno *Moguntiam* appulit, quò etiam opportunè è Britannia advenit *Ætherius* URSVLÆ ſponſus, qui etiam eò loci à *S. Cyriaco*, Pont. Max. ſacris aquis intinctus, unà cum illis *Coloniam* deſcendit, ibidem cum ſponsâ ſuâ, & Virgineis illis copiis, glorioſam Martyrii lauream collecturus.

Et hæc paucis dicta ſint de *Corona* Sociorum, Sociarumque D. URSVLÆ: plura qui volet, conſulat *P. Hermannum Crombach.* ego, dum rerum tunc geſtarum compendio ſtudeo, & laboro, aliam apparo, texoque Coronam: erit illa

CORONA MIRACULORUM.

EST Corona excelſi capitis ornamentum, dignitatis inſigne, nota majeſtatis, & ea, quæ à Virtutibus D. URSVLÆ data eſt Corona, fuit eritque ornamentum ingentis illius animæ, inſigne ſacræ dignitatis, & nota illius, quæ à ſanctitate ei acquiſita eſt, majeſtatis; quam augebit, ornabitque altera, quæ erit *Miracalorum*, eáque non una; ſed multiplex.

Prima erit, *Virginei exercitus conſcriptio*, quæ mihi, imò & omnibus eſt pro miraculo: Ecquid enim? an non ingens prodigium illud, è Britannia, aliiſque *Urſula Vind. Tom 2. l. 10. c. 2.* Europæ partibus convenire potuiſſe Virgines lectiſſimas, ad undecim omnino millia? an non prodigium, illa inter eas animorum conſenſio? illud ſtudium tuendæ virginitatis? enimverò prodigium eſt, & prima *Corona Miraculorum*.

Secunda eſt, longa illa ac difficilis per tot, tam varios, & tam arduos terrarum tractus *peregrinatio*, in qua & viæ duces, & metatores Angeli, qui ei animos faciebant, & vires etiam addebant, ut teneræ puellæ, per ardua montium juga, præruptaque Alpium cacumina, viribus ſemper integria & ſine ulla corpuſculi fatigatione, iter emolirentur.

At unde inter ipſos montium, valliumque hiatus ac præcipitia ſecuritas? unde & hoſpitia, & commeatus tantæ multitudini? utique ab Angelis, *Tom. 2. L. 4. c. 15.* qui etiam in aſſumptâ humanâ ſpecie, & præire ſolebant, & de hoſpitiis, tentoriis, commeatu providere, efficeréque ut è pagis, ex oppidis, ex urbibus effuſi obviam cives, annonam omnem abundè ſuppeditarent; imò, quod ſtupeas magis, in rapido torrentium ac fluminum occurſu, omnes, vel ſubjectis derepentè pontibus, tranſmittebant, vel tranſvehebant ipſi prodigiosè; Deo ſcilicet ipſas aquas lapidum in rigorem ſolidante, ut non liquidum ac fluens elementum; ſed terram firmam, ac ſolidam *Cap. 13.* calcare ſibi viderentur. Et hæc altera *Corona Miraculorum*; quam ornavit

Tertia, à luce, præſidióque magnæ Matris, magnæ Virginis MARIÆ, quæ ſeſe URSVLÆ, Virgineiſque turmis non ſemel ſpectandam dedit, Angelorum, Beatorumque agminibus circumſepta: eo lumine, ea ſpecie, ut pueluli, puellulæque, *Cap. 12.* quæ matrum ulnis, brachiiſque geſtabantur, ad ſublimes illas in aëre cœleſtium acies, attoniti, infantili voce lalantes, hæc efferent: *Ha, ha, ha.* Quid enim aliud proferrent innoxiæ animulæ, & adhuc fari neſciæ, niſi unum illud quod ſtupor, & novitas parit? & quaſi pendula de cœlo *Corona Miraculorum*? cui addetur

Quarta ab aëris temperie, & clementiâ, quæ ſudum illis cœlum dedit, pluvium nunquam: ſubinde tamen nebuloſum, ad arcendum Solis ac diei æſtum: uti contrà noctu lucidum, cum modico & ſuavi auræ tepore, qui ſomnum conciliaret, nec tamen valetudini noceret: crederes ſanctiſſimis illis Virginibus id datum, quod olim Iſraëli, interdiu *Cap 16.* columnam nubis, noctu autem ignis. Hinc nec itineris labore attritæ cujuſquam vires; imò, quod mireris, nec ipſa veſtimenta, nec calcei: adeo grata, caraque ſuperis ea peregrinantium pompa, cui dabitur

Quinta *Corona Miracalorum* à Præſulibus, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, ipſoque Summo Chriſti in terris Vicario, Pont. Max. *Cyriaco*, *Lib. 5. c. 3.* qui ſe Pontificatu abdicavit, & URSVLÆ comitem fecit, uti & fecere Reges ac Reginæ, aliique non infimæ notæ, quos inter ferè princeps, *Ætherius*, *Lib. 7. c. 29.* URSVLÆ ſponſus, qui cœleſti monitu è Britanniâ excitus cum novâ claſſe ſolvit, Moguntiam venit (ibique lapſis è cœlo geniis, vel teſtibus, vel quaſi *Lib 5. c. 16.* ſponſoribus) ſacratiore baptiſmatis fonte elutus, URSVLÆ datur in ſponſum; verius in Virginitatis illius cuſtodem ac defenſorem; ac deinde Coronæ *cap. 23.* Martyrii conſortem. Et hinc erit

Sexta *Corona Miracalorum*: *Cyriaci*, Summi Pontificis, aliorumque Præſulum, Regum, Reginarum, *Cap. 24.* Matronarum immanis cædes, ipſiuſque *Ætherii*, qui in oculis URSVLÆ, ſponſæ ſuæ, pro Fide, pro Religione jugulum tyranno dedit, & ſanguinem, vitamque immortali Deo: uti & fecêre Virgines omnes ad undecim omnino millia, ac tandem ipſamet URSVLA, quæ huic cruentæ tragœdiæ ultimum exhibuit actum, duplici ſagittâ transfixa; quarum prima in brachium incidit, fallente *cap. 25.* tyranni dextrâ: altera, cor vitæ ſedem, & divini amoris ardentem officinam, petiit, & immani vulnere aperuit: ut per illud è corpore, velut ex hoſpitio, exiret, evolarétque grandis anima: evolaret, inquam, in caſtiſſimos ſponſi cœleſtis amplexus, ſinumque ſempiternæ felicitatis. Et hæc

Septima *Corona Miraculoram*, eâ in ætate ſexúque, mors pro Religione, pro Caſtitate fortiter obita Et hanc terra coronam dedit à fuſo torrentium inſtar ſanguine, aliam cœlum dabit ab effuſis ex omni ordine cœleſtibus Intelligentiis: ut enim divina revelatione didicit *B. Hermannus Steinfeldienſis*, eò loci ac temporis, è cœli regia; URSVLÆ ſociiſque Virginibus obvii proceſſere è cœleſtibus choris beati genii longè plurimi, etiam Cherubini ac Seraphini, ut eo comitatu triumphantis in morem ſuperna Divorum atria, beatáque Empyrei tecta ſubiret URSVLA, totáque illa Virginum, ac Martyrum victrix, ac triomphans corona, in quá ut loco; ſic & gloria ac dignitate eminebat URSVLA,

Cap. 26. quæ cœlos aſcendit media *Michaëlem* inter, & *D. Ioannem Evangeliſtam*: ita nempè factum oportuit, ut quos in ſuâ illâ peregrinatione cuſtodes habuerat, ac defenſores; eoſdem quoque ad cœleſtem aulam comites, ac duces obtineret: ſicque ad Deiparæ, Chriſtique thronum ſiſteretur, æternùm ab hujus & illius aſpectu, Deique viſione beanda.

Interea dum aſtris inſeruntur virgineæ illæ, & ſublimes animæ, jacent abjecta humi corpora, nobiles magnarum mentium exuviæ, quæ ne Hunnorum, barbarorumque, ſeu manibus, ſeu etiam oculis polluerentur, ecce tibi à cœlo

Octava *Miraculorum Corona*: Accingebant ſe ad prædam, & opima de Virginibus ſpolia feroces illi tyranni, ſtygiſque ſatellites, cùm en tibi de ſuperis auxilium: viſuntur acies omnino novæ, confluuntque ex omni partæ denſis agminibus, & aſpectu terribiles, & manu promptæ, & multitudine propè innumerabiles. Crederes tot eſſe acies, quot cæſæ fuerant Virgines: certè tot erant duces, & quidem invictæ. It cœlo barbarus Hunnorum
Cap. 27. Gothorumque clamor, ad arma concurritur, coguntur agmina, denſantur acies, & manus manui, pes pedi aptatur; ſed incaſſum omnia; incaſſum cum immortalibus pugnant abjecti mortales: occupat enim omnes panicus quidam pavor, & ferrum è manibus excutit, & animum è corpore propè devocat ac depellit. Hinc abjectis clypeis, animisque una omnibus in fugâ eſt ſalus, nec ut velit, ſuos in officio retinere, aut à fugâ cohibere poteſt tyrannus, quin & ipſe, revocatis fruſtrà copiis, in fugam; imò & in furias agitur totus. Deo pro Colonia, imò & pro Virginibus (ſponſis utique ſuis) & certante, & vincente. Sic obſidione, & arctâ, & ſanè periculoſâ liberi Colonienſes, duce S. *Aquilino*, Præſule ſuo, totis effunduntur portis, ſparſáque hinc, & inde SS. Virginum ac Martyrum corpora, colligunt, aptantque in ſepulchrum.

Et hic primus Coloniæ Agrippinæ ab URSULA, Sociiſque Virginibus favor, cui deinde acceſſit & alius. A Nortmannis arctè obſidebatur illa, cùm
Bredenbachius lib. 4. collat. Sacrar. c. 22. ecce concubia nocte circumire mœnia videtur URSULA luce cœleſti, ac pyropis conſpicua, virginea manu præferens facem, quæ Solis inſtar effulgeret. Conſequebantur undena millia caſtiſſimarum Amazonum, utique Sodalium ejus. Ac ne ſolæ Virgines contemptui eſſent, adventabant etiam virorum auxiliares veluti copiæ, Sanctorum videlicet Maurorum, ac Thebæorum legiones, quæ veluti ſtativa ibi obtinent. Viſæ autem ſunt hæ acies cœlitum, terrere aſpectu eminus hoſtes, cominus autem crucibus roſeis conſignare, ac munire portas ampliſſimæ civitatis. Quocirca deſperato belli exitu iidem hoſtès caſtra aliò tranſtulerunt.

Ut porrò tanti beneficii memoria iret in poſteros. Magiſtratus Colonienſis quot annis cereos tres & denos iiſdem Divis Tutelaribus offert: quod pietatis avitæ monumentum dum amo, ac veneror, te ſimul amo, ac veneror Colonia cœlitum Colonia: gaude enimverò, gaude tot ac tantis ſpoliis dives, tot Sanctorum Sanctarumque exuviis nobilis: gaude & triumpha; tot enim habes Fidei, ac Religionis tuæ pignora, quot corpora; tot Divos Tutelares, quot ab URSULA Virgines, & Martyres. Gaudete, & Vos, ac triumphate cœleſtis Hieroſolymæ accolæ; tot enim habetis cœli cives, quot Martyres; tot Chriſti ſponſas, quot Virgines. Enimverò de his gaudent ac triumphant altiſſimæ illæ cœlorum Intelligentiæ, & dum animabus potiuntur in cœlis pro earum corporibus ſollicitæ laborant in terris, & hinc

Nona *Corona Miraculorum*: cum *S. Aquilino*, &
Lib. 7. c. 3. civibus Colonienſibus operam ſuam, manumque jungunt Angeli aſſumptâ etiam in eam caritatis ſcenam corporibus, his instructi jacentia Martyrum corpora, ceu nobilem ſarcinam, in humeros attollunt, atque in paratas arcas recondunt; eas enim, jam cœleſti voce monitus pararat *S. Aquilinus*, has Præſulibus, illas Virginibus: ita nimirum, etiam cœlo, etiam beatis mentibus, cura eſt, & honor ſepulchri; cui datum & illud, ut nullus omnino eò loci, ubi ſepultæ Virgines, ſepulchrum invenire poſſit: & hæc eſt

Decima *Corona Miraculorum*; de qua ſic antiquus
Vetus hiſtor. c. 8. author: Cùm cives Colonienſes pro ſuâ in Virgines illas pietate templum illis magnificum exædificaſſent: *Ex eo jam creſcente divinâ religione, non modò conſuetudo; ſed pro conſuetudine Sacramentum civibus inolevit, ut intra ambitum Virginalis ſepulturæ, nemo uſque hodie cujuſquam mortui corpus audeat ſepelire.* Hæc ille.

An autem datum illud conſuetudini? an civium Sacramento? an *clematii* prohibitioni etiam ſub
Tom. 3. lib. 7. c. 7. gravibus minis? an verò ipſi ſolo, quod quia ſacra illa corpora ſemel admiſit, alia non patitur; imò immixta removet atque evomit? adhuc videtur ſub lite; in qua mihi eſt veroſimilius illud, quod antiqua Colonienſium traditio habet: ideo neminem iſtic ſepeliri, quòd ſanctiſſimæ Virgines, aliorum corporum conſortium refugiant, & quòd ipſa terra earum exuviis dives & ſancta, alia corpora non capiat; ſed per vim, & nefas quodammodo ingeſta, rejiciat, ut experientiâ non ſemel eſt probatum; & antiqua Colonienſium traditione firmatum.

Hunc exprimunt antiqui verſus in tabula appenſa D. URSULÆ templo, in qua ſic luſit pius Vates:

Primus honor talis, & gratia tum ſpecialis,
Quod ſacer hic vitat locus, & ſibi nulla maritas
Corpora, dedignans aliena, ſolam ſibi ſignans,
Septaque, quæ ſacrum, quondam data virgineorum
Sunt tumulis, temerè tumulata nequit retinere
Funera, quæcumque mira virtute, ſolumque
Projicit oblata: ſunt hæc bis, terque probata.
Teſtis, ut eſſe ſolet Pipini regia proles.

Teſtis & ipſa Regis Britanniæ, de quâ ſic Urſulana hiſtoria, edita typis *Martini Werdena*:

In illo loco, ſeu ambitu Virginalis ſepulturæ, nemo uſque hodie mortui cujuſquam corpus ibidem valeat ſepelire. Quod patet per quendam puerum filium Regis Britanniæ; quo mortuo magnâ devotione affectavit Pater, hunc ſepeliri in Eccleſiâ undecim milliam Virginum, quo humato, omni mane reperiebatur tumba cum puero ejecta, & ſupra terram ſtans, quòd in hoc ſancto loco, meritò nullum cadaver requieſceret. Hactenus ille, quod ſuo quoque calculo confirmat *Franciſcus Petrarcha*, qui elatiore ut aſſolet ſtylo, ſic habet:

Vidi tot ſimul trunca membra ſacrarum Virginum, & Lib. 7. Epiſt. cap. 4.
terram generoſis dicatam reliquiis, ac degenerum, ut aiunt, cadaverum expultricem.

Neque id novum & inſolens videri debet, quod in aliis quoque locis experientia, & religio teſtatum voluit; uti produnt authores non infimæ notæ.

Bozius de ſignis Eccleſiæ, ait, quod arca, in qua
Cap. 2. ſigno 11. fuit aliquando tumulata *Sancta Ludomilla* Bohemiæ Duciſſa, mortuorum corpora reſpuat, & ita quidem, ut in eam injecta copora ſtatim extrudantur; arcâ illâ, licet exanimi, ea non ferente.

Raynaudus, Societatis noſtræ Theologus, vir variæ, & reconditæ eruditionis, in indiculo *SS. Lugdunenſium*, de Eccleſiâ *S. Romani*, idem ex traditione loci commemorat:

Ferunt, inquit, *ſanguinis lacum in imâ valle colle-*
Fol. 129. *ctum, eo loco, ubi nunc eſt S. Romani Eccleſia, flagrante ibidem cæſorum cruore, qui è colle, in quo paſſi ſunt, plenis rivis defluebat. Quâ etiam ex causâ fama eſt, nemini intra eam parœciam ſepulturæ jus, vel etiam facultatem eſſe, ſolo hic ſanctificato, non ſuſtinente cadavera excipere.*

Quod

Quod ſi ſolum imbutum olim cruore Martyrum, alia cadavera non excipit; quî excipiet illud, quod ſuo ſinu tot SS. Virginum ac Martyrum ſacratiores exuvias admiſit, & per tot ſæcula fovit? certè non excipiet. Et hæc ab illo erit perennis *Miraculorum Corona*: ſed &

Undecima ab URSVLÆ tumbâ, columbæ indicio deſignatâ. Fortè in Baſilica S. URSVLÆ ſacris operabatur *D. Cunibertus*, Colonienſis Archiepiſcopus, cùm ecce ſacrificantis capiti candidiſſima columba è cœlo lapſa, viſa eſt primùm inſidere; deinde per templum circumquaque volitare; tum etiam reſidere, tantiſperque conquieſcere in tumulo Virginis; denique ſubitò ex oculis eripi.

Hîc omnes invaſit ſtupor, hîc Virginis iſtic ſepultæ amor ac reverentia, & ingens ſacri depoſiti viſendi ſtudium ac deſiderium: nec mora, terra eruitur, ſepulchrum panditur, & D. URSVLÆ corpus invenitur, proditum cœleſti prodigio indicioque *Columbæ*. Quo enim meliùs? eſt *Columba* ſymbolum innocentiæ ac fœcunditatis; & URSVLA à virgineo candore, vitæque puritate innocens tota, & ſimul tot Virginum ac Martyrum fœcunda quaſi parens; has enim cœlo peperit, & Deo, beatæque æternitati.

Duodecima *Miraculorum Corona* expirat odorem fragrantiſſimum, qualis eſt balſami: hunc nempe reddunt Urſulanæ Reliquiæ: nec illæ tantùm; ſed,
Gen. c. 27. quod mireris, etiam ipſa terra ſepulchralis, *velut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Hoc porrò odore exciti mortales quàm plurimi, & quod ames, etiam ſanitate donati, pulsâ omni morborum graveolentiâ: crederes Urſulanis Virginibus medicum eſſe odorem. Et certè is fuit, qui ex *Sanctæ Odiliæ*
Tom. 2. l. 2. c. 8. corpore emanavit, is qui è *S. Cordulæ* reliquiis, quæ violas olebant, is etiam (ne antiqua tantùm conſecter) qui Anno 1607. ad *Machabæos* percipi potuit, cùm eruta iſtic oſſa Virginis unius ex ipſo odore cognita ſunt, atque probata eſſe de Sodalitate Urſulana: adeo illi adnatus, & quaſi proprius is odor: denique is fuit & ille, quem *Valencenis*, urbe Belgica & nobili, ſenſit pia Virgo, quæ à nefario, & impudorato amatore impetita, cùm victrix evaſiſſet ex illo pro caſtitate prælio, odorem perſenſit ſuaviſſimum; invocato ſcilicet in eo certamine D. URSVLÆ & Sociarum auxilio: diceres etiam ipſius URSVLÆ nomini inſitum odorem; ſed caſtum illum ac cœleſtem, longè alium ab illo, quem in campis Eliſiis finxerunt Poëtæ: hic enim mollitiem olebat, & venerem: at ille caſtitatem ſpirabat, expirabatque. Utinam & hunc perſentiamus ipſi, trahamurque in tantarum virtutum odorem; imò & *bonus Chriſti odor* etiam ipſi ſimus. Erimus porrò imitatione, pioque URSVLÆ, Sociarúmque cultu, atque veneratione: in quam ut eamus toti, ſit

Decima-tertia *Miraculorum Corona*. In Civitate *Amalphina*, apud Patres Cappucinos, ſacras inter Reliquias, religiosè aſſervatur ſanguis D. URSVLÆ ampullâ criſtallinâ probè clauſus: is quotannis die illi feſto ſolvi ſolet, liquefieri, & quodammodo ebullire, ut vel ex eo prodat, quomodo illius anima ab æſtu divini amoris ſolveretur olim, ac liquefieret: & quomodo nos etiam ipſi ſolvi ac liqueſcere debeamus.

Hujus prodigii meminit *P. Crombach* in Urſulâ Vindicatâ libro decimo, capite decimo-quarto: &
Tom 9. p. 113. *Silveſter Petra ſancta* in opere, cui titulum fecit *Thaumaſia vera Religionis.* Quod prodigium, uti nec novum, ita nec inſolens ei videbitur, qui attenderit in aliis quoque Sanctis, idem uſu atque experientiâ probatum.

Neapoli, in æde *S. Gaudioſi* videtur ampulla ſanguinis *S. Stephani Protomartyris*, qui die illi ſacro, dum ſub Miſſam in altari ponitur, liqueſcit totus, & mox peractâ Miſsâ dureſcit.

Simile quid viſitur in templo *D. Gregorii*, in quo *Crombach. ſuprà.*
aſſervatur ampulla ſanguinis *S. Ioannis Baptiſtæ*, Præcurſoris Domini, qui ut anno toto concretus appareat, luce tamen illi dicatâ ac ſolemni, ſolvitur & liqueſcit. Quod huic, & aliis datum probante cœlo, plaudenteque terrâ: hoc & D. URSVLÆ conceſſum eſſe contendimus. Ita nimirum indulgens Deus Sanctos ſuos ornat inſigni ac multiplici *Miraculorum Corona*, cui veluti pro coronide addetur etiam

Decima-quarta: ea nobis aperiet, explicabitque, quis ſanctis illis Virginibus honos, quæve reverentis animi ſubmiſſio debeatur, maximè eo loco in quo ſibi ipſæ quietem ſuorum corporum elegerint. Solent ſubinde principes Animæ cœlo jam receptæ certam ſibi ſignare ſedem, in qua molliùs oſſa cubent, in qua & colantur ampliùs.

Anno Domini 1184. Caſimirus Poloniæ Rex à Summo Pontifice ſupplex petiit tranſmitti ſibi aliquas Sanctorum reliquias, quibus Cracovienſis in- *Long. in*
ſigniretur Eccleſia. *Lucius* tum Pont. Max. ut piæ *Chron.*
Regis petitioni faceret ſatis, ſacrarium intravit, in *Polon.*
quo plurima Sanctorum Martyrum corpora placidè quieſcebant: tum ex iis quæſivit; Ecquis Sanctorum inibi jacentium in Poloniam ire vellet? Ad quam vocem, ſerióne, an joco à Summo Pontifice prolatam, ex tumba, in qua ſacrum *B. Floriani* corpus conditum erat, manus illico protenſa, eidem Pontifici vocitanti apparuit, indicavitque eum eſſe, qui in Poloniam ire geſtiret. Quo prodigio motus Pontifex, ejuſdem ſancti corpus per *Ægidium*
Mutinenſem Epiſcopum & Regi, & Eccleſiæ Cra- *Spondanus Anno 1184.*
covienſi tranſmiſit, à quibus ea qua par erat pompa, ac veneratione exceptus eſt, atque in eadem Eccleſia ritè depoſitus, ſummo illius bono, & Regni totius applauſu, atque ornamento. Fuit ille cœli ludus amabilis, fuit illa ſancto Martyri corpuſculi cura; fuit & ampliſſimi Regni decus, & gloria: cui non multum abſimilis eſt ea, cujus meminit *Bzovius* ad Annum Chriſti 1198.

Terris vivere deſierat, & cœlo jam cœperat *B. Donatus*, Monachus Petinenſis, ordinis Montis-Virginis, natus Ripæ Candidæ in Lucania. Hujus corpus, cum *Ripam Candidam* ex Civium voto ac poſtulatione, deferretur; conquerentibus Monachis, quòd eos deſereret, nihil penitus relinqueus præter deſiderium ſui: Ecce, mirum dictu viſuque; in feretro reſedit Sanctus, ſibi brachium detraxit, Monachiſque illico porrexit, non ſine amabili & ſtuporis & amoris ſenſu.

Quod illis, aliiſque: hoc & Coloniæ Urſulanis Virginibus. Jam aliquot ſæculis placidè conquieverant *S. Theomata*, *S. Cleomata*, & *S. Chriſtantia*: cùm ecce Præfecto loci per nocturnam quietem apparet, monentque ut corpora ſua inde è ſepulchro educantur, transferanturque in *Thuringiam*, ad *Falcodefrodenſe Aſceterium* ordinis Ciſtercienſis, ibidem & quietis locum inventura, & ſimul cultum ac venerationem planè ſingularem. Paret ille, & ſacra pignora educit, traducitque in *Thuringiam* ad Abbatem *Cap. 10.*
ſupra nominati Monaſterii, à quo & religiosè excepta, & habita per annos complures in ſummâ veneratione. Verùm, ut humana inclinant, & mutantur propè omnia, ubi vivere deſiit Abbas, ſimul & vivere vigereque deſiit ſacrarum Virginum cultus, & eò quidem ut vix ulla earum eſſet memoria: exorto enim bello *Philippum* inter, & *Ottonem* Romanorum Reges, diviſóque armis imperio; ſacra trium Virginum corpora elata ſuper templi teſtudinem, locoque ſatis abjecto, vilique depoſita; in quo, pace Imperio reddita, etiam relicta ingloriè, & ſine ullo cultu. Quid hîc ſanctæ Virgines? ut ſcias etiam animæ in cœlis curam eſſe corporis; ad excitandos iſtius loci *Cœnobitas*, renovandamque pri-

ſtinam erga ſacratiores Reliquias pietatem; teſtudinem ita quatiunt, ita commovent, ut enatus inde ſtrepitus, etiam toto Cœnobio audiatur; excitari poterant eo ſonitu quantumvis altè ſopiti ac dormientes, non tamen à torpore deſidiâque ſuâ Cœnobitæ. Quid ultra ſacræ Virgines? ne quid relinquerent intentatum, nocte concubiâ Sacriſtæ ſeſe ſpectandas præbent, auguſta prorſus ſpecie; eumque officii ſui commonent; ſed ſurdo loquuntur? quid ergo? iterum apparent, & verbis minas addunt: futurum enim ni refloreſcat priſtinus Reliquiarum cultus ut Cœnobio excedant, redeantque ad priores ſedes locumque Urſulanæ quietis. Neque hic excitatos Sacriſta, neque Cœnobitæ. Quid deinde?

Res omnino nova, prodigioſa, & cui parem vix ulla hactenus audivit ætas. Nox erat alta, & quæ D. URSVLÆ Sociarumque feſtum anteibat, cùm pro more ad matutinas precas conveniunt Religioſi, alteruiſque choris accinunt, & ecce mirum oculis, mirum & animis ſpectaculum, in templi medio viſæ ſunt ſtare tres illæ Virgines è cœlo lapſæ; ſumpto ſcilicet ad eam ſcenam virgineo, & decentiſſimo habitu; formâque ſupra humanam, auguſtâ illâ, & cœleſti: Ubi ſic aliquamdiu ſtetere ſtupentibus, attonitiſque omnibus; tum ad altare majus converſæ, ſeſe illi profundiùs inclinare; tum modicè ad Abbatem, circumſtanteſque Religioſos, quaſi illis dictutæ extremum vale; denique per oſtium, quod nulli tum patebat, exire.

Peracto officio horiſque Matutinis, Abbatem ſinguli conveniunt, à ſe viſa denarrant; ſtupet ille, & oblatam etiam aliis Virginum ſpeciem demiratur, quam ſibi uni oſtenſam credebat; uti credebant & ſinguli; ſed quod ſingulis, hoc & omnibus exhibitum. Quid deinde conſilii? placuit convocari omnes, audireque quæ cuique ſuper eo mens eſſet, & cogitatio. Viſum eſt nonnemini offenſas Virgines ob intermiſſum tanto tempore religioſum illarum cultum, aliò migraſſe, atque ad priſtinas ſedes remigraſſe: probata opinio; ſed tum vel maximè, cùm ſupra teſtudinem itum, apertâque capſa, penitus vacua eſt reperta.

Hîc omnes occupavit ſtupor, dolor, mœrorque ob emiſſas ſuâ culpâ Divas illas Tutelares, quas & placari debere viſum eſt, Abbatemque Coloniam emitti; qui inde optata pignora reportaret.

Venit porrò, rei geſtæ ſeriem enarravit, & cum Antiſtita ſedulus egit, ut ſarcophagi, quibus olim incluſa iſtarum Virginum corpora fuerant, recluderentur: datum illud Abbatis voto, & omnium expectationi, & corpora ibidem inventa ſunt; non ſine ſtupore aſtantium, & inuſitato Colonienſium gaudio, ad quos ſcilicet redierant ſanctiſſimæ illæ Virgines; quarum memoria ut iret in Poſteros, non procul à ſarcophagis adjecta pictura perelegans, quæ & tres illas Virgines oculis exhibet, & totius rei geſtæ ſeriem explicat. Imò in *Oratorio*, ut vocant, *aureo*, unius ex illis Caput, argento incluſum aſſervatur, adjectâ etiam hac epigraphe: *Hæ Reliquiæ reverſæ ſunt Coloniam.*

Et hæc è multis mihi erit poſtrema *Miraculorum Corona*, cui poſtquam fidem dederis; dabis etiam & cultum, debitamque ſanctæ URSVLÆ, & Sociis Virginibus venerationem, pro quâ magis ac magis excitandâ, promovendâque, ſit

CORONIS URSULANÆ HISTORIÆ

S. Vrſulæ, & Sociarum cultus ac veneratio.

PAuculis quæſtionibus, quas de S. URSVLA, & Sociis, hoc opuſculo injecimus, pro Coronide ſubjiciemus nonnulla, quæ ad ſacrum illarum cultum, ac venerationem nos provocent; fortè (ut cum Martiali dicam)

Lib. 10.

Et magè principio grata coronis erit.

Ratio porro, modusque eas colendi, alius eſt, atque alius.

I. Modus colendi.

Primus iſque facilis, & magis uſitatus, eſt ipſe uſus *Roſarii Vrſulani*, quo ſcilicet in dies ſingulos undecies Oratio Dominica cum ſalutatione Angelicâ piè recitetur.

Alius, quem edocuit etiam ipſamet D. URSVLA eſt, ut ſaltem in vitâ ſemel, in honorem undecim millium Virginum dicatur undecies millies Oratio Dominica, adjectâ eadem Angelicâ ſalutatione; à quâ hoc cœlo judice conſtitutum eſt præmium.

Pars Virginum tertia orabit pro eo coram Domino; altera pars aderit morienti, arcebit dæmonum inſidias, & ſervabit à pœnis Purgatorii, pars denique procedet venienti obviam in aëra, & animam ad cœlos evehet.

Vrſula Vind. l. 10. c. 12.

Hæc S. URSVLA Anachoretæ, cui ſe ſpectandam dederat; uti refertur in opere, cui titulus *Vrſula Vindicata.*

II. Modus.

Alius colendi ritus, eſt ſacrum Miſſæ ſacrificium die illis ſacrâ ac ſolemni, quod quàm acceptum ſit, etiam miraculo didicit *S. Cunibertus*, cui (ut antè dixi) ad aram facienti columbæ indicio demonſtratum D. URSVLÆ ſepulchrum, & B. *Hermannus Steinfeldienſis*, qui Sacris ibidem operans, & caput unius Virginis cœleſti extorſit munere, & ab illo etiam Virginis nomen, id eſt *Gertrudis*, audiit: Placet aliis undecies Sacrum celebrare; ut ſua cuique millenario divina litetur hoſtia.

Et hæc ſunt Chriſtianæ pietatis officia, quæ, vel in precibus ad Deum fuſis, vel in emiſſo ad Superos incruento Sacrificio, conſiſtunt: demus aliud, quod in Voto caſtitatis, Deo, & D. URSVLÆ Sociiſque Virginibus oblato, quo fortè acceptius nihil, nihil pretioſius.

III. Modus.

Virgo Belgica, cujus antè paucis memini: ſeſe Deo, & D. URSVLÆ devoverat, concepto perpetuæ Caſtitatis voto, cui dum inſidiatur impurus adoleſcens, monſtratâ viâ clancularius in cubiculum Virginis irrepit, ſeſeque abdit quàm occultiſſimè. Aſcendit Virgo fraudis inſcia, fuſiſque pro more veſpertinis precibus, cœpit præter ſolitum tremiſcere, & nunc hac, nunc illac circumſpectare, & perſpicacis inſtar columbæ, velut umbram timere accipitris. Quid deinde? caſtigat imbellem animum, & fortis adlaborat eſſe, metu diſcuſſo; ſed fruſtrà: crebreſcit horror, augetur metus, virginei pudoris vel præcurſor, vel comes, vel etiam tutor. Tandem luſtratis omnibus cubiculi angulis, Caſtitatis inſidiatorē ſub lecticâ reperit abditum. Exſilit inde blandientibus verbis, laſciviente habitu. Non tulit petulantiam Chriſtiana Amazon, & arreptum candelabrum tam altè in hoſtile caput impegit, ut domum vix evaſerit vivus.

Annuæ Colleg. Valencenenſis Anno 1603.

Potuiſſet, imò & debuiſſet à vulnere refrigeſcere ac remitti æſtus ille impuri amoris; ſed incaluit, exarſitque magis: perſanato quippè, poſt aliquot menſes capitis vulnere, ad alias ſeſe convertit artes, conſultoque mago Virginem expugnare conatur. Ita nimirum à vulnere capitis, gravius in animum gliſcebat vulnus. Semel, bis, tertiò amatorios pulveres, amorum philtra, carthaſque peregrinis characteribus exaratas, Virginis veſtibus, libris, cubiculo inſeruit; ſed interno monitore tuta virginitas fraudem ſemper detexit. Quid igitur effræuis amor? an hîc ſiſtat? an conquieſcat? Minimè, dum enim contra magicas artes, contràque blanditias invictum ſpectat, atque obfirmatum animum; Virginem vi aggreditur.

Captatâ ſolitudine, cum parentes abnoctant, clanculariâ clave ad cubiculum pervadit, ubi virgo ſtrato ſe dedit, faventibus tenebris prorumpit è

latebris,

latebris, circumſtatque; ceu raptor ad agnam, ceu lupus ad prædam.

Quid faciat pavida columba ſub ungue accipitris? inclamet? nullus exaudiat. Gemat? non iis movetur inceſtus amor: Luctetur? ſed certa ſtabit ab hoſte victoria.

Itaque, jam, non de morte dubia, ſed de pudore trepida, animum ad virtutem parat, ad artes vertitur vacua præſidio, ſed Deo plena. Habet nimirum & ſuas artes ingenioſa caſtitas, & inermis licèt ipſa, armatos tamen, nunc ſtravit, nunc exarmavit. Quid agimus, inquit, tacita? niſi proſpicimus, captiva virginitas: votum eſt mori; ſed metus deflorari. Eſt in Virgine vulneri locus, non eſt contumeliæ:

Age, inquit, *pertinax amator, dum caſtæ mihi eſſe non licet; liceat eſſe cautæ, erit utriuſque famæ conſultum, ſi peſſulus foribus obdatur, ne ſerò domum revertens ancilla, amores iſtos turbet, vel infamet.*

Providè, ſubdit inſanus amator; *ſed comitata ibis, ne ſolitos ludos agas.* Præit illa ſuperinducta ſubucula, prehenſat comes laciniam, & dum per tenebras gradiuntur, primoréſque fores virgo prenſat, raptim aperit, è manibus elabitur, atque in medias ſe plateas proripit.

O providam caſtitatem! quæ nec capta quidem, capi potuit. Ita demum adoleſcens, dum metus amorem, infamia deſiderium vincit, ad breve tempus à ſuâ inſaniâ deſtitit; ad tempus, inquam, breve, nam cùm hac ratione nihil profeciſſe ſe videt, ad alias artes converſus, magicis incantationibus ſpiritus malignos per Virginis cubiculum noctu inambulare facit, ut vel ſic nocturno terrore vinceret, quam impuris amoribus vincere non potuit: ſed neque ſic vicit: detecta enim fraus fuit, & philtrum cereo domeſtico inſertum reperit, atque exemit; tum ad Deiparæ, Divæque URSULÆ præſidium confugit. Res mira! ecce audit velut agmen magnum, & confertum, moderato greſſu cubiculum ſuum pertranſire: audit, inquam, & primo horreſcit, tum fugam meditatur, atque ad cubiculi januam advolat, ſed impediri ſe ſentit, moxque metum omnem ab animo detergi; imò ſe tanto perfundi gaudio; interiùque luce, ut etſi oculis nihil cerneret, non dubitaret tamen, & Virgineum agmen, & Virginum Reginam eò advenisse, quod ipſum confirmavit relicta cœleſtis odoris fragrantia, quam & ancilla, quæ fortè advenit perſenſit & ipſa, quæſivitque, unde tam inuſitatus, tam admirabilis odor, cui ſimilem hauſerat nunquam.

Ita nimirum *Virgines Urſulanæ*, in Virginitatis certamine advocatæ, pugnantes roborant, & victores exhilarant, effuſo etiam cœleſti odore, vel in arrham ſui amoris, vel in præmium ſervatæ virginitatis, vel etiam ad ſuaves tantæ virtutis illecebras; à quibus redeo ad alium modum, quo D. URSULAM Sociaſque Virgines honorari placuit.

IV Modus.

Is erit *Sodalitatibus Urſulanis* in tantæ Præſidis ac Patronæ gratiam, honoremque erectis, quas inter antiquitate eminet *Colonienſis*; ea coiit primùm ex viris Conſularibus, Ordinis Senatorii, Patriciis, aliiſque honoratioribus, quibus, deinde acceſſêre è primis ſubſelliis Eccleſiaſtici, Præpoſiti, Decani, Canonici, tum etiam alii Sacerdotes.

Hi pridie D. URSULÆ, in ſacello ejuſdem aureo tria ſacra pro vivis, ac defunctis indicebant; tum etiam quindecim cereos prægrandes, ſingulos librarum duodecim, unum verò quindecim, Divis ſuis Tutelaribus offerebant; tum ſacras Reliquias bini, ac bini ſupplicantium in morem religioſè è ſacrario ad altare majus, & ab hoc in ſacrarium deportabãt.

Tom. 2. l. 2. c. 46.

Altera Sodalitas, fuit *Romana*, antiquitate quidem Colonienſi inferior; ſed authoritate ſuperior: huic præter alia Chriſtianæ pietatis officia, ſolemne fuit ipſo D. URSULÆ die ſacro, puellis pauperculis dotem conſtituere, quo in Matrimonium honeſtè collocentur; tum etiam unum è vinculis, & quidem mortis reum, educere: datum ſcilicet illi, authoritate Pontificia, id privilegium.

A Colonienſi, & Romanâ Congregatione, tranſeo ad *Goanam*, quàm eò loci erexit, atque inſtituit *P. Gaſpar Barzaus* Belga, è Societate JESU, Viæ probatæ virtutis ac ſanctitatis: Ei Congregationi primò inſcriptus Indiæ Prorex; tum alii, eo concurſu, ut ad duodecim millia Sodalium numerus excreverit; ea liberalitate ac profuſione, ut modus adhibendus fuerit, ne, dum Urſulanæ Congregationi tot dona, tot congeruntur munera, Indicæ liberalitatis æſtus, alveum mutaſſe videretur, atque omnia, uni loco, unis D. URSULÆ Reliquiis exornandis, addixiſſe.

Mitto ſodalitates alias tum in Germania, tum in Polonia erectas, memor propoſitæ mihi brevitatis: transeo ad alium ejuſdem Divæ cultum, in quem venit *Richeſa* Poloniæ Regina, quæ & ſe, & poſteros ſuos, D. URSULÆ tributarios fecit, raro ſanè exemplo, illuſtrique pietate, datis etiam in eum finem litteris, regióque diplomate, in quo hæc verba digna cedro, digna æternitate: *Ego, cùm eſſem ingenua, deliberavi eſſe ancilla, & ſub tributo.* Ancilla D. URSULÆ, & ſub illius tributo.

V. Modus.

Suprà n. 10.

Invaluit olim ille mos, eiuſque ſacet, ut Reges ultro concederent in tutelam Sanctorum, eiſque fierent *Tributarii*.

Sic *Ina*, Rex Occidentalium Saxonum, Anno 740. ſingulas regni ſui domos, ſingulos denarios argenteos D. Petro, & Romanæ Eccleſiæ, annuè pendere voluit, ut hâc tributi penſitatione & ſui, & Regni ſui Dominum eum agnoſceret ac profiteretur.

Sic deinde *Offa*, Merciorum, ſeu Orientalium Saxonum, Rex; & ſe, & ſuum Regnum ad conſimile tributum Eccleſiæ Romanæ perſolvendum obligavit. Anno 775.

Sic *S. Stephanus*, Rex Hungariæ Anno 1005. cum Regnum ſuum ſub Deiparæ tutelâ eſſe vellet, etiam voluit eſſe ſub tributo. Quod hic Divæ Matri, quod illi S. Petro Apoſtolorum Principi; hoc Sereniſſima Poloniæ Regina D. URSULÆ, cui ancilla eſſe geſtiit ac tributaria. Et hic colendi ritus facilè princeps.

Alii præterea ſunt, quos ingenioſa pietas & invenit, & exercuit.

In Luſitaniæ regno, Academia Conimbricenſis, die S. URSULÆ feſtivo, orationem habet panegyricam; India ferè tota conciones in templis, alii jejuniis honorant, alii SS. Synaxeos frequentatione, alii corporis afflictatione.

Fuit Virgo, quæ D. URSULÆ octavam ſic celebraret, ut quotidie mille quingentos ictus impingeret carni macerandæ, donec ſingulas Sanctarum Virginum undecim millium, uno verbere inflicto, piè eſſet veneratą.

Sunt alii, qui, vel lampadibus, vel cereis accenſis colunt, antiquo ritu quo ad Martyrum ſepulchra lampades incendi, & collucere ſolebant, ut vel ex eo nos doceremur, eos æternâ luce jam frui, qui prius virtutum omnium luce, nobis in hac aurâ mortali præluxerunt.

Quis porrò, quantuſque ex eo ſimili ve cultu fructus emanet, videamus, & quidem primò quis ad Urbes, Populoſque; Deinde quis ad ſingulos etiam in privata fortuna.

Ad primum quod attinet, illuſtre illud, quod vidit, amavitque *Argentina*, nobiliſſima Civitas. Eam obſederat *Carolus Audax*, nomine & re etiam *Audax*, Belli fulmen, & terror Orbis; jamque portis ac mœnibus imminebat, ferrum, & ignem importaturus, cùm opportunè adfuit D. URSULA, denſati cunei,

Crombach, Tom. 2. hiſt. Urſ. l. 9. c. 35.

Digitized by Google

cunei, candidáque Virginum agmina, quæ pro mœnibus ſtetere, & Civibus, & Urbi præſidio futura.

Et certè fuerunt: nam & ſoluta obſidio eſt, & libera metu, hoſteque celeberrima auguſtáque Civitas. At unde libera? utique ab ope, & præſidio D. URSULÆ, Urſulanæque Congregationis, quam Patres Carthuſiani eò loci erexerant, & *Naviculam* placuit appellari; metaphorâ boni nominis, & ominis; quæ ſcilicet innueret ei Congregationi inſcriptos, aſpirante earum Virginum aura, per hujus vitæ, mundique procellas tutò, certóque in optatæ tranquillitatis portum deportari. Et hic, ut dixi, Sacer proventus ad Urbes ſpectat, publicumque bonum: demus quod etiam ad privatum.

Colligetur ille in extremâ brevioris ævi metâ, aditúque primo æternitatis, in quo cum Sociis Virginibus advenire ſolet URSULA, & periclitantibus opitulari.

Antiqui Scriptores, & in his etiam *Iacobus de Voragine* hæc memorant.

Religioſus unus aliquis D. URSULÆ, & Sociis mirè addictus, cùm adverſa cœpiſſet valetudine pulſari, derepente Virginem aliquam ſibi adeſſe ſenſit, auguſtâ ſanè & cœleſti ſpecie, quam dum uſurpat oculis, ſimul ab illa audit: Ego una ſum ex illis undecim Virginum millibus, quas adeo operosè colis ac veneraris; harum præſidio ſi in extremâ cum morte luctâ fulciri vis, age, ſingulas unâ Dominicâ prece, & Angelicâ Salutatione honora; licebit illud per valetudinem, quam tibi cœlo probante reſtituo. Dixit & ex oculis evanuit, ſimulque ſanum atque incolumem reliquit.

Supra c. 89.

Paruit ille benè monenti Virgini, penſumque illud per annos complures perſolvit, ad extremam uſque ſenectutem, quâ perfunctus, ejus vitio potiùs, quàm morbo ad vitæ metam venit, mortiſque limina; quibus jam vicinus, ad Abbatem, & Cœnobitas, qui tum fortè aderant frequentes, exclamare ſubitò cœpit.

Cedite omnes, cedite, & cubiculo excedite, locumque date & D. URSULÆ, & Urſulanis Virginibus, quæ de cœli regiâ adventant.

Hîc primò ſtupere Præſul; dein hærere; tum rogare, Ecquid illæ voces, ille clamor eò loci ac temporis, ut videtur, importunus?

Rem totam candidè aperuit, explicuitque bonus ſenex, & perſolutum à ſe penſum, & fidem ſibi datam à Virginibus, qua ut ſe liberent, è cœlo labuntur omnes, atque ad cœleſtiâ invitant, offeruntque ſe viæ comites, atque duces. Dixit, & ſimul loquendi, ſimulque vivendi finem fecit, atque ad beata cœli tecta, parthenico illo, ac numeroſo ſanè comitatu, exceſſit.

En tibi, *Amice Lector*, quis à D. URSULÆ cultu ac veneratione ad animum proventus; imò quis ad ipſam beatæ æternitatis uſuram: hanc ſi amas; & D. URSULAM, Sociáſque Virgines, & amare & venerari, & debitæ pietatis obſequiis tibi ſtudeas devincire.

Ita ſibi devinxit & poſteros omnes devincire docuit religioſa puella, de qua *Thomas Cantipratanus*.

Bruxellis, Urbe nobili, & Brabantiæ principe, viſitur Xenodochium, præcipua caritate, & religione nominatum. In eo religioſa ſoror ægris & pauperibus curandis addicta, dum ei officio vacat impenſiùs, morbò corripitur, & humanis eximitur ſub horam diei tertiam, jacétque exanimis ad uſque veſperas: & tum, mirum dictu viſuque! ſubitò vitæ redditur, ſeſeque in pedes erigit. Ad ſpectaculum hoc tam repentinum, tam inſolens, convocantur Sorores omnes, confluuntque turmatim alii, ad quos ſic illa:

Dum vixi, Virgineum D. URSULÆ exercitum operosè colui, & ecce ejus precibus ab ignibus expiatoriis modò libera ſum, & huic luci, veſtriſque oculis redonata, non alio fine, quàm ut edicerem omnibus earum cultoribus ac ſtudioſis, futurum ut à morte, earumdem ſuffragia, preceſque indubiè experiantur, abeantque quàm certiſſimè è Purgatorii cruciatibus. Dixerat, & quaſi perfuncta officio, cujus causâ ad vitam redierat, rurſum, loqui & vivere deſiit, noſque edocuit D. URSULAM, Sociasque Virgines debito cultu ac veneratione proſequi, ſi modò è Purgatorii flammis exire, elabique velimus quàm citiſſimè, aut etiam quod magis in votis eſſet, recto tramite in cœlum evolare, uti evolarunt D. URSULÆ clientes non pauci; è quibus de Ciſtercienſi familia unus aliquis; cui jam animam agenti, ad illa verba: *Subvenite undecim millia Virginum*; ſubvenerunt illico, & primò confertam dæmonum turbam in fugam egerunt; dein animam in cœlos unà ſecum evexerunt. Uti & *Godefridi* Villarienſis familiæ religioſi, & *Elizabetha de Aquilar*, ejuſdem Inſtituti Sanctimonialis, quorum animas & exceperunt Urſulanæ Virgines, & Virgineo illo, ac cœleſti comitatu, ad ſuperum, Deique regiam deduxerunt; quod D. URSULÆ, clientibus & ſtimulo eſſe debet, ad debitam illi ſubmiſſionem, piáque obſequia; & ſimul etiam ſolatio, in ultima illa cum morte pugna, in qua de ſalute agitur; imò & de ipſa, quanta quanta eſt æternitate.

Cron. Villarienſi.

DE

DE
SANCTA TERESIA
VIRGINE AC FVNDATRICE
CARMILITARUM DISCALCEATORUM.

PROOEMIUM.

CARMELITARVM Ordo ut antiquiſſimus: ita & ſanctiſſimus. Originem habuit ab *Elia*. Nomen à *Monte-Carmelo*. Sanctitatem à Regulæ. Cœleſte præſidium à Virgine, Dei Matre, à qua & *Scapulare* accepit, vel inſigne ſingularis tutelæ, vel arrham virginei in eum Ordinem amoris. Famam denique à Viris & Doctrinâ, & Sanctitate Orbe univerſo nominans: quos inter hi ferè principes:

Ioſeph. Ant. de perfect. mil. Eccl.

Dionyſius Pont. Max. qui & Sabellii hæreſim editis ſcriptis impugnavit, profligavitque, & Paulum Samoſatanum hæreſiarcham condemnavit, duplici (ad perficiendum tanti momenti, ponderiſque negotium) coacto Antiochiæ Concilio.

S. Cyrillus Patriarcha Alexandrinus, Cœleſtini Papæ, pro damnanda Neſtorii hæreſi, in Concilio Generali Epheſino, Legatus.

S. Spiridion Cypri Epiſcopus, qui ſub Maximino Imperatore, eruto oculo dextro, & ſiniſtro poplite ſucciſo, etiam ad metalla damnatus eſt, à quibus tamen & Eccleſiæ, & Nicæno Concilio redditus, ut in eâ, & Præſulum, & Orbis Chriſtiani luce emineret ipſe, & Philoſophum Ethnicum veræ Fidei adjungeret, aliáque planè admiranda, ad Religionis univerſæ bonum patraret.

Thomas à Ieſu de Stat. Mont. p. 1. c. 1.

S. Hilarion. S. Anaſtaſius Perſa, & Martyr inclytus, Romæ ad aquas ſalvias ſepultus.

S. Gerardus Epiſcopus & Martyr. S. Thomas, Petrus, & Angelus, glorioſi Martyres. S. Brocardus. S. Serapion Epiſcopus & Confeſſor. S. Andreas Corſinus, Epiſcopus Feſulanus. S. Albertus. alter *S. Cyrillus Conſtantinopolitanus. S. Avertanus. S. Bertoldus.* alter etiam *S. Albertus Patriarcha Hieroſolimitanus. Beatus Simon Stock* aliàs *Anglicus*, qui de Virginis manu *Scapulare* excepit, & in Ordinem ſuum; imò & in totum terrarum Orbem intulit, ingenti hujus, & illius bono ac ſolario.

Eraldus in Fa. t. Temp. Anno 12.

Et hæc prima ſunt, RR. Patres, Ordinis veſtri lumina, quibus ſuam quoque lucem addidere, ceu minora ſidera, Virgines ſanctiſſimæ: *Sancta Eugenia Virgo & Martyr. S. Euphraſia. S. Euphroſyna.* & hac noſtrâ ætate, *B. Maria Magdalena de Pazzis*; Virgo Florentina, ab *Vrbano VIII.* in Beatorum album relata: à quâ dum in præſentia diſcedo, venio ad D. TERESIAM, quæ primitivam Regulam ab *Alberto* Patriarcha Hieroſolymitano præſcriptam, & ab *Innocentio* Papa hujus nominis *IIII.* confirmatam, & priſtinæ obſervantiæ reddidit, & luci: in eo, de ſuo Ordine, imò & de Eccleſiâ univerſâ, benè merita: ad cujus commendationem pertinebunt eæ, quas ſubjiciemus quæſtiones.

Hæ porrò ducentur ex illo Divini amoris cantico: *Veni ſponſa Chriſti, accipe coronam, quam tibi Dominus præparavit in æternum.* Eo Virgines Deo ſacræ invitantur ad caſtos Sponſi amplexus, ad palmas, ad coronas, & quidem cœleſtes atque æternas, pro quibus ſit

QUÆSTIO PRIMA
MORALIS.
Ad illa Eccleſiæ, ceu magnæ Matris, verba: *Veni Sponſa Chriſti.*

QVÆ SIT ILLA SPONSA CHRISTI? Quæve ſponſalium leges, & pacta?

AD primam hujuſce quæſtionis partem, id ſtatuo, quod Eccleſia, quod Divi Patres, quod ipſe Chriſtus; cui *Sponſa* eſt *anima ſancta*, & hoc ex amabili, mirandâque in illam amoris inclinatione quam verbis probare, non eſt animus; ſed factis: altiùs nimirum clamant facta, quàm verba.

Dies agebatur Sanctis Angelis feſtivus, cùm in altiore orationis æſtu à ſe diſceſſit *B. Angela de Fulginio*, & ab Angelis educta ad altare Angelorum, à quibus etiam hæc audit: *Præpara te ad recipiendum eum, qui te deſponſavit annulo ſui amoris.*

Bollandus 4. Ian.

Hæc ubi dixere cœleſtes genii, cœlo redditi ſunt, & ſibi quoque reddita *B. Angela.* Hoc uno beata, quòd etiam ab Angelis audiret *Sponſa Chriſti*, quodque caſto divini amoris annulo deſponſata.

Qui Cœli indulgentiâ datus favor *B. Angelæ*: idem & *B. Ivettæ Recluſæ.* Hæc in exceſſu mentis vidit adeſſe ſibi à dextris novem Angelos, totidemque à ſiniſtris; tum aureâ veſte cingi ſe ſenſit, ac tegi, tum etiam monilibus ornari ſe, ac gemmis; mirabili pretio, atque amabili varietate; tum denique eo ornatu nitentem adduci ad Chriſtum, ceu ſponſum: & hæc illi à beatis geniis parata ſcena; ſed amoris, ſed honoris, ſed lætitiæ; à qua vix ſeipſam capere. Et verò qui caperet ſic evecta? ſic beanda à cœleſti ſponſo? à quodeinde futuris ſæculis beandæ & aliæ: quo in genere, memorabile eſt illud, quod ſubjicio.

13. Ian.

Duobus

Duobus annis antequam ex Hiſpaniâ in Gallias emigrarent Matres Carmelitanæ, *B. Anna de ſancto* *In ejus vita.* *Bartholomæo*, Chriſtum vidit in amœna ſpecie, atque adinſtar ſponſi adornatum, eo ferè modo, quo à Vate regio deſcribitur in ſolemni illo Pſalmo *Eructavit.* Quæſivit ex illo ecquònam eo diademate, eo lumine decorus iret? & audiit in Galliam tendere ad ſponſas ſuas; eas ſcilicet, quæ primæ in Chriſtianiſſimo iſto regno ordinem illum ſacrum eſſent ingreſſuræ. Erant nimirum, vel ab ipſo initæ religionis limine, futuræ ſponſæ Chriſti: uti & ante illas

S. TERESIA SPONSA CHRISTI.

NOn minus amabile, quàm mirandum illud, quod habetur in bullâ canonizationis, edita à Gregorio XV. Pont. Max. Chriſtum et ſeſe ſpectandum dediſſe, datáque dexterâ, clavóque oſtenſo, illam in ſponſam adoptaſſe, atque his allocutum verbis:

Deinceps ut vera Sponſa, meum zelabis honorem; jam ipſe ſum totus tuus, & tu tota mea.

Hîc oculos, hîc animum ſiſte, *mi Lector*, & Chriſti, ceu Sponſi, amores demirare; & in illis, ſeu datæ Fidei ſigna, ſeu ſymbola doloris. Dat Teresiæ, ceu ſponſæ *dexteram*; en Fidei teſſeram; *clavum* deinde oſtendit, en paſſionis, en doloris, inſtrumentum, quo ſatis innuit, quod Teresiæ ſit ſponſus; ſed *Sponſus ſanguinum*; ut dicere poſſit illa etiam antiquum illud: *Sponſus ſanguinum tu mihi es*; Tum etiam monet, ut tanquam vera ſponſa ſuum zelet honorem: & certè quidni zelet? cùm jam & ipſius totus ſit Chriſtus, & ipſa tota Chriſti.

Et hæc illi prima à ſponſo gratiâ; data ſcilicet & illi Fides, & datum pro illo pati, cui etiam acceſſit
Acta Canon. Relat. 2. de donis divi. nu. § 4. alter à Cœlo favor. Extruebat illa *Avilæ* primum Monaſterium novæ reformationis, cùm iterum in mentis exceſſu ſeſe obtulit Chriſtus, ceu ſponſus, eamque ob toleratos ſui causâ labores, coronâ fulgentiſſimâ redimivit, & tanquam ſponſam decoravit, ut dicere poſſet & illud:

Tanquam ſponſam decoravit me coronâ.

Amabile illud, quod ipſa Eccleſiæ infantiâ vidit,
S. Ambroſ. in ejus vita. audiitque ab *Agnete*, virgine tenellula; quæ ſic de amatore ſuo, id eſt Chriſto: *Annulo Fidei ſuæ ſubarrhavit me.*

Eſt annulus ſymbolum Fidei; eſt & amoris; & quidem æterni; eſt enim annulus hieroglyphicum æternitatis: ſed ut tale ſit, annulus tantum eſt, & hunc *Agneti*, ſponſæ ſuæ dedit cœleſtis ſponſus: at D. Teresiæ dexteram dedit, & in dexterâ, non Fidei tantùm inſigne; inſigne & amoris: ſed & ſeipſum dedit: quod prodigium eſt amoris, quod finis amantium.

Vidimus hactenus, qui Teresia Sponſa Chriſti; attendamus, quæ Cœlo judice, & arbitro datæ illi

SPONSALIUM LEGES ET PACTA.

PEtentur hæc ex illis, quæ olim *Noëmi* præſcripſit *Ruth*, ut veniret in conjugium *Boos*, ſortemque thori nuptialis: ſic igitur ad illam:

Ruth. c. 3. *Quæram tibi requiem*; hoc eſt opulentum conjugium, in quo à paupertatis anguſtiis, à fame, ac laboribus libera conquieſcas, in ſponſi prædivitis curâ, ac providentiâ.

Sponſum appellat *requiem*; tum quia, ut annotat Aben-ezra, *Non ſolent puellæ quieſcere, donec nupſerint*; tum quia, ut ait Plutarchus: *Conjugium quaſi juventutis portus eſt*; ne per vagas libidines, caſtitatis naufragium faciat.

Ubi ſic *requiem*, hoc eſt conjugium, obtulit; tum ſubjicit, quæ ad illud ineundum viam parent, è quibus:

Primum illud, *Lavare*: quod ad munditiem, nitoremque ſpectat.

Alterum & *Ungere*; ſimplici ſcilicet oleo, non nardino, aut ſimili benè olenti, quod mollitiem redolet, & illecebris ſervit; non etiam ſtibio, aut ceruſſa, aliiſque pigmentis & fucis, quod vanitatis eſt, & propè dementiæ: ſed oleo nativo, & ſimplici, quod honeſtatis, & decoris.

Tertium, *Induere cultioribus veſtimentis*, quod attinet ad muliebrem ornatum, elegantiamque, cum modeſtiâ, ac verecundiâ conjunctam.

Quæ quondam à *Ruth* obſervatæ conjugii leges; eædem & à Teresia. Quæ enim potiùs? Eſt *Ruth*, animæ ſanctæ typus, & umbra, & *Booz*, figura Chriſti, ceu Sponſi cœleſtis, ideóque, quæ illis conjugii pacta: eadem & his.

Sit igitur illud primum, *Lavare*; ad munditiem attinet iſtud, & D. Teresia quàm mundiſſima. Hanc munditiem arguit primò, conſcientiæ candor, & gratia; quâ ſic eminebat ut ne minimum peccati nævum in eâ pateretur: quod probat illud, quod agens de fundatione Monaſterii *S. Ioſephi*, dicere ſolita, ſi confeſſarii vel minimam in eâ imperfectionem advertiſſent, ne illam etiam mille Monaſteriorum granâ admiſſuram unquam, quod & in aliis omnibus uſurpavit. *Cap. 11.*

Evincit deinde & votum, quod emiſit; de quærendâ in omnibus majore Dei gloriâ; adeóque & ſibi inde gratiâ.

Denique & illud, quod eam mirè ſemper anxit, an eſſet in ſtatu gratiæ, quod eſſe ſe didicit à cœleſti ſuo ſponſo, cui erat in primis curis, atque amoribus. Et hæc prima D. Teresiæ, ceu ſponſæ Chriſti, data, acceptáque lex, videlicet *Lavare*.

Altera eſt, *Ungere*: ea porrò unctio innuit parari ad luctam, ad certamen, ad ardua quæque amore ſponſi toleranda. Sic ad certamina ungebantur Athletæ, quò fortiores evaderent, & promptiores.

Et ſic ad ſponſi ſui cœleſtis amplexus parata Teressa, aliis, atque aliis afflictionibus, quas ad tria *Manſione 6.* genera revocabat ipſa; videlicet ad obloquia, ad morbos corporis, & afflictiones ſpiritus, quas ariditates dicimus, & ſimilia bonæ mentis tormina; quæ omnia invicto animo pertulit Teresia; cui ſolemne erat effatum illud: *Aut pati, aut mori*; quaſi ſine patientiâ illi non ſtaret vita, nec etiam ſtare poſſet.

Hinc illi carcer erat pro ſede quietis ac pacis; hinc obmurmurantium inſana murmura pro ſuavi concentu; hinc morbi, afflictique corpuſculi ægritudines, pro delitiis; hinc cum dæmonibus (etſi ab illis, & intus, & foris fœdè vexaretur) quaſi cum muſcis ludebat, quia voluptè erat illi pati, etiam ab inferis.

Ecce ut ſeipſam unxit D. Teresia, atque ad ardua quæque communivit.

Dixit olim de Sponſo cœleſti terreſtris Sponſa: *Oleum effuſum nomen tuum, curremus in odorem unguentorum tuorum*; hoc eſt paſſionum, quas amore noſtri ſubiiſti: curremus, inquam, non greſſu corporis; ſed mentis: imitatione ſcilicet, & affectu, qui velut animæ pes eſt.

Et ita cucurrit D. Teresia, ſponſi ſui eò amantior, quò adverſa tolerando propior: & quia ſic cucurrit, etiam poſt fata ſepulchrique noctem, teſtari voluit Deus vel in ipſo exanimi corpore, quàm accepta fuiſſet ea in vivis unctio. E brachio quippè, corporéque illius, viſus eſt emanare liquor odoriferus, qui & auras mirâ ſuaveolentiâ imbueret, & animos, pio quodam voluptatis ſenſu, deliniret.

Nimirum eſt ille ludus amabilis Divinæ providentiæ, ut qui ſe dùm viveret adinſtar Athletæ fortiſſimi ad certamen unxit; etiam mortuus ungatur ad ſolatium, levamenque miſerorum. *Relat. 1. Mirac. 2.*

Sic

Calumna de vita B. Mat. Sic è *D. Matthæi* corpore humor emanavit etiam medicus, & ſalubris.

Baron. Martyr. 19. April. Sic è ſacris oſſibus SS. Martyrum *Laurentii*, & puerorum, quos ipſe ſuſceperat educandos, effluxit odor miræ ſuavitatis ac virtutis, ad detergendas è corporibus ægritudines.

Baron. 9. Maii. Sic è *D. Nicolai*, Epiſcopi Myrenſis, ſacro corpore, velut è perenni Chariſmatum fonte, ſtillat liquor longè ſaluberrimus.

Emmanuel. Imp. Novel. de Feriis. Sic è *D. Andreæ* Apoſtoli piis exuviis, effunditur perſimilis liquor, index utique illius ſacræ Unctionis, hoc eſt paſſionis, quam Dei ſui, ac religionis ergo pertulit.

Baron. 27. Sept. Sic denique (ut in Virgine ſiſtat oratio) è corpore *D. Euphemiæ* Virginis ac Martyris, unguentum effunditur, quod & corporibus curandis ſervit, & animis.

Mitto cætera ejuſdem argumenti, atque à ſacrâ illâ D. Teresiæ, ceu Sponſæ, unctione, tranſeo ad aliam Sponſalium iſtorum legem: Ea his verbis exprimitur: *Induere cultioribus veſtimentis.* Quæ ſint illa ſi quæris? Audies eſſe virtutes, quæ ex vero animæ veſtimenta ſunt, & quidem excultiſſima. His ornatur illa ad ſtuporem, ad miraculum, ad amorem, & divitium quidem; quem ad ſe rapit. His ornata cœleſtis Sponſa, de qua Regius Pſaltes:

Pſal. 44. *Aſtitit Regina à dextris tuis, in veſtitu deaurato, circumdata varietate.*

Veſtitus deauratus, eſt Caritas aurea; varietas amabilis, qua cingitur, eſt amœna quædam virtutum omnium varietas, quæ ſponſæ, apud ſponſum gratiam conciliat, atque apud alios venerationem.

Et ea fuit D. Teresiæ, in qua primùm enituit aurea caritas, virtutum regina, & parens; quam ferè aliæ omnes conſequuntur, ut Dominam pediſſequæ: caritatem porrò hanc probant multa.

Primum perennis Dei præſentia, qui illi ſemper in oculis, ſemper in animo, nimirum eſt illud amantium, ut ne momento abeſſe velint ab amato; ſed adeſſe continuò, quà cogitatione, quâ amore: &

Relat. 2. art. 5. ita Deo, ceu amori ſuo, adfuit D. Teresia, cujus in Deum effuſam planè caritatem, etiam evincit votum illud, quod in faventes cœli auras emiſit, nempè ſemper agendi quod Deo gratius foret & acceptius. Quod in ea dum amat cœleſtis Sponſus, è ſuperum regia, etiam Angelum emiſit, vultu mirè decorum, qui jaculo ignito ejus cor, & viſcera trajiceret: & porrò ſic trajecit; ut æſtuaret, ut liqueſceret tota. Et certè quidni æſtuaret? quidni colliqueſceret? etiam ad illas ſponſi ſui voces, voces ſuaves, voces divinas, quibuſcum dexteram ei porrigens, ſic ad illam:

Aſpice clavum hunc, qui te ſponſam meam ex nunc fore ſignificat. Honorem deinceps meum quæres, non modo ut Creatoris, Regis, ac Dei tui; ſed ut vera ſponſa: jam meus honor, tuus; tuuſque, meus eſt.

Hæc ſponſus, inter æſtus, inter ignes, inter incendia divini amoris, quibus ardebat Teresia eò jaculo transfixa; ſed amoris jaculo, feliciſque vulnere; ut dicere poſſet cum Auguſtino: *Sagittaveras Domine cor meum.* Et hinc ab illâ ſagittâ vulnus amabile, hinc languor, hinc ectaſes, hinc perennes propè raptus, hinc Seraphinorum incendia, & ſacer ignis, quo Seraphinis æmula ardebat, languebatque Teresia, & eò quidem ut inter ardores illos, igneſque deficeret. Et verò defecit, & huic mundo vivere deſiit, ut Cœlo, Deoque æternùm viveret.

Quamdiu vixit, ſpiravitque Teresia; ſponſo ſuo vixit, ſpiravitque; ſed vel maximè in ultimâ, ſeu vitæ, ſeu amoris periodo: in hac enim divini amoris impetus, æſtuſque is fuit, ut eo evicta anima, pulſáque de ſua ſtatione; è corpore exceſſerit, non vi morbi, ſed amoris victa: & certè quidni victa, cum *fortis ut mors dilectio.*

Et hoc illi genus mortis, cauſáque, quam *Matri Catharinæ à IESV*, Prioriſſæ conventus oppidi de *Beas* revelavit ipſamet donata jam beatitate.

Vidit olim *S. Furſeus* in exceſſu mentis, veluti nigreſcentem nubem, ex eâque jam hiante, elabi ingentia dæmonum agmina, ignitaſque ſagittas in ſe valido niſu evibrare. Sed ô bonum à cœleſti genio, cuſtodéque Angelo? excipiebat enim hic ſagittas omnes, objectóque ſcuto earum vim eludebat, frangebatque: & benè: erant enim ab igne ſagittæ; ſed ab igne ſtygio, qui mortalem vitam eriperet, nec ideo daret immortalem. *Bollandus 16 Ian.*

At tuæ, ô Teresia, & à bono genio ſunt, & ab igne divino; qui ſic urit, ſic à mundo eripit, & terris, ut cœlo reddat, ac beatitati. At, quod illis, & à quo objicitur ſcutum? an fortè à bono Angelo? minimè gentium: ſcutum certè, ſi quod opponitur, non ab alio, quàm à Teresia, nec aliud quàm cor ipſum Teresiæ. O ſcutum amabile, ô molle, ô cereum, ô carneum! Quid carneum dico? cœleſte dicere debui, quod ipſas cœli ſagittas, ipſoſque ignes divini amoris, nec alios caperet: quamquam, quid ſagittas, quid ignes appello? Deum ipſum appellare debui, qui totus *Ignis* eſt, & à quo uno, ſeu ſagittario impetitur, transfigitur, vulneratur, moritur Teresia. O ſagittæ! ô vulnera! ô mors nimium quantum amabilis! ô ſcutum! ô ſcopus! ô meta, in quam ſic collimat divinus ſagittarius, ut certò feriat, ut feriendo ſanet, ut ſanando etiam beet.

Ad illud vos evoco, *Reverendi Patres*, magnæ matris D. Teresiæ quotquot eſtis germani filii; adeſte leves, adeſte citi, & cor illud inſpicite. Erit vobis illud pro ſcopo, in quem etiam ipſi collimetis, in quem ſagittas veſtras jaciatis; ſed amoris ſagittas: erit & pro ſcuto contra ignitas mali dæmonis ſagittas; erit & pro ſpeculo, in quo & ipſam, & amores illius, hoc eſt, Crucifixum, ſuſpiciatis, non ſine divini amoris miraculo; quod ut Orbi univerſo pateat, ſubjiciam exemplar litterarum ipſius Secretarii, R. Patris Generalis Carmelitarum Diſcalceatorum, quod Hiſpanico idiomate unus è noſtris accepit, & eâdem fide latinè reddidit. Sunt autem datæ illæ Anno 1650. 17. Auguſti, in hæc omninò verba.

Pater noſter Generalis ultimâ Iulii Albam venit, comitante P. Priore de Toro, & Procuratore Salmanticæ; & ſtatim unà cum ſociis ivit, ut debitum cultum, ac honorem redderet ſacro cordi, B. Matris noſtræ TERESIÆ. Vbi ad ſacrarium venit: ex illo à ſacriſtâ matrum illius Cœnobii extractum cor criſtallo probè incluſum: Et ecce mirum viſu, dictuque ſpectaculum. Viſum eſt cor dilatari, & omnem criſtalli aream replere: tum alia, atque alia in eo ſpecies apparuit. Procurator, primo omnium aſpexit B. Matris TERESIÆ effigiem ſudore madentem, ac diffluentem: deinde eam omnes videre in ſuo habitu, velo, chlamyde: omnia ſuis diſtincta coloribus; facie autem hilari, amœnâ, & ſpecioſiſſima. Tum R. P. Generalis. in eo vidit, unum, Ecce Homo. Pater Prior de Toro Crucifixum unum, alii Sanctam, eamque ſolam: alii denique, Chriſti in eo reſurrectionem: quam ego quidem non vidi; ſed diutius, & per ſacrum otium unà cum Procuratore ſanctam vidi, & eò quidem mihi impreſſi, ut non difficulter ejus faciem ad vivum effingerem; ſi modò pictor eſſem. Nunquam vero vidi, aut pulchriorem, aut tranſparentem magis, aut etiam nativam. Horum omnium veritatem certâ Fide aſtruo, dicoque S. Matrem noſtram TERESIAM, voluiſſe eo ſpectaculo honorare Prælatum noſtrum, & ejus regimen approbare. Hactenus ille, quæ uti à Religioſo ſacerdote accepi, & quidem certâ fide; etiam eadem refero, & paucis te compello *Amice Lector.*

Vidiſti grande ſpectaculum, ſeu amoris, ſeu doloris; amoris in TERESIA, doloris in Chriſto: & doloris & amoris in TERESIA: amoris, inquam, in Chriſtum Crucifixum, ejuſque Paſſionem, quam ut ſibi impreſſerat in vitâ; ſic & impreſſit, expreſſitque à morte; & ſpectandum illis Patribus, & tibi, ſecundùm illos, etiam dedit: ut diſcas & amare quod in vivis amavit, & tibi altè imprimere quod ſibi olim impreſſit. Amorem ſcilicet Crucifixi, amorem & Dei. Hunc (quod mireris) etiam à morte teſtatum quodammodo voluit D. TERESIA, & hoc quidem inuſitato, & à ſæculis inaudito miraculo, de quo ita *Silveſter Petra ſancta*:

Thaumoſia, vit. Relig. Tom 3 c.12.

Cor illius (ut perhibent) criſtallo includi, & contineri haud poteſt: fervet perpetuò, atque ebullit, amoremque ſuum adhuc exhalat, cujus ſcilicet officina ſemper fuit; proindéque carcerem ſuum veluti frangit, ut exæſtuare liberiùs poſſit; atque adhuc, vel ſine animâ, Deum amare. Hactenus ille, à quo diſcedo, ut ad te veniam, ô Chriſtiana, ô Religioſa Anima: Sponſa es, & ſponſa Chriſti; agedum, attende, & ſerva ſponſalium leges.

Hæc tibi prima ſcribitur. *Lavare*, conſcientiam: ſi fortè à peccati macula ſordeſcat, elue puriore pœnitentiæ lavacro: Tum etiam *Vngere*, inſtar pugilis, atque athletæ fortiſſimi, ut cum hoſte, id eſt Carne, Mundo, Dæmone; & certes fortiter, & vincas feliciter: Denique, *Induere cultioribus veſtimentis*; hoc eſt virtutibus, Fide, Spe, Charitate, aliiſque, quæ tibi erunt pro nuptiali veſte.

Veſtes noſtræ, inquiebat olim D. Bernardus, *virtutes ſunt; bona veſtis Charitas, bona veſtis Obedientia eſt. Beatus, qui cuſtodit veſtimenta hæc, ut non ambulet nudus.*

Serm 3 in Quadrag.

Beatus omnino, tum in hac vitâ mortali, in quâ veniet ad nuptias Agni, id eſt cœleſtis Sponſi; tum etiam in immortali, æternâque vitâ, in qua admittetur ad paratas in cœli regiâ nuptias, ad epulum ſupernæ, ſempiternæque beatitatis.

QUÆSTIO SECUNDA
MORALIS.
Ad illa verba: *Accipe coronam quam tibi Dominus præparavit in æternum.*

QUÆ SIT ILLA CORONA?

DIVÆ TERESIÆ cœlo judice decreta Corona duplex: Una ſub ſenſum, oculoſque cecidit, illiuſque capiti, etiam à Chriſto, ceu Sponſo, impoſita; uti ſuprà vidimus. Altera ſervata eſt ſanctiſſimæ illius Animæ, ceu potiori ejus parti: de hac mihi in præſentia erit quæſtio. In quâ id ſtatuam, quæ illi, & in terris, & in cœlis ſit donata

CORONA VIRGINITATIS.

THeologis tres ſunt *Laureolæ*, ſeu Coronæ; quibus in ſuperum regiâ nitent magnæ mentes, novæque cœlorum Intelligentiæ, id eſt beatorum animæ. Una eſt *Virginitatis*; altera *Doctoris*; poſtrema *Martyrii*: & hæc, & illæ D. TERESIÆ tum in terris, tum in cœlis datæ mihi videntur, etiam Deo judice: ac primò quidem coronâ virginitatis.

2. 2. Q. 152. art. 1. & 3.

Angelico Doctori virginitas poſita eſt in integritate corporis, & immunitate à delectationibus, unà cum propoſito perpetuo ab illis abſtinendi.

Et hoc fuit in D. TERESIA ab ipſa propè infantia, & eo quidem in gradu, excellentiâque puritatis, ut Pater *Didacus de Tangus* è gravioribus, & doctiſſimis Dominicanæ familiæ Patribus & hujus Divæ olim confeſſarius, eam non ſolùm *Virginem*, ſed ipſum *virginitatis theſaurum* appellare ſoleret; appellatione, ut divite; ſic & magnificâ: uti & illa, quam ei tribuit *Reverendiſſimus Tiraſonenſis Antiſtes*, qui TERESIAM vocitare ſolebat *Angelum*, quaſi corporeæ molis, carniſque expertem, puram animam, purumque ſpiritum. Illam porrò puritatem etiam teſtatus P. *Rodericus Alvares* è Societate JESU, illius Divæ aliquando confeſſarius, qui die quadam prenſans perſpicilia, quibus utebatur, edixit: *adeo impoſſibile fuiſſe Tereſiam turpes cogitationes pati; ac illa ipſa perſpicilia.* criſtallina nimirum erat, id eſt puriſſima TERESIÆ caſtitas, immunis, ac libera, etiam à cogitationibus illi adverſia; ne dum à motibus

Relat. 2. art. 12.

Et hunc virgineum candorem, illibatamque & corporis, & animi munditiem probatam voluit Deus: & hoc quidem triplici miraculo: primùm *incorruptionis ſacri corporis*; alterum *odoris*, qui ex illo ſpirabat ſuaviſſimos; poſtremum *liquoris*, qui ex eodem non ſemel effuſus.

Relat. 1. art. 4.

Vix corpus, ceu fidum animæ domicilium, hæc ipſa deſeruerat, cùm ex illo emanare cœpit mirificus odor, teſtis utique illius odoris, hoc eſt virtutis, atque caſtimoniæ, quâ, & corpus, & anima apud ſuperos olebat quàm optimè.

S. Petro Velaſco, in primo vernantis ætatulæ flore, propoſitum ſervandæ virginitatis injecerat propitium illi Numen; injectumque firmarat etiam voto, quod vix conceptum erat, cùm ecce ſacellum, in quo tum orabat, boni odoris fragrantiâ repletum eſt.

Bollandus 29. Ian.

Ita nimirum vel ipſi oratorio, ſaxiſque inanimis odorem ſuaviſſimum affudit Deus; ut vel ex eo teſtaretur, quàm ſuavis ab eo ſibi aſpiraret virginitatis odor.

Quod ſacello illius Divi datum eſt; hoc & corpori S. TERESIÆ, hoc & cellæ in qua expiravit; imò hoc & ſepulchro; erat illud in alta effoſſum humo, cui inſuper & terræ, & calcis, & lapidum, & aquæ ſuperinjecta moles ingens, ne facilè inde erui poſſet ſacrum corpus, atque ut fit, pio furto tolli: hoc enim ut timebant, ita cavebant Conventus *Albæ* Moniales, piæ Matris piæ Filiæ, & Virginei illius depoſiti amantiores. Verùm, cùm è ſepulchro ſuaviſſimus prodiret odor, viſum illis, annuente etiam *Provinciali*, aperiendum ſepulchrum, atque exhumandum corpus: quod & factum eſt, poſt novem à ſepultura menſes, & quod mireris, & capſa lignea, & veſtes penitus corruptæ, corpus autem omninò incorruptum, integrum, flexile, agile, ac tractabile repertum; imò & leve, nec majoris ferè ponderis, quàm infantis duorum annorum: diceres carnis, oſſium, totiuſque corporeæ molis pondus depoſuiſſe, & induiſſe quandam levitatem, atque agilitatem, quæ index foret etiam illius, quæ à *Virginitate* eſt levitatis; & quæ erit aliquando à beatitate *agilitatis*; ad quam etiam accedebat & gratus *odor*, & medicus, qui è ſacro corpore fundebatur, *liquor*.

Et hæc

Et hæc tria miracula cœlo propitio conceſſa virgineo corpori; aliis, atque aliis ab obitu annis, patuerunt teſtibus oculatis, Epiſcopis, Medicis, Conſiliariis regis, aliiſque omninò fide dignis: nominatim Anno 1592. hoc eſt decem annis ab exceſſu beato illius Divæ, Anno 1594. Anno 1604. hoc eſt viginti duobus annis ab illius obitu; quo demum aperta capſa, & diſcoopertum corpus, præſentibus non ſine amabili ſtupore, *Ducißa de Alba*, *Duce del Infaltado*, aliiſque Equitibus, ac Viris Religioſis, quorum oculis, & ſenſibus ſubjecta ea miracula, *Incorruptionis, odoris, liquoris*; quæ tria non ſolùm data ſacro corpori, verùm etiam ipſius brachio, cordi, manui, aliiſque fragmentis carnis, ac reliquiis à corpore deciſis ac ſeparatis: quo in genere illuſtre eſt illud, quod ſubjicio.

Madriti, fuit Matrona nobilis, cui olim datum fragmentum carnis illius Divæ, quod poſt quindecim annos, inter ſorores dividi cùm placuiſſet, religionis ac reverentiæ causâ; ea cura data nobili Eccleſiaſtico; ſecuit ille ac diviſit.

Sed, ô mirum! ô ſacrum! ex carne ſic diſſecta effluxit gutta ſanguinis vivi ac vividi, & ſubjectam chartam ſacro colore imbuit.

Hic amor, hic ſtupor, hic D. TERESIÆ veneratio omnes invaſit: & certè quidni invaderet, ad tanti miraculi ſpectaculum, ſacrumque horrorem.

At unde, inquies, ea virginei corporis incorruptio? contra omnes naturæ leges, & primi peccati pœnam, à quâ audiit primus homo,

Gen. c. 3. *Pulvis es, & in pulverem reverteris*: quæ maledictio, iratique Numinis fulmen, etiam poſteros omnes petere, ferireque debuit; niſi legem illi poneret Author legis, ac pœnæ: Unde ergo, inquies, ea ſacri corporis integritas? & in exanimi carne propè vita? Certè viventi ſimilis color, flexibilitas, tractabilitaſque membrorum? Profectò non aliunde, quàm à Dei nutu ac voluntate, qui à morte corruptionis expertem eſſe voluit eam carnem, quæ nulli in vitâ carnis corruptioni obnoxia fuerat.

Hæc enim, Cœlo judice, ſæpiùs datur illi integritati, quæ in vivis, & corpori, & animo fuit à virginitate, cui ut ſua in cœlis corona ac *Laureola*; ſic & in terris ab incorruptione, ſua quoque eſt merces, à quâ paululum diſcedo, ut redeam ad percipiendum odorem, qui ex ejuſdem Divæ Sacris exuviis emanat.

Ex illo diſces, quis in ipſius animo fuerit virtutum odor.

Ex odore ad ſe accedentium, dignoſcebat *S. Eu-* Bollandus 1. Ian. *gendus* Abbas, quæ in illis virtutes eſſent, aut vitia: nimirum ab his expirabat immanis quædam graveolentia; ab illis autem, mira ſuaveolentia.

Noſſe vis, *Amice Lector*, quæ virtus, quæ caſtitas in anima D. TERESIÆ: nares admove, vel ſepulchro, vel ſacro corpori; & illicò odorem percipies, qui non ab alio manat, quàm à virginitate. à quâ enim potiùs? eſt caſtitatis odor, qualis liliorum, qualis & roſarum, quo te perfundi dum ſentis; ſenties etiam unà ad amorem ejuſdem puritatis incendi.

9. Ian. Ita ſe quondam incendi ſenſit *S. Baſiliſſa*: nupſerat illa *S. Iuliano*, qui ut erat in paucis amans Virginitatis, primâ nuptiarum nocte, ſponſæ cubiculum ſubingreſſus, orationi alnius inſiſtere cœpit, Deumque ter Opt. ter Max. obteſtari, ut & *Baſiliſſæ*, quemadmodum & prius ſibi, ſervandæ Virginitatis amorem injiceret: annuit propitium Numen.

At quâ viâ, modoque? Non alio, quàm Virginitatis odore; eum enim toto cubiculo ſparſit, qui ſolet eſſe roſarum, qui & liliorum.

Hic primùm ſtupere; deinde hærere *Baſiliſſa*; denique ex *Iuliano* quærere; unde ille ſeu liliorum, ſeu roſarum odor, adultâ jam, & acri hyeme? tum audire à *Iuliano*, eum eſſe ſponſi cœleſtis odorem, eum & Virginitatis. Quid hic *Baſiliſſa*? odore capitur, capitur & amore: odore ſponſi Virginitatis amore, quam illicò unà cum *Iuliano*, Deo ſuperiſque vovet.

Sed ne longiùs; ad te redeo, ô Divis addita TERESIA; redeo, inquam, illectus eo, qui ex te expirat, odore: quot eo captæ virgines, quot molles animulæ, & religioni, & Deo, & Virginitati ſe devoverunt? quot hauſtam olim à ſæculo graveolentiam averſæ, in Virginum Aſceteriis, odorem & ipſæ dederunt; ſed qui liliorum eſſet, qui & roſarum; liliorum Virginitatis, roſarum amoris; ſed puri, ſed cœleſtis, ſed divini.

Nimirum, eſt ille fructus, eſt proventus odoris illius, ô Diva, qui è Virginei corporis exuviis expirat, & ad animos uſque aſpirat, ut in te quoque caderet illud, quod de Sanctis accinit Eccleſia: *Sancti tui florebunt ſicut lilium, & ſicut odor balſami, erunt ante te.*

Et certè ante te, ô Deus, fuit odor D. TERESIÆ, & ante moniales omnes, magnæ matris dilectas in Chriſto filias. A puncto quippe temporis, quo in cœlum abiit beata illius anima, & corpus, & panniculi, quibus hoc tegebatur, adeo vehementem efflarunt odorem, ut & feneſtras, & Relat. 2. Mirac. 2. cellæ portam aperire neceſſe fuerit, ut per illas expiraret ille; & verò ſic expiravit, ut per totum omninò conventum effuſus fuerit; quod & contigit tribus annis ab ejus obitu, cùm ejus corpus ſuperiorum juſſu ſecundò exhumaretur, atque ad Conventum *Abulenſem* transferretur. tum enim, moniales, quæ in choro matutinis horis vacabant, & ſuaviſſimum odorem exceperunt, & eo indicio cognoverunt, extrahi educique corpus beatæ ſuæ ma- Mirac. 1. tris, ac ſervæ Dei TERESIÆ.

Et certè exportabatur; & jam erat extra clauſtra: at per hæc, & per omnia Aſceterii loca, ſparſus erat ſacri corporis odor, & mira quædam fragrantia: Ita Chriſto *bonus odor*, etiam *in omni loco* 2. Cor. erat TERESIA.

De *Iacobo*, filiolo ſuo, cùm ei benè precaretur, dixit olim Iſaac: *Ecce odor Filii mei.* Gen. c. 27.

Quod ille de *Iacobo*; hoc Pater æternus, hoc omnium parens, & Author Deus, de Beata TERESIA.

Ecce odor filiæ meæ, odor, inquam, virtutum omnium, quas ut ſancta illius anima conceperat; ita corpus, quaſi vas ejus, quaquaverſum effundebat, expirabatque, ut ſolent vaſa, liquore odorifero quondam plena, etſi deinde vacua: retinent enim, quem aliquando imbuerunt odorem: & ita retinuit corpus Beatæ TERESIÆ, ceu vas olim virgineæ mentis.

Fatendum enim odorem illum, quem Sanctorum corporibus aſpergit Dei manus, ſupra naturæ vires & ordinem plerumque aſpergere, vel ad indicium, vel ad præmium virgineæ caſtitatis.

Sic aſperſit Sacro corpori *B. Aldegondis* Virginis; Bollandus etiam plurimis ſæculis à morte: cùm enim à *Nicolao* 30. Ian. Cameracenſi tum Epiſcopo, religioſè aperiretur capſa, ex illa ſuaviſſimus odor expiravit, aſtanteſque omnes recreavit, Anno ſcilicet Dom. M. C. LXI. VI. Junii in ſecunda translatione: quod & factum in tertia, Anno M. C. C. C. C. XXXIX. menſis Maii XXVI. Deo, Divæ Malbodienſium Tutelaris, ac Patronæ virginitatem, eo odore comprobante; uti &

S. Vlphiæ Virginis, cujus corpus cùm efferretur, & aſtantes omnes, & aërem eo die toto, ſuavi odore imbuit.

Mitto ſexcentas alias, quibus cœlo benigniore conceſſus is favor, vel ad odorem, vel ad commendationem virginitatis.

CORONA MARTYRII.

NE crede in cœli regiâ, eos ſolos martyrii laureâ donari, qui Dei, ac Religionis cauſâ, aut laqueo vitam finierunt, aut ferro, aut igne, aut aquâ, aut alio quovis mortis genere; ne, inquam, id crede: habet terra, habet æther alios martyres, quos ſuâ quoque cingit, ornat, ac beat coronâ: eos ſcilicet, quos (ſi minus effuſus pro Chriſto ſanguis) at effuſus pro illo amor, longa patientia, exantlatique labores, martyres fecerunt, & qui non tam martyrio defuerunt, quàm martyrium ipſis. Atque ex horum numero fuit, eritque in ævum omne D. Teresia.

Ribera in ejus vita l. 1. c. 4.

Appello tenellulam illius ætatem, & propè Infantiam, quæ vidit, quod adulta in aliis vix tulit ætas. Septennis erat, cùm cœpit cum Fratre *Roderico* domeſticam amare ſolitudinem, & martyrum acta decurrere: non tam oculo, quàm mente, quæ eò uſque accenſa eſt martyrii deſiderio, ut ad illud unà cum fratre convolare decreverit.

Audierat apud Mauros in Africâ, multos Fidei, ac religionis cauſâ capite plecti, vitamque cum ſanguine fundere; nec mora cum fratre vix duodenni, octennis tum ipſa; dat ſe in viam; flumen trajicit, & levi pede iter ingreditur, quod in Africam ducit. Sed, ô malum Teresiæ! ô votis illius adverſum! occurrit de viâ Patruus, neptem miratur, & nepotem id ætatis iter ſuſcipere, conſilia ex iis intelligit, improbat, culpatque, & domum reducit, redditque matri, mirum quantùm ſollicitæ quid actum cum filia, & filiolo. Enimverò id actum, ut martyr eſſet, ſi minus in reipſa; at ſaltem in voto. Et hoc primum martyrii genus.

Alterum fuit à ſingulari patientiâ incenſóque patiendi deſiderio, quod exprimebat nota illi teſſera; & ad Deum ſupplex hæc oratio:

Domine, aut mori, aut pati. Votis annuit Deus, eamque malis propè omnibus exercuit.

Joannes de S. Hieron. §. 67.

Primùm morbis, aliis, atque aliis: vehementi nervorum contractione per annos tres, & eò quidem ut non niſi digitum unum movere poſſet; tum etiam cordis deliquio, & violento capitis, brachiorum, ac totius ferè corporis tremore, tum noctibus ſingulis importuno vomitu, denique & febriculâ: dixiſſes Teresiæ corpuſculum, morborum propè omnium domicilium extitiſſe, & quidem eâ pertinaciâ ut per annos omninò quadraginta, ne uno die morbo libera fuerit. Et hæc domi, hoc eſt, in ipſo corpore, patientiæ materia: alia deforis oblata.

Fuit petulans fœmina, quæ illi inter ipſa Miſſæ ſolemnia calceum detritum in caput immiſit, non ſine vulnere, & ſanguine; quam injuriam eò loci, ac temporis illatam, æquiſſimo tulit animo.

Fuit & alia inſolentior, quæ dum fortè pontem ligneum pertranſit, in aquam, auſu ſanè nefando injecit, & in horrentem, fœtidamque cloacam intruſit, è qua non emerſit Teresia niſi luto malè deformata: In iras, in vindictam, in pugnos, in alapas iviſſet alia, & debitam tantæ injuriæ pœnam exegiſſet; at ſubriſit Teresia, & religioſas ſibi comites, etiam verbis abſtinere juſſit, & liberam abire voluit, ne verbulo quidem aſperiore exceptam, nedum verbere.

Adeo injuriarum patiens fuit Teresia, etiam illarum, quas ſibi à malo dæmone illatas ſentiebat.

Ludit cum ſuis amabilis Dei providentia, atque illos ut pilas habet; imò & à malis geniis haberi vult atque agitari. Ita patientem Iobum voluit, quem etiam *ſtatuam patientiæ*, dixêre veteres. Ita deinde præcelſas, & cœlo natas animas: Et hoc aſſumptâ aliâ, atque aliâ ſpecie ac formâ.

S. Potitum Martyrem, modò gygantis figurâ, modò tauri cornu ferientis. *Bollandus 13. Ian.*

B. Albertum Eremitam, nunc luporum rabie, nunc ſerpentis aſtutiâ. *7. Ian.*

B. Ivettam Recluſam, tum formidanda leonis ſpecie ac rugitu, tum urſi ferocientis rictu, tum ſerpentis venena fundentis toxico, tum ſimiarum inter ſe colludentium petulanti joco, tum etiam Æthyopum luridâ formâ tentavit. *13 Ian.*

S. Macarium, Alexandrinum Abbatem, corvi ſpecie: Sanctos alios, aliâ, atque aliâ tartareâ ſpecie, vel invaſit, vel terruit, vel afflixit. *2. Ian.*

Quod illis, hoc D. Teresiæ, cui ſæpiùs viſus mauri nigreſcentis teterrimâ figurâ, vel ad terrorem, vel etiam ad vim inferendam; nam ſubinde ad muros allidere, ſubinde ardenti face propè adurere, ſubinde è chori gradibus detrudere, ac dejicere, luxato etiam illi brachio: ita permittente cœleſti Sponſo ad ſponſæ ſuæ vel exercitationem, vel gratiam, virtutemque in immenſum augendam. Quâ enim viâ meliùs? *Virtus duritiâ extruitur, mollitiâ verò deſtruitur*; inquiebat altiore ſtylo Tertullianus: hac deſtruitur in animulis abjectis; illâ extruitur in excelſis mentibus, cœlo, gloriæque deſtinatis, Et ita extructa fuit virtus in D. Teresia, quam patientia primùm in altiore gratiæ virtutumque gradu collocavit; ac deinde in præcelſis gloriæ, ac beatitatis ſubſelliis; à quibus deſcendo, ut redeam ad D. Teresiæ ſpectandam in alio lycæo victricem patientiam. Patebit hæc ubi fama impetetur; famâ dico, quo majus nullum eſt bonum, non fortunæ, non etiam corporis, imò nec vitæ; eſt enim bonum altioris ordinis, quod ne perdatur, perdetur vita. *Ad Martyres c. 4.*

Et tamen in famâ, tanto utique bono, paſſa eſt D. Teresia. Cœperat hæc pati frequentes mentis exceſſus, & in his impreſſas ſibi cœleſtes ideas atque imagines, quas vulgus *viſiones* appellat, & revelationes: & hæc, vel pro dæmonum præſtigiis habitæ, vel pro inanibus vacuæ mentis ludibriis.

Hinc à nonnullis (etiam quod mirere cæteroquin ſapientibus) æſtimata quaſi obſeſſa à dæmone, malo utique hoſpite: ab aliis, ut mendax, & vanula, quæ famam inde captaret: ab aliis, ut mali nominis muliercula. Inde tum apud Regem Catholicum, tum apud Nuncium Apoſtolicum, tum apud ſacros Inquiſitores traduci, in Jus vocari, calumniis onerari, ac propè opprimi, nemine mortalium ipſius patrocinium ſuſcipiente, ne quidem monialibus, quibus præerat, apud quas & linguâ vapulare, & inſigni maledicendi licentiâ. *Suprà §. 41.*

Quid hæc inter Teresia? an frontem contrahere? an animum abjicere? an fundi in lacrymas? an reſolvi in gemitus? an à benè cœptis deſiſtere? minimè gentium. Imo hæc inter ridere, ſibi plaudere, & exultare gaudio: jactareque blandum illud, & ſuave. *Sibi in corde pugillares, & meliores eſſe ceras, quibus maledicta omnia inſcriberet, tenacius utique, & fidelius retinenda, in ipſius cordis arcâ, ac tabellâ*: in quâ & eluxit D. Teresiæ patientia; uti & in eo quod ſubjicio.

Pro inimicis ſuis quatuor factitare ſolita.

Primò & Deum pro illis orare, atque exorare: deinde illos amore ſingulari proſequi, quaſi ſuos benefactores; tum etiam illis operam ſuam, & ſervitia, quæ poſſet exhibere: Denique, ne quidem pati, ut iis quiſpiàm obloqueretur, aut diceret malè. Hinc *Alvarez de Mendoza*, Inſulâ clarus & Pedo, dicere ſæpiùs illud; *ſi quis amari vellet à Tereſia, illi faceret quam peſſimè.*

Hoc enim ad illius amorem ſibi conciliandum ſatis.

Ita nimirùm excelſæ mentes, malefacta pro benefactis habent, & odium amore, contemptum honora compenſant.

Ita

Bollandus 27. Ian.

Ita S. *Theodoricus Epiſcopus Aurelianenſis*, ab *Odolrici* aſſeclis, equo dejectus, abjectus in terram, lanceis, & gladiis impetitus, cùm Dei manu probè tectus illæſus evaſiſſet: *Odolricum* & amore dignatus eſt, & gratiâ, & ſibi etiam in Infulâ ſucceſſorem delegit.

12. Ian.

Ita *S. Epiphanius*, *Epiſcopus Tirinenſis*, à Sicario quodam Burcone, fuſte graviter percuſſus, ac cæſus; & illi compati viſus eſt, & illacrymari, ut vel ſic, pro inſolenti facinore Deo faceret ſatis.

10. Ian.

Ita *S. Guilielmus, Archiepiſcopus Bituricenſis*, inimicorum ſuorum malefacta pluris æſtimare, quàm benefacta amicorum. Hæc nimirum, & his ſimilia innata magnis mentibus: ſecus omninò puſillis homunciotibus, & terræ filiis; qui in mundi ſchola aliud didicerunt nihil, quàm malefacta malefactis, injurias injuriis compenſare; contrà Cœli leges, & pacta; contrà Dei Hominis, & ſanctorum exempla: à quibus, rurſus redeo ad TERESIAM. Spectavimus illius patientiam in malis corporis; imò & famæ: ſpectemus in malis animæ, quæ potior illius pars.

In hac per annos viginti, eóque amplius paſſa graviſſimas afflictiones ſpiritus, quas vulgò *ariditates*, & *deſolationes* dicimus; Deo illi omnem interioris voluptatis ſenſum ita ſubtrahente; ut gravius illi videretur, & eſſet; orationi vacare, quàm martyrium pati.

Huic bonæ mentis tormento, accedebat & aliud à moleſtis tentationibus, quas illi (Numine ita permittente (ingerebat malus genius, & quidem eâ vi, ac violentiâ, ut dum illis obſiſtit, compages totius corporis diſſolvi videretur.

Nec mirum, quia in illâ animi luctâ, & corpus ipſum concuti neceſſe fuit. Et tamen, ut ita concuteretur, ut undique & in corpore, & in famâ, & in anima laboraret, ac pateretur, nunquam illi ad patiendum ſatis.

De *S. Franciſco Xaverio*, Iaponiæ, & Indiarum Apoſtolo, audimus dignum illud ceris melioribus: ſi cœleſtes illi affluerent conſolationes, & gaudiorum æſtus; quaſi horum impatiens exclamabat: *Satis eſt Domine, ſatis eſt.* At contrà, ſi irrueret, ingrueretque, veluti nymbus aliquis, afflictio, & malorum omnium quaſi effuſa nubes, tum audiebatur illud: *Amplius Domine, amplius.* Nimirum *Xaverio* conſolationis, cito ſatis; deſolationis nunquam ſatis.

Quod illi; hoc & D. TERESIÆ, cui nunquam afflictionis ſatis. Hujus genera, ſpeciesque varias exhibuit illi Deus in quodam mentis exceſſu.

Videbatur, & quidem ſola, exiſtere in aperta effuſáque planitie; & innumera propè armatorum multitudine circumdari, qui eam alio, atque alio armorum genere, & impetebant, & feriebant, hi lanceis, alii gladiis, iſti pugionibus, telis, ac ſagittis alii; non ſine vulnere, & ſanguine.

In ea cædis, ac mortis imagine, dum ſola viſitur TERESIA, & è mortalibus nemo unus omnium qui aſſiſtat: ecce illi è cœlo cœleſtis animarum ſponſus, ecce JESUS, qui illi manum auxiliatricem obtendit.

Et hæc illi tum objecta ſpecies; ex quâ intellexit, quid deinde pati, & à quibus, hoc eſt ab omni propè mortalium genere: intellexit, inquam, & ſeipſam veluti perſecutionum ſcopum, ac metam poſuit, in quam omnes collimarent. Et verò collimarunt, & TERESIÆ etiam martyrii coronam adornarunt.

De *S. Birgitta* illud ante retuliſſe me probè memini, quod hic etiam attexo, non incongruè.

Bollandus de mirac. S. Agnetis Virg. & M. 21. Ian.

S. Agneti, Virgini & Martyri, mirè addicta erat *Birgitta*, & viciſſim *Agnes Birgittæ*. Hinc ei ſæpiùs ſeſe ſpectandam dare, & cœleſtibus monitis inſtruere; imò (quod in ea mireris, & ames) luce quadam amœnitate, illius capiti coronam imponere, coronam divitem, illuſtremque ſeptem lapidibus pretioſis; & hoc (ut aiebat) ob toleratas fortiter afflictationes, quod martyrii genus videri, & eſſe poterat.

Vides, *Amice Lector*, etiam cœlo judice, etiam in hac vita coronam offerri *D. Birgittæ*, & hoc ob ſuperatas invicto animo afflictiones: quod illi, hoc & S. TERESIÆ, cui, ob eaſdem, & fortè majores, coronam martyrii in cœlis reſervatam putavi.

CORONA DOCTORATUS.

HÆc datur in Cœli regiâ, illis omnibus, qui altiore quadam cœleſtis ſapientiæ luce perfuſi, & alios ipſi perfuderunt, illuſtraruntque.

Ii ſunt Eccleſiæ Doctores; & magna illa Lumina Auguſtinus, Ambroſius, Hieronymus, Gregorius, aliique illis ſuppares, quibus apud ſuperos data *Laureola Doctoratus*, quam & D. TERESIÆ datam, hic contendo, & jure ſanè meritiſſimo. Poſteros enim & verbo, & ſcripto ſic ad Juſtitiam erudiit, ut ab omnibus *ſpiritualis doctrinæ magiſtra* & haberi, & dici poſſet.

Et ſanè magiſtram loquuntur, & prædicant, relicta ab illâ præclara ſapientiæ monumenta, & fœtus animi nobiles, libri omninò quatuor, è quibus.

Primus eſt *de vitâ ejuſdem beata*, quem non tam ſuo nutu ac voluntate ſcripſit, quàm impulſu, atque imperio Confeſſarii ſui, *R. P. F. Garciæ de Toledo* è D. Dominici familiâ. Relat. 2. art. 2 § 1.

Secundus eſt *Iter perfectionis*, quem ſcripſit, poſteriſque tradidit juſſu R. P. F. *Dominici Bannez*, ſui tum confeſſarii.

Tertius, vulgò inſcriptus, *Caſtellum interius*, *ſive manſiones*, quem poſteritati reliquit, ex mandato *Doctoris Velaſquez* ſui tum temporis confeſſarii, ac deinde Epiſcopi Oxomenſis, denique Archiepiſcopi Compoſtellani.

Quartus denique, eſt de ſuorum *Monaſteriorum fundationibus*, quem concinnavit ex conſilio, atque imperio R. P. *Hieronymi Ripaldæ*, è Societate IESU ſui tunc confeſſarii.

Et hæc ſunt præclara ſeu ingenii, ſeu ſapientiæ monumenta, quæ ad poſteros tranſmiſit D. TERESIA, & quibus, ceu *Magiſtra*, ad Iuſtitiam multos erudivit, non ſine eorum ſtupore, ac ſpiritali fructu; cœleſti luce, piiſque affectibus, quibus ſe incenſos aliquando probarunt teſtes octoginta quinque, eoque amplius, omnes viri tum graviſſimi tum doctiſſimi.

Nec verò mirum, cùm ea opera, non mulieris unius, ſed Dei fuerint; nec edita ſtudio, nec acquiſita ſcientiâ; ſed divinitus indita, & à Spiritu Sancto hauſta: quod apertè probat, infuſa tum illi de cœlo Lux.

Certè cùm librum *de manſionibus* ſcriberet, viſa illius facies, cœleſti quadam luce perfundi, & eò quidem, ut ex illâ exirent ſplendores, veluti radii quidam deaurati, & hoc per unius horæ ſpatium, ut depoſuerunt oculati teſtes, omni fide digni; quibus etiam TERESIÆ vultus eò loci ac temporis, & inflammatus apparuit, & formoſiſſimus. Formam nimirum, & flammas addiderat, qui illi incumbebat Spiritus Sanctus, & hoc quidem *Columbæ ſpecie*, quam ideò ſuper D. TERESIÆ caput appinxere poſteri, indicio ſcilicet, infuſæ illi quondam à Spiritu Sancto ſapientiæ. Relat. 2. ar. 22 § 2.

Ipsâ certè Pentecoſtes ſacrâ vigiliâ, ſub ſpecie *Columbæ* ſibi Spiritum Sanctum apparuiſſe, teſtata eſt ipſa TERESIA, à quo (ut aiebat) & cum magnâ fruitione gloriæ in extaſim rapta. Relat. vita c. 38.

Et hæc de libris à D. TERESIA conſcriptis, de quibus ſimile quid; imò majus proferri poteſt, quàm de libro precum *S. Marcellini Epiſcopi Amonitani*, cujus attactu Bollandus 9 Ian.

attactu, & complures ægri ſanati, & incendium, quod latè graſſabatur, repreſſum, extinctumque.

Tua hic ſiſto volumina, tuas lucubrationes, ô D. TERESIA, quot eorum (non dico attactu; ſed lectione) ab animi ægritudine liberati; quot ab igne, incendioque libidinis erepti; nimirum in illis, ignis igne pugnabat, ignis igne vincebatur, ac triumphabat; ignis, inquam, divini amoris, de profano, ſtygioque igne, atque incendio.

Nec mirum, ſi ita in ſcriptis ſuis vinceret, triumpharetque D. THERESIA cùm ea effluerent è calamo, animóque illius, quæ plena erant Spiritu divino.

Certè *B. Petrus Alcantara* (quem illa à cœleſti gloriâ conſpicuum vidit) de illâ dicere ſolitus, nihil ſibi poſt articulos fidei certius eſſe, quàm *ſpiritum Tereſiæ eſſe divinum*. Quod ſi divinus is ſpiritus, quid mirum ſi in animis eorum, qui ejus ſcripta evolverent, eos fecerit motus, eam inclinationem in omne bonum virtutis ac juſtitiæ, ad quam, ut multos in terris erudivit, & in cœlis *Laureolam Doctoratus* obtinuit.

Hic paucis te volo, compelloque, *mi Lector*. Spectaſti triplicem in D. TERESIA coronam: *Virginitatis*, *Martyrii*, ac *Doctoratus*. Spectaſti, & indubiè etiam amaſti; ama porrò, & ſimiles in cœlo tibi compara.

Serm. de Pudicitia. Prima tibi dabitur à Virginitate, quæ ut disertè S. Zeno, *In Virginibus felix, in Sacerdotibus pura, in Martyribus glorioſa, in Angelis clara, in omnibus verò regina.* Illa, illa eſt. *honor corporum, theſaurus animorum, ſacrificium Deo carum, legitimum Dei templum, ſacrarium pudoris.* Per illam *ſæculum vincitur, concupiſcentia omnis eliditur, diabolus ſubjugatur, Spiritus Sanctus inducitur, glorificatur Chriſtus, Deus Pater Omnipotens propitiatur.* Ecce quæ tibi à *Virginitate* gratia, quæ, & quàm dives corona.

Altera tibi paratur à *Martyrio*: non eo, quo funditur ſanguis, & animus tormentorum vi exprimitur; ſed alio, quod tibi erit à longiore invictâque in malis *patientia*. Et tale fuit patientis Jobi, de quo elatè D. Chryſoſtomus:

Hom. 25. ad popul. *Non ſolùm in ligno ſuſpendi Martyrem facit: Iob enim nec carnificem vidit, nec ſuſpenſus in ligno, nec circa latera laniatus eſt: attamen multis martyribus graviora paſſus eſt. Etenim per omnia pugnabat, & per omnia coronabatur, per pecunias, per filios, per corpus, per uxorem, per amicos, per inimicos, per ſervos, per famem, per cibos, per dolores, per fœtorem; per hæc, inquam, non uni, vel duobus, ſed pluribus erat Martyribus comparandus.* Ecce, ut teſte D. Chryſoſtomo, imò & cœlo judice, ſua quoque à *Patientiâ* fuit, eritque *Martyrii* corona: & ei fuit Iobo, quem *Magnum patientiæ pugilem* appellat Chryſoſtomus: & ea quoque tibi ſit oportet: tum etiam &

Tertia, videlicet *Doctoratus*. hæc tibi cedet, ſi ad juſtitiam erudiens multos, ſi, ut cum Sapiente lo- *Cant. c. 4.* quar: *Emiſſiones tuæ ſint veluti Paradiſus malorum punicorum, cum pomorum fructibus*; vel, ut ex hebræo, *Emiſſiones ex ore tuo*, hoc eſt, verba tua, doctrina tua, ſint quaſi *Paradiſus* aliquis terreſtris, in quo & mala punica, mala aurea, omniſque generis fructus, hoc eſt Virtutum omnium proventus, & copia colligatur.

CORONA GRATIARUM.

GRatias partiri ſolent Theologi in eas, quæ dicuntur *gratum facientes*; & alias, quæ dicuntur, & ſunt *gratis datæ*; illæ nos ornant, Deoque amicos faciunt, eique conjungunt quàm arctiſſimè; ſuntque in nobis veluti ſemina quædam gloriæ, ac beatitatis. Hæ verò proximorum utilitati ſerviunt, faciuntque, ut ſimus velut inſtrumenta mirabilium ad ipſius Dei gloriam, & aliorum ſalutem. De his ſic Apoſtolus:

Vnicuique datur manifeſtatio ſpiritus ad utilitatem (ſcilicet aliorum) *alii quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ; alii autem ſermo ſcientiæ ſecundum eundem ſpiritum; alteri fides in eodem ſpiritu; alii gratia ſanitatum in uno ſpiritu; alii operatio virtutum; alii prophetia; alii diſcretio ſpirituum; alii genera linguarum; alii interpretatio ſermonum.* *1. Cor. 2.*

Et hæ propè omnes annuente Cœlo D. TERESIÆ conceſſæ; ut patebit ejus vitam etiam levi oculo decurrenti: ideóque his in præſens omiſſis, ſtylum figam in aliis, quæ etiam inter *gratias gratis datas* recenſeri poſſunt. Cujuſmodi ſunt raptus divini, ſplendores, viſiones, ac revelationes pariter divinæ, in quibus, (quia ſeſe magis explicuit, qui in Deo erat erga TERESIAM amor) paulò liberaliùs inhærebo: eo conſilio, ut dum ſub oculos ponam illos cœli favores, & gratias; ſimul etiam oſtendam, quàm grata, quàm accepta Deo fuerit D. TERESIA.

In æſtu Orationis, impeteque violento divini amoris, & à ſenſibus, & à ſeipsâ diſcedere ſolebat, *Relat. 2. art. 21. §. 6.* patique (ut vulgò dicimus) ecſtaſes, quibus non ſolùm anima in Deum ferri; ſed & corpus ipſum à terra elevari videbatur.

Crederes ipſam corporis molem ab anima tolli, ut & ſeipsâ, & terris ſuperior eſſet: ſui quaſi oblita ponderis, ac naturæ.

Et hoc primum decus, ac premium *coronæ gratiarum*, cui acceſſit & aliud à ſplendoribus divinis, quibus ſacra ejus facies illuſtrari viſa, & hoc in oratione, Deique colloquio, in quo ſcilicet ab animo, cœleſti quadam luce jam illuſtri, ad ipſum corpus emanare ſolet lumen aliquod aureum, ac cœleſte.

Sic olim emanavit ad ipſam Moyſis faciem, quæ ita lucere, ardereque viſa, ut aſpicientium oculos perſtringeret. Sic etiam ad *S. Simeonis Stylitæ* vul- *Bollandus 5. Ian.* tum evaſit, & eò quidem ut ſplendore, radiiſque, ſolem ipſum referre; imò & vincere videretur.

Sic ad *Kentigerni* frontem, & orantis labia, quæ ignea apparebant: ab eo ſcilicet, qui intus ardebat, *13. Ian.* ſeu orationis, ſeu amoris igne.

Sic denique (ut ad TERESIAM, à qua paululum abii, revertar) ejus facies ſolis inſtar ſplendeſcere viſa, radioſque quaquaverſum evibrare, & quidem aliis, atque aliis locis, ac temporibus. Primùm, *Supra §. 3.* dum libros ſcriberet ipſa: deinde dum in capitulo ad ſuas diceret, ſic lucebat, ſic ardebat, ut capitulum ipſum lucere, ardereque videretur. Denique dum ſacrum Euchariſtiæ Sacramentum ſumeret, crederes ab hoc, ceu fonte divinæ lucis, lucem hauſiſſe, hauſiſſe & ignem; quibus & luceret, & arderet. Et hinc decor amabilis *coronæ gratiarum*, §. 4. cui ſuum etiam addidere *divinæ viſiones*, ceu auguſta quædam illius lumina: & quidem

Primùm Chriſti Servatoris optimi, quem à latere ſuo dextro ſibi aſtantem vidit, ſe comitantem, alloquentem, docentem, conſolantemque mediis in laboribus, æſtuque perſecutionum.

Et ea viſio ſæpiùs, ac ſæpiùs repetita; non ſine ſtupore amabili, prodigióque Divinæ in TERESIAM caritatis, à qua etiam audiit illa à Chriſto verba; verba ſuavia, verba amantia: *Filia mea, tota mea es, & ego totus tuus*; ac ne ſola verbis eſſet fides, ad rem ipſam ventum eſt, & amoris miraculum; cùm ſcilicet à Chriſto, qui ſe ſpectandum dederat, & in ſponſam adoptata, & ut ſponſa, redimita eſt coronâ longè fulgentiſſimâ; cui pondus addidit, & quidem immenſum, objecta illi SS. TRINITATIS imago, & quidem adeo clara, ut in hac mortali vitâ clarior obtineri non poſſit; in ea enim pervidit & Eſſentiæ divinæ unitatem, & Perſonarum Trinitatem, cui imagini ſuppar acceſſit altera, quæ fuit (ut prius dixi) à SS. Chriſti Humanitate, quam in ſacroſancta Hoſtia conſpicere ſolita, mirabili,

maxima-

maximáque Majeſtate: Uti deinde & Divam Dei Matrem, beatos è cœlo genios, Petrum & Paulum Apoſtolorum lumina, Joſephum Virginis Sponſum, alioſque cœleſtis curiæ Principes, quibuſcum & familiariter agere, & familiarius colloqui; tum in hac aura mortali, tum in Cœli regiâ: ad hanc enim non ſemel evecta, & progenitores ſuos vidit inter beata cœleſtium agmina, & alios ſibi quondam in terris notos, & inſuper ipſa ſuperum gaudia quantum mortali fas eſt exhauſit; & ſimul illud à Chriſto audiit:

Vide filia, quibus bonis ſe privent peccatores, hoc dices illis. Et certè ſibi reddita, dixit edixitque TERESIA, non ſine amoris, ſtuporis, dolorisque miraculo. Amoris quidem in Deum, qui ea puſillis hominibus parat gaudia: ſtuporis autem, dolorisque, quod ea illi contemnant, bonisque brevi penuriis poſtponant; non ſine immenſa æternâque jacturâ quam quanta quanta erit non reparabit æternitas.

CORONA GLORIÆ AC BEATITATIS.

IN terras deſcendunt præcelſæ mentes; ceu arenam ſtadiumque virtutis; quod ubi feliciter decurterunt, ad palmas, ad coronas, etiam cœleſti voce devocantur.

Baronius Tom XII. Anno Christi 1343. Sic evocata quondam *B. Tuſcana Veronenſis*, quæ in extremâ brevis ævi metâ, hanc à cœleſtibus geniis vocem audiit: *Veni Sponſa Chriſti Tuſcana, accipe coronam, quam tibi Dominus præparavit in æternum;* audiit, & expiravit, ut cœlo ſpiraret, ac beatitati.

Sic evocatus etiam à Deiparâ *S. Iulianus, Epiſcopus Combenſis*, cui morienti adfuit illa cum numeroſo, & Angelorum, & Virginum comitatu, palmamque manu oſtentans. Hæc ad illum: *Accipe ſerve Dei palmam hanc, virginitatis illibatæ teſtem.* Dixit, & evanuit; ſimulque terris vivere deſiit *Iulianus*, & cœlo cœpit.

31. Ian. Sic evocatus etiam Chriſti voce, juſſúque *S. Geminianus Epiſcopus Mutinenſis*, qui nocte concubia, vigili tamen oculo, mentéque; cùm è corpore, ſeu hoſpitio, ſeu ergaſtulo, educi ſupplex à Chriſto peteret; hæc ab illo accepit: *Ad me veni, ſerve bone, & fidelis, quia hactenus laboraſti, & oneratus fuiſti: & ego te faciam intrare in gaudium Domini tui.* Et verò poſt dies paucos ad Chriſtum venit, intravitque in gaudium Domini ſui.

Quod illis, aliisque: hoc & B. TERESIÆ, cui *Relat. 2. art. 3.* animam agenti adfuit Chriſtus, Servator optimus; ceu ſponſus ſponſæ, ut eam in thalamum duceret quietis æternæ; adfuit inquam, cœleſti ſplendore conſpicuus, ſeptusque lapſis è cœlo geniis, lectulo morientis aſſedit, ut ei etiam in aurem cordis diceret illud: *Veni Sponſa Chriſti, accipe coronam, quam tibi Dominus præparavit in æternum.*

Adfuere & alii cœleſtis aulæ Principes, Martyres inclyti, & quidem ut piè creditur ad decem millia; ſacer profectò, ingensque beatorum exercitus, quos ut impensè coluerat in vitâ; ſic & in morte propitios habuit, ac patronos, viæque in cœleſtem patriam duces: in hanc, ut venit TERESIA, à Chriſto, ceu Sponſo, coronam accepit gloriæ, ac beatitatis; coronam non auro nitentem, & gemmis (hæc enim coronæ decora ſunt) ſed terreſtris: at cœleſtem faciunt, ornantque altiora quædam, divináque lumina; cujus indicio fuere & alia, in ipſo illius obitu conſpecta lumina: eſt certè qui eò loci, ac temporis cœleſtia viderit lumina, cellæ D. TERESIÆ jam imminentia: ita nimirum portendebant illa, ſervatam in cœlis illius Divæ lucem, ac beatitatem, quam & alia religioſa notæ virtutis ſpectavit, adinſtar criſtalli collucentis: quâ enim ſpecie, formâque potiùs? Luminis inſtar eſt gloria, inſtar cryſtalli, ſed ſiderei, ſed ſolis æmuli; ſed veri ſolis, Chriſti, Deique; à cujus luce, lucet anima TERESIÆ, lucebitque in omnem retrò æternitatem.

Et hæc de primâ Divæ illius coronâ; demus & *Relat. 2. art. 2.* alteram, eamque è floribus probè contextam; ſed Virgineis illis, ſed prodigioſis, ſed cœleſtibus, cujus index fuit illa, quæ in ejus obitu viſa, non ſine miraculo.

Non procul à cellâ Virginis TERESIÆ, arbor erat arida, exſucca, & mortua, quæ nec frondes explicabat, nec flores, nec fructus, ea, ipſo die obitus hujus Divæ, primo diluculo viſa fuit operta, redundansque floribus miri candoris, non ſine miraculo, & ſpectantium ſtupore; quam creabat, augebatque, primò tempus autumnale, quinta ſcilicet Octobris, quæ nec flores ejuſmodi unquam ferre ſolet, nec frondes diu pati; ſed potiùs excutere: tum etiam, quia ea arbor nec prius, nec poſtea florere viſa. Nimirum florebat uni TERESIÆ, ut eam florere etiamnum in cœlis oſtenderet. Eſt ille divinæ providentiæ ludus amabilis, ut mortalibus oculis objiciat, qui in cœlo gloriæ flores, quæ coronæ beatitatis; flores dat in terris etiam miraculo, & ſupra omnem naturæ legem, atque ordinem.

Sic in Hiſpania; & quidem in Arcitana urbe, ipſo die Martyrii *S. Torquati* (qui D. Iacobi Apo- *15. Maii.* ſtoli diſcipulus fuit) florebat oliva, ut teſtis eſt *Ado* in Martyrologio.

Sic etiam *Cordubæ* juxta ſepulchrum *SS. Marty-* *Vſuard. in Martyr.* *rum Aſciceli & Victoriæ*, ipſo die eorum Martyrii (hoc eſt decimo-quinto Kalendas Decembris) colligebantur roſæ divinitus exortæ; teſtes unique coronæ purpureæ, coronæ Martyrii, quâ in cœlis ornabantur felices animæ.

Sic dum capite minuitur *S. Æmilianus*, accreviſſe *Bollandus 28. Ian.* arbores, & flores fructusque dediſſe leguntur; & hoc derepentè, inuſitatóque prodigio.

Sic & ad *S. Virginis Gudulæ* ſepulchrum, eâ ipsâ lu- *8 Ian.* ce, quâ terræ mandabatur ſacrum corpus; viſa eſt pullulare arbuſcula, quæ ſenſim in proceram excrevit arborem, & ſepulchrum obtexit, pro tecto, pro umbraculo futura.

Quod in illorum, aliorumque felici è terris exceſſu dedit Deus; hoc & in ipſo D. TERESIÆ, obitu: ut inde noſces, quî in cœlis ævo meliore viveret, floreret, fructusque ferret TERESIA: flores, inquam, fructusque, qui ipſam ferrent æternitatem.

Ad hos aſpiras, *Amice Lector?* age, & in vivis, flore; ſed à virtutibus: fructus ede; ſed operum bonorum, & tum virebis, flores, fructusque edes, totâ quanta quanta eſt æternitate.

EPILO-

EPILOGUS
TOTIUS OPERIS
AD RELIGIOSOS.

Serm. de Martyribus. Tom 3.

DIvus *Chryſoſtomus*, eloquentia ut ſolèt aurea, jam inde ab ipſis mundi cunis, in meliores auras reducit Viros à virtute, rebusq́ue clarè geſtis illuſtres.

Abelem, qui à livore, invidiáque fraterna proſtratus occubuit.

Enochium, qui è terris in amœna Paradiſi tranſlatus eſt non ſine Numine.

Noëmum, qui per immenſam aquarum eluviem generis humani reliquias Orbi novo ſervavit.

Abrahamum, perfectæ Fidei exemplar longè perfectiſſimum, ſub cujus manu, ferróque innocens Iſaacus, ceu facilis obedientiæ victima, cervices inflexit.

Ioſephum, purioris caſtimoniæ, ſpeculum, qui impuro Dominæ afflatu ne obſcurari quidem potuit: nedum frangi.

Davidem lenitatis, & indulgentiæ typum, à quo hoſtilis veſtimenti fimbria ferro carpi potuit; non hoſtis ipſe lædi.

Danielem, feroces inter leones, tanquam mites inter agnellos ſecurè, placidéque conſidentem.

Denique *tres Pueros* in fornace Babylonica, non ſolum à flamma eos reverente illæſos, intactosq́ue; ſed etiam conjunctis animis, vocibusq́ue divini præconia Numinis concinentes.

Hos ubi è primis illis, id eſt aureis ſeculis, eduxit, tùm ad ultimam mundi ſeneſcentis ætatem delabitur, Apoſtolosq́ue Martyres ac Confeſſores in apertum, parentemq́ue naſcentis Eccleſiæ campum evocat, quaſi novos cœlo ſpectante, plaudentéque Pugiles, in quibus (ut ait) *pares virtutes, diſſimiles pugnæ, glorioſa victoriæ*, à quibus deinde æternæ tranſcripti ſunt beatitati.

Hæc ubi dixit, tum etiam gemmeum illud Ore aureo pronuntiat: *Poſſumus nos quoque eſſe quod ſunt, ſi faciamus ipſi quod faciunt.*

Quæ magnus ille Præſul ad ſubjectam olim ſibi concionem: hæc ego od Vos in præſentia, VIRI RELIGIOSISSIMI, quorum Parentes ac Patriarchas in Virtutis certamen deſcendere fecit Deus, futuros utique Vobis & omnigenæ ſanctitatis exemplo, & ſtimulo potentiore ad eam, quam toto animo, votisq́ue omnibus prenſatis æternæ vitæ uſuram, ac felicitatem.

Laudatum illud apud Lacedæmonios, in quorum Senatu, Auláque nobiliore ſpectabantur imagines, & ſtatuæ eorum omnium, qui vel in toga, vel in pulvere martio de Republica eſſent quàm optimè meriti, adjecta etiam tranſmiſſaque ad poſteros omnes hac Epigraphe:

Si fueritis ſicut illi: eritis ſicut illi.

Quæ iſti quondam recepto inter ſuos probatóque more: hæc ego apud Vos, hodierna luce feciſſe mihi videbor, dum ſacratiorum Ordinum Patriarchas, ac Fundarores leviore quidem penicillo; ſed nativo tamen colore depinxi, velut animata quædam Virtutum omnium ſimulacra, quibus & ſubjici poterit hoc Lemma, & oculis animisq́ue veſtris objici:

Si fueritis ſicut illi: eritis ſicut illi.

Ita nimirum ſi (quod Superi probent, quod Deus amet) in hoc infelici vitæ mortalis exilio, ab animi candore, morúmque innocentia; à ſingulari demiſſione; à debita Prælatis obedientia; ab invictâ in rebus adverſis conſtantiâ; aliisq́ue magnarum Virtutum ornamentis, *ii fueritis*, qui veſtri in ſpiritu progenitores: *eritis* aliquando *ſicut illi* in cœleſti Patria, in primo vitæ immortalis aditu, æternæq́ue domicilio beatitatis: quam Vobis omnibus dum opto voveóque RELIGIOSISSIMI PATRES: ſimul etiam unum illud mihi donari poſtulo, ut ſi quid ſanctiſſimis illis Religioſorum Ordinum Patriarchis ac Fundatoribus, vel ab ingenii mei tenuitate, vel à rudi, incultóque ſtylo, vel à rerum aliquando geſtarum inopia (veriùs ignorantia mea) detractum eſſe videatur; æqui boníque conſulatis.

Præclara eorum facinora, ſi minus omnia (quod hujus Opuſculi non fuit) at præcipua certè publico dare mihi animus, ſtudiumq́ue fuit: in quo ſi aliquid videbor aſſecutus; illorum favore, beneficio, gratiáque mihi videbor aſſecutus.

Interim eo quali quali labore meo fruimini, & benè vivite ac Valete.

FINIS.



INDEX

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM.

P. paginam deſignat, *C.* verò columnam.

A

ABBAS Joachim à Vaticiniis nominatus. *p.* 63, *c.* 1. De D. Dominico vaticinium 70 annis ante ejus nativitatem. *Ibidem.*

Abrahami Patriarchæ elogia. *p.* 51, *c.* 1

Abſtinentia à carnibus miraculo probata. *p.* 38, *c.* 2

Academia Conimbricenſis S. Urſulæ devota. *p.* 141, *c.* 2

Adamantis natura, diverſitas & pretium. *p.* 134, *c.* 2

S. Adelardi Abbatis Corbienſis in pauperes liberalitas. *p.* 28, *c.* 2

S. Æmiliani Martyri ſubito virent, florent, & fructus edunt arbores. *p.* 151, *c.* 2

S. Agnes deſponſata ſponſo caſtitatem impetrat. *p.* 25, *c.* 1

S. Agnes in ipſo lupanari cœleſti luce coruſcat. *p.* 111, *c.* 2

S. Aidanus in utero matris apparet ad inſtar ſtellæ lucidæ. *p.* 50, *c.* 2

S. Aidanus ab animali ignoto per mare deportatur in Hiberniam. *p.* 57, *c.* 1, 2

Alanus cur dictus Doctor Univerſalis. *p.* 42, *c.* 2

B. Alberico Abbati Ciſtercienſi D. Virgo veſtem dat candidam. *p.* 44, *c.* 1

S. Alberici facies inſtar Solis collucet. *p.* 122, *c.* 2

B. Alberico ægrotanti piſcem defert avis grandior. *p.* 44 *c.* 1

Albigenſium hæreſes præcipuæ recenſentur. *p.* 66, *c.* 1

Albigenſes dæmonum præſtigiis ambulant ſuper aquas; ſed SS. Euchariſtiæ attactu mox merguntur. *p.* 66, *c.* 1

S. Aldegundi velum imponit columba. *p.* 34, *c.* 2

S. Aldegundi Virgini apparet Chriſtus in forma pueri, & affert ſtolam candidam, & inſuper palmam. *p.* 45, *c.* 1

S. Aldegundis corpus ſuavem effundit odorem. *p.* 147, *c.* 2

Alexandri Alenſis ad religionem vocatio; ejus in eam ingreſſus, nutatio, ſalus. *p.* 86, *c.* 2

S. Alexander Acœmetus Epiſcopatum fugit. *p.* 55, *c.* 1

S. Alexandrinus Acœmetus ut Epiſcopatum effugiat, noctu è muro demittitur. *p.* 69, *c.* 2

Alexander Magnus aliis dominus, & ſibi ſervus. *p.* 97, *c.* 1

B. Ælredi Abbatis inſignis patientia. *p* 100, *c.* 2

Alverniæ mons, & petra Chriſto moriẽte diſciſſa. *p.* 84, *c.* 2

Ambitio culpatur. *p.* 37, *c.* 2.

Ambitio damnata. *p* 104, *c.* 2.

Ambitio in Sacerdotibus culpanda. *p.* 55, *c.* 2.

S. Ambroſius cur ſal terræ? *p.* 10, *c.* 2

Amicitia quid ſit, & quantum bonum. *p.* 77, *c.* 1

Amicitia vera, & amicus verus quis ſit? *p.* 125, *c.* 1

Amor cur pingatur alatus? *p.* 39, *c.* 1

Amoris in Deum quis modus? *p.* 74, *c.* 2

Amoris Divini effectus. *p.* 128, *c.* 1. Ejus ſpecies quinque: Otioſus, Anxius, Satiativus, Mortuus. *ibid. c.* 2. Extaticus. *ibidem.*

Amor levia facit omnia. *p.* 86. *c.* 1

Amores duo: Uni nomen Eros, alteri Anteros. *p.* 131

B. Andreas Corſinus Epiſcopus apparet geſtans in ſinu roſas. *p.* 60, *c.* 1

S. Andreæ Apoſtoli corpus liquorem effundit. *p.* 145, *c.* 1

B. Angelæ de Fulginio apparet amor divinus, & quo habitu. *p.* 127, *c.* 2. Quo & effectu. *ibidem.*

B. Angelæ de Folginio SS. Euchariſtia eſt veluti agnus. *p* 127

B. Angela de Fulginio deſponſatur Chriſto, etiam dato annulo. *p.* 143

B. Angelæ de Fulginio apparens Chriſtus edocet qui ſint filii Dei. *p.* 27, *c.* 2

B. Angelæ de Fulginio morienti viſitur Chriſtus, & his invitat: *Veni dilecta mea, ſponſa mea, veni.* *p.* 30, *c.* 1

Animarum converſio quanti facienda ſit? *p.* 17, *c.* 2

Animarum lucrum quo ſtudio quærendum. *p.* 71, *c.* 1

S. Antelmus ex Carthuſiano Epiſcopus. *p.* 36, *c.* 2

S. Antonini Archiepiſcopi Florentini ſolitudo, & receſſus mentis. *p.* 49, *c.* 1

Antonius Criminalis Societatis JESU Protomartyr. *p.* 107, *c.* 2

S. Antonius de Padua concionem habet ad piſces, & ab iis auditur. *p.* 94, *c.* 2

S. Antonius cur dictus Deicola? *p.* 128 *c.* 2

Apoſtoli cur pingantur cum palliolo crucibus intexto. *p.* 87, *c.* 1,

Apoſtolorum encomia. *p.* 78, *c.* 2

Apoſtolici labores, & eorum fructus. *p.* 100

S. Apronianus cœleſti voce à paganiſmo evocatur ad Chriſtianiſmum. *p.* 52, *c.* 2

SS. Acisceli, & Victoriæ die martyrio ſacra, id eſt 15 Novembris colliguntur ſubito exortæ roſæ. *p.* 151, *c.* 2

S. Athanaſii laus. *p.* 1, *c.* 2

S. Athanaſius cur dictus ſecunda à Chriſto lucerna. *p.* 63, *c.* 1

Avaritia cur inſatiabilis? *p.* 7, *c.* 1

S. Auguſtinus Lux mundi: 1. A nomine; 2. A divinis luminibus; 3 A doctrina, & prædicatione; 4 Ab ea quam ſcripſit Regula; 5 Ab aperta, claraque Dei viſione; 6 Ab incenſa in proximum caritate; 7 Ab inflammato in Deum amore; 8 A gloria, & beatitate. *p.* 13 *& ſeq.*

S. Auguſtinus ut laudes fugit. *p.* 1, *c.* 2

S. Auguſtini in proximum caritas. *p.* 17, *c.* 1

S. Auguſtini anima excedens è corpore viſa eſt in nube candida in cœlos efferri. *p.* 19, *c.* 2

S. Auguſtinus cur dictus lucerna Eccleſiæ? *p.* 63, *c.* 1

S. Auguſtini in cœlis gloria quanta ſit? *p.* 19, *c.* 2

S. Auguſtinus cœleſti voce monitus convertitur, & Divi Pauli Epiſtolis. *p.* 14, *c.* 1

S. Auguſtinus D. Norberto regulam ſuam obtulit. *p.* 56, *c.* 2

S. Auguſtinus Divinam eſſentiam clarè vidit. *p.* 16, *c.* 2

S. Auguſtini in Deum amor. *p.* 18, *c.* 1

Ejuſdem in Chriſtum amor. *ibidem.*

S. Auguſtini hoſpitalitas, Chriſtum excipit ſpecie peregrini. *p.* 17, *c.* 1. Eleëmoſynæ. *ibidem.*

S. Auguſtini Regula cur, & unde aurea? *p.* 16, *c.* 1

S. Auguſtini converſio. *p.* 11, *c.* 1

S. Auguſtinus cur pingatur cum corde ſagittis transfixo. *p.* 18, *c.* 1

S. Auguſtini cor Sigeberto Epiſcopo, vaſculo criſtallino incluſum, ab Angelo oblatum. *p.* 18, *c.* 2 Palpitare videtur ad illa verba: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Item feſto SS. Trinitatis, imo ad illius nomen. Impreſſa illi ſtigmata. Hæreticos non patitur. *p.* 18 *& ſeq.*

S. Auguſtinus dictus ab augendo. Cur etiam dictus Aurelius? *p.* 13, *c.* 1. Ejus ingenii vis quanta? *ibid. c.* 2 Ejus eloquentia. *ibid.*

S. Auguſtinus Sal terræ: 1. Voluptuoſis & Carnalibus, 2. Eccleſiaſticis dantibus ſcandalum, 3. Hæreticis. *p.* 11, *& ſeq.*

S. Auguſtini Ordines duo: Canonici Regulares, & Eremitæ. *p.* 9, *c.* 1. Illi per octingentos annos, & amplius Eccleſiam Lateranenſem occuparunt. *p.* 9, *c.* 1

S. Auguſtini Regulam compleſi Ordines quadraginta. *p.* 9, *c.* 2

S. Auguſtini Elogia. *p.* 15, *c.* 2. Ejus mors beata. *ibid.*

S. Aycardus Abbas vidit è ſuis partem unam aſcendere in montem: alteram adhuc hærere in valle, moneturque ab Angelo illam brevi in cœlus vocandam, hanc adhuc in terris retinendam, ita factum ipſo die Veneris. *p.* 23, *c.* 1

B

BAronius à S. Philippo Nerio redditur ſanitati. p. 123, c. 2
Beatitas corporis & animi. p. 98, c. 1. 2
Beatitudo eſſentialis, & accidentalis. p. 99, c. 1
S. Benedictus gratia uti & nomine. p. 24, c. 2
S. Benedictus ut armatus gratiis gratis datis. p. 29, c. 1. 2
S. Benedictus ea utero matris auditus eſt ceciniſſe. p. 24, c. 1
D. Benedicti abſtinentia mirabilis, sentationum victoria: ſeſe vepribus cruentat. p. 25, c. 2
S. Benedictus juſtorum omnium ſpiritu plenus. p. 29. c. 1
S. Benedictus ab Angelis Caſſinum educitur. p. 27. c. 2
S. Benedictus à ſuis veneno oblato impetitur. Pane item venenato, quem corvus abripit. Item ab impio Sacerdote impudicis mulieribus immiſſis. p. 26, c. 2
S. Benedictus adhuc puer capiſterium norricis confractum reſtituit in integrum. p. 24, c. 2. Tredecim annos natus ſecedit in ſolitudinem. p. 25, c. 1. Ejus ſpelunca effudit liquorem inſtar olei, quem alii manna, alii ſudorem Petræ appellarunt: fuit ille ſemper Præſagus mali. ibid. c. 2
S. Benedicti regula, quàm ſancta. p. 20. c. 1
S. Benedicti mors glorioſa. p. 29, c. 2. Prodigia in ea viſa. ibid. Via lactea ab ejus cells in Cœlum ibid.
S. Benedictus D. Virgini mirè affectus. p. 28, c. 1
S. Benedicti Ordo creditur habuiſſe tertiam partem Chriſtianitatis. p. 23, c. 2
S. Benedicti familia quot recenſuit Pontifices. p. 21, & ſeq.
S. Benedicti Ordo habuit Imperatores tres, Imperatrices undecim, Reges duos ſupra viginti, Reginas quadraginta unam. p. 20, c. 1
S. Benedicti miſericordia in pauperes. p. 28, c. 2
S. Benedicti familia quot numerarit Cardinales, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates. p. 22, c. 1. Quot monaſteria, quot Prioratus, quot Provincias. p. 22, c. 1, 2. Quot religioſos in præcipuis monaſteriis. ibid. Et intra quot Sanctos. p. 22, 23
S. Benedictus in ſua familia numerabat Conſules Romanos ſexaginta, quos inter primus Conſul Chriſtianus. p. 21, c. 1
S. Benedictus divinam eſſentiam clarè videt. p. 27. c. 2 Videt & mundum in radio Solis. ibidem.
S. Benedictus comparatur cum Moyſe. p. 20, c. 2
S. Benedicti ſpinæ roſis inſertæ à S. Franciſco Aſſiſio, miraculis illuſtres. p. 26, c. 1
B. Benedicti Eremitæ exhumatum corpus lilium fragrans ex ore emittit. p. 60, c. 1
S. Benigni Martyris anima è corpore evolat ſpecie columbæ. p. 37, c. 2
S. Bernardus, & ejus nominis claritudo. p. 50, c. 1
S. Bernardi patria, & parentes. p. 43, c. 2
S. Bernardus fratres ſuos, amicos, & ſocios in religionem trahit. p. 49, c. 1, 2
S. Bernardi caſtitas eximia. Mulieri eam tentare volenti inclamat *Latrones, Latrones.* p. 46, c. 2
S. Bernardo apparet D. Virgo comite D. Benedicto, & ſanitatem reſtituit. p. 28, c. 1
S. Bernardi oculorum cuſtodia, & oratio, ac recollectio. p. 48, c. 2
S. Bernardi obedientia. p. 48, c. 1, 2. Etiam à morte, jubetur non amplius facere miracula, & paret. ibid.
S. Bernardus tres Inſulas recuſavit. p. 47, c. 1
S. Bernardus comparatur cum auro, argento, gemmis. p. 42, c. 2
S. Bernardus quomodo potus virgineo lacte. p. 45, c. 2. Quomodo à Virgine ſalutatur. ibid.
S. Bernardum amplectitur imago Crucifixi. p. 45, c. 1
S. Bernardi Epiſtola pluvio Cœlo ne vel guttula madeſcit. p. 49, c. 2
S. Bernardus latronem addicendum furcæ ſibi dari petit, & impetrat. p. 49, c. 2
S. Bernardus moriens videtur ſtellæ forma in Cœlos aſcendere. p. 50, c. 2
Bernardus ex Priore Generali Carthuſiæ ad Mediolanenſem Cathedram poſtulatus eam recuſat. p. 36, c. 2
Bernardus à Turre ex Generali Carthuſiæ ad Archiepiſcopatum Biſuntinum poſtulatus eum recuſat. p. 37, c. 1
S. Bonaventuræ humilitas in delato pileo Cardinalitio, & Epiſcopatu Albanenſi. p. 83, c. 1
S. Bonifacius corpora Martyrum redimit. p. 52, c. 1
S. Bonifacii corpus redimitur 500. aureis. p. 52, c. 1
S. Birgittæ data corona è 7. lapidibus pretioſis. p. 99, c. 1
S. Bruno primum Canonicus Rhemenſis, tum Carthuſianorum Fundator. p. 32, c. 2. Occaſio converſionis illius. p. 32, & ſeq.
S. Bruno ab Urbano II. Pont. Max. ad Rheginenſem infulam vocatus, renuit. p. 40, c. 2
S. Bruno adumbratur columbæ ſymbolo. p. 32, & ſeq. Ejus ſocii ſeptem. p. 34
S. Brunonis patria Colonia Agrippina. p. 40, c. 1
S. Brunonis Ordo, & illius elogia, & de eo Sum. Pont. oracula. p. 31, c. 1, 2
S. Brunonis mors ſancta. p. 38, c. 1
Bulla cruciatæ à D. Dominico publicatur. p. 66, c. 1

C

CAnonici Præmonſtratenſes unde dicti? p. 56, c. 1
Capitulo Generali Ordinis Ciſtercienſis viſitur ſcala ab illo in Cœlos, & Deus ſcalæ innixus. p. 44, c. 2
Charitas quid ſit. Ejus deſcriptiones variæ. p. 74, c. 1
Charitatis regula. p. 73, c. 1
Charitati duæ ſunt alæ, & duo brachia. p. 70, c. 2
Charitas in egenos auro miraculoſo probata. p. 56, c. 2
Carmelitarum ordo quibus Sanctis ſit illuſtris. p. 143, c. 1, 2
Carmelitanas Virgines ex Hiſpania in Galliam tranſeuntes comitatur ipſe Chriſtus. p. 144, c. 1
S. Caroli Borromæi vultus radiis collucet. p. 122, c. 2
Carthuſia, & ejus ſitus, & ſacer horror. p. 34, c. 1
Carthuſiani ex principibus Europæ familiis. p. 36, c. 2
Carthuſiani Martyres Londini, Ruræmundæ. p. 36, c. 1
Carthuſiani omnes in una ſepulchrali area tumulati beati, dempto uno fratre Laico. p. 36, c. 1
Carthuſianis abſtinentia à carnibus etiam in letali ægritudine miraculo probata. p. 39, c. 1
Carthuſianorum ſolitudo, ſilentium & clauſura. p. 32, c. 1, 2
Caſtitatis encomia. p. 68, c. 1
Caſtitas impetratur à D. Virgine. p. 68, c. 1
Sacerdotum Caſtitas p. 102. c. 1
Caſtitas Sacerdoti ut ſervanda. p. 117, c. 1
Caſtitatis ſervandæ cura, & ratio exemplis probata. p. 118, c. 1, 2
Caſtitatis ſervandæ cura in S. Geraldo Comite. p. 118, c. 2
Caſtitatis pulchritudo quanta. p. 67, c. 1
Caſtitatis ſervandæ in Macario ſtudium. p. 26, c. 1
Catena Apoſtolicis Viris eſt pro corona. p. 106, c. 1
S. Catharinæ Senenſis amor, & reverentia in Viros Apoſtolicos. p. 70, c. 2
S. Catharinæ Senenſis cellula, & ſolitudo. p. 49, c. 1
S. Catharinæ Senenſi ab amore Dei cor diſruptum. p. 128, c. 2
S. Celſus Martyr redimitus aurea corona. p. 99, c. 1
Centuplum religioſo quod ſit. p. 43, c. 1
Chindaſuindus Hiſpaniarum Rex D. Gregorii Pont. ſcripta inquirit, & miraculo reperit. p. 16, c. 2
Chriſtus apparet tribus jaculis horribilis, quæ in mundum jacere parabat ob tria ſcelera, ſuperbiam, avaritiam, luxuriam. p. 80, c. 1, 2
Chriſti amplexans ſpiritalis quis ſit. p. 45, c. 1
Cingulum cur detur peregrinis? p. 102, c. 2
Cingulum cur olim daretur militibus, Monachis, & Virginibus? p. 117, c. 2
Cingulum cur datum militibus. Cur ſymbolum fortitudinis? p. 104, c. 2
Cingulum ſymbolum caſtitatis. p. 105, c. 2
Ciſtercienſis Ordo eſt ſub protectione D. V. p. 45, c. 2
Eſt ſub pallio D. V. ibid.

Digitized by Google

Ciſteccienſis Ordinis encomia. *p.* 41, *c.* 1. Et illius Ordiois Beatos. *c.* 2. Pontificea ex eo quatuoc. Patriarchas 14 Cardinales 46. Acchiepiſcopos 800. Epiſcopos 1400. Regum filios. *ibid.* Ocdines alii ex eo. *p.* 42, *c.* 1
Clementia VIII. Pont. de S. Ignatio teſtimonium. *p.* 108, *c.* 2
Cœlum parvo eſt venale. *p.* 30, *c.* 1
Cœmiterium eſt Ultoniæ, idque Sanctorum, quod fœminas non admittit. *p.* 34, *c.* 2
Columba ſymbolum fœcunditatis. *p.* 35, *c.* 2
Columbæ, ideſt Animæ ſanctæ quæ pennæ *p.* 38, *& ſeq.*
Columba ſymbolum animæ è corpoce evolantis in Cœlum. *p.* 37, *c.* 2
Columba ſymbolum candidæ mentis. *p.* 34, *c.* 1
Columba ſymbolum Spiritus Sancti illabentis. *p.* 32, *c.* 2
Conciouatorom encomia. *p.* 78, *c.* 2
Confeſſarii erga pœnitentes oon ſiot rigoroſi. *p.* 125. 1. 2
Confeſſionem ut integrã faciat reſuſcitatuc puella. *p.* 82, *c.* 2
B. Conrardo Abbati Villarienſi collucebant digiti, qui ſerviunt conſecrationi. *p.* 110 *c.* 2
B. Conradus Eremita carnem ut edomuit. *p.* 26, *c.* 1
Converſio in melius. *p.* 124, *c.* 2
S. Copres cum inſigni Mago de fide certat ea lege ut in ignem inſiliat, & qui illæſus exiecit, ejus iodubitata ſit fides. Inſilit S. Copres, & exit illæſus, Magus à populo ei injicitor, & exuritur. *p.* 66, *c.* 1
Cor hominis cuc inſcrutabile? *p.* 121, *c.* 2
Corona Romanis quadruplex, Caſtrenſis, Muralis, Civica, Triumphalis: Et quæ, & quorſum illæ? *p.* 133, *c.* 2
Coronæ Sanctocum variæ. *p.* 60, *c.* 1, 2
Coronæ Sanctis paratæ, & quàm variæ, *p.* 133, *c.* 1, 2
Coconæ varii generis fuerunt in SS. *p.* 99, *c.* 1
Coronæ inclytæ in Scripturis quæ. *p.* 133, *c.* 2
Corpus jumentum, animus ſeſſoc. *p.* 25, *c.* 2
Cruces apud Deum roſæ ſunt. *p.* 60, *c.* 2
Crucis ſignum dæmones fugat. *p.* 26, *c.* 1
S. Cuanus ex ore leproſi exſugit phlegmata, quæ mutantur io aurum. *p.* 60, *c.* 2

D

DÆmonum concilium pco evertendo ordine D. Franciſci Aſſiſii. *p.* 83, *c.* 2
Dæmon in variis figuris viros ſanctos tentat. *p.* 57, *c.* 1
Daniel Leonibus imperat. *p.* 94, *c.* 2
Davidis patientia pro triumpho. *p.* 55, *c.* 1
David cur Lucerna Iſraël? *p.* 108, *c.* 2
David cur dictus Lucerna Iſraël. *p.* 63, *c.* 1
B. Devotæ Virginis, & Martyris anima è corpore evolat ſpecie columbæ. *p.* 37, *c.* 2
Dei Opt. Max. liberalitas. *p.* 23, *c.* 2
Dei opus quod ſit. *p.* 3, *c.* 2
Deus cuc in nubibus poſuerit arcum; & ſimul aram clementiæ. *p.* 80, *c.* 2
Diabolus ut ſanctos impetit figuris aliis, atque aliis. *p.* 148, *c.* 2
Didaci Barbuti jam mortui ex ore prodiere duo lilia, quibus inſcriptum JESU, & Mariæ nomen. *p.* 70, *c.* 2
Divitiæ veræ quæ ſint. *p.* 6, *c.* 2
Divitiæ mundanæ, ſpinæ, laquei. *p.* 6, *c.* 2
Doctores cur à Chriſto dicti ſint Lux mundi? *p.* 13, *c.* 1, 2
Doctores cuc dicaotur ſtellæ? *p.* 50, *c.* 2
Doctores Eccleſiæ cur Cœli? Cuc radii veri ſolis? *p.* 13, *c.* 1
Doctores Eccleſiæ cur dicti ſal terræ? *p.* 10. *c.* 1, 2 Cuc Ara Divinitatis? *ibid.*
Doctorum Eccleſiæ encomia. *p.* 50. *c.* 2
Doctorum Eccleſiæ ſacra encomia. *p.* 43, *c.* 2
Doctoris Pariſienſis mors, & funus prodigioſum. *p.* 33, *c.* 1
S. Dominici charitas in proximum *p.* 70, *& ſeq.* In pauperes liberalitas. *ibid.* ſua vendit; imò & ſeipſum io ſervum, & mancipium. *ibid.*
S. Dominici caſtitas à B. Virgine. *p.* 67, *c.* 2. Ab ejus carne manabat odor cœleſtis. *ibid.*
D. Dominici elogium ab ipſo Patre Æterno. *p.* 61, *c.* 1
SS. Dominici, & Franciſci pugnà humilitatis. *p.* 83, *c.* 2
D. Dominici, & Solis Analogia. *p.* 62, *c.* 2
S. Dominici exceſſus, & raptus in oratione. *p.* 70, *c.* 1
S. Dominici mortificationes à prima ætate. *p.* 68, *c.* 2
D. Dominici ordo cuc, & unde. D. Vicarius. *p.* 62. *c.* 1, 2 Ab ea, & filio ejus benedictionem accipit. *ibid.*
S. Dominici ordo pro ſcuto, & inſignibus canem appinxit cum hoc lemmate: *Vigilat, Cuſtodit, Lucet, & Ardet.* *p.* 64, *c.* 2
S. Dominici ocdo unde, & cur ordo Prædicatocum? *p.* 62, *c.* 1
S. Dominici Mater viſa ſibi in utero geſtare catulum, qui ore facem præferret. *p.* 64, *c.* 1
S. Dominici Pater Dnm. felix vidit ad filii jacentis in cunis advolare examen apum. *p.* 64, *c.* 2
S. Dominici celigioſi filii, viſi ſunt ſub D. V. pallio. *p.* 68, *c.* 1
S. Dominici zelus animarum. *p.* 71, *c.* 2
S. Dominico apparent SS. Apoſtoli Petrus & Paulus, ille Scipionem, hic librum offert. *p.* 65, *c.* 2
S. Dominicus ab Innocentio III. fit inquiſitor. *p.* 67, 1. 1
S. Dominicus à D. V. docetur Roſarii leges, & modum. *p.* 65, *c.* 2
S. Dominicus Alfonſum Caſtellæ Regem cõvertit. *p.* 65, *c.* 2
S. Dominicus apparet etiam vivens cum ſtigmatibus. *p.* 73, *c.* 2
S. Dominicus à S. Catharina Senenſi videtur quaſi in Patris Æterni corde. *p.* 67, *c.* 2
S. Dominicus Chriſtum videt tribus lanceis armatum, & B. V. ad ejus genua ſupplicem, duos ſibi fideles famulos Dominicum, & Franciſcum offerentem. *p.* 72, *c.* 2
S. Dominicus Conſtantinopoli in templo S. Sophiæ 100. annis ante nativitatem depictus. *p.* 63, *c.* 1
S. Dominicus convertit duos Reges, Caſtiliæ unum, Galiciæ alterum. *p.* 72, *c.* 1
S. Dominicus Epiſcopatus varios recuſat. *p.* 69, *c.* 2 Miraculosè per longa maria ab Angelo ex Hibernia transfertuc in Hiſpaniam. *ibid.*
SS. Dominicus, & Franciſcus duo Angeli, duo Luminaris magna, duæ tubæ, duo ubecs Sponſæ, duo filii olei, duæ columnæ, duo Cherubim. *p.* 80, *c.* 2. Duæ nubes. *ibid.*
S. Dominicus, & S. Franciſcus duplici virga deſignati. *p.* 63, *c.* 2
SS. Dominicus, & Franciſcus ex Sybillarum vaticiniis quaſi duæ ſtellæ. *p.* 64, *c.* 2
SS. Dominicus, & Franciſcus Romæ ſe invicem complectuntur. *p.* 72, *c.* 2
S. Dominicus invitatur ad Cœlum ab Angelo. *p.* 75, *c.* 1 Apparet ei JESUS, & MARIA *ibid.* Conſpicitur in Cœlos aſcendere pec gradus ſcalæ. Viſitur parata illi ſedes. *ibid.* Viſitur & illi facies radiare ſolis inſtar, & corona redimitus. *c.* 2
S. Dominicus in ipſo Baptiſmatis fonte viſus ſtellam in fronte geſtare. *p.* 64, *c.* 1
S. Dominicus inſtituit cruciatam. *p.* 74, *c.* 2. Fundat Ordinem militarem, fulmina è Cœlo devocat. *p.* 74, *c.* 2
S. Dominicus Lucerna lucens, 1. divinorum præſagiorum luce 2. Jam inde ab utero 3. Ab ipſo fonte Baptiſmatis 4. Ab ipſis cunis 5. Ab infantia 6. A virginea luce, & doctrina 7. A prædicatione, & ſcriptis 8. A Virtutibus. *p.* 63. *& ſeq.*
S. Dominicus pluſquam centum millia hæreticorum convertit. *p.* 67, *c.* 1
S. Dominicus quadruplici arſit amore, Chriſti, Mariæ, Crucis, & Animarum. *p.* 74, *c.* 1
S. Dominicus quomodo Dei amicus. *p.* 74, *c.* 2
S. Dominicus quomodo viſus à S. Catharina Senenſi in corde Patris Æterni. *p.* 74, *c.* 2
S. Dominici ſcripta ex igne abeunt illæſa: Albigenſium conſumuntur. *p.* 66, *c.* 2. Ejuſdem Divi ſcripta ex aquis educit piſcator, & quidem intacta. *ibid.*
S. Dominicus viſus à Pont. Innocentio ſuſtinere baſilicam Lateranenſem. *p.* 72, *c.* 1, 2. Confirmat Ordinem Prædicatorum. *ibid.*

E

ECeleſia cur dicta ſit olim Virgo? p. 104, c. 1.
Eccleſiaſtici mali ꝛeprehendeudi. p. 12, c. 1 Eorum vitia quàm noxia. *ibid.*
Eccleſiaſtiei ſint Eleëmoſynsrii. p. 17, c. 1
S. Eduardum Angliæ Regem in Miſſa Chriſtus viſus eſt benedicere. p. 45, c. 1
Elcëmoſyna coutempts qnantum malum. p. 71, c. 2
Eleëmolyna & ejus meritum. p. 126, c. 1
Eleemoſyna, & ejus neceſſitas. p. 17, c. 1
Elcemoſynæ merces ampliſſima. p. 30, c. 1
Elcëmoſynæ miraculo confirmstæ. Ejus fœnus. p. 28, c. 2.
Elcëmoſyna unde aurea? p. 56, c. 2
Elias ſugens ubera mstris viſus eſt ignẽ exſugere. p. 63, c. 2
Eliæ zelus. p. 17. c. 2
Elizarius Grimoaldi Carthuſianus Inſulsm Narbonenſem, & purpuram recuſat. p. 37, c. 1
Eliſæus Urſis imperat. p. 94, c. 2
Eloquentis affectstà ꝛeprehenditur. p. 14, c. 1
S Ephremus laudes fugit. p. 1, c. 2
S. Epiphanii Epiſcopi Ticinenſis in injutiis patientia. p. 149 c. 1
S. Epiphanii Epiſcopi Ticinenſis elogia. p. 51, c. 1
Epiſcopatum deſiderare quomodo licest. p. 55, c. 2
Eremeticæ vitæ encomia. p. 90, c. 1
Euchariſtia cur, & unde medica? p. 124, c. 2
Euchariſtiam dignè ſumentes illuminantur, indignè obſcurantur. p. 110, c. 2
Euchsriſtiæ effectus smor Dei, & quantus. p 127, c. 2
S. Eugendus Abbas ex odore cognoſcit quæ in bis vitia, & quæ in illis virtutes. p. 147, c. 1
S. Eugenius Abbas animarum ſtstum percipit ex odore, aut graveolentia. p. 98 c. 2
S. Eulatiæ. Virginis, & Mstyris anima viſa eſt ſpecie columbæ in cœlos evolare. p. 34, c. 2
S. Euphemiæ V. & M. corpus nnguentũ effundit. p. 145, c. 1
S. Euphraſia pio dolo caput amittit, ne virginitatem amittat. p. 46, c. 2
S. Euthymius Abbas videt à communione quoſdam illuminari, obſcurari alios. p. 110, c. 2
S. Euthymius Abbss honores fugit. p. 55, c. 1
Exempli boni vis quanta. p. 132, c. 2
Exempli boni neceſſitas, & vis qusnta ſit. p. 67, c. 1, 2
Exemplum bonæ vitæ ſit in Eccleſiaſte. p. 81, c. 2
Exempli in utramque partem vis quanta. *ibid.*

F

FAmes vslida tota in Itslia p. 28, c. 2
S Feodoberti Abbatis oſſa granis aureis bellè diſtincta. p. 56, c. 2
S. Fechini Abbstis domus ardere viſa in matris puerperio. p. 96, c. 2
Fœminsrum viſitatio qua cantela ſuſcipienda. p. 34, c. 2
Fœminarum contubernia fugienda. p. 11, c. 2
S. Felix Nolanus Preſbyter martyr ſine effuſo ſanguine. p. 99, c. 2
Ferdinandus I. Neapoli Rex S. Franciſci de Paula perſecutor. p. 99, c. 2
S. Filani Abbatis ſiniſtra lucem profert. p. 16, c 1
S. Filano Abbsti ſiniſtra msnus collucet, & dextram regit. p. 110, c. 2
S. Filani manus ſioiſtra dexteræ ſcribenti collucet. p. 122,
Ficus cur dicatur pulla, & funeres. p. 14, c. 1
Fides unde omnipotens? p. 94, c. 1
Florentiæ meretricis mirsbilis converſio. p. 73, c. 1, 2. Ad D. Dominici oratione poſſidetur à dæmonibus 450, *ibid.*
Fortitudo quid ſit? Et quæ ejus partes. p. 105, c. 1 quæ & invia. *ibid.*
S. Franciſcus Aſſiſius naſcitur in ſtabulo, & hoc cœleſti monitu. p. 78, c. 1
S. Franciſcus Aſſiſius ſtella matutina, & ſicut ſol. p. 76, c. 2 Ab hoc tres radii emanant 1. eſt doctrinæ 2. exempli. 3. miraculorum. *ibid.*
S. Franciſci Aſſiſii humilitas, & ex es ſublimitas, & ſedes in Cœlo. p. 83, c. 2, *& ſeq.*
S. Franciſcus Aſſiſius spparet Alexandro Alenſi, & nutantem in vocstione ſsnst. p. 86, c. 2
S. Franciſci Aſſiſii cruor Romæ ſervstur & liqueſcit quot annis die Anniverſario impreſſionis ſtigmatum p. 85, c. 1 Sodalitium ſtigmatum. *ibid.*
S. Franciſcus Aſſiſius ſibi lectulum ſternit ex carbonibus ardentibus, ut petulantis mulierculæ laſciviam frangat. p. 86, c. 1
S. Franciſci Aſſiſii merita revelst Chriſtus D. Birgittæ. p. 76, c. 2
S. Franciſcus Aſſiſius cur Augelus. p. 76, c. 2
S. Frsnciſci Aſſiſii fronti impreſſum ſignum Thau. p. 85, c. 2 Crux illi ſit Dux viæ. Ejus baculo impreſſum divinitus idem ſignum Thau; eo claudum percutit, & ſanat. *ibid.*
S. Franciſci Aſſiſii mortificationes. p. 84, c. 1, 2 ſe in aquam mediâ hyeme conjicit. *ibid.*
S. Franciſcus Aſſiſius apparet etiam vivus in curru igneo. p. 87, c. 1. Moriens appsret in forma ſtellæ. *ibid.*
S. Franciſci Aſſiſii ſtigmata in imagine illius miraculosè impreſſa. p. 85, c. 2
S. Franciſco Aſſiſio spplaudunt volucres. p. 81, c. 2 Obediunt hirundines. *ibid.*
S. Frsnciſci Aſſiſii roſæ ſine ſpinis ſuccreſcunt. p. 86, c. 1
S. Franciſci vocatio miraculoſa. p. 78, c. 2. Eaque ad Crucem. *ibid.* S. Franciſci Aſſiſii deſiderium martyrii. p. 86, c. 2
S. Frsnciſcus Aſſiſius reparandæ Eccleſiæ à Chriſto eligitur. p. 79 c. 2. Eccleſiam Lateranenſem humeris ſuſtentare videt Innocentius III. Pont. Max. *ibid.*
SS. Frsnciſcus, & Dominicus à D. Virgine filio offeruntur repsraturi mundum. p. 80, c. 2
S. Frsnciſcus Aſſiſius videtur quaſi palma ſuccreſcere ad Pontificis pedes. p. 79, c. 2. Videtur & cœcis mortalibus ex æde Portiuncula viſum reſtituere. *ibid.*
S. Franciſcus concionans apparet tranſverſo timendus gladio. Concionstur coram Pont. & Cardinalibus. p. 81, c. 1.
S. Frsnciſcus Aſſiſius cur dictus Chriſti vexillifer. p. 85, c. 2
S. Franciſcus Aſſiſius aquam convertit in vinum. p. 82, c. 1 Annonam multiplicat mirsculosè. *ibid.* Aquam è rupe elicit. *ibid.* Rupes illius attactu molleſcit. *ibid.* Mortuam puellam reſuſcitat. c. 2
S Franciſco Aſſiſio imprimuntur ſacra ſtigmata. p 84, c. 2 A Seraphino, vel ab ipſo Chriſto. p. 85, c. 1 Gregorio IX. Pontifici dubitanti de vulnere lateris apparet S. Franciſcus & iſtus aperit, vulnusque. *ibid.*
S. Frsnciſci Aſſiſii Prophetiæ donum. p 82, c. 2 Comitibus montis Acuti, & poſteris prævis mortis indicia impetrat. *ibid.*
S. Franciſci Aſſiſii cervicale è pluma dæmon ſubintrat, & viro Dei eſt moleſtus. p. 84, c. 1
S Franciſcus Aſſiſius die Natalis Domini JESUM videt in præſepio infantem. p. 123, c. 2
S. Franciſci de Paula in Deum charitas, & ejus prognoſtica. p. 96, c. 2. Sub ejus conceptionem ſuper domum apparent faces accenſæ. *ibid.* Ab Angelo ſcutum accipit in cujus medio *Charitas. ibid.*
S. Frsnciſcus de Pauls puſillus à Natalibus. Parentes ſteriles eum à S. Franciſco Aſſiſio impetrant. Ab hoc miraculosè curatur à mole carnea, quæ nati oculum tegebat. p. 88, c. 2
S. Franciſcus de Paula à S Franciſco Aſſiſio ſanatus ejus habitum ex parentum voto induit, & monaſterio inſervit. p. 89. c. 1
S. Franciſci de Paula mortificationes. p. 98, c. 1
S. Franciſci de Paula paupertatis amor, & cura. p. 90, c. 2 Recuſat ſcriniolum aureum, & imaginem auro fuſam à Carolo VII. ſubmiſſam. *ibid.* Item ſacculum auro plenum. p. 91, c. 1
S. Franciſci de Paula regnum in morbos, & mortem. p. 95, Cœcis viſum reſtituit. Claudis greſſum. Mortuis vitam. *ibid.* Etiam agnello. Etiam cervo. Etiam piſcibus. *ibid. Et p.* 96. Familiæ Galeottæ etiam toti impetrat ne ea ex ullus moriatur ſine viatico. *ibid.* c. 1

S. Fran-

S. Franciſcus de Paula cœleſti luce circumfuſus. *p.* 97, *c.* 1 In aëre quaſi ſuſpenſus, *c.* 2. Ab Angelis cœleſti concentu recreatus. *ibid.*
S. Franciſci de Paula elogia Sum. Pont. *p.* 87, *c.* 2 Item & regum. *ibid.* Et honor illi exhibitus. *ibid.* Rupi imprimit ſua veſtigia. Malacam obſidione ſuis precibus liberat. *p.* 88, *c.* 1
S. Franciſci de Paula regnum in animalia. *p.* 94, *c.* 2 Cervos, muſcas, ſerpentes. *p.* 95, *c.* 1
S. Franciſcus de Paula à Deo perſecutoribus ſuis redditur inviſibilis. *p.* 90, *c.* 1
S. Franciſcus de Paula cur dictus Minimus, cur & filii ejus Minimi. *p.* 92, *c.* 2
S. Franciſci de Paula eremus. *p.* 89, *c.* 2 fretum Meſſanicum inſtrato illi pallio trajicit. *ibid.*
S. Franciſci de Paula tres in Cœlis Laureolæ, Virginis, Doctoris, Martyris. *p.* 99, *c.* 2
S. Franciſci de Paula humilitas. *p.* 91, *c.* 2. Sacerdotium recuſat. *ibid.* Miracula patrata tegit. *ibid.*
S. Franciſci de Paula regnum in omnia elemēta. *p.* 93, *& ſeq.* Inſilit in ignem, & ex eo exit illæſus, *ibid.* Inſilit in fornacem, exitque innoxius. *c.* 2. Imperat igni, & paret. Imperat ventis, & pluviis. *ibid.* fontem ex arido ſolo elicit, & flumina auget. *p.* 94. *c.* 1. Montem transfert. *c.* 2
S. Franciſci de Paula mors ſancta. *p.* 98, *c.* 2 Ejus corpus ſuavem ſpirat odorem. *ibid.*
S. Franciſcus apparet triplici corona redimitus. *p.* 99, *c.* 1
S. Franciſci de Paula corporis integritas ad annos 55. *p.* 98, *c.* 2 Hæretici ejus corpus exurunt. *ibid.*
S. Franciſcus Xaverius animas dicebat ſuum lucrū. *p.* 50, *c.* 1
S. Franciſci Xaverii ardor patiendi. *p.* 70, *c.* 1
S. Franciſci Xaverii ardor patiendi. *p.* 149, *c.* 1
Fridericus I. Imperator Alexandrum III. Pont. Max. in exilium mittit. *p.* 79, *c.* 1. Quatuor creat Antipapas. Victorem, Paſchalem, Calixtum, Innocentium. *ibid.*
S. Fulgentii Epiſc. Ruſpenſis patientia in injuriis. *p.* 53, *c.* 2
S. Fulgentius ne fiat Epiſcopus fugit, & latet in ſpelunca. *p.* 69, *c.* 2
S. Furſæus duos mortuos reſuſcitat. *p.* 16, *c.* 1
S. Furſæi regula trajiciunt mare filius & filia Brendani. *p.* 16, *c.* 1

G

Gallia ſola quingenta millia emittit contra infideles. Lugduni conveniunt die D. Joannis Bapt. *p.* 66, *c.* 1
Galterius ex Duce Burgundiæ, & Epiſcopo Lingonenſi Carthuſianus. *p.* 37, *c.* 1
Gaufridus de Loriolo ex Burdigalenſi Archiepiſcopo Carthuſianus. *p.* 37, *c.* 1
Gelgches S. Furſæi mater lacrymis ſuis tres fontes è terra elicit. *p.* 114, *c.* 2
S. Geminianus Epiſcopus Mutinenſis invitatur à Chriſto ad Cœlum ea voce. *Ad me veni ſerve bone.* *p.* 151, *c.* 1
S. Genovefæ digiti ardere viſi. *p.* 15, *c.* 2
S. Geraldus Comes Aurelianenſis 9. die ante nativitatem auditus eſt vagire. *p.* 118, *c.* 1
S. Gertrudis videt tres rivulos emanare à SS. Trinitate. *p.* 65, *c.* 2
Gladius Goliath, Saulis, Gedeonis. *p.* 81, *c.* 1
Gloria propria poſſeſſio defunctorum. *p.* 1, *c.* 2
Gloria quid ſit? *p.* 2, *c.* 1
Gloria vera in quo ſita, & quæ ad illam ſit via. *p.* 2, *c.* 1
Gnoſtici morbos credebant eſſe dæmones. *p.* 124, *c.* 2
Gratia aurum eſt, Dos animæ, Cœli ros, imber cœleſtis, Cœli clavis, ſigillum Spiritus Sancti, Divinæ eſſentiæ portio, vita æterna. *p.* 96, *c.* 2
S. Gregorii Presbyteri & martyris corpus 35. aureis emitur. *p.* 52, *c.* 1
S. Gregorius magnus Pontifex, & Anglorum Apoſtolus. *p.* 31, *c.* 2
S. Gregorius Pont. Max. primus ſe inſcripſit ſervus ſervorum Dei. *p.* 89, *c.* 1. Chriſtum excipit veſte peregrini. *ibid.*
S. Gualtero celebranti inſidere viſa eſt columba *p.* 34, *c.* 2
S. Gudulæ Virginis ſepulchro pullulat arbuſcula. *p.* 151, *c.* 1
Guilielmus de S. Maria ex Epiſcopo Laudonienſi Carthuſianus. *p.* 37, *c.* 1
B. Gualterus minoritis nobilem fœminam dum inviſit una manu fert ignem, altera ſtuppam. *p.* 34, *c.* 2
S. Guilielmi Archiepiſcopi in injuriis patientia. *p.* 149, *c.* 1
Guilielmus Raynaldi oblatam purpuram recuſat. *p.* 37, *c.* 1
Guilielmus Cheſolmius ex Epiſcopo Dublacenſi Carthuſianus. *p.* 37, *c.* 1
Guifredus Generalis Carthuſiæ Viennenſes Infulas recuſat. *p.* 37, *c.* 1

H

HÆreſeos mala quæ, quantáve. *p.* 13, *c.* 2
Hæreſes Waldenſium, Humilium, Albigenſium. *p.* 79, *c.* 1
Hæreticos ut inſectatur Auguſtinus. *p.* 12, *c.* 1, 2
Hæreticorum furor in Gallia contra SS. Reliquias. *p.* 99, *c.* 1
Heli cur dictus lucerna Dei. *p.* 63, *c.* 1
S. Henrico Eremitæ morienti accinunt Angeli, *Te Deum.* *p.* 30, *c.* 1
S. Hentigerno Epiſcopo ſacrificanti modò columba capiti inſidet, modò nubes, modò columna ignea. *p.* 126, *c.* 2
B. Henricus Suſo à Deo impetravit ut omnes ſui pœnitentes ſalvarentur. *p.* 125, *c.* 1
B. Henricus Suſo JESU, & MARIÆ nomina pectori inſcripſit etiam ſuo ſanguine. *p.* 126, *c.* 1
B. Henricus Suſo ut crucis amans, ut mortificationis. *p.* 47, *c.* 2
B. Henricus Suſo apparet roſis & liliis redimitus. *p.* 60, *c.* 1
Hibernia Inſulam habet quæ dicatur *Viventium*, quæ ita à fœminis abhorret, ut in eam ingreſſa mulier verſa ſit in ſaxum. *p.* 34, *c.* 1
S. Hieronis caput emitur æquali auri pondere. *p.* 52, *c.* 1
D. Hieronymus ut D. Auguſtino gratulatur. *p.* 12, *c.* 2
Hierothei laus, & commendatio. *p.* 109, *c.* 1
S. Hildegardi erecta ſedes in Cœlo. *p.* 60, *c.* 2
S. Hilarii Epiſcopi encomia. *p.* 59, *c.* 2
S. Honorati Epiſcopi Arelatenſis ad mortem præparatio. *p.* 120, *c.* 1
Honorum fuga. *p.* 37, *c.* 1, 2
Honorum fuga, atque exempla. *p.* 47, *& ſeq.* & *p.* 83, *c.* 1
Honorum fuga & ejus exempla varia. *p.* 69, *c.* 2
Honorum fuga, ejuſque exempla. *p.* 55, *c.* 1. 2
Honoris, & laudis fuga. *p.* 8, *c.* 2
Honorum vanitas, & fuga. *p.* 104, *c.* 1
S. Hugo Epiſcopus S. Brunoni Carthuſiam concedit. *p.* 35, *c.* 1
S. Hugo ex Carthuſiano Epiſcopus Lincolnienſis. *p.* 36, *c.* 2
Hugo ex Epiſcopo Aurelianenſi Carthuſianus. *p.* 37, *c.* 1
Humilitas in nomine, & in re ſectanda. *p.* 92, *c.* 2
Humilitas, & humilis quis cenſendus. *p.* 90, *c.* 2
Humilitatis leges quæ? *p.* 91, *c.* 2
Humilitatis tres gradus. Linguæ, cordis, & operis. *p.* 83, *c.* 2
Humilitatis laus, & commendatio. *p.* 48, *c.* 1 & *p.* 84, *c.* 2
Humilitas exaltatrix. *p.* 3, *c.* 2

I

IAcobo Tirio Societatis ſcholaſtico apparet S. Ignatius, & immoderatam in ſtudiis diligentiam arguit, & ſanat. *p.* 114, *c.* 1
S. Jacobus Eremita 30. annis latet in ſpelunca ut honores declinet. *p.* 55, *c.* 1
S. Ida Virgo orans triplici ſole illuſtrata. *p.* 110, *c.* 1 Tres illi ſoles SS. Trias. *ibid.*
JESU nomen quàm amabile, & pretioſum *p.* 126, *c.* 2
JESUS roſas carpit, & B. Suſonem iis coronat. *p.* 60, *c.* 1
Igni Deitatem attribuerunt quidam hæretici. *p.* 120, *c.* 1
S. Ignatius adhuc vivus apparet Coloniæ P. Leonardo Keſſelio. *p.* 113, *c.* 1
S. Ignatius adhuc vivens adeſt S. Xaverio periclitanti. *p.* 113, *c.* 2
S. Ignatius à Gregorio XV. Canoniſatur. Ab Innocentio X. refertur in Kalendarium. *p.* 116, *c.* 1

S. Ignatius à magnis viris dictus Eccleſiæ columna, Orbis univerſi theſaurus, Lumen Eccleſiæ, Divinus Hercules, ſpeculum ſanctitatis, Eccleſiæ defenſor, Dei digitus, arx refugii. *p.* 200, *& ſeq.*
S. Ignatii amor erga Deum, & illius indicia. *p.* 112
S. Ignatius apparet B. Magdalenæ de Pazzis. *p.* 18, *c.* 1
S. Ignatius an viderit eſſentiam divinam? an etiam alii Sancti? *p.* 110, *c.* 1
S. Ignatio apparet SS. Trinitas; Apparet & Pater Æternus; & Filius crucem geſtans, & Spiritus S. in eum illabitur in linguis igneis. Videt Chriſtum in Euchariſtia: D. Virginem, Angelos, & S Petrum Apoſt. *p.* 110, *& ſeq.*
S. Ignatii caritas erga proximum, & hujus indicia. *p* 113
S. Ignatii converſio cum terræ motu & cubiculi in quo erat concuſſione. *p.* 105, *c.* 2
S. Ignatii corpus cœleſti lumine illuſtratur. *p.* 111, *c.* 2
S. Ignatii, & Loyolanæ domus ſcutum gentilitium, unde? *p.* 115.
S. Ignatii fortitudo in patiendo, & agendo. *p.* 105
S. Ignatius Compluti, & Salmanticæ carceres paſſus. *p.* 105
S. Ignatium, & ſocios filio cõmendat Pater Æternus. *p.* 106
S. Ignatius etiam à ſuis filiis laudari poteſt, ac debet. *p.* 100
S. Ignatii in cœlis gloria. *p.* 116. Ejus Societas ut Virgini Deiparæ cara. *ibid. c.* 2
S. Ignatii inſtitutum probat Paulus III. *p.* 107. *c.* 1 De ejus regula hoc profert oraculum: *Dei digitus eſt hic. ibid.* S. Ignatius ſi probaretur Inſtitutum Deo vovet 3 ſacrorum millia. *ibid.*
S. Ignatii mora ſancta. *p.* 115, *c.* 2. Eo momento apparet margaritæ de liliis cœleſti luce conſpicuus. *p.* 115. *c.* 2
S. Ignatius orans videtur à terra elevari ad quinque cubitos. *p.* 112, *c.* 2
S. Ignatius paſſus ectaſim octo dierum. *p.* 111, *c.* 2
S. Ignatius rigida hyeme collo tenus ſe in aquam immergit ut adoleſcentẽ ab inſanis amoribus avocet. *p.* 114, *c.* 2
S. Ignatius quomodo Martyr in otio. *p.* 106, *c.* 1. Socios deligit, *c.* 2. Europa tota, & Aſia ſpatſit. S Xaverium mittit in Indiam. *ibid.* Sociorum Ignatii labores Romæ. *p.* 107, *c.* 1
S. Ignatii Regula probata à SS. Trinitate. *p.* 108, *c.* 2 Depoſita in altari. *ibid.*
S. Ignatius Romæ varia loca pia fundat. *p.* 107, *c.* 2
S. Ignatio ſacrificanti illabitur globus igneus. *p.* 112, *c.* 1
S. Ignatii vultus videtur radioſus. *p.* 222, *c.* 2
S. Ignatius unde, & cur totus anima? *p.* 102, *c.* 1
S. Ignatii Martyris in corde repertum ſcriptum JESU nomen litteris aureis. *p.* 70, *c.* 2
Injuriarum remiſſio. *p.* 115, *c.* 1. 2
Injuriarum tolerantia. *p.* 148, *c.* 2
Injuriarum condonatio, *p.* 53. *c.* 2, *& ſeq. & p.* 120. *c.* 1.
Injuriarum tolerantia, & illuſtria ejus exempla. *p.* 149, *c.* 1.
Intentio pura quæ ſit, & quæ ad eam requiſita, *p.* 122, *c.* 2
Joannes Birellus Carthuſianus oblatam ſibi purpuram recuſat. *p.* 37, *c.* 1. Dictus ſæculi ſui Lucifer. *ibid.*
S. Joannes Calybita veſtem mutat cum mendiculo. *p.* 53, *c.* 2
S. Joannis Bapt. encomia. *p.* 29, *c.* 1
S. Joan. Eleëmoſynarius apparet olivis coronatus. *p.* 60, *c.* 2
S. Joanni Eleëmoſynario cur data corona ex olivis? *p.* 133, *c.* 2.
B. Joanna Valeſia Franciæ Regina Chriſtum vidit, & Mariam offerentes ſibi in diſco duo corda, quibus & ſuum junxit. *p.* 70, *c.* 2
Job cõpoſitus cum columba *p.* 35, *c.* 2. Ejus encomia. *ibid.*
Job cur dictus ſtatua patientiæ. *p.* 148, *c.* 1
Jobi patientia martyrio compoſita. *p* 150, *c.* 1
Judicii extremi memoria quàm utilis. *p.* 34, *c.* 1
Jugum Domini quod ſit. *p.* 84, *c.* 1
B. Ivetta Recluſa deſponſatur Chriſto. *p.* 143, *c.* 2
S. Juliano Martyri data corona ex auro & gemmis *p.* 133, *c.* 2
S. Julianus Epiſcopus Conchenſis ad cœlum invitatus hac voce à D. V. *Accipe ſerve Dei palmam hanc.* p. 151, *c* 1
S. Juliani, & S. Baſiliſſæ cubiculum prima nuptiarum nocte odorem expirat Virginitatis, qualis roſarum, & liliorum. *p.* 147, *c.* 1

K

S. KEntigerni facies apparet tota ignea. *p.* 122, *c.* 2
S. Kentigerni orãtis frons, & labia coruſca. *p.* 150. *c.* 2

L

LAcrymæ cur dictæ ſudor animæ. *p.* 107, *c.* 2
S. Laurentii oſſa odorem effundunt. *p.* 145, *c.* 1
Laureolæ tres SS. in Cœli Regia. *p.* 99, *c.* 2
Laus poſt mortem, non ante. *p.* 1, *c.* 2
Leo non rugitu, ſed quaſi humana voce Chriſtianiſmum laudat. *p.* 52, *c.* 2
S. Leonis Papæ epiſtola manu D Petri ſubſcripta. *p.* 109, *c.* 2
Lex cur dicatur Corona Civitatis? *p.* 16, *c.* 1
Lilia ſeptem Benedictæ meretrici famoſæ jam converſæ offert Dei Mater, & cujus ea ſymbola. *p.* 74, *c.* 1
Lucernæ in ſcripturis cujus rei ſymbolum. *p.* 108, *c.* 1 Cur dantur Confeſſoribus? *ibid.*
Lunæ curſus, & periodi. *p* 76, *c.* 2
Luſitaniæ regnum Ordini Ciſtercieñſi tributarium. *p.* 42, *c.* 1
Luxuria eſt hydra, & Metropolis vitiorum. *p* 73, *c.* 1

M

S. MAcarius Abbas carnem edomat, & culicibus, & veſpis ſe nudum exponit. *p.* 26, *c.* 1
B. Magdalena de Pazzis videt quomodo Deus ſibi complaceat in anima S. Ignatii. *p.* 116, *c.* 2
S. Magdalenæ lacrymæ. *p.* 97, *c.* 1
B Magdalenæ de Pazzis zelus animarum. *p.* 17, *c.* 2
S. Magno morienti audita vox è Cœlo. Veni Magne, veni, ſuſcipe coronam. *p.* 30, *c.* 1
Magnitudo vera in quo ſita. *p.* 6, *c.* 2
S. Marcellæ charitas in egenos. *p.* 56, *c.* 2
B Margarita Hungarica Virgo cœleſti luce coruſcat. *p.* 111, *c.* 2
B. Margaritæ Hungaricæ morienti Diva Virgo coronam defert gemmis ornatam. *p.* 126, *c.* 2
B Margareta Hungarica in feſtis D. V. mille offert ſalutationes Angelicas. *p.* 46, *c.* 1
B. Margaritæ Hungaricæ mortificationes, *p.* 47, *c.* 2
Margarita pretioſa ſymbolum eſt Virginitatis. *p.* 134, *c.* 1 Ejus natura, & pretium. *ibid.*
S. Marcellini Epiſcopi Anconitani liber precum ſuo attactu ægros ſanat. *p.* 149, *c.* 2
S. Martianus Presbyter veſtem mutat cum paupere *p.* 53, *c.* 2
S. Maria de Portiuncula à D. Benedicto extructa: deinde donata S. Franciſco Aſſiſio. *p.* 28, *c.* 1
Maria Virgo cum corona beatorum obire viſa S. Dominici dormitòrium. *p.* 68, *c.* 1
Maria Dei Mater dormitorium luſtrat, & fratres ſacra aſpergit aqua. *p.* 62, *c.* 1
Mariæ gratia facit ad gloriam. *p.* 126, *c.* 2
Maria ſpiraculum hominis dicta, & quæ illius ratio. *p.* 80, *c.* 2
Martyres in Cœlo qui? *p.* 148, *c.* 1
S. Mathei Apoſtoli corpus liquorem medicum effundit. *p.* 146, *c.* 1
S. Milianum Epiſcopum tentat dæmon in forma medici. *p.* 57, *c.* 1
S. Merulo data corona florea. *p.* 99, *c.* 1
Morbus quid ſit? *p.* 123, *c.* 2
S. Monica adhuc vivens ad momentum vidit intuitive Dei eſſentiam. *p.* 16, *c.* 2
S. Monicæ pro filio ſuo Auguſtino lacrymæ. *p.* 11, *c.* 1
Mors glorioſa. *p.* 30, *c.* 1
Mors cur dicitur porta ad Deum? *p.* 29, *c.* 2
Mortificationis ſtudium, & utilitas. *p.* 84, *c.* 1
Mortificationis ſtudium *p.* 68, *c.* 2
Mortificationis exempla rariora. *p.* 47, *c.* 2
Mortificatio Virginitatis comes & cuſtos. *p.* 47. *c.* 1
Mortificationis ſtudium in Sanctis. *p.* 98, *c.* 1
Moyſis in proximum charitas. *p.* 17, *c.* 2
Mulier fortis quæ. *p.* 129, *c.* 1, 2

N

S. NIcolai corpus liquorem effundit. p. 145, c. 1
S. Nicolaus Tolentinas ſedecim mortuos reſuſcitavit. p. 9, c. 2
Nobilitas vitioſa quæ? p. 89, c. 1. Quæ virtuoſa. ibid.
Nobilitas vera quæ ſit. p. 58, c. 2
S. Neophyti martyris adhuc pueri lectulum circumvolat columba. p. 32, c. 2
Nomina mutat Deus viris illuſtribus. Dat participationem divini nominis. p. 92, c. 1
S. Norberti parentes & genere & virtute illuſtres. p. 52, c. 2. Ex utero renuntiatur Archiepiſcopus. Dein eligitur Magdeburgenſis. p. 52, c. 2
S. Norbertus Regulam ſuam à D. Auguſtino accipit. p. 16
S. Norberto præmonſtratur locus fundando monaſterio à D. V. & inde audit præmonſtratum; & Ordo Præmonſtratenſis. p. 56, c. 1
S. Norberti Societas unde Angelica dicta ſit. p. 56, c. 2
S. Norbertus à D. V. accipit candidam veſtem. p. 56, c. 1
S. Norberto oblata Chriſti Crucifixi effigies ſeptem radiis illuſtris, ad quam confluere viſa ingens multitudo. p. 56, 57
S. Norberti converſio ſimilis converſioni S. Pauli. p. 53. c. 1 Veſtem mutat cum paupere. ibid.
S. Norbertus Romam tuetur contra Petrum Leonem Antipapam. p. 60, c. 1
S Norbertus Antuerpiam tuetur contra hæreſes. p. 59, c. 2
S. Norberti in injuriis patientia. p. 54, c. 1
S. Norberti in perſecutionibus invictus animus. p. 54, c. 1
S. Norbertus Archiepiſcopatum Cameracenſem recuſat, nec admittit Magdeburgenſem niſi coactus. p. 55, c. 1
S. Norberti nobilitas, & avitus ſanguis. p. 58, c. 2
S. Norberti arbor ex eo quo nitebatur ſcipione. p. 56, c. 1
S. Norberti nomine invocato lupus raptam ovem reſtituit; imò fit ovium cuſtos. p. 57, c. 2
S. Norbertus mortuus apparet in forma lilii, quod colligentes Angeli in Cœlos deferunt. p. 61, c. 1. Apparet & in ſede lucida ſolis inſtar. c. 2
S. Norbertus mortuus apparet in veſte candida, ramum virentis olivæ manu præferens. p. 60, c. 2

O

OBedientiæ exempla rariora. Ejus laus. p. 48, c. 1, 2.
Oculi Virginitatis inimici. p. 47, c. 1 eorum proinde cuſtodia. ibid.
Oculorum cuſtodia. p. 11, c. 2. & p. 118, c. 2
B. Odo miras è menſa dum colligit mutantur in gemmas. p. 60, c. 2
Odor ſubinde SS. Virtutis eſt indicium. p. 147, c. 1
Odor SS. index ſanctitatis. p. 98, c. 2
Ordo Ciſtercienſis unde dictus Eccleſiæ columna. p. 43, c. 2
Ordinis Præmonſtratenſis encomia à Sum. Pont. p. 51,
Ordinem Ciſtercienſem benedicit dextera Omnipotentis. p. 44, c. 2
Ordo Præmonſtratenſis quot olim recenſuit Abbatias, Præpoſituras, quot Eccleſias Cathedrales. p. 58, c. 1 quot Eccleſiæ dederit Epiſcopos, quot à ſanguine illuſtres. ibid. c. 1, 2. & p. 59
Oratio dos eſt animæ. p. 27. Gazophilacium Chriſti, Catena cœleſtis. c. 1, 2
Oratio pudicitiæ præſidium. p. 134, c. 2

P

PAſſionum imperium. p. 3, c. 2. Ad illud motiva. p 4, c. 1, 2. Adjumenta. p. 5, c. 1, 2. Dominari ſibiipſi quàm glorioſum. p 3, c. 2
Patientia eſt genus illuſtre martyrii. p. 150, c. 1
Patientia hominem facit ſimilem Deo. p. 54, c. 1
Patientiæ exemplum illuſtre. p. 100, c. 1
Patriarcharum antiquorum elogia. p. 51, c. 2
Patriarcharum encomia. p. 1. Et gloria. p. 2
S. Pauli cor volumen charitatis. p. 71, c. 1
S. Pauli in proximum charitas. p. 17, c. 2
Pauperibus miniſtrare quàm glorioſum. p. 89, c. 2
Paupertatis amor, & cura in religioſo. p. 91, c. 1. Et Chriſtiano. ibid.
Paupertatis religioſæ commendatio. p. 104 c. 2
Paupertas D. Franciſco dicitur Mater, Sponſa, Domina. p. 42, c. 2
Peccandi incitamenta quæ, & quomodo vitanda. p. 118, c. 2
Pennæ quatuor, quibus anima in Cœlum tollitur, Timore, Amore, Pœnitentia, Spe. p. 38, c. 1, 2
S. Petri Apoſtoli in Chriſtum amor. p. 18, c. 1
Petri Coreæ, & Joannis Soſæ martyrium. p. 107, c. 2
Petri Leonis Antipapæ ſchiſma. p. 60. c. 1
S Petri Tomaſii MARIÆ nomen cordi impreſſum. p. 46, c. 1
B. Petrus Alcantara apparet in cœleſti gloria. p. 150, c. 1
P. Petrus Cottonus decem annis ante mortem etiam dormiens animo vigilabat, & orabat. p. 19, c. 2
S. Petrus Thomaſius MARIÆ nomen cordi inſcriptum habuit etiam miraculo. p. 126, c. 1
S. Philippi Nerii caſtitatis cura etiam poſt mortem p. 118, c. 2. Verenda manu obtegit. ibid.
S Philippi Nerii conſiliis uſi Summi Pontifices. p. 121, c. 1 Item & Cardinales. ibid.
S. Philippi Nerii virtutes ex Bulla Canonizationis. p. 117
S. Philippo Nerio ex vehementi Dei amore diſrumpitur coſta una. p. 128, c. 1
S. Philippi Nerii in Euchariſtiam amor. p. 126, & ſeq. In Miſſa devotio. ibid.
S. Philippus Nerius calumnias paſſus. p. 119, c. 2
S. Philippus Nerius ægro aſſiſtit, & dæmonem fugat. p. 124, c. 1
S Philippus Nerius JESUM, & MARIAM vocat amores ſuos. p. 126, c. 1
S. Philippus Nerius JESUM infantem videt. p. 123, c. 1. Videt & in morbo Dei Matrem. c. 2
S. Philippus Nerius inſtituit Confraternitates Romæ pro peregrinis. p. 119, c. 1. Inſtituit & oratorium. ibid.
S. Philippus Nerius miraculo hominem è naufragio eripit, & in portum deportat. p. 124, c. 2
S. Philippus Nerius mox à morte apparet virgini religioſæ. p. 120, c. 1
S. Philippus Nerius ſecreta cordium penetrat. p. 121, c. 2
S. Philippus Nerius ſpiritu Prophetiæ donatus. p. 121, c. 2. Abſentia & futura prædicit. p. 122, c. 1
S. Philippus Nerius videt S. Ignatii faciem cœleſti luce illuſtrem. p. 112, c. 1. Videt & Alexander Petronius medicus. ibid.
Pœnitentiæ lacrymæ cur dicantur diluvium peccatorum, Paradiſi fontes, Delitiæ Angelorum, Vox cordis. p. 11, c. 1
Pœnitentiæ pro converſione peccatorum. p. 71, c. 2
S. Polycarpi anima è corpore evolat ſpecie columbæ. p. 37, c. 2
S. Polycarpus indicio columbæ in Epiſcopum eligitur. p. 34, c. 2
Pontifices Romani cur in palliis à tergo, & à pectore cruces oſtenſent? p. 87, c. 2
Pontifices Romani ex D. Auguſtini ordine quatuor ſupra quinquaginta, Cardinales mille quingenti ſexaginta ſeptem. p. 9, c. 1
S Procopio martyri cor evellitur, & evulſũ ſpirat. p. 18, c. 2
S. Projectus mortuus apparet ad inſtar ſtellæ. p. 50, c. 2
Prudentia quid ſit p. 108, c. 1
Prudentiæ definitio, & deſcriptio. p. 121, c. 1
Pulchritudinis deſcriptiones. p. 130, c. 1, 2. Ex natura quid? Quid ex vitio. ibid.

R

S. RAbula Abbas cum 80. annis Deo ſerviſſet, audiit à Chriſto iſtud, Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. p. 86, c. 1
S. Raymundo de Penna-forti apparet JESUS in forma pueri. p. 123, c. 1
Rationis imperium, & ab illo quia imperator. p. 97, c. 2
Regula Ciſtercienſis cur dicta charta charitatis. p. 44, c. 1
Regula religioſa eſt ſcala, ſpeculum, vincula, ſepimenta, nervi, & oſſa, aphoriſmi ſpiritualis. p. 30, c. 2

Regula religioſi via eſt in Cœlum. p. 110, c. 1
Regulæ religioſæ vis, & commendatio. p. 16, c. 1
Regula S. Pachnmii. p. 56, c. 2
Regnum cœlorum quod ſit, & qnotuplex. p. 93, c. 1
Religioſi quomodo martyres. p. 7, c. 1, 2
Religioſorum Ordinum Fundatores laudati. p. 7, c. 1, 2
Religioſus unde à Deo centuplum accipiat. p. 21, c. 1
Reliquiæ Sanctorum quo apud Priſcos in pretio. p. 51, c. 1
Rex verſuum quis. p. 81, c. 1
B. Roberto Ciſtercienſis Ordinis morienti apparent Irides duæ, & in medio Crux aurea. p. 43, c. 1

S

SAcerdotum elogia. p. 70, c. 1
Salomon unde dictus Lerida, ideſt amabilis Domini? p. 119, c. 2
Sal unde dictum? p. 10, c. 1. Sal cur dicatur balſamum naturæ? ibid. Cur Sapientiæ ſymbolum? c. 2. Salis natura. ibid.
S. Salvius Epiſcopus Ambianenſis juſſus à morte è Cœli Regia redite in terras. p. 45, c. 1
Sancti unde lumina & columnæ Eccleſiæ? p. 43, c. 2
Sancti qnomodo, & cur laudandi? p. 1, c. 2. Et quot modis. p. 2, c. 1. Lingua, calamo, vita. ibid.
Sancti ex ordine D. Auguſtini ſedecim mille ducenti. p. 9, c. 1
Sanctorum pennæ quæ ſint. p. 39, c. 2
S. Scholaſtica ſic dicta quod ſcholas virginibus aperuerit. p. 24, c. 2
Scala Jacob ut miraculoſa. p. 27, c. 1
Sapphiri natura, & gratia. p. 134, c. 1, 2
Scriptorum laus, & commendatio. p. 14, c. 1
S. Sebaſtianus martyr cœleſti luce coruſcat. p. 111, c. 2
S. Secundinæ Virg. & Mart. tortores cœleſti voce convertuntur. p. 52, c. 2
S. Serapion Sidonites ſeipſum vendit, ut pauperi cedat eleëmoſyna. p. 29, c. 2
Servitus appetituum ut damnanda? p. 98, c. 1
S. Simeon Stylites cœleſti luce coruſcat. p. 150, c. 2
S. Simonis Stylitæ vermia in gemmam mutatur. p. 60, c. 2
Solis encomia. p. 76, c. 1
Sponſa Chriſti quæ ſit? p. 132, c. 1, 2
Solitudo duplex, ejus encomia. p. 90, c. 1
Solitudo mentis quæ ſit, & quàm neceſſaria. p. 49, c. 1
Spes in Deum omnia humana ſpernit. p. 39, c. 1
S. Stephanus ex Carthuſiano Epiſcopus Dienſis. p. 36, c. 2
S. Stephanus Hungariæ Rex eam D. V. fecit tributariam. p. 141, c. 2
S. Stephani protomartyris caritas. p. 97, c. 1
Superiorum in ſubditos benignitas commendatur. p. 114, c. 1
S. Sylveſter monachus Epiſcopatum fugit. p. 55, c. 1

T

TAnchelinus hæreticus Antuerpiam inficere conatur, p. 59, c. 2
S. Tereſia Sponſa Chriſti, Sponſalium leges, & pacta. p. 144, c. 1, 2
S. Tereſia mortua è brachio, & corpore oleum effundit. p. 144, c. 2
S. Tereſiæ apparet Chriſtus cùm D. Dominico. p. 74, c. 2
S. Tereſiæ in proximum charitas. p. 17, c. 2
S. Tereſiæ animam agenti apparet Chriſtus, & in Cœlos invitat, p. 151, c. 1 Apparent & Sancti ad decem millia, ibid. Ejus cellæ impendent cœleſtia lumina, apparet tranſparens, & lucida adinſtar criſtalli, arbor cellulæ vicina ſubito vireſcit, & floreſcit. ibid.
S. Tereſiæ raptus, atque extaſes. p. 150, c. 2. Cœleſtia lumina quibus conſpicua. ibid.
S. Tereſia viſo cœleſti armatur ad patientiam. p. 149, c. 1
S. Tereſiæ ipſo die Pentecoſtes illapſus Spiritus S. columbæ ſpecie. p. 149, c. 2.
S. Tereſia SS. Trinitatem videt, D. V. Angelos, S. Joſephum, & SS. Apoſtolos Petrum, & Paulum. p. 150, 152. In Cœlos evecta ſuos in iis parentes, ac notos conſpicit. ibid.
S. Tereſiæ data gratia miraculorum. p. 150, c. 1
S. Tereſiæ tres datæ lanceolæ, Virginis, Doctoris, Martyris. p. 146, c. 1, 2
S. Tereſiæ Virginis cor criſtallo incluſum æſtuare videtur. p. 146, c. 1
S. Tereſiæ Virginis ſepulchrum odorem effundit: uti & cella in qua expiravit. p. 146, c. 2. Imò & veſtes. p. 147, c. 2.
S. Theodoſius Cœnobiarcha cilicio indutus militiæ Romanæ Dux pugnat, & vincit. p. 68, c. 2
S. Theodorici Epiſcopi Aurelianenſis in injuriis patientia. p. 149, c. 1
S. Torquati die martyrio ſacra floret Oliva. p. 151, c. 2
S. Treverio Monacho duo lupi viæ duces. p. 57, c. 2
Tribulationis bonum quantum ſit. p. 120, c. 2
Tribulationis fructus eſt in Cœlum via. p. 27, c. 1
B. Tuſcana Veronenſis invitatur ad Cœlum hac voce. *Veni Sponſa Chriſti.* p. 151, c. 1

V

VAlentinus Imperator ut domitor ſui. p. 5, c. 1
Vana gloria quid ſit? p. 3, c. 1. Quæ ab illa ſint damna. ibid.
Vanitas mundi deploranda. p. 71, c. 2
B. Veronica de Binaſco palmulæ inſcripſit JESUS, & MARIÆ nomina. p. 126, c. 1
B. Veronicæ de Binaſco apparet JESUS ſpecie pueri. p. 123, c. 1
B. Veronicæ apparet D. Auguſtinus medius inter S. Nicolaum Tolentinatem, & S Guilielmum. p. 16, c. 1
Viæ Domini rectæ quæ ſint? p. 77, c. 1
Verbum Dei eſt gladius. p. 81, c. 1
Virginitatis tuendæ amor illuſtris. p. 131, c. 2
Virginitatis encomia in omni ſtatu. p. 150, c. 1
Virginitas cur Angelica? p. 102, c. 1
Virgines olim geſtabant cingulum, quod ſolvere ſolius erat mariti. p. 101, c. 2
Virgines Moniales omnes unius Aſceterii intra paucos dies mortem à Deo impetrarunt, ne à Nortmannis violarentur. p. 131, c. 2
Viſio intuitiva Dei in hac vita quibus ſit conceſſa. p. 17, c. 1
Viragines in veteri teſtamento quæ, quæ etiam in novo. p. 57, c. 2
Virtus gaudet duris. p. 148, c. 2
Virtutes animæ veſtis, & veræ divitiæ. p. 46, c. 1. Antmstum genus. ibid.
Virtutis laus, & commendatio. p. 6, c. 1
Virtutes animæ veſtes ſunt. p. 146, c. 2
Virtutis merces laus. p. 1, c. 2
Virtus gloriæ Mater eſt. p. 2, c. 2
S. Vincentii Epiſcopi, & Martyris corpus auri libra emitur. p. 52, c. 1
Vita cur dicatur ſcala? p. 29, c. 2
Vocatio divina non contemnenda. p. 14. c. 2. Non differenda. p. 15, c. 1
S. Ulfiæ Virginis corpus ſuavem effundit odorem. p. 147, c. 2
S. Urſulæ prælium 1. cum pulchritudine. p. 138, c. 2
S. Urſulæ prælium 2. cum juventute. p. 130, c. 2
S. Urſulæ prælium 3. cum amore vitæ. p. 131, c. 2
S. Urſula à filio Regis Gentilis poſtulatur in ſponſam. p. 131, c. 1. Coguntur 11. millia Virginum, parantur triremes, inſtituitur peregrinatio. ibid.
Urſulinarum Societas à Pontificibus approbata. p. 129
S. Urſulæ erectæ ſodalitates variæ. p. 141, c. 1
S. Urſulæ ſocii, & ſociæ quæ? p. 135, c. 2
S. Urſula Sponſa Chriſti, & quæ ei corona p. 133, c. 2
Urſulanæ hiſtoriæ coronis, ſive earum cultus. p. 140, & ſeq.
S. Urſulæ, & ſociarum martyrium illuſtre. p. 131, c. 2
S. Urſula Coloniam liberat obſidione. p. 138, c. 1. Item & Argentinam. p. 141, c. 2.
S. Urſulæ Polonia olim tributaria. p. 141, c. 2. Uti & Anglia Orientalis. ibid.

Z

ZElus animarum, & ejus motiva. p. 71, c. 2.
Zelus animarum, & lucrum earum quantum ſit. p. 125
Zelus animarum. p. 57, & p. 50, c. 2, & p. 73. c. 1

FINIS.

JACOBI LOBBETII
LEODIENSIS,
SOCIETATIS JESU THEOLOGI,

GLORIA
LEODIENSIS ECCLESIÆ
PETITA
A
SUMMORUM PONTIFICUM
MAJESTATE,
A PURPURA CARDINALITIA,
AB INFVLA, PEDOQVE,
AB IMPERATORUM, REGUM,
DVCVM, COMITVM, BARONVM
FILIIS
IN D. LAMBERTI CANONICIS,
A SANCTITATE EPISCOPORUM
PER SEPTEM PRIMA SÆCVLA
CONTINUATA SERIE

SERENISSIMO PRINCIPI

MAXIMILIANO HENRICO

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA

ARCHIEPISCOPO COLONIENSI

SACRI ROMANI IMPERII

ELECTORI

PER ITALIAM ARCHICANCELLARIO

SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ LEGATO NATO

EPISCOPO AC PRINCIPI

LEODIENSI, ET HILDESIENSI

ADMINISTRATORI STABVLETENSI

ET BERGTESGADENSI

DUCI BAVARIÆ UTRIUSQUE

SVPERIORIS PALATINATVS, WESPHALIÆ,
ANGARIÆ, ET BULLONII,

COMITI PALATINO RHENI

LANTGRAVIO LEUCHTEMBERGENSI

MARCHIONI FRANCHIMONTANO

COMITI LOSSENSI, LONGIENSI, HORNENSI, &c.

IN lucem, ſolémque prodit auguſta facie Leodienſis Eccleſia, *ſeq; tibi ſiſtit SERENISSIME PRINCEPS, ut ſponſa ſponſo: illam benignis oculis excipe, illam ama, illam fove, illam ſerva ſeros in annos, & quam tibi Deus ab illibata fide Virginem dedit, Virginem Cœlo redde: & cœleſti ſponſo, cœleſtibusq́ue nuptiis appara, ut illis beetur ipſa, beeris & ipſe SERENISSIME PRINCEPS, in tota quanta, quanta eſt æternitate.*

ILLUSTRISSIMIS
REVERENDISSIMIS
AC GENEROSIS
DOMINIS

PAVLO IOANNI BARONI A GROESBEECK,
Eccleſiarum Cathedralis & S. Dionyſii Leodienſis Præpoſito,
Domino de Francwaret, &c.

FERDINANDO BARONI DE BOCHOLTZ ET OREY,
Decano Leodienſi, Vice-Domino Monaſterienſi,
Præpoſito S. Petri Leodienſis.

ÆGIDIO FRANCISCO DE SVRLET,
Archidiacono Ardennæ, & S. Bartholomæi Præpoſito.

HERMANNO DE STOKHEM,
Archidiacono Condroſii, & S. Martini Præpoſito.

CLAVDIO DE POICTIERS,
Archidiacono Famennæ, Cuſtodi Leodienſi,
Sereniſſimi Principis Conſiliario.

LAVRENTIO DE MEAN,
Archidiacono Hannoniæ, Scholaſtico Leodienſi,
Præpoſito Tungrenſi.

BERTRANDO DE LA HAXHE,
Archidiacono Hasbaniæ.

IOANNI DE STOCHEM,
Archidiacono Brabantiæ, & Præpoſito S. Pauli.

IOANNI ARNOLDO BARONI DE LERARDT,
Archidiacono Campiniæ, & Concilii Ordinarii Conſiliario.

NICOLAO BARONI DE LA PIERRE,
Abbati ſæculari Cynacenſi, & Vice-Præpoſito.

ARNOLDO DE MERODE DE WAROVX,
cui nuper ſuffectus
EVGENIVS ALBERTVS D'ALLAMONT DE MALANDRY,
Baro de Buſy, nunc Epiſcopus Gandavenſis.

HENRICO DE BERLEMONT.

ARNOLDO DE RAITZ A FRENTZ,
Cathedralis Spirenſis Theſaurario.

IOANNI LVDOVICO BARONI AB ELDEREN,
Cantori.

IOANNI EDMVNDO AB OVLTREMONT.

IOANNI AMANDO A LAPIDE,
Abbati ſæculari Amanienſi.

LAMBERTO EDMVNDO TABOLET.

FRANCISCO TABOLET,
Abbati ſæculari Dionantenſi.

IOAN-

IOANNI ERNESTO DE SVRLET,
Vicario generali Leodienſi, Abbati ſæculari Viſetenſi.
LAMBERTO DE LIVERLOZ,
Præpoſito Foſſenſi, Sereniſſimi Principis Cancellario.
RASONI DE SVRLET.
GERARDO BARONI A GROESBEECK.
ARNOLDO PHILIPPO SELIS,
Officiali Capituli, Præpoſito Maſekenſi.
RENATO FRANCISCO DE SLVZE,
Sereniſſimo Principi à Conciliis Privato & Ordinario.
FRANCISCO GVILHELMO BARONI A BOCHOLTZ,
Theſaurario Hildeſienſis Eccleſiæ.
FRANCISCO EGONI EPISCOPO ARGENTORATENSI,
Adminiſtratori Abbatiarum Murbacenſis, & Luderenſis, Landtgravio
Alſatiæ, Comiti de Fuſtembergh, & Decano majori Colonienſi.
WALTERO DE LIVERLO,
Præpoſito S. Ioannis Evangeliſtæ, & Officiali Leodienſi.
GVILLIELMO A GVTSCHOVEN.
HENRICO DV MONT, Theologo.
FRIDERICO PRINCIPI CARDINALI HASSIÆ.
NICOLAO DE STOCKHEM.
ANTONIO HIERONYMO DOYEMBRVGGE, DE DVRAS,
Præpoſito Huenſi.
PETRO WOOT, Præpoſito Thudinenſi.
GVILHIELMO THEOBARDO MOTMANS, Præpoſito Inricenſi.
THOMÆ FRANCISCO WOOT DE TRIXHE.
ANDREÆ DE GERIN.
NICOLAO DE MEYS.
LAVRENTIO NICOLARTS, Pœnitentiario.
GVILIELMO COMITI DE FVRSTEMBERGH.
GVILIELMO BERNARDO AB HINNISDAEL,
Præpoſito S. Crucis Leodienſ.
MAXIMILIANO FRANCISCO COMITI DE RECHEM,
Præpoſito Aquenſi.
IOANNI PETRO ROSEN.
IOANNI PETRO DE SPRIMONT.
EMMANVELI THEODOSIO DE LA TOVR D'AVERGNE
Principi, Duci D'Albret.
ALBERTO DE SCLESSIN.
PHILIPPO DE MEAN.
GVILIELMO BARONI DE FVRSTEMBERGH.
OTTONI LVDOVICO DE MANDERSCHEIIT.
FERDINANDO ERNESTO DE METTERNICHT.

Nomina aliorum Canonicorum uſque ad ſexageſimum hic non recenſentur, quia etſi illis de Canonicatu ſit proviſum, necdum tamen recepti ſunt.

COMPENDIUM HUJUS OPERIS CUI TITULUS
GLORIA LEODIENSIS ECCLESIÆ
PETITA

I.
A Romanis Pontificibus è D. Lamberti Collegio aſſumptis.

II.
Ab Eminentiſſimis S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus è D. Lamberti Collegio ad id dignitatis evocatis.

III.
A Sanctitate Epiſcoporum per ſeptem prima Sæcula continuata ſerie.

IV.
Ab Epiſcopis & Principibus Leodienſibus à D. Huberto ad Sereniſſimum Maximilianum Henricum.

V.
Ab Epiſcopis, Archiepiſcopis, Patriarchis è D. Lamberti Collegio ad varias Diœceſes tota ferè Europa tranſmiſſis.

VI.
A Sereniſſimis, Auguſtis Imperatorum, Regum, Ducum, Comitum, Baronum filiis in D. Lamberti Canonicis uno eodemque anno videlicet 1131.

Lectori benevolo obſervanda hæc pauca.

I. Authores in Chronologia texenda vix inter ſe convenire, cujus vitii (ſi tamen vitium eſt) occaſionem dedit ipſa Antiquitas, & longævitas, quæ neſcio quid obſcuritatis, quid tenebrarum, & noctis affundere ſolet veritati, quæ lucem amat; imò quæ & ipſa lux eſt. Quid facias? Vitium eſt ſenectutis, quæ etiam in ſæculis eſt, & ævo longiore.

II. Acceſſit etiam aliqua vel ſcriptorum antiquorum incuria, vel temporum injuria, atque infœlicitas, à qua petiere multa veneranda Antiquitatis monumenta, è quibus candida veritas erui potuiſſet. Hæc eò à me dicta ſunt, ut ſi quid hic in Chronologia Epiſcoporum Tungrenſium culpæ eſſe videatur: vel dones Antiquitati, vel mihi condones: dedi ego quod veroſimilius eſſe duxi; quod diu ante me cenſuit R. P. Ægidius Bucherius, vir, ut in aliis, ſic & in Chronologia apprimè verſatus.

III. Cujus te monitum velim, Amice Lector, eſt illud, ut ſi quid, vel in ſtylo minùs excultum, vel in re etiam ipſa ex voto tuo non ſatis probatum videatur in meis illis de Leodienſi Eccleſia lucubrationibus, veniam mihi benignè dare velis, ſecutus prudens illud Poëtæ Horatii judicium, de aliorum ſcriptis ita ſententiam ferentis. Ubi plura nitent in carmine, non ego paucis offendar maculis, quas aut incuria fudit, aut humana parum cavit natura.

IV. Quod & obſervandum velim, eſt iſtud: Urbanus IV. (quem inter Pontifices è Leodienſi Eccleſia petitos infra recenſebimus) dictus ante Iacobus de Curto Palatio: ut doctè annotavit Hocſemius, Canonicus Leodienſis Eccleſiæ, proximus illius ævi ſcriptor: communiùs tamen Iacobus Pantaleon, à Patre, cui nomen Pantaleon, de quo te monitum volui, Benevole Lector, ne fortè mireris, ſi infra abeam à communi appellatione: mihi ſatis erit propriam cum Hocſemio inſinuaſſe: tibi verò, & aliis communem ſervaſſe ſi ita cenſeas, & probes.

GLORIA

GLORIA LEODIENSIS ECCLESIÆ.

E PRELI anguſtiis, & ſudoribus in publicum evadit hic Liber; mole quidem parvus; & authore etiam obſcurus; ſed rerum, quas continet, majeſtate magnus, & vel maximè conſpicuus. Conſpicuus, inquam, à *GLORIA LEODIENSIS ECCLESIÆ*; quæ, dum ſurgit è prelo; te primùm aſpicit Sereniſſime Princeps, MAXIMILIANE HENRICE: Vos deinde ILLUSTRISSIMI, AC REVERENDISSIMI DOMINI. Quos enim potius? Certè ſi Leodienſis Eccleſia Cœlum eſt, Tu nobis omnibus in ea Sol eris, & velut amœnum illius jubar, PRINCEPS SERENISSIME. Vos autem; GENEROSI DOMINI; velut adnata illi ſidera.

Sidera dico; quæ lumen quaqua verſum effundant; ſeu illud eſſe voles Avitæ Nobilitatis, ſeu etiam Doctrinæ clarioris. Neque enim iſti Cœlo inſeritur quiſquam, niſi qui ab hujus, illiúsve luce ſibi nomen famámque fecerit. Ab hac, & illa, ſeu PRINCIPUM SERENISSIMORUM, ſeu etiam PERILLUSTRIS CAPITULI luce, melioribusque influendis, *LEGIA ROMANÆ ECCLESIÆ FILIA*; hactenus conſtanter obtinuit, ut cum Matre ſua quàm optima, quàm ſanctiſſima, ſemper in Fide ac Religione conſentiret: Matre dico, Apoſtolica, Catholica ac Romana Eccleſia, quæ à Leodienſi accepit, non dico Alumnos, non Filios, non Defenſores (quod in magnis reponi debuit) ſed Infulatos Præſules; ſed Purpuratos Patres, ſed Summos in Eccleſia Pontifices (quod in primis recenſeri volunt) qui ex rationis placito, ex dignitatis ordine, ex Sacræ Majeſtatis legibus omnia (uti decet) metiuntur.

GLORIA LEODIENSIS ECCLESIÆ A ROMANIS PONTIFICIBUS E D. LAMBERTI COLLEGIO ASSUMPTIS.

CAPUT I.

AMabilis Dei Providentia, quæ *LEGIÆ* ſuæ ſemper invigilaſſe viſa, id illi beneficii, honoris, ac gloriæ dedit, ut uno, eodemque anno duos Urbi; imò & Orbi aleret, formarétque Pontifices. FRIDERICUM, & GERARDUM, Canonicos, & Archidiaconos. Leodienſem Eccleſiam felicibus auſpiciis tunc regebat THEODWINUS ex Bavaricæ ſtirpis Principe Leodienſis Epiſcopus: ut magnanimus, ſic & felix, ac fortunatus Princeps: felicitatem ex eo merite, quod è Cleri ſui gremio duos Canonicos, & ſimul Archidiaconos ad Thiaram Pontificiam aptarit ipſe: atque eadem ornatos viderit non ſine ingenti exultantis animi ſenſu, plauſúque Leodienſis Eccleſiæ. *Ex M.S. Epiſc. Tung.*

Ex his primus fuit FRIDERICUS: Patrem is habuit GOTHELONEM, Lotharingiæ Ducem, qui à puero diſciplinis liberalibus inſtructus; deinde Leodienſis Eccleſiæ Canonicus; tum etiam Archidiaconus. Hic LEONI IX. Romam repetenti unà cum THEODWINO Præſule, & GODEFRIDO fratre ſuo ſeſe adjunxit, & in illa ad Urbem peregrinatione, ita virtutem probavit ſuam, ut ab eodem primùm in familiam ſit aſcitus; deinde Bibliothecarius nominatus; tum etiam Cancellarius; jam Cardinalis Diaconus S. Mariæ in Dominica; denique Apoſtolicæ Sedis Legatus Conſtantinopolim emiſſus, ut eam Eccleſiam, quæ à Romanâ jam defecerat, ſibique principatum arroganter & temerariè vindicarat, ad officium, debitámque Romanæ Sedi obedientiam revocaret. Sed, ô grande malum invidia; atque æmulatio! nec ad illum venire Patriarcha, nec Imperator ipſe dignatus eſt. Quid hic FRIDERICUS? & ſui & Pontificis, cujus vices agebat, non immemor, Urbe exceſſit, & Apoſtolico more, ſacráque licentiâ, ſandalia, pulveremque de pedibus in eos excuſſit. Quid deinde? Illud ſanè quod ſuſpiciat, quod amet, quod commendet omnis ætas. Et Patriarcha, & Imperator, & Clerus univerſus ſacco involuti, & cinere tecti, ad eum pervenerunt, atque ad genua ſupplices abjecti, Apoſtolicam in eo authoritatem, ac majeſtatem ſunt venerati. Tantum apud illos valuit vel Pontificii Legati invicta in adverſis fortitudo, atque conſtantia, vel ſacra officii, quod gerebat, veneratio, ac reverentia: quæ etiam vacua non abiit; ſed plena, diveſque Imperatoris ipſius munificentiâ, doniſque ſacratioribus, quæ Sanctorum Petri Paulique aris appenderet. *Ciacon. in Vita Pont. Leonis IV.*

Ea legatione ritè perfunctus, Romam rediit, & LEONEM IX. vivis ereptum invenit, & mox aula pontificia, mundique pompis valere juſſis, CASSINUM ſe contulit, ibique Monachi habitum induit, ut in eo ex voto ſuo lateret quàm optimè. Verùm diu abſcondi non potuit Lucerna ſub modio; emicavit illa, quà doctrinæ luce, quà etiam ſanctioris vitæ radiis, & vix exacto biennio, communibus omnium ſuffragiis in Abbatem Caſſinenſem electus eſt, venitque FLORENTIAM, ut à VICTORE hujus nominis II. Abbas inauguraretur: quod & factum eſt, & factum benè; ſed longè melius illud, quod ſimul ab eodem Pontifice nominatus ſit Preſbyter Cardinalis, titulo S. Chryſogoni. Jam ſecundò in auguſtum illud Collegium adlectus: primum à LEONE IX. tum à VICTORE II. Hac igitur auctus dignitate CASSINUM repetens Romam venit; cùm ecce perfertur è TUSCIA de morte VICTORIS Pontificis nuntius. Quo graviter affectus cum in Urbe conſtituiſſet, illum conſuluere Romani quem tanto dignum faſtigio judicaret. Quinos ille propoſuit. HUMBERTUM, Cardinalem S. Rufinæ Epiſcopum, Velitrenſem, Peruſinum, Tuſculanum, & HILDEBRANDUM Eccleſiæ Romanæ Subdiaconum. De ſeipſe ne cogitavit quidem: at cogitavit admirabilis Dei Providentia, quæ pro humilibus ſemper excubat, cogitaverunt & Purpurati Patres, & Romana nobilitas; atque ex hoſpitio, in quo delitеſcebat, eductum in Baſilicam S. Petri ad vincula protraxerunt, unâque voce Abbatem Caſſinenſem FRIDERICUM, Pontificem Romanum conclamarunt & quia is dies, quartus erat ante nonas Auguſti; S. STEPHANO Papæ & Martyri ſacer: dictus eſt *Ciacon. in Vit. Pont. Victoris II.*

STEPHANUS X. vel ut alii IX. PONT. MAX.

Ea porrò numeri varietas ex hoc orta quod STEPHANUS IX. qui ZACHARIÆ Papæ ſucceſſit, ſeditque dies dumtaxat quatuor, à nonnullis in numerum Pontificum non referatur: quod ſi re- *Anno 1057.*

feratur

feratur (uti reipſa referendum eſſe cenſemus) hic, de quo agimus, STEPHANVS X. erit appellandus.

Pontificatum tenuit menſes ſeptem, & dies octo ſupra viginti. Coronatus enim anno Domini 1057. die 5. ante nonas Auguſti: mortuus autem Florentiæ, anno 1058. die 4. ante Kalendas Aprilis, & in Eccleſia Cathedrali S. Reparatæ ſepultus, Beati nomen, decuſque obtinuit, multiſque ad ſepulchrum miraculis inclaruit, uti teſtatur Leo Oſtienſis.

Hujus Pontificis ſigna, ſacráque Lemmata fuerunt iſta:

A dextris viſebatur in orbiculo Urbis imago, adjecta circum hac epigraphe: *Felix Roma.*

A ſiniſtris, in circuli area, erat α & ω, addita erat circum, ea inſcriptio: *Ipſe eſt pax noſtra.*

In medio autem ducebatur circulus major, in quo ſupernè eminebat Chriſtus in rorida nube: infernè erat Paſtor, oviculæ, & agnelli pinguibus in paſcuis. Appoſita erant hæc verba, quæ olim Chriſtus ad Petrum: *Si diligis me Petre, paſce agnos meos.*

His ſe moneri volebat bonus Paſtor:

Primò, ut Romam ſibi creditam felicem redderet: felicem, inquam, à religione primùm; dein etiam à gratia; denique à gloria, ac beatitate.

Tum, ut in Deo uno (qui eſt α & ω, id eſt, Principium, & Finis) ſibi pacem conſtitueret.

Denique, ut Chriſti, ceu Magiſtri quàm optimi hortatu, præceptoque, Agnos, id eſt, animulas ſuæ curæ commiſſas, paſceret verbo, paſceret & exemplo. Et ita etiam re ipſa pavit STEPHANVS X. ſupremus à Chriſto animarum Paſtor. Multa enim & præclara ad commune Eccleſiæ bonum ordinavit, geſsitque; admirandâ ſemper in malis fortitudine, atque conſtantiâ, quâ etiam Henricum Regem, Clerumque Mediolanenſem Eccleſiæ Romanæ rebellem fregit, vicitque, ad hoc uſus opera, ac ſtudio PETRI DAMIANI, viri à doctrina, & ſanctitate eò loci ac temporis nominatiſſimi, & quem deinde ob inſignia in Romanam Sedem merita, Oſtienſi Eccleſiæ præficiendum eſſe duxit.

Et hæc Urbi ab illo Pontifice beneficia, poſt quæ, etiam Leodienſi Eccleſiæ ſua quoque acceſſere, è quibus primum fuit pars ſanctiſſimæ Crucis, inſolitæ magnitudinis: donum illuſtre, pretioſum, cœlis amabile, verendum terris, tremendum inferis. Alterum fuit ſuperhumerale unionibus, ac gemmis à ſummo ad imum grave, contextumque, quo etiamnum inter ſacra Miſſarum ſolemnia utuntur Epiſcopi Leodienſes, vel ad decus, ornatúmque divinioris Sacrificii, vel ad memoriam, monumentúmque tanti Pontificis, & quo, etiam (hoc ipſo, quo hæc ſcribimus anno) uſus eſt Sereniſſimus Princeps. MAXIMILIANUS HENRICUS, ipſo Paſchatis ſolemni die, non ſine totius populi, Clerique approbatione, feſtiváque gratulatione, à quâ dum abeo, deſcendo ad alios è D. Lamberti Collegio Pontifices.

Molan. in Natalib. SS. Belgii, 29. Martii.

Sublato è vivis STEPHANO X. cùm vacaſſet Sedes dies viginti octo. Petri cathedram partim pecuniâ (cui obediunt omnia) partim vi, & armata manu invaſit, occupavitque BENEDICTVS hujus nominis X. inſana profectò dominandi libidine, quam ut reprimeret HILDEBRANDVS è Germania redux, Pontificalia Comitia Senis indixit, quò convenêre Purpurati Patres, Romanaque nobilitas, & unanimi conſenſu in Pontificem elegêre GERARDVM ALLOBROGEM, cognomento BVRGVNDIONEM, Epiſcopum Florentinum, Canonicum & Archidiaconum Leodienſem, qui dictus eſt

NICOLAUS II. PONT. MAX.

Is in Pontificatu, quem tenuit annos dumtaxat duos, menſes ſex, & diem unum, multa præclarè & conſtituit, & egit.

Fiſen in flor. Eccl. Leod. P. 1. Paralip.

Primùm enim cum HILDEBRANDO, Clero, ac nobilibus Romanis, armatáque manu Romam verſus progreſſus eſt, tum Sutrii ſubſtitit, ibique Tuſciæ, Longobardiæ, & Campaniæ Epiſcopis congregatis, aſtantibus principibus aulæ, Imperii, aliiſque Primatibus Italiæ proceribus, Synodum habuit, in qua abdicato, damnatoque Antipapa BENEDICTO, ipſe denuo in Apoſtolica Sede confirmatus eſt. Tum etiam junctis GODEFRIDI Ducis copiis ſub finem Decembris Romam venit, & BENEDICTVM tumultuariè in Petri cathedram evectum, & Urbe, & Pontificia Sede extruſit.

An. 1059

Deinde eundem unà cum omnibus aſſeclis anathemate notavit, tum Cardinalium interceſſione, eum ad ſe ſuppliciter accedentem admiſit, & veſtibus Pontificalibus exutum, ac præteritorum veniam cum omni demiſſione petentem, abſolvit; atque apud Eccleſiam S. Mariæ Majoris ſacerdotio privatum manere juſſit, ubi paulò poſt, 5. Idus Aprilis, animi dolore confectus, mortuus, ac ſepultus. Tum aliò conſilia vertit, ad commune ſcilicet Eccleſiæ bonum, optatamque ſanctæ Sedis tranquillitatem, quam ut tranſmitteret in poſteros Laterani Concilium Generale coëgit, in quo ſancivit, ut ſi quis aut pecuniâ, aut gratiâ populari, aut armis, ac tumultu Pontifex renuntiatus eſſet, is ab omnibus non pro Apoſtolico; ſed Apoſtatico haberetur.

Ciacon. in Vita Pont.

Tum etiam Berengarium hæreſiarcham ſecundò erroris damnatum palinodiam canere coëgit, & viros à pietate doctiſque ingenii monumentis toto Orbe claros convocavit, qui calamum in Berengarii hæreſim refutandam expedirent, quod & factum eſt quàm optimè.

Denique Normandicum bellum, quo diu vexabatur Eccleſia, ſedavit, atque ad Urbem redux, Præneſtinos, Tuſculanos, Tiburtinos, & Nomentanos Eccleſiæ Romanæ rebelles in deditionem accepit, & ditiones ſuas tutiſſimas & pacatas reddidit, de Petri Sede & univerſali Eccleſiâ benè meritus Florentiæ quievit, Anno Domini 1061. Hujus lemma fuit: *AVREA ROMA.*

URBANUS IV. PONT. MAX.

antea dictus

JACOBUS DE CURTO PALATIO.

Trecis in Campaniâ Gallicâ natus, patre Sutore veteramentario, cui nomen PANTALEON, ſuo exprimento docuit, quid ad ardua quæque poſſit doctrina eximiæ virtuti conjuncta, & hac & illa probè inſtructus, primo Curionis munus, & Canonicatum in patriâ conſecutus eſt: Deinde ad Leodienſem Archidiaconatum emerſit; tum etiam Apoſtolicâ Legatione ritè functus Virdunenſis Epiſcopus, & Patriarcha Jeroſolymitanus declaratus; denique & Pont. Max. dictuſque eſt URBANUS IV.

An. 1261.

M. Alfonſus Ciacon. in Vit. Pont.

Is feſtum Venerabilis Sacramenti, quod in Diœceſi Leodienſi primò probarat, & quod deinde duo Apoſtolici Legati, HVGO DE S. CHARO, & PETRVS CAPPOCIVS imperarant, & Collegium Martinianum, magnâ bonorum omnium approbatione ac voluptate, jam annis quatuordecim celebrarat, Epiſcopi Leodienſis, HENRICI GVELDRI rogatu, per totam Eccleſiam inſtitui voluit. Et hæc rerum ab URBANO geſtarum ut glorioſiſſima, ita & ultima; vix enim menſe toto poſt datas ad EVAM in D. Martini clauſam, litteras, vitâ defunctus eſt Peruſii, & in principe S. Laurentii baſilicâ ſepultus, eò dignior tanto faſtigio, quò ad illud humiliore prodierat loco: nulla quippe niſi egregia virtus eò pertingere potuiſſet. Generis humilitatem exprobranti, fertur aliquando reſpondiſſe: *Non naſci magnos Viros; ſed virtute fieri.* dignum tanto Pontifice oraculum: cujus lemma hoc fuit: *FAC MECVM DOMINE SIGNVM IN BONVM.*

Multa

Multa poſteris reliquit URBANUS beneficentiæ ſuæ monumenta.

In Urbe templa vetuſtate quaſſata reſtituit. atque imprimis S. Hadriani, SS. quatuor Coronatorum; & S. Silveſtri Oratorium.

Orthodoxam Fidei confeſſionem à Michaele Palæologo Græcorum Imperatore ſibi exhiberi fecit.

Cùm ab externis negotiis vacabat, aut ſibi ſtudebat, aut ſcribebat poſteris, Epiſtolas Decretales multas edidit, quarum volumina duo etiamnum extant in Bibliotheca Vaticana. Utque erat litterarum amantior; ſic & viros litteratos inprimis fovebat, ut qui ſciret eos & Fidei ſtabiliendæ eſſe firmamenta, & religionis avitæ ornamenta. Cùm ſediſſet annos tres, menſes quatuor, diem unum, piè admodum vitam clauſit, dignus ævo longiore.

GREGORIUS X. PONT. MAX.

Anno 1271. Dictus olim THEOBALDUS, Placentiæ illuſtri Vice-comitum genere natus, Canonicus & Archidiaconus Leodienſis, in Petri cathedram hac viâ aſcendit.

Fiſen in flor. Eccl. Leod. to. 1am. Diem obierat CLEMENS hujus nominis IV. cùm de ſucceſſore actum eſt, diſtractis in varias ſententias Cardinalium Collegii, D. Bonaventuræ Minorum tunc Generali Miniſtro, poteſtas facta eſt renuntiandi quem vellet Pontificem.

Sanctiſſimum Virum in omnem Eccleſiam oculos circumducentem detinuit eximia THEOBALDI virtus, clariſſimam ſui ſpargens ex ipſâ Paleſtinâ lucem, quâ captus ipſum ſupremum Eccleſiæ Pontificem deſignavit, non ſine Numine, cœleſtique conſilio, quod probarunt res ab illo quàm optimè geſtæ.

Primùm enim acre bellum Venetos inter & Genuenſes ſopivit.

Deinde Concilium Lugdunenſe II. coëgit, & in eo ſalutaria poſteris monita reliquit.

Tum etiam Græcos ad Eccleſiæ unitatem adduxit.

Denique Aretii vivere terris deſiit, & cœlo cœpit, miraculis à morte clarus, ut teſtatur in Aretinâ æde brevis commentarius miraculorum, quæ edidit. Ejus lemma hoc fuit?

PERFICE GRESSUS MEOS IN SEMITIS TUIS.

CLEMENS VI. PONT. MAX.

Anno 1342. Qui priùs audiit PETRUS ROGERIUS, Presbyter Cardinalis SS. Nerei & Achillei.

Is parentem habuit Guilielmum Monſtrium Roſci Vici-dominum, & receptus ad ſocietatem Monaſticam S. Benedicti, Lutetiam ad ſtudia miſſus, in quibus (ut erat ingenio perſpicaci) in Philoſophicis, Theologicis, ac Juriſprudentiâ ita profecit, ut nemo magis: ut non ſine causâ eum *litteratiſſimum Pontificem* appellarit Petrarcha. Inde illi honores obvenêre ampliſſimi, qui ferè doctrinam, ac virtutem ſequuntur, ut umbra corpus.

Primùm enim donatus eſt opulentiſſimo Baſilii Prioratu apud Nemauſum urbem.

Deinde in Abbatem Fiſcanenſem in Normandia electus.

Tum ad Inſulam Arelatenſem promotus, moxque ad Senonenſem, & Rothomagenſem Archiepiſcopatum evectus.

Tum etiam à BENEDICTO XII. Cardinalis creatus titulo Faſciolæ.

Breſemius Fiſen. Denique Pontificis Maximi culmen adeptus, Leodienſi Eccleſiæ, cujus fuerat alumnus, lumen quoque ſuum allaturus.

HADRIANUS VI. PONT. MAX.

Anno 1522. Ultrajecti natus humili genere: patrem habuit Florentium, aulæorum textorem, probum tamen, & frugi hominem, cui tam anguſta fuit res familiaris, ut filium (cæteroquin ad litteras ſuopte genio propendentem) alere non poſſet. Miſſus itaque Lovanium in hac Diœceſi futuræ magnitudinis fundamentum jecit. Obtinuit primùm ut gratuitò aleretur in Porci Pædagogio; tum incredibili vitæ integritate ac continentiâ, ſe totum liberalibus diſciplinis ita dedidit, ut brevi tempore inter Dialecticos, Philoſophos, Mathematicos, ac Theologos, facilè princeps haberetur, & eſſet: & hic primus ad ardua gradus doctrinâ comite; alter, iſque facilior à virtute duce, cui patent; & aperiuntur maxima, & altiſſima quævis, ad quæ his gradibus evaſit HADRIANUS.

Primùm enim à Margaretâ Cæſaris Maximiliani I. filiâ (quæ tum Belgis imperabat) opimo Sacerdotio in Hollandiâ donatus; videlicet Præpoſiturâ S. Salvatoris Ultrajecti.

Deinde Lovanii in ſummo templo Decanus omnium Collegarum ſuffragiis renuntiatus.

Tum etiam Academiæ illius celeberrimæ Vicecancellarius.

Tum Carolo V. adhuc ſeptenni Præceptor datus.

Tum in Hiſpaniam ad Ferdinandum Regem miſſus, cum ampliſſimo Legationis munere, apud quem eâ valuit gratiâ, ut Dertuſenſi mox Epiſcopatu ditatus ſit.

Tum commendante Maximiliano Cæſare à LEONE hujus nominis X. in Cardinalium Collegium cooptatus ſit, & à Carolo V. ex Hiſpaniâ ad capeſcendum Imperium abeunte, totius Hiſpaniæ Prorex declaratus.

Denique LEONE X. vitâ functo, à quadraginta Cardinalibus, qui Conclavi intererant, ipſe, etiam abſens, triginta novem ſuffragiis in Pontificem electus eſt, ſummumque quod inter mortales eſt, attigit uti dixi, doctrinâ comite, virtute duce, & hac & illâ Romanam Eccleſiam Pontifex illuſtravit; uti priùs Leodienſem Canonicus, ac Famenæ Archidiaconus, ut ſcitè annotavit Perilluſtris, ac Generoſus Dominus, D. GUILBERTUS DE WIASOCQ DE BOMY, Canonicus & Cantor Leodienſis, in opere ſanè nobili quod meditatur, & poſteris parat ad commune bonum, & Eccleſiæ ſuæ decus, atque ornamentum. Conditus eſt HADRIANUS temporario primùm monumento in S. Petri, inter duos Pios II. III. inſcripto hoc elogio: Anno 1523.

HADRIANUS VI. HIC SITUS EST.
QUI NIHIL SIBI INFELICIUS IN VITA,
QUAM QUOD IMPERASSET, DUXIT.

Quæ profectò magnæ virtutis commendatio eſt. In templum deinde S. Mariæ Germanorum ad arcum flaminium tranſlatus eſt, & depoſitus in ſepulchro marmoreo, figuris & imaginibus bellè ornato HADRIANI virtutes exprimentibus. Et hoc quidem ſumptu Guilielmi Enkevortii Archidiaconi Leodienſis, quem unicum crearat Cardinalem anno ſecundo, & ultimo ſui Pontificatus: dignus profectò longiore vitâ, regnóque propter eximia virtutum decora; inter quæ enituit illud quod ſuis aut omninò nulla, aut exigua beneficia contulerit, in externos propenſior, quàm in domeſticos, quod crederet, diceretque, ſanguini aut parum, aut nihil dandum; virtuti plurimum, imò & totum: cujus continentiæ argumentum ſit illud. Adhuc Cardinalis nepoti ſuo beneficium dederat aureorum ſeptuaginta: rogatus ut aliud pinguius concederet, induci nunquam potuit, adjiciens illud dignum cedro: M. Alfonſus Ciaconius in vit. Pont.

Cupere ſe homines beneficiis dare; non beneficia hominibus.

Quod oraculum magni Pontificis ſi audirent Antiſtites omnes, non ea foret in conſanguineos, & immeritos beneficiorum profuſio, ſub quâ ſæpiùs

gemit Eccleſia. Sed ne longiùs: ad te redeo mea Legia; imò ad vos ILLVSTRISSIMI DOMINI: ſpectaſtis è ſinu, gremiòque Veſtro datos Urbi, imò & Orbi tot Pontifices (quod ſummum in terris videri potuit) ſpectate modò quod majus, quod altius etiam cœli calculo.

Erit is S. CONRADVS Comes Friburgenſis, & Furſtembergenſis, de quo pluribus infra. Is è Leodienſi Canonico factus eſt primò Villarienſis Monachus, tum etiam Abbas, ac poſtea Clarevallenſis, tum Ciſtercienſis, denique etiam Cardinalis, qui Summum Pontificatum ſibi jam deferendum egregiâ animi magnitudine declinavit, hoc major, hoc dignior, quàm ſi adiviſſet; majus enim eſt Tiaram Pontificiam abjeciſſe, quàm aliquando induiſſe.

Fiſen in flor. Eccl. Leod. 30 Septemb.

Eandem, etiam ultrò oblatam recuſaſſe fertur HENRICVS II. Epiſcopus, & Princeps Leodienſis, quod excelſi fuit animi, & omni humano faſtigio altioris. Ita Bucherius in ſua Chronologia ad annum 1164.

Et hæc arduæ mentis celſitudo, ad quam ſeſe extulit educata in Sancti Lamberti Collegio virtus: Ea (ut jam oſtendi) eluxit in Petri Sede, etiam ſolis inſtar: attendamus quî etiam in purpurâ Cardinalitiâ: hac è Collegio Veſtro ornati quamplurimi, in Eccleſiæ cælo, ceu minora quædam ſidera, præluxerunt, uti paucis jam oſtendemus.

GLORIA LEODIENSIS ECCLESIÆ AB EMINENTISSIMIS S. ROMANÆ ECCLESIÆ CARDINALIBUS E D. LAMBERTI COLLEGIO AD ID DIGNITATIS EVOCATIS.

CAPVT II.

Ex duplici M S. Epiſc. Tungrenſ. Anno 103.

HOs inter primus, qui in præſentia occurrit, eſt GEREBALDVS, Bavarorum Ducis, ex Amita Victorioſi Principis, Ogeri Dani, filius, & Leodienſis Epiſcopus, à LEONE hujus nominis III. Purpurâ donatus: ita principem in Eccleſia gradum primus, quod ſciam, aſcendit Leodienſis Præſul, & Princeps.

Secundus ab illo fuit GERARDVS, Lobienſis primò Scholaſticus, Canonicuſque, tum etiam Leodienſis, & ipſe in ſupremum hunc Eccleſiæ Senatum adlectus, & Sedis Apoſtolicæ Leodii Legatus, ubi & Synodum habuit.

Ex Bl. S. Fiſen tom 2. hiſt. Leod.

Hunc proximè ſecutus eſt S. ALBERTVS, ex Illuſtriſſimâ Lovanienſium Principum ſtirpe, in S. Lamberti Collegium aſcitus, & Kempiniæ Archidiaconus, tum etiam Leodienſis Epiſcopus, deni-

Anno 1192 que S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalis à COELESTINO III. Pont Max. cujus etiam manu inauguratus eſt Diaconus, & Pontificiis Diplomatibus inſtructus, tum Rhemis Sacerdos, & Epiſcopus conſecratus, inibi primùm ad aras fecit, & à ſicariis ibidem in cauſâ Eccleſiaſticæ libertatis occiſus, ſacram purpuram ſuo ſanguine conſecravit, ſepultuſque eſt inter Archiepiſcopos illius Eccleſiæ, ubi frequentibus miraculis celebrari cœpit. Plurimi certè cives affirmarunt viſa à ſe plus vice ſimplici delabi è coelo magnam lucem, quæ totum cædis locum perfunderet. Hunc in Alberti honorem poſtea quadrato lapide ſtraverunt, & erectis quatuor columnis marmoreis impoſuerunt Crucem, ad quam quotannis ſolemni ſupplicatione proceditur die Mercurii Rogationum. Sacrum ejus corpus Bruxellas deinde tranſtulit Albertus Auſtriacus Belgicarum provinciarum Princeps religioſiſſimus, Anno Dñi 1612.

Eandem cum ALBERTO dignitatem cõſecutus eſt SIMON LIMBVRGIVS ipſi cognatione propinquus.

S. CONRADVS, Comes Friburgenſis, & Furſtembergenſis, Canonicus Leodienſis; dein Epiſcopus de Loſſana, Sedis Apoſtolicæ Legatus, primò Coloniam miſſus tempore S. Engelberti, Archiepiſcopi, & Electoris Colonienſis; deinde glorioſi Martyris; ſecundò ad duos Reges potentiſſimos, Philippum Franciæ, & Henricum Angliæ, bellis inter ſe diſſidentes; denique ab HONORIO III. creatus Cardinalis, & Epiſcopus Portuenſis. An. 1209

Futuram illius magnitudinem, cùm adhuc Villarii in tyrocinio verſaretur, oſtendit Deus B. Simoni Alnenſi, qui aureâ redimitum coronâ videre viſus eſt. Quâ enim potiùs? Eſt aurum ſymbolum amoris, accenſæque in Deum caritatis: eſt corona ſymbolum æternitatis, cujus erat candidatus; & cujus gratiâ contemptis mundi pompis in monaſticæ vitæ latebras olim abdiderat ſeſe, & hoc quidem (ut verbulo inſinuavi) cœli unius, Deique amore, qui etiam foras erupit: quis enim celaverit ignem? Quis & amorem, qui & ipſe ignis eſt? Certè nec illum celare potuit Vir ſanctus, de quo illuſtre iſtud, & à ſæculis inauditum, quod illi digiti, quibus ſacro-ſanctam hoſtiam ſub Sacrificium attrectari, fas eſt, & lucere, & ardere viſi, & legenti etiam intempeſtâ nocte facem præferre. Nec mirum cùm etiam illi à cœleſti luce, atque ardore, & luceret, & arderet animus. Quod Illuſtriſſimæ familiæ Furſtembergicæ ſummo eſt honori, & gloriæ, ut quæ terris, & Romanæ Curiæ dederit Purpuratum Patrem, & cœlis etiam ſanctum, ſuorum in illis Tutelarem ac Patronum.

Fiſen in ejus vita 30 Sep.

BERNARDVS DE GVARNO, Leodienſis Præpoſitus, & S. Agathæ Cardinalis, creatus ſub annum millesimum trecenteſimum vigeſimum quintum. Anno 1325

Alius ignoto nobis nomine etiam Præpoſitus Leod. eandem purpuram adeptus eſt anno ejuſdem ſæculi trigeſimo quinto. 1335.

BERTRANDVS Leodienſis Decanus eidem Eminentiſſimo Collegio adſcriptus: titulo S. Mariæ de Aquiro, anno ejuſdem ſæculi trigeſimo ſeptimo. 1337.

Ejuſdem ſæculi anno quadrageſimo quarto, Præpoſiti Leodienſis munus adiit BERTRANDVS DE DOCIO Cardinalis. 1344.

JOANNES BLANCARTIVS Decanus Leodienſis, & ipſe purpurâ donatus. 1364.

SIMON, SS. Joannis & Pauli Cardinalis; Archiepiſcopus Mediolanenſis, & Præpoſitus Leodienſis, qui Romæ diem ſuum obiit. 1375.

GVILIELMVS AGRIFOLIVS, Brabantiæ Archidiaconus, S. Stephani in Cœlio-Monte Cardinalis eodem ipſo anno. 1375.

JOANNES ÆGIDIVS, titulo SS. Coſmæ & Damiani, vulgò dictus Cardinalis Leodienſis, quod ejus Eccleſiæ Præpoſitus eſſet. Sepulchrum hujus etiam hodie viſitur propter aram SS. Coſmæ & Damiani in S. Lamberti Baſilicâ, eo loco, quem olim ſuo ſanguine imbuit, & ſacravit invictus Chriſti Martyr. 1387.

In eadem dignitate Collegas illo ipſo tempore quaternos habuit, ex eodem Clero Archidiaconos, Brabantiæ, Campiniæ, Condruſii, & Famenniæ, quorum nomina nobis invidit antiquitas, & fortè illorum temporum injuria, aut ſcriptorum incuria.

JVLIANVS DE CÆSARINIS, gente Romanus, Leodienſis Eccleſiæ Canonicus, & Haſbaniæ Archidiaconus, à MARTINO hujus nominis V. in Cardinalium Collegium adlectus titulo S. Angeli. Is ad reprimendam effrænem Huſſitarum in Bohemiâ licentiam, & MARTINI V. & Sigiſmundi imperio, primùm Baſileæ œcumenicam Synodum convocare juſſus; tum etiam, cùm ex Pontificis votu ea non ſucceſſiſſet, ſacrum bellum in Huſſitas 1424.

Chriſtiano

Chriſtiano populo denuntiare: quod & fecit eo ſucceſſu, ut florentiſſimas è tota Germania copias collegerit, in quibus equitum ad quinquaginta millia; peditum tamen minor numerus.

Ingens enimverò belli moles, quâ obrui potuiſſet Bohemia, Huſſitæque penitus fatiſcere: ſed neſcio quo fato diſſipata eſt, ne viſo quidem hoſte. Hinc Julianus, Martino jam vitâ functo, EUGENII IV. auſpiciis Ferrariam ſe contulit, ibique rurſum Concilium coëgit, in quo Juliano inter cæteros acriter pro Apoſtolica Sede diſputante, cum Latinis tandem Græci conſenſere. Tantum apud illos valuit Legati Apoſtolici, vel authoritas, vel eloquentia.

Ejuſdem cum JULIANO honoris paulò poſt particeps fuit NICOLAUS CUSANUS, & ipſe Leodienſis Canonicus, & Archidiaconus à doctis ingenii monumentis toti mundo notiſſimus, cujus laudibus quia impar eſſet omnis oratio mea; lubet illas excipere mutuata Trithemii eloquentia, ſic de illo etiamnum in ſcriptis:

Trithemius. *Vir fuit in divinis Scripturis eruditiſſimus, & Theologorum ſui temporis facilè princeps, in ſæcularibus quoque litteris egregiè doctus, Philoſophus, rhetor, ingenio ſubtilis, eloquio diſertus, linguarum Hebraicæ, Græcæ, Latinæ peritus, ſupra opinionem eloquens, hiſtorias omnes memoriâ retinebat, in diſciplinis Mathematicis ſuo tempore doctior fuit nemo. Ius civile, & Pontificium, & Patrum decreta memoriter recitabat. Philoſophiæ Ariſtotelicæ acutiſſimus diſputator fuit: Theologiæ verò Chriſtianæ interpres ac magiſter.* Hæc ille de illius doctrina diſertè, nec minora de virtute: ait enim *vitâ integerrimum* fuiſſe, & inſigni animarum zelo, quem explicuit multis legationibus pro Apoſtolica Sede per Germaniam, Galliam, & Orientem feliciter obitis. Ecce quæ Cleri Veſtri lumina. Sed inſtitutam de Cardinalibus narrationem proſequamur. Ex his etiam fuit

An. 1370. FRIDERICUS CLUNIACENSIS, Canonicus Leodienſis, Doctor utriuſque Juris, nobili genere procreatus. Præpoſitus S. Bartholomæi Bethuniæ, Caroli Burgundiæ Ducis Conſiliarius; tum Epiſcopus Tornacenſis, ac deinde Presbyter Cardinalis titulo S. Vitalis.

Ex Opere Peril. ac Gen. D. Wiſſocq.

1485. JOANNES JACOBUS, titulo S. Stephani in Cœlio Monte, Præsbyter Cardinalis, Leodienſis Præpoſitus nominatus.

Eodem anno alius JOANNES nomine, & ipſe Cardinalis titulo S. Priſcæ, & Canonicus Leodienſis.

1503. JULIANUS DE CÆSARINIS, alterius Cæſarini ex fratre nepos, & Baro Romanus, ex vetuſta, ac præpotenti Cæſarinorum familia, S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, titulo SS. Sergii & Bacchii, Brabantiæ Archidiaconus.

1504. BERNARDUS, Presbyter Cardinalis, titulo S. Crucis in Jeruſalem, & Leodienſis Eccleſiæ Præpoſitus nominatus.

1505. Reverendiſſimus in Chriſto Pater, ac Dominus, D. FATIUS, & ipſe Presbyter Cardinalis, titulo S. Sabinæ, Leodienſis Eccleſiæ Canonicus.

1509. JOANNES ANTONIUS, quem Alfonſus Ciaconius cognomine vult eſſe de S. Georgio, Epiſcopus Mediolanenſis, Patriarcha Hieroſolymitanus, Presbyter Cardinalis titulo SS. Nerei, & Achillei; dein Epiſcopus Cardinalis, Albanus, Præneſtinus & Sabinus, & ipſe Canonicus Leodienſis, quod beneficium ab Alexandro VI. Pont. Max. obtinuerat.

1511. OLIVERIUS, Epiſcopus Cardinalis Sabinenſis, dein Oſtienſis.

1512. ANTONIUS de Monte S. Sabini, Julii III. Patruus, Archiepiſcopus Sipontinus, & Cameræ Apoſtolicæ Generalis Auditor, ob eximiam in rebus gerendis fidem, & linguarum peritiam, ac facundiam, creatus Cardinalis titulo S. Vitalis, dein Epiſcopus Cardinalis Albanus, Sabinus, Tuſculanus, Præneſtinus, & Portuenſis, & ipſe Canonicus Leodienſis, & Brabantiæ Archidiaconus.

1521. ERARDUS A MARKA nominatus à LEONE X. Cardinalis, titulo S. Chryſogoni, & ſuo ſanè in Eccleſiam merito, & publico Patriæ bono, quod etiamnum loquuntur, ac probant erecta ab illo poſteris monumenta, à quibus aurea propè Leodii ſæcula. Fuit Archiepiſcopus Valentinus, Epiſcopus & Princeps Leodienſis, & Legatus à latere Papæ Clementis VII.

1523. GUILIELMUS ENKEVORTIUS, Patriâ Trajectenſis, Famennæ Archidiaconus, primùm Epiſcopus Dortuſenſis, dein etiam Archiepiſcopus Ultrajectenſis, denique ab Hadriano VI. factus Cardinalis titulo SS. Joannis & Pauli.

1524. PETRUS, Cardinalis titulo S. Euſebiæ, Canonicatu in Leodienſem, quo gaudebat reſignavit.

HIERONIMUS ALEANDER de Lamotta, Cenetenſis Diœceſis, Archiepiſcopus Brunduſinus, & Presbyter Cardinalis, titulo S. Chryſogoni, quo priùs etiam audiit Cardinalis à Marka, cujus hic aliquando Leodii Conſiliarius. Vir omninò magnus, & Purpurâ dignus, qui primùm miſſus in Germaniam à Leone X. Pont. Max. tum etiam ad Carolum V. Imperatorem ut quà linguâ, quà ferro exurgentem Lutheri hæreſim aut reprimeret, aut exſcinderet. Receptus hic Leodii Canonicus anno 1515. Romæ obiit Kalendis Februarii anno 1542. ſepultuſque eſt in ſuo titulo.

MATHÆUS, Presbyter Cardinalis, titulo S. Angeli, & ipſe donatus Canonicatu Leodienſi, quem & dimiſit: Uti & alius item Cardinalis titulo S. Clementis.

1559. VITELLIUS, vel, ut alii, VITELLOTIUS, S. Romanæ Eccleſiæ Diaconus Cardinalis, Leodienſis Canonicus, factus per obitum Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Antonii Archiepiſcopi Colonienſis, & Leodienſis Canonici.

1560. ALEXANDER Farneſius, PAULI III. nepos, S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, & Canonicus Leodienſis.

1561. ANTONIUS PERENOTTUS GRANVELLANUS, natione Burgundus, Canonicus Leodienſis; deinde Epiſcopus Atrebatenſis; tum Archiepiſcopus Mechlinienſis; denique S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, titulo S. Mariæ trans Tiberim, creatus à PIO IV. Pont. Max. cujus hoc fuit lemma, & ſolemne effatum: *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero.*

1578. GERARDUS A GROESBEECK, natus in ditione Leodienſi, ex Illuſtriſſima Baronum Groesbeckanorum familia, vir ſingulari morum humanitate, perſpicaciâ ingenii, judicii gravitate, magnitudinéque animi ſpectabilis: Primò Canonicus, deinde Decanus, tum etiam Epiſcopus & Princeps Leodienſis, denique creatus S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalis à GREG. XIII. ne tantis ejus in Eccleſiam univerſam meritis præcipuus illi deeſſet honos, quem tamen pro ingenitâ modeſtiâ, non tam ſibi, quàm Eccleſiæ Leodienſi delatum, affirmare ſolitus. Plurimum illi debet minima JESU Societas; hanc enim & Leodium evocavit ipſe, & pluribus annis aluit è ſuo; ac tandem aſſignatâ domo, etiam amplis reditibus auxit, quod beneficium & ipſi, & Illuſtriſſimæ ejus familiæ debebit poſteritas omnis.

1597. PHILIPPUS Sereniſſimi Ducis Bavariæ filius, Epiſcopus Ratisbonenſis, S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, & Canonicus Leodienſis, per cujus obitum de Præbendâ S. Lamberti primò proviſum eſt Sereniſſimo FERDINANDO, tum temporis Coadjutori Colonienſi & Stabuletenſi.

Evgenivs Mavritivs, Princeps Sabaudiæ, Leodienſis Canonicus, & S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalis.

Nicolavs Franciscvs a Lotharingia, Ducis Lotharingiæ frater, & ipſe Canonicus Leodienſis, Epiſcopus Tullenſis, deinde & Cardinalis.

Fridericvs Princeps, & Cardinalis Haſſiæ, Leodienſis Canonicus, quem Deus Eccleſiæ diu ſoſpitem velit.

His annumerare poſſem Gvidonem Hannonivm Archidiaconum Leodienſem, & Theſaurarium, poſtea Epiſcopum Ultrajectenſem, qui à CLEMENTE Pont. Max. ad Viennenſe Concilium vocatus oblatam ultrò Cardinalis dignitatem conſtanter recuſavit, illi ſe imparem eſſe profeſſus.

Theodoricvm Hasivm è Campinia oriundum, præclara virtute, Theologicarumque diſciplinarum cognitione celebratum. Is Hadriano VI. in Academia Lovanienſi adeò ſe probavit, ut cum ad ſummos honores ille proveheretur, Theodoricum à ſe ſejungi noluerit, abduxeritque in Hiſpaniam, & Italiam, ſibique à ſacris confeſſionibus eſſe voluerit, illumque tanti fecerit, ut ad ſummum Pontificatum evectus, & ejus conſiliis regi ſe voluerit, & Purpuram illi non ſemel obtulerit; quam tamen conſtanter rejecit ipſe, maluitque Leodii in D. Lamberti Collegio Canonicus privatam vitam retinere, quàm in auguſto illo Eccleſiæ Senatu, Purpurâ ornatus conſidere. Et inde mortuo jam Hadriano reverſus in patriam, multis annis Leodienſem Eccleſiam integritate vitæ, litterarumque ſplendore illuſtravit, Catholicæ religionis quæſitor, ac Prodecanus perilluſtris illius Collegii deſignatus. Vivere inter mortales deſiit Leodii, ſepultusque in D. Lamberti antiquo, ut vocant, Capitulo: ubi etiam & illi inſcriptum Epitaphium.

Ab eminenti illa dignitate Cardinalitia devolvi debet oratio ad Infulatos in Eccleſia Patres, & primò quidem ſtylo ſignare Epiſcopos à D. MATERNO ad S. HVBERTVM, tum etiam ab hoc ad alios, qui ad hanc noſtram ætatem Leodienſi Eccleſiæ non ſine Numine præfuerunt; tum denique ad eos, qui aliis Eccleſiis præfecti ſunt. Dicam enim, quod ex veritate dici poteſt, ac debet, & ſine ullo adulationis fuco, omnibus propè Europæ partibus de Præſulibus eſſe proviſum ab hac ipſa Leodienſi Eccleſia, cujus gloriæ in præſens velificari eſt animus. Ut ergo ad rem propiùs,

---

GLORIA
LEODIENSIS ECCLESIÆ A SANCTITATE EPISCOPORUM PER SEPTEM PRIMA SÆCULA CONTINUATA SERIE.

CAPVT III.

Dicam profectò, & ex verò quidem, datum Eccleſiæ Leodienſi, quod nulli fortè hactenus, annuente cœlo conceſſum eſt; videlicet ſeptem primis ſæculis Epiſcopos ad unum omnes vitæ, morumque ſanctitate florentes applaudente Romanâ atque univerſali Eccleſia, quæ Legiæ, ſeu primogenitæ filiæ, decus illud reliquit, atque ornamentum, de quo certò conſtat, tam ex antiquorum ſcriptorum, quàm recentiorum fide. Ex his Bartholomæus Fiſen in Floribus Eccleſiæ Leodienſis Paralipomenon parte prima, capite primo; Joannes Erardus Fullonius in Compendio Hiſtoriæ Leodienſis; Joannes Placentius, in Catalogo Antiſtitum Tungrenſium; Chapeavillus Canonicus & Vicarius Leodienſis; Ægidius Bucherius in Diſputatione hiſtorica, de primis Tungrorum Epiſcopis; & in ea quam illi ſubjecit Chronologia, quam hic ſequar.

Igitur ut ad rem veniamus. Tungrenſis, ſive Leodienſis Eccleſia exeunte primo ſæculo D. MA- *S. Maternus.*
TERNUM Præſulem habuit. At qualem, *Anno 100.*
& quantum Virum? Si genus & ſanguinem ſpectes, eſt qui credat fuiſſe filium viduæ Naim, quem Chriſtus, Servator Optimus in ipſa Civitatis porta (è qua ſcilicet efferebatur ad tumulum) & vitæ reddidit, & matri quàm mœſtiſſimæ. Sit penes authorem fides, ego in re obſcura nihil aſtruo: hoc affirmo quod extra litem eſt. *P. Caniſius in Martyrologio.*

Cùm rei Chriſtianæ arcem Romæ conſtituiſſet B. PETRUS, quaquaverſum ex ea dimittebat ſelectos ſacri belli duces, quos inter tergeminos heroas, EUCHARIUM Epiſcopum, VALERIUM Diaconum, & MATERNUM Hypodiaconum ad Treviros, & omnem Germaniam inferiorem emiſit, ſub annum à Virginis partu quinquageſimum ſecundum. Confecerant jam iter non modicum, cùm MATERNUM, magnæ ſpei adoleſcentem, ELEGIÆ (oppidulum eſt in Vangionibus) corripuit febris ardens, & vivis eripuit. Mortuum Socii terræ mandarunt, & ſive illius morte conſternati, ſive aliâ de causâ, Romam ad PETRUM redierunt. Hic eos benignè ſolatus, ad prius propoſitum redire juſſit, erexitque cœleſtis auxilii fiduciâ, ſcipionemque illis tradidit, quem ubi demortui corpori ſuperpoſuiſſent, ſperarent illius oraculo fidem futuram, qui cùm quatriduanum Lazarum ad vitam revocaverit, dixit: *Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipſe faciet, & majora horum faciet.* *Harigerus in S. Materno.* *Ioan. c. 14. v. 12.*

Hac ſpe recreati EUCHARIUS & VALERIUS, totam rurſus viam emenſi, ELEGIAM redeunt, & certi de promiſſionis fide, quadrageſimo à MATERNI obitu die corpus effodi jubent, PETRIque impoſito baculo, ad vitam, atque adeò ad ſuſceptam Evangelii propagationem, JESU CHRISTI nomine revocant, prodigio à ſæculis inaudito.

Exinde Trevirenſem Eccleſiam inſtituit, rexitque EUCHARIUS annos viginti tres, tum eo vitâ functo, VALERIUS. Denique & hoc ſublato, MATERNUS, ſub annum à nato Chriſto nonageſimum, qui pro eo, quo erat animarum zelo, etiam excurrit ad Ubios, quorum nobiliſſima Civitas erat Agrippina, hodie Colonia frequentiùs appellata: inde etiam Tungros exeunte primo ſæculo. Ibi Eccleſiam fundavit, gubernavitque quàm ſanctiſſimè per annos triginta. Epiſcopalem ſedem conſtituit, & D. Matri ſacram ædem poſuit, primam fortè cis Alpes.

Hoc prodigium, excitati à mortuis Materni, primùm in omnibus mirabilitatem magnam fecit; deinde Chriſtianos excitavit, ut eò loci templum erigerent, eique Reſurrectionis nomen inderent: ne ſcilicet aliquando efflueret tam mirabilis facti memoria. cui ſubjicio & alterum non multùm abſimile. Treviros, Coloniam, & ſimul etiam Tungros regebat pius Præſul: ne cui deeſſet, uno, eodemque Natalis Domini die, Treviris, Coloniæ, & Tungris viſus eſt Miſſarum ſolemnia celebrare. Et quidam è tribus Miſſis ea die fieri ſolitis primam dixit Treviris ſub mediam noctem; ſecundam Coloniæ ſub auroram; tertiam Tungris ſub meridiem, ad hoc Angelica manu ab uno loco in alium deportatus: & hoc cœleſti prodigio, cui etiam adjicit aliud à morte miraculum.

Lis erat, & controverſia de ſacris illius exuviis, quis eas ſibi tolleret. Certabant Agrippini, apud quos deceſſerat, certabant & Treviri, Tungrique, cumque nec hi, nec illi cederent, in medium ſe con-

ventum

ventum dedit veneranda ſpecie ſenex (Angelus poſtea creditus eſt) qui ad concordiam hortatus, controverſiam omnem huic eventui ſuaſit permitti, S. [a] Ponnficis corpus imponerent cymbæ, quæ à littore repulſa, ſi adverſo rheno ferretur, Treviria cederet victoria: Tungris, ſi ſecundo: at ſi ſubſtitiſſet immota, ſacrum depoſitum Agrippina ſibi retineret. Quibus dictis è conſpectu abiit. Placuit omnibus poſita lex, quanquam non perinde omnibus æqua. Mirum ſanè dictu, viſuque: ſtatim ac permiſſa eſt amni cymba, nemine mortalium impellente, in adverſos fluctus eniti cœpit, ſicque uno omnium judicio cauſa Treviris addicta eſt, unáque etiam ſacrum D. MATERNI corpus. Vivere inter mortales deſiit centenario major, Anno Domini 130. 18. Kalend. Octob.

S. Auſpicius & alii 14. Anno 130.

D. MATERNO è vivis ſublato, in Trevirenſem ſimul & Tungrenſem Eccleſiam ſucceſſit S. AUSPICIUS, aliique deinde quatuordecim Martyres; Trevirenſes ſimul, & Tungrenſes Epiſcopi, quorum nomina cœlis jam aſcripta, etiam hic recenſere placuit.

S. CELSUS, S. FELIX, S. MANSUETUS, S. CLEMENS, S. MOSES, S. MARTINUS, S. ANASTASIUS, S. ANDREAS, S. RUSTICUS, S. AUCTOR, S. MAURITIUS, S. FORTUNATUS, S. BASSIANUS, S. MARCUS. Quibus illicò additus

S Navitus, Anno 180.

S. NAVITUS natione Tungrenſis, S. Materni diſcipulus, non inferiora Magiſtro ſecutus. Hic Tungrenſem Eccleſiam primò rexit Sacerdos, ut Vicarius; dein ut Epiſcopus; miraculis in vita clarus terris vivere deſiit, & cœlo cæpit anno Domini 190. Martyrii laurea, ut multis placet, donatus, & Tungris ſepultus. Trevirenſes diem illi feſtum colunt 7. Julii. Ei ſuffectus

S Marcellus Anno 190.

S. MARCELLUS, & ipſe gente Tungrenſis, S. Naviti Diſcipulus, & tertius Tungrenſis Epiſcopus. Is converſioni Lucii Britannorum Regis plurimùm allaboravit, & Tungris quatuor erexit Eccleſias, videlicet SS. Materni, Joannis, Jacobi, & Andreæ. Martyrii palmam adeptum eſſe nonnulli volunt, quod quidem ſævientibus adversùs Eccleſiam eo tempore perſecutionibus valdè conſentaneum eſt: at revera certis rationibus probari non poteſt, ideóque hic non aſtruo. Novit Deus, cui certavit, & qui certantes, vincenteſque coronat. Cæteroquin Tungris mortuus, & ſepultus. Treviris colitur 4. Septembris.

S Metropolus. Anno 217.

S. METROPOLUS, Patre, Principe Metropolo genitus, & quartus Tungrorum Epiſcopus. Ejus imitationem nobis ſuſtulit vel negligens, vel infelix antiquitas, ubi de eo nihil reliquit præter nomen ſanctitatis, ac præſidium: uti & ſepulchrum Tungris. Dies illi feſtus Treviris eſt 8. Octobris.

S Severinus. Anno 236.

S. SEVERINUS, quintus Tungrenſis Epiſcopus. Duas ibidem extruxit Eccleſias, præter quas nihil de illo reſiduum voluit Antiquitas. Sunt tamen qui hunc, quemadmodum & tres illos, qui præceſſerunt, & alios quatuor qui ſecuti ſunt, omnes Tungris martyrio coronatos: verúmne, novit, qui omnia novit Deus. Cæterum Tungris & ipſe ſepultus. Treviris dies illius memoriæ ſacer 24. Octobris.

S Florentius. Anno 251.

S. FLORENTIUS, ex nobili Tungrorum proſapia, ſextus ibidem Epiſcopus. Duas ædificavit Eccleſias: hæ ad poſteros pervenêre: cætera, quæ præclarè geſſit, non item. At ejus nihilò minor apud Deum eſt gloria, nec minùs ab illo mortalibus patrocinium, quod invenient Tungrenſes apud quos ſepultus. Trevirenſibus dies illi ſolemnis eſt 17. Octobris. Subſtitutus illi

S Martinus Anno 264.

S. MARTINUS, ſeptimus Tungrorum Epiſcopus. Audiit Haſbaniæ Apoſtolus, & meritò; eam enim cœlo, Deóque genuit, miraculis multis inclaruit, inter quæ etiam illud. In villâ Horion dictâ, à populo petulantiore repulſam fortè paſſus, in rupe villæ proximâ noctu decubuit; ita nimirum Viro Dei rupes dura pro lectu fuit, & molli anſere; molli dico, viſa eſt enim duritiem ponere, molleſcere, & ad inſtar ceræ quaſi cedere, & lectulum, ſedémque dare, in quâ molliùs quieſceret, non ſine miraculo, cui fidem aſtruit ipſa loci appellatio, quæ etiamnum durat. Vocatur enim *Paſſus S. Martini*, cujus ſigna diu manſere; ſed paulatim pia mentis affectione peregrini fragmenta ſibi auferentes, omnem cubilis formam deſtruxerunt, ſola dicuntur oſtendi pedum veſtigia. *Ex M S.*

Lux præterea eò loci non infrequenter inter noctis tenebras viſa. Ægroti multi, maximèque febrientes ſanitatem ibi recuperant. Sunt qui illi martyrii lauream attribuant.

In ipſa Tungrenſi Civitate Eccleſiam fundavit, dicavitque SS. Apoſtolis Simoni & Judæ. Ibidem ſepultus.

S. MAXIMINVS, filius Maximini pagani ex Helena Chriſtiana, octavus Tungrorum Epiſcopus, SS. Apoſtolis Andreæ, ac Bartholomæo Baſilicam poſuit, ſicque regere deſiit, & vivere. Tungris & ipſe ſepultus. Sunt qui fuiſſe martyrem opinentur, nec perſuaſu difficile eſt: nam crebras ejuſmodi palmas illis temporibus pariebant quotidiana pœnè certamina. Feſtivitas illius Treviris eſt 20 Junii. S. Maximinus Anno 276.

S. VALENTINUS, nonus Tungrorum Epiſcopus, & Martyr. Vixit enim cum impiam illam in Chriſtianos inhumanitatem Diocletianus exerceret, & de illa, cum pluribus aliis fortiter dimicans, triumphavit. Prius tamen quàm in arenam pro Chriſto certaturus deſcenderet, mortem præſentiens, Dei afflatu ſacrum pedum in ara principe depoſuit, propoſita diri anathematis pœnâ in eum, qui Numinis injuſſu ſuſtuliſſet; à quo ſcilicet uno ſucceſſor dandus eſſet. Dixit, fecit, & terris ſpirare deſiit. Tungris ſepultus. Dies illi feſtivus Treviris eſt 16. Iunii. S. Valentinus. Anno 289.

Et hi octo Tungrenſis, & ſimul etiam Trevirenſis Eccleſiæ Præſules præceſſerunt D. SERVATIUM, qui deinde pias eorum exuvias ante Tungrorum everſionem Trajectum avexit, ubi religioſè ſervari dicuntur in ejuſdem Divi ſacra æde, quibus in eadem Cathedra ſucceſſit

S. SERVATIUS. Hic poſt excitatam à Diocletiano immanem in Chriſtianos perſecutionem, cùm vacaſſet Tungrenſis Sedes annis ſeptem, ad illam aſſumptus eſt etiam miraculo; à quo & Tungrenſis Epiſcopus numero decimus. S. Servatius. Anno 309.

Eſt qui velit illum Chriſti fuiſſe conſanguineum, fortaſſis ut à ſanguine, ſanctiſque natalibus tanti Præſulis laus peteretur, & commendatio: ego in re ancipiti, & obſcura, iſtis fidem nec detraho, nec addo; ſua maneat authori. Verùm ut ut ſit de illius proſapia, ſit illa ſub lite, ſit etiam ſub judice: at quæ ſubjicio extra controverſiam ſunt, & quidem *Ex M. S.*

Primùm illud, cœleſti prodigio deſignatum iſtius loci Epiſcopum: Pro illo deligendo indicta erant populi, Clerique comitia, utque (in ejuſmodi plerumque fieri ſolet) in alios, atque alios diſtrahebantur ſuffragia, cùm ecce litem illico diremit Juvenis aſpectu, ſpecieque amabilis, qui ſe in conventum illum medium intulit, & comprehenſum manu SERVATIUM ad aram deducens, Pedum in eâ depoſitum, ſuſtulit, & SERVATIO tradidit, moxque videri deſiit: cœlo ſcilicet, & Superis redditus, utpote cœleſtis genius, qui peractâ ſcenâ, cujus ergò venerat, receſſit, atque ad ſuos abiit. *Fiſen in flor. Eccl. Leod. 13. Maii.*

Ex M. S.

Alterum eſt, quod cùm nativâ ſibi linguâ ad frequentem populum diceret, ab omnibus intelligeretur: Deo ſcilicet ſacro illi oratori donum linguarum impertiente; ſubtrahente verò cùm de ſuis rebus, ac negotiis ageret; tum enim, nonniſi per interpretem & loqui, & audiri poterat.

Tertium eſt, quod ad Conſtantinum Imperatorem Legatus unà cum Maximino Trevirenſi Epiſcopo contrà Arianos fortiſſimè depugnarit. Romam etiam profectus pro avertenda à ſuis eâ, quæ imminebat barbarorum eluvie, quam tamen non potuit, Deo ſcilicet vindice in hominum peccata quaſi proruente. Accepit tamen cœleſti oraculo concedi ſibi Tungrenſium ſuorum animas, ſi modò pœnitere, atque ad Deum converti vellent, in cujus oraculi fidem à D. Petro, cœli clavigero, clavem argenteam accepit, quâ cœlum illis poſſet aperire: erat illa clavis in ſuperum officina, & ſuperum manu fabricata, qua accepta lætus ad ſuos remeavit, impendentem illorum capitibus calamitatem denuntiavit, atque ad pœnitentiam eſt cohortatus: & hoc tertium illi prodigium.

Quartum eſt, quod ad ſuos rediens, cum fortè de viâ & totus æſtuaret, & areſceret præ ſiti, crucem ſuper arentem terram effinxit, moxque ex eâ fontem eduxit: onde & ſitim ſedavit ipſe, & accolæ deinde morbos propè omnes eluêre.

Quintum fuit, qui illi ſacris operanti ad dextrum aræ latus adfuit Angelus, mortemque proximam nuntiavit; quam & admiſit ipſe, & ſubiit etiam alacer, ac lætus.

Sextum denique, cum ad ſepulchrum deferretur ſancti Præſulis corpus, & ſub Jove frigido inhumaretur, adfuêre frequentes de cœlis Angeli, quorum pars magna audita ſacros hymnos concinere, pars ſericum quoddam velum viſa ab omnibus è ſublimi deferre, & ſuper ſancti Præſulis corpus deponere. Ita nimirum cùm ſuis in Epiſcopum officiis deeſſent ingrati mortales, non defuerunt immortales genii.

D. Servatio vivis erepto ob frequentia, & gravia in Chriſtianos edicta, bellaque à barbarorum incurſu ſæpiùs illata, graviter labefactatâ, & fortè penitus everſâ Tungris civitate, diu vacavit Epiſcopalis ſedes. At quamdiu? adhuc eſt in lite, & ſub judice. Quid facias? In antiquitate, ut longa: ſic & multa nox, caligo multa.

E Recentioribus unus aliquis (quem aliàs ſecutus ſum) opinatur vacaſſe undecim dumtaxat annis. Antiquiores contra pugnant, voluntque centum, eóque amplius annis vacuam Præſule manſiſſe Epiſcopalem Cathedram. In re obſcura, atque ancipiti antiquioribus Chronologis in præſens adhærebo.

Obiit D. Servatius anno Domini 384. ad cujus exuvias honorandas cum aliunde veniſſet CANDIDUS I. & Sedem vacantem reperiſſet, Trajecti tantiſper hæſit, & ſimul Epiſcopale munus, & diem ſuum obiit. ita de illo Bucherius noſter, Vir reconditæ, & variæ eruditionis, in ſuo Belgio Romano Lib. XII.

De eodem ita Bartholomæus Fiſen in Floribus Eccleſiæ Leodienſis 6. Junii.

Venit Trajectum Candidus anno poſt natum Chriſtum trecenteſimo octogeſimo-quarto adductus relgione adverſus S. Servatium, qui eximiæ ſanctitudinis opinione celeberrimus hoc anno deceſſerat. Unde venerit, cujus fuerit Eccleſiæ Epiſcopus, quanto tempore vixerit in hac Diœceſi affirmare non poſſumus vita defunctum eſſe conſtat cum eximia ſanctitatis fama.

Natalem ejus Eccleſia Trajectenſis colit 6 Julii, vel, ut alii 7. ſacraſque ejus exuvias in ara principe veneratur.

Cæterum Servatio mortuo in legitima Epiſcoporum Tungrenſium ſerie ſucceſſit S. Agricolaus. At quo anno? Hic rurſus Authorum inter ſe pugna, atque pro veritate contentio.

Baronius initium Pontificatus D. Agricolai, ducit ab anno 507.

Meyerus, & Sigebertus ejus auſpicia aſcribunt anno 512.

Ægidius Bucherius, in Chronologiâ apprimè verſatus, refert ad annum 497. creditque D. Agricolaum Tungrenſi Cathedræ datum opera, & auctoritate S. Remigii Francorum Apoſtoli: & hanc ſententiam ſequar, & deinceps ex ea, Epiſcoporum ſeu Tungrenſium, ſeu etiam Leodienſium ſeriem, & tempora recenſebo. Ut igitur illam ingrediar, D. Servatio cœlis addito, in terris ſubrogatus eſt

S. AGRICOLAUS, fuitque undecimus Tungrenſis Epiſcopus. Hic D. Servatii oratorium jam vetuſtate collapſum reſtauravit, Hoyum reædificavit unà cum Eccleſia à D. Materno constructa, diruta deinde ab Hunnis, quibus ritè peractis obiit & Trajecti ſepulchrum invênit. Suffectus illi — S. Agricolaus. An. 497.

S. URSICINUS, filius Patritii Romani, ex Burgundionum Principis filia, Epiſcopus Tungrenſis duodecimus. Vita exceſſit, Trajecti ſepultus eſt. — S. Urſicinus An. 503.

S. DESIGNATUS, ex Daciâ claris ortus natalibus, decimus-tertius Tungrenſis Epiſcopus, Trajecti & ipſe ſepultus. — S. Deſignatus. An. 506.

S. RENATUS, ex Neuſtria oriundus, & Epiſcopus Tungrenſis decimus-quartus, & ipſe Trajecti ſepultus. — S. Renatus. An. 508.

S. SULPITIUS, filius Caroli Naſonis, ex filia Principis Galliæ, decimus-quintus Epiſcopus, Trajecti ſepultus. — S. Sulpitius. An. 511.

S QUIRILLUS, Tungrenſis Epiſcopus decimus-ſextus, ob eximias animi dotes, & doctrinam virtuti bellè ſociatam, inter ævi ſui Præſules clariſſimus: ubi inter nos eſſe deſiit, Trajecti ſepultus eſt. — S. Quirillus. An. 519.

S. EUCHARIUS primus Tungrenſis Epiſcopus decimus-ſeptimus: Verbo Dei diſſeminando totus incubuit, nec ab illo prædicando deſtitit, niſi cum ſimul & vivere. Trajecti ſepultus. — S. Eucharius I. An. 521.

S. FALCO, frater Eucharii I. Tungrenſis Epiſcopus decimus-octavus, de quo illud in antiquioribus tabulis, ſimplici, & nativo ſtylo: *Hic nobis Falco volatu contemplationis, ac voce ſonora prædicationis, multam Domino ſuo lucrifecit animarum prædam*; quod ad ſacrum illius encomium plus ſatis. Quid enim ea contemplatione altius? Quid prædicatione clarius? Quid ditius prædâ animarum? Quibus & aurum, & gemmæ, & uniones, & ipſe orbis quantus eſt, cedit. Sic cœlo, Deóque accipere deſiit Falco. Trajecti & ipſe ſepultus. — S. Falco An. 529.

S. EUCHARIUS ſecundus, Britonum Regis filius, & Tungrenſis Epiſcopus decimus-nonus; cujus etiam apud majores noſtros ex eo eſt commendatio: quòd *ſecundum nomen ejus, ita & laus.* Εὐχαρις enim bonam gratiam ſonat, & totus è bonâ gratiâ S. Eucharius. Obiit Trajecti, & ibidem ſepultus eſt. — S. Eucharius II. An. 532.

S. DOMITIANUS, ut genere, ſic & virtute longè clariſſimus, è Sereniſſimâ Bavarorum proſapiâ oriundus, Tungrenſis Epiſcopus vigeſimus. Is ſacræ Synodo Aurelianenſi, & Alvernenſi interfuit, & à prudentia, ac virtute laudem tulit, à Childeberto Rege prædia, & caſtella, & quæ, Tungrenſis Eccleſiæ erant, beneficia recuperavit, miraculis & in vitâ & à morte clarus: in illâ quidem aridæ, & exſuccæ terræ imbrem opportunum — S. Domitianus. An. 538.

precibus

precibus impetravit, cœlo illius precibus ac votis propitio. Ad Huum, draconem interfecit, fontem veneno infectum obſtruxit; aliumque & copioſum, & ſalubrem, defixo in terram, quo nitebatur baculo, elicuit, aliáque prodigia edidit, à quibus & cœlo, & terris inclaruit: in his ubi videri deſiit in Eccleſia Huenſi ſepultus eſt. E cujus tumbâ non ſemel ſuaviſſimus odor emanavit: & quidni emanaret è ſacro corpore, qui ex animo prius emanarat virtutis odor, & ſanctitatis?

S. Monulphus. Anno 571.

S. MONULPHUS, Dionantenſis Toparchæ filius ex filia Comitis Loſſenſis, Tungrenſis Epiſcopus vigeſimus primus, quem multis cœli donis illuſtrem Deus reddidit, atque imprimis Prophetiæ ſpiritu. Luſtrabat aliquando Diœceſim ſuam vigilantiſſimus Præſul, cùm animi causâ quinto fermè à Trajecto lapide ſubſtiot captus amœnitate loci, ubi ſcilicet Urta Moſæ confunditur; cujus aſpectu dum fruitur, ecce multa luce coruſcantem è cœlo crucem conſpicatur loco imminentem, ſimulque menti radium infundi ſentit, quo futura longè proſpiciens, exclamat: Et hic locus eſt, quem ad multorum ſalutem elegit æterna Numinis providentia, & quem aliquando ſuo ſanguine imbuet, fœcundabitque invictus Chriſti martyr, & magnis Urbibus æquabit. Cumque è proxima villa didiciſſet præterlabentem Legiam rivum, loco nomen dediſſe, aream deſignavit extruendo ſacrario, quod ipſe SS. Martyribus Coſmæ & Damiano dicavit. Vaticinio reſpondit eventus, eo quippe loco coronatum martyrio D. LAMBERTUM infrà docebimus. Ecce ut ſuæ amplitudinis fundamenta; imò & nobiliſſimi principatus initia MONULPHO debet Civitas Leodienſis, cui Epiſcopium, eoam Dionantum, Urbem ampliſſimam debere ſe fatetur, eam quippè de ſuo illi attribuit. Cùm Eccleſiam ſuam feliciſſimè gubernaſſet, ad beatæ immortalitatis præmia evolavit, ſepultus in media æde Servatiana, à ſe condita, & dicata.

S. Gondulphus, Anno 610.

S. GONDULPHUS, Ducis Lotharingiæ filius, ex filia Lotharii Franciæ Regis, Tungrenſis Epiſcopus vigeſimus-ſecundus. Tungrorum Urbem è ruinis excitare voluiſſe quidam prodidêre, divinitusque impeditum, detonante videlicet cœlo, & fulmina, flammarumque globos emittēte; imò & lupum è cavernis terræ in latomos, aliosque operis illius præfectos: verúmne illud, hîc non diſputo: hoc ſanè veriſſimum, & ruinas illius Urbis alias meliôre modo inſtauraſſe; ruinas, dico, à vitiis, quæ longè turpiores ſunt iis, quæ vel à ferro, vel à flammis, vel à vetuſtate inferri ſolent. Sancta ejus conſilia abrupit præpropera mors. Poſt Eccleſiam illam religioſiſſimè adminiſtratam abiit ad bravium cœleſte, & Trajecti proximè S. Monulphum terræ conditus eſt in Eccleſia S. Servatii, ubi hodie perſeverat utriuſque memoria, quæ ut tranſiret ad poſteros à Capitolo Servatiano lamina cuprea appoſita eſt cum hac epigraphe:

Ex M. S.

HOC
LOCO SACRO
SANCTORUM MONULPHI, ET GONDULFI
XII. ET XIII. EPISCOPORUM
HIC SEXTO SÆCULO SEPULTORUM
MONUMENTUM FUIT.

Addita miraculi inſcriptio, quæ ſic habet:

Excitis hac arca Monulphus Aquiſgrani dicato
Gondulfus templo, ſe reddit uterque Ierarcha.

Cujus inſcriptionis veritas, ut clariùs ſupponatur legendum oculis, viſum eſt hîc totam rei tum geſtæ ſeriem exponere: facit enim plurimum ad SS. MONULPHI, & GONDULFI gloriam, ac venerationem.

Aquenſem Eccleſiam ſolemni ritu ſacrabat LEO III. Pont. Max. & hoc quidem rogatu Caroli Magni Imperatoris Auguſti, qui ad augendam ſolemnitatem tot optabat adeſſe Epiſcopos, quot eſſent in anno dies, hoc eſt 365. cui numero cum fortè deeſſent duo, ſancti MONULPHUS & GONDULPHUS Tungrenſes quondam Epiſcopi, è ſuis ſepulchris derepentè emerſerunt, & illis ingenti omnium gaudio, ac ſtupore adfuerunt, tandemque peracta ſacræ illiùs ædis dedicatione, acceptaque à LEONE Summo Pontifice benedictione attonitis omnibus receſſerunt, & ſuis ſeipſi ſepulchris reddiderunt. Peracta nimicum erat ſcena cujus ergò venerant.

Hujus hiſtoriæ tam ſtupendæ meminerunt authores varii. Caniſius in ſuo Martyrologio, Chapeaville in Chronicis, Joannes Placentius, & antiquiora Manuſcripta Tungrenſis Eccleſiæ.

S. Perpetuus. Anno 617.

S. PERPETUUS, Comitis Loiſenſis filius, & Tungrorum Epiſcopus vigeſimus-tertius, in Deum, in Divam Matrem, in Apoſtolorum Principes, in Superos omnes pius: maximè verò in D. Vincentium Martyrem, Dionanti celebrem, in cujus ſacra æde frequens erat; & in quâ ſibi deinde tumulum elegit, ut ibi eſſet emortuum corpus, ubi totus fuerat viventis animus. Verùm neque eò loci diu eſſe cœlum voluit, cùm enim è ſacro corpore ſuaviſſimi odoris oleum manare cœpiſſet, & ab inunctis omne morborum genus pellere; creſcente multitudinis concurſu, ac religione, famaque miraculorum, in ampliorem Divæ Matris baſilicam transferri: & in Urbis illius Tutelarem, ac Patronum eligi placuit,

S. Joannes Agnus. Anno 631.

S. JOANNES, cognomento AGNUS: id nominis ei fecit inſignis animi manſuetudo, & ſimplicitas. Tihonii Dominus fuit, & deinde Tungrorum Epiſcopus vigeſimus-quartus.

Cùm ruri vitam ageret innocentem, & fortè per agros inambularet cœleſtium meditationi intentus, adfuit illi Angelus, ſpecie, habituque peregrini; nunciavitque divinæ mentis conſilio deſignatum eſſe Tungrorum Epiſcopum. Obſtupuit tam inſolenti nuncio JOANNES, ut qui ſe doctrinæ, virtutiſque præſidio deſtitutum crederet, imò & conjugio profanum; negavitque ſe priùs Epiſcopum futurum, quàm ſcipio, quem fortè tenebat manu, frondeſceret in arborem, fructuſque proferret. Dixit, & ſimul terræ baculum infixit. Et ecce ſubitò radices agit exſuccum aridúmque lignum, ramos effundit, frondes aperit, flores explicat, fructúſque profert. Ferunt id pomorum genus fuiſſe, quæ hodieque S. Joannis poma nuncupamus. Vaticinio, & miraculo reſpondit eventus, cùm enim pro eligendo Epiſcopo haberentur comitia, in ſuffragia itum ultrà non eſt. Quid enim in deliberationem vocarent mortales, quod tam illuſtri, omnibuſque jam noto prodigio, cœleſti ſancitum ſcirent eſſe decreto? Huic ſibi cum cedendum eſſe videt JOANNES, ſacram auſpicaturus dignitatem, Romam contendit, & à Pontifice pallium obtinet, proprium quidem Archiepiſcopis inſigne; an ſibi, an etiam ſucceſſoribus, non liquet. Hoc certum, quod perpetuum illud decus RICHARIO debeat poſteritas. Cæterum Româ redux JOANNES totum ſe piis operibus dedit. Primùm enim B. MONONI, diſcipulo quondam ſuo, deinde glorioſo Martyri, Eccleſiam extruxit, conſecravitque in Naſſovia: deinde etiam Trajecti quæ vulgò dicta *Albarum Dominarum*, in qua & uxorem olim ſuam incluſit & ſuo & mariti voto: tum aliam in Beliſia, in qua Recluſas poſuit, quæ ſibi vacarent, & Deo: denique totus in Diœceſis ſuæ bonum incubuit, multiſque perfunctus laboribus, non tam annis, quàm meritis gravis ad æternas cœleſtis Agni nuptias evolavit, & in arce Huenſi conditus eſt in Sacello SS. Coſmæ & Damiano ſacro, Agrorum,

quos

quos Tihonii habebat ampliſſimos, hæredem ſcripſit Clerum ſuum: at decimarum ex iis colligendarum, eoſdem SS. Martyres.

S. Amandus Anno 637. S. AMANDUS, nomine, & re etiam ipſa amandus. Filius Sereni Aquitaniæ Principis ex matre Amancia. Tungrorum Epiſcopus vigeſimus-quintus. Huic Romæ ad Apoſtolorum limina oranti S. Petrus Apoſtoli munus demandavit. Eidem Dagobertus Epiſcopale onus impoſuit, quod deinde ſolitudinis, vitæque privatæ amantior, annuente Summo Pontifice depoſuit; Bavonem ad Chriſtum convertit, S. Gertrudem Nivellis inviſit, atque ad ſanctiora conſilia acre calcar addidit, Elnonem, hodie Sanctamundum, condidit, & primam Belgarum nobilitatem ad eximiam quandam vitæ ſanctimoniam induxit: Rictrudem & ſanctas ejus filias, Cloteſendim, Euſebiam, & Adalſendim Martianis: Duaci earum fratrem, Mauroptinum: Sonegiis Vincentium, ejuſque conjugem Waldetrudem Caſtriloci, Malbodii Aldegondem, Merbecæ Berlindim, pluréſque alias Virgines genere quidem inferiores: at nequaquam ſanctitate. Elnone verò Andream: Martianis Jonatum: Blandinii Florebertum, & Joannem, Abbates longè ſanctiſſimos, & inſtituit ipſe, & conſtituit: tantum intereſt in Chriſti, ac ſanctitatis ſchola, quo Magiſtro utaris. Eo uſi Gandenſes, quos à Mercurii, idolorúmque infami cultu liberavit. Eo etiam Rex Dagobertus, quem dum illicitæ veneris liberiùs arguit, exulare juſſus eſt; ſed mox revocatus, ejus filium ſacris baptiſmi aquis intinxit, & Sigrbertum nominavit: quo munere dum fungitur, inter ceremonias ſacratiores dum nemo reſpondet: infans quadraginta tantùm dies natus, clara voce reſpondit *Amen*, omnibus ad id miraculi ſtupore attonitis. Rexit Tungrenſem Eccleſiam uſque ad annum 650. ac deinde, (ut diximus) dimiſit: ei ſuffectus eſt

S. Remaclus. Anno 650. S. REMACLUS, Tungrenſis Epiſcopus vigeſimus-ſextus. In Aquitania natus, parentibus Albutio & Matrina, opibus, & generis nobilitate pollentibus. SS. Præſules, LAMBERTUM & TRUDONEM édocuit in ipſo juventutis flore, Malmundarium condidit, & Stabuletum, non ſine dæmonum invidiâ, quæ non patiebatur eò loci erigi trophæa Crucis, ubi prius & Dianæ ſigna, & aliorum idolorum ſimulacra publicæ venerationi fuerant erecta; quæ ut diſturbari vidit malus genius, ad ſolitas artes confugit, & illicò ſuis præſtigiis fontes omnes, qui aliàs copioſè fluxerant, exareſcere fecit; ſed quid ad cœli potentiam inferorum doli, dæmonúmque tecbnæ? Lapidi Crucis ſignum inſculpſit REMACLUS, & ſtatim conſuetis meatibus ſcatutire deinceps perrexerunt aquæ puriſſimæ. Ita felicibus initiis, Deóque auſpice aſſurrexit Malmundarium opportuna Aſceticæ vitæ ſedes, nec minore ſucceſſu Stabuletum, cui etiam invidit malus dæmon, & vanis terriculamentis, ſpectriſque infeſtare cœpit; ſed & hæc etiam ſigno Crucis diſſipavit RAMACLUS, & commodam Viris Religioſis, in amica ſolitudine ſtationem reliquit, cujus etiam amans miſſionem à Sigeberto Rege petiit, & impetravit, ac Stabuletum ſe recepit: ei ſubrogatus

S. Theodardus. Anno 653. S. THEODARDUS, ex Abbate Stabulenſi, Tungrenſis Epiſcopus vigeſimus-ſeptimus. De ſolo illi natali inter authores ſua lis eſt: ſunt qui velint natione Gallum, & domo nobilem: Duo antiquiſſima Manu-ſcripta, quæ legi, adjectis etiam inſignibus gentilitiis, probant Principis Bavarorum filium fuiſſe, quod arridet magis. Hic à teneris annis inſtitutionibus S. JOANNIS AGNI omnem recti formam edoctus. Deinde S. REMACLI præceptis ad monaſticæ vitæ diſciplinam formatus, uti à Viris illis ſanctiſſimis fuerat effictus, ſic deinde S. LAMBERTUM effinxit, qui ſeu Magiſtri peritiâ, ſeu etiam indolis felicitate, eam fecit ad omne honeſtum progreſſionem, ut omnium in ſe converteret oculos, & animos. Ereptas Eccleſiæ ſuæ poſſeſſiones recuperare dum nititur, pugnátque pro Eccleſiaſtica libertate ac juſtinâ cauſæ, ab adverſariis, ſicariis illis, ac ſacrilegis, non procul ab Urbe Nemetenſi (quæ Spira nunc dicitur) in ſaltu biuvaltio ferrum toto pectore admiſit, & per immania vulnera grandem animam in cœlos emiſit, ſedem utique beatitatis, quam ex tunc adeptum eſſe Deus oſtendit etiam miraculo. Cùm enim in ipſo cædis loco jaceret exanime corpus, ſub noctem, primaſque tenebras, viſa duo luminaria, unum ad caput, ad pedes alterum, non alia manu delata accenſaque quàm cœleſti, atque angelica. Mitto prodigia, quæ deinde ad illius tumulum patrata: delabor ad ſucceſſorem, qui ei datus eſt

S. Lambertus. Anno 656. S. LAMBERTUS, & ipſe glorioſus Athleta Chriſti, Eccleſiæ lumen, Præſulum norma, Sacerdotii gemma, Virginum corona, Martyrum decus, cœli ſavor, mundi amor ac deliciæ: Tungrenſis Epiſcopus vigeſimus-octavus, à Clodovæo vocatus PATER, & VIR APOSTOLICUS. PATER quidem amore in ſuos, VIR autem animi conſtantia, ac fortitudine. APOSTOLICUS, inſigni animarum zelo, quem explicuit dum ad Taxandros, Brabantos, finitimoſque populos abiit, ut eos religioni, ac Deo adderet, quod & fecit incredibili patientia, & animarum proventu, à quo audiit & communi bono, & merito etiam ſuo, TAXANDRIÆ APOSTOLUS.

Parentes habuit è prima nobilitate: Pater enim (ut ait Ægidius) Regum lateralis fuit: ei nomen erat APER, Mater HERISPLENDIS, fœmina viro non inferior. De LAMBERTO etiam infante dici potuit, quod de Joanne Bapt. *Quis putas puer iste erit? Etenim manus Domini erat cum illo.* Manus, quæ miracula funderet; in quibus hæc è multis; quod à Virgine lactatus eidem oculos aperuit; quod è terra fontem limpidum elicuerit; quod ignem, ardenteſque prunas illæſâ geſtarit togâ: & hæc quidam infans, & puer, à manu Domini, quæ erat cum illo. Quid amabo te, mi Lector? quid adoleſcens? quid Vir? quid ſenex ingraveſcente jam ætate? Ad Pedum & Infulas evocatur, & renuit, & totis viribus contrà enititur illuſtri humilitatis miraculo. Ab Ebroino per ſummum nefas Epiſcopatu depellitur, & Stabuletum ſe recipit, ut ſibi ac Deo vivat in latebris amicæ ſolitudinis: & hoc patientiæ miraculum. Pipinum ab infami pudendóque adulterio revocare conatur, & à Dodone impetitur quà injuriis, quà minis, quà etiam armata manu, ferróque: & hoc æquo fert animo: quod conſtantiæ ac fortitudinis miraculum. Illudentem ſibi Alpaidem, Pipini ſcortum, graviter arguit, & præter ſcommata, mortiſque minas nihil refert; & tamen patitur: quod invicti roboris miraculum. Denique pro conjugii caſtitate fortiter pugnat, & morte vincit: quod conſummatæ virtutis miraculum. Ecce ut manus Domini fuit cum illo, à prima infantia ad ultimam uſque vitæ metam: Manus, dico, miraculis, prodigiiſque pleniſſima, in quibus illud pro coronide, mors pro caſtitate fortiter obita, & ab illâ etiam martyrii laurea, partáque apud mortales victoria, apud immortales verò cœleſtis, æternáque gloria, quam adeptus anno Domini 696. Ita dum in terris cadit dicata tuendæ caſtitati victima, in cœlis aſſurgit altiùs. Et ita aſſurrexit beati Præſulis anima, corpus autem ad Moſam ex æde ſacra elatum, & navicula impoſitum ſecundo amne in ſuburbanam S. Petri Eccleſiam avectum, & in Apri, parentis ſui ſepulchrum conditum eſt. S. Præſulis mortem Trajectenſibus nuntiatam ferunt ab Angelo, qui ſuprà Dei Parentis ædem conſpicuus, digito ad Moſam intento

glorioſas

glorioſas invicti Martyris exuvias commonſtravit. Ejus hodie ſupereſt monumentum, Angeli ſignum in ejuſdem templi culmine, manu ad fluvium protenſa. Et hoc primum à morte bean Martyris prodigium: Al erum fuit odor ſuaviſſimus, qui è ſacro corpore ſpirabat in circumfuſum aërem, ſignabátque quod in vita, Chriſti fuiſſet bonus odor: odor virtutis, ac ſanctitatis. Aliud eò loci, ac temporis miraculum fuit, ut cùm ad uſculandos demortui pedes plurima turba confluetet, ſi quod ſe ſcortum inter cæteros ingereret, occulta quadam, procul dubio divina vi repelleretur. Poſtremum fuit à vindice Dei manu: Percuſſor enim ſancti Martyris eodem ipſo die, cum à parricidio publicum montem conſcenderet ſubortâ rixâ, manu ſua fratrem interemit, ejusque viciſſim dexterâ miserè periit. Alii autem in eodem ſcelere complices intra annum vel mutuis-concidêre vulneribus, vel ſatanæ traditi horrendum divinæ juſtitiæ omnibus exhibuere monumentum. Dodo ſacrilegi agminis ductor impius, poſt acertimos inteſtinorum dolores, ipſa infami putredine vitiata, ſimul cum teterrima anima evomuit. Una Alpais divinæ Clementiæ ſervata dicitur, quippe præteritæ vitæ fœditatem expiatura Orpii ſeſe in monaſterium abdidit, ibique diem religiosè clauſit, relicto poſteris egregiæ pœnitentiæ documento, ut plerique autumant. Eſt tamen qui velit à PLANDO, Loſſenſi Comite, D. LAMBERTI fratre, è Monaſterio extractam, & igni traditam, ut quæ prius libidinis igne arſerat, arderet deinde elementari. Quod ſi ita eſt, etiam ipſa divinæ Juſtitiæ victima; ſed hæc notaſſe ſit ſatis

P. le Robert in vita S. Lamberti.

GLORIA
LEODIENSIS ECCLESIÆ
AB EPISCOPIS ET PRINCIPIBUS
LEODIENSIBUS
A DIVO HUBERTO
AD SERENISSIMUM
MAXIMILIANUM HENRICUM.

CAPUT IV.

I. S. Hubertus Anno 697.

SANCTUS HUBERTUS, Arduennæ Apoſtolus, ex vero Taumaturgus, BERTRANDI Aquitaniæ Ducis, ex HUGBERNA ſorore S. ODÆ, filius, Regio Francorum ſanguine oriundus, Dei juſſu conſecratus Tungrenſis Epiſcopus vigeſimus-nonus & ultimus, & Leodienſium primus. A SERGIO Pont. Max. ornatum omnem Pontificium, & clavem auream è cœlo accepit divinitusque ſacrâ Stolâ donatus. Sedem Epiſcopalem Tungris Leodium tranſtulit. S. Lamberti Collegium condidit: Item & S. Petri. D. LAMBERTI corpus poſt annos tredecim ab omni vitio putredinis intaminatum Trajecto Leodium advexit. Urbem condidit, eique pro gentilitio inſigni voluit eſſe rectam columnam auream, Cruce aurea ſupereminente, in ſanguineo ſcuto, adjecta hac Epigraphe: *SANCTA LEGIA ROMANÆ ECCLESIÆ FILIA.* Quibus monitam voluit Urbem ſuam, ut tam purpuræ, quàm Crucis hujus aſpectu meminiſſet in perpetuum ſacri ſanguinis à S. LAMBERTO fuſi Dei causâ, meminiſſet & Fidei, quam Romanæ Eccleſiæ debet, ut filia Matri quàm optimæ, quàm ſanctiſſimæ. Meminiſſet & Crucis quæ prius à S. MONULPHO viſa incumbere Legiæ, atque à terra in cœlum elevari. Denique meminiſſet & Crucis alterius, quæ ſuper D. LAMBERTI cellulam conſpecta eſt eminere, ac rutilare eo ferè tempore, quo Caſtimoniæ, Deique causâ martyrium ſubiit. Hæc ubi Legios edocuit HUBERTUS vel ex ipſo conditæ Civitatis inſigni, emenſo longioris ævi curriculo compiſſum ſibi gregem cùm feliciſſimè rexiſſet, in Brabantia febri corripitur, & Furæ in domo ſua defungitur. Corpus Leodium revehitur, & in D. Petri æde (ubi ſepulchrum ſibi ipſe pararat) deponitur; ac deinde poſt ſolidos nonaginta annos planè incorruptum Leodio Andainum transfertur à R.^mo WALCANDO, Leodienſi Epiſcopo trigeſimo-quinto, pompam deducente Ludovico Pio Imperatore, præſentibus (ut fama eſt) Regibus tribus, Oſtienſi Epiſcopo, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Abbatibus quamplurimis. D. HUBERTO ſubſtitutus

Fiſen in Flor. Eccl. Leod. 16 Nov.

Ex M S. Tung. Epiſc.

II. S. Florebertus. An. 727.

S. FLOREBERTUS (quem nonnulli volunt D. HUBERTI filium ex legitimis ante ſacerdotium nuptiis ſuſceptum; alii Diſcipulum) è Monachu Stabulenſi primò Leodienſis Eccleſiæ Decanus, & S. Petri Præpoſitus, hac & illa dignitate à S. HUBERTO donatus; deinde etiam Leodienſis Epiſcopus ſecundus: Addidit hic Leodienſi Eccleſiæ Canonicos decem. Eximia fuit in Cœlites religione. Primum illius in D. HUBERTO dedit argumentum, cujus ſacrum corpus, poſt ſedecim annos à felici morte, è tumuli latebris extulit ad populi venerationem, quod ab omni putredine invenit intaminatum, innumeriſque Deus miraculis celebravit. Quem D. HUBERTO honorem habuit, eumdem B. ODÆ Viduæ, ejus Amitæ, cujus corpus è longa ſepulchri nocte in lucem, & aras ſacratiores exportavit. Item & S. LANDOALDI, ac Sociorum, quem honorem & ipſe poſtmodum accepit à FULCARIO, ſuo in Epiſcopatu ſucceſſore, qui cùm videret S. FLOREBERTUM, miraculorum gratiâ, gloriáque florere, & ipum è ſepulchri tenebris extrahendum eſſe cenſuit.

III. Fulcarius. An 746.

FULCARIUS, Comitis Lovanienſis filius, quem VIRUM DEI, & VENERABILEM appellarunt illius ævi Scriptores, Ex Præpoſito Leodienſi Epiſcopus. Huic STEPHANUS Pont. Max. commiſit examen in acta, & virtutes B. SUITBERTI Confeſſoris Pontificis, pro ſolemni Canoniſmo. Multæ etiam ſub illo Leodienſi Eccleſiæ poſſeſſiones acceſſerunt, quibus potitus, obiit in ſenectute bona, & ſuæ Eccleſiæ corpus reliquit, & animum Superis.

IV. Agilfridus. An. 761.

AGILFRIDUS, Ducis Burgundiæ filius, & Caroli Magni conſanguineus. Sub eo Præſule Carolus Magnus necdum Imperator, impulſu ADRIANI Papæ hujus nominis primi, Deſiderium Longobardorum Regem cum uxore, & filia ad Papiam vicit, cepitque, atque AGILFRIDO Leodienſium Epiſcopo cuſtodiendos tradidit. Tanta apud illum authoritate valebat, & gratiâ, quâ etiam Eccleſiam ſuam, & Patriam multis Privilegiis nobilitavit, liberámque reddidit ejuſdem Caroli beneficentiâ, quâ dum fruitur, excedit, & in Eccleſia Leodienſi quieſcit.

V. Gerebaldus. An. 784.

GEREBALDUS, Bavarorum Ducis, ex Amilta victorioſi Principis Ogeri Dani, filius. Hujus Antiſtitis Pontificatum illuſtrem poſteris reddidere multa. Primò LEONIS III. Pont Max. Leodium adventus. At quis ille, quantusque Pontifex? Is certè quem etiam miraculo & vitæ, & ſanctæ Sedi Deus ſervatum voluit: quo autem modo, etiam intereſt Leodienſi Eccleſiæ, eum enim & huic ſervaſſe viſus eſt. Vertebatur à Chriſto nato annus ſeptingenteſimus nonageſimus ſextus, cùm LEO hujus nominis tertius in Petri Sedem elatus, ab adverſa factione (hoc eſt à Paſchali, & Campulo, Romanæ Civitatis Principibus) primò calumniis impetitus; dein etiam armata manu, in publica, quam inſtituerat ſupplicatione, in qua & captus, & in terram dejectus, & ſacris veſtibus exutus, & exoculatus, abſciſſa, ut plerique ſcribunt, etiam lingua: quod etſi (qui intiùs de immani illo facinore

Ciaconius in vit. Pont.

nõre loqui volunt) negare videantur: fatentur tamen eò loci, ac temporis, ita malè habitum à ſicariis illis Chriſti Vicarium, ut & oculorum, & linguæ uſuram amiſerit, nec recuperarit niſi miraculo, omnibus ad id prodigii ſtupore attonitis.

Ita nimirum divinæ mentis oculus, qui humanis rebus ſemper invigilat, qui Eccleſiæ ſuæ ſemper excubat, ut dejecta erigat: etiam LEONEM Pontificem erexit, nec priſtinæ ſanitati tantum reddidit; ſed & honori, & Pontificiæ majeſtati, quam explicuit in Caroli Magni inauguratione, in qua illi in Vaticana Baſilica, & Chlamydem Auguſtalem, & Coronam Imperialem impoſuit, acclamante univerſo populo:

Carolo Auguſto, à Deo coronato, magno & Piiſſimo Romanorum Imperatori, vita, & victoria.

Sed, inquiet unus aliquis, quorſum hic iſta fuſiùs? ut magna, ut ſtupenda videantur, & ſint, quid faciunt ad laudem Eccleſiæ Leodienſis, cui ſcribitur hæc pagella, cui & prelum inſudat? Enimvero quàm maximè. Multum enim intereſt quis tibi faciat benè; quis gloriæ tuæ ſtudeat, uti ſtuduit LEO III. Pont. Max. ut patebit

Secundò, ex eo quòd junctis cum Carolo Magno conſiliis, & calculis ordinarit, ut Imperator & coronaretur, & inungeretur per Archiepiſcopum Colonienſem, eóque deficiente per Epiſcopum Leodienſem.

Tertiò, ex hoc, quod authoritate Pontificis ſtatuerit, ut in Cathedrali Eccleſia octo eſſent Archidiaconi, hi porro tum fuere:

D. Lamberti Præpoſitus, Civitatis Leodienſis Archidiaconus.

Clemens, Comitis Hannoniæ filius, Archidiaconus Hannoniæ.

Godefridus, Comitis Flandriæ filius, Archidiaconus Haſbaniæ.

Guido, Comitis Lovanienſis filius, Archidiaconus Brabantiæ.

Joannes, Comitis Limburgenſis filius, Archidiaconus Campiniæ.

Theobaldus, Comitis Viennenſis filius, Archidiaconus Ardennæ.

Arnoldus, Comitis Namurcenſis filius, Archidiaconus Famennæ.

Egmundus, Comitis Claremontani filius, Archidiaconus Condruſii.

Omnes è perilluſtri D. LAMBERTI Collegio, cui ut à ſanguine, & natalibus; ſic & ab officio lucem addiderunt. Lucem dico, avitæ nobilitatis, & novæ dignitatis inſtitutæ oraculo, & calculo magni Pontificis, à quo etiam acceſſit

Quartò, quod pro reverentia, debitóque honore tum D. Matri MARIÆ, tum D. LAMBERTO, Epiſcopo & Martyri, tam Pontificis, quam Imperatoris decreto ſancitum ſit, ut conſtituerentur duodecim Principes, veluti Patres, ac Defenſores Eccleſiæ Leodienſes, videlicet

Dux Ardennæ.	Comes Hannoniæ.
Princeps Stabulenſis.	Comes Namurcenſis.
Dux Lotharingiæ.	Marchio Franchimõtañ.
Comes Loſſenſis.	Comes de Mohant.
Dux Luxemburgenſis.	Comes Claremontanus.
Comes Lovanienſis.	Dux Geldriæ.

Quintò, quod ab eodem LEONE III. Pont. Max. creatus ſit ipſe GEREBALDUS S. Romanæ Eccleſiæ
Ex dupl. M. S. Ep. Tung. Cardinalis, eóque ſublimis honore interfuerit Canonizationi S. SUITBERTI Confeſſoris Pontificis, quæ prima omnium ſolemnis fuit, & cui ſacrum, auguſtumque lumen addidêre, tum ipſe LEO Pont. Max. tum Carolus Imperator, tum Cardinales, Archiepiſcopi, & Epiſcopi variis è locis exciti.

Sextò, quod GEREBALDO Præſule, datum ſit à Carolo, Magno vexillum triumphale, & poteſtatis inſigne, & auguſtæ beneficentiæ monumentum, atque ornamentum. Dicebatur illud vulgati lingua *Standart*, quod qui geſtabat ſub corona Eccleſiæ D. Lamberti, præſtabat juramentum fidelitatis. Hoc vexillum etiam hodie viſitur in D. Lamberti Sacratio.

Septimò, quod Cives Leodienſes & libertate donati, & nobilitate ab eodem Carolo Magno, à quo & permiſſi, arma, & ſcuta gentilitia ferre, velut inſigne adeptæ civicæ nobilitatis.

Et hæc ſunt decora, quibus Eccleſiam ſuam ornavit GEREBALDUS, qui poſtquam præfuiſſet annis viginti quatuor, multis, & graviſſimis perfunctus laboribus, in ſenectute bona quievit, & in ſumma æde ſepulchrum invenit.

WALCANDUS, Ducis Arduennæ ex filia Ducis Britanniæ filius. Extant variæ hujus Principis epiſtolæ ad LEONEM Pont. Max. Fundationem ſuam magna parte illi debet Monaſterium Andainenſe, uti & D. HUBERTI corpus, quod Leodio Andainum tranſtulit. Ubi eſſe deſiit, in Seranio campi ſepultus eſt. VI. Walcandus. An. 810.

PIRARDUS, Raineri Barenſis Comitis filius, ex Hannoniæ Archidiacono Epiſcopus. Hic D. Capraſiu (qui ei ſeſe viſendum dederat, Cruce ſignarat, & morbo, quo tenebatur, curarat) ſacellum extruxit, eò loci, ubi prius D. Germano ſacra ædes ſteterat, quam incolebant Monachi duodecim: modò eſt D. Pauli Collegio Canonicorum inſignis. Obiit PIRARDUS annis, & meritis gravis, & in Eccleſia D. Lamberti ſepultus eſt. VII. Pirardus. An. 832.

HIRCARIUS, Comitis Sabaudiæ filius, ex Præpoſito Leodienſi Epiſcopus, cum ſanctiſſimè rexiſſet annis circiter decem: obiit & in D. Lamberti baſilica ſepultus eſt. Is primus in ſua Diœceſi feſtum Sanctorum omnium celebre eſſe voluit. VIII. Hircarius. An. 841.

FRANCO, ex Regum conſanguineo, & Monacho Lobienſi Leodienſis Epiſcopus, primus in Normannos arma movit, & cum iis ſæpiùs congreſſus feliciter, tandem omni ditione Leodienſi expulit. Interfuit Concilio Univerſali Tullenſi; ſimiliter & Silvanectenſi, & ſibi à prudentia, doctrináque famam conciliavit. Sub illo Abbatia Lobienſis, & Foſſenſis Præpoſitura, uti & aliæ poſſeſſiònes plurimæ, additæ Leodienſi Eccleſiæ, in qua & ipſe ſibi tumulum elegit. IX. Franco. An. 856.

STEPHANUS, Comitis Salmenſis filius, S. Theologiæ Doctor, ex Canonico Metenſi Leodienſis Epiſcopus. In D. Lamberti vitam, actaque calamum duxit, aliáque poſteris reliquit ingenii ſui monumenta, inter quæ & illud, SS. TRINITATIS officium, quod ejus ſucceſſor Richarius duodecimo poſt anno in Eccleſiæ Leodienſia ritus invexit, & univerſa deinde Eccleſia, poſt quadringentos ferme annos eſt amplexata; illuſtri ſanè Fiſen in Flor. Eccl. Leod. 19. Iunii.
hujus Diœceſis gloria, quæ pio huic inſtituto initium fecit; ut jure merito gloriari poſſit, à ſe in Eccleſiam univerſam duo feſta emanaſſe, unum Auguſtiſſimæ TRINITATIS, alterum Auguſtiſſimi SACRAMENTI. X. Stephanus. An. 903.

RICHARIUS, Comitis Hannoniæ filius, ex Abbate Stabulenſi, & Prumienſi Epiſcopus. Romæ conſecratur, & pallium, pro ſe, & ſucceſſoribus accipit à Pontifice. Loca ſancta à Normannis profanata reparat; inter quæ D. Petri Eccleſiam, in qua dimiſſis Monachis, triginta Canonicos inſtituit, & aſſignatis reditibus fundat. Inſuper & Curialem Eccleſiam Sancti Servatii, & Sancti Stephani. Creditur oratione ſua fontem è terra excitaſſe. Abbates ſæculares duodecim Divi Lamberti Collegio attribuit, qui eſſent veluti Capellani Epiſcopi, & cum eo alternis horas legerent, ac divina peragerent. XI. Richarius. An. 920.

Ii porro

Digitized by Google

Ii porro fuere Leodii Abbas B. Mariæ ad Fontes, Tungrenſis, Huyenſis, Foſſenſis, B. Mariæ Trajectenſis, Eychenſis, Cellenſis, nunc Viſetenſis, Amanienſis, Cinacenſis, Dionantenſis, Thudinenſis, & B. Mariæ Namurcenſis; qui eò loci, ac temporis principales erant dignitates, & Abbatiæ ſæculares dicebantur, & iis præfecti Abbates, quod nomen deinde in pleriſque, in Præpoſiti appellationem mutari placuit.

Bruſtemius addit Abbatiam decimam-tertiam S. Romualdi Mechlinienſis, quæ Abbatia (venditâ Comiti Flandriæ Mechliniâ) Leodienſi Eccleſiæ reſervata; quando autem, & quomodo detracta, mihi non conſtat.

Ecce quis tum temporis fuerit ſplendor Eccleſiæ Leodienſis. Huic certè dum impenſiùs ſtudet RICHARIUS, diem ſuum obiit, & in D. Petri ſepulchrum, ac quietem elegit.

XII. Hugo. An. 945. HUGO, Vir nobilis & prudens, ut teſtantur Annales, ex Abbate S. Maximini ad Treviros, creatus Epiſcopus Leodienſis, etiam invitus. Audiit in vita pauperum Pater: cùm duobus annis regnaſſet, Leodii quievit, & in ſumma æde ſepultus eſt.

XIII. Pharabertus. An. 947. PHARABERTUS, filius Comitis S. Pauli, ex Abbate Prumienſi Epiſcopus. Sub illo data ab Ottone Maſeca D. Lamberto, invicto Martyri: condita etiam Leodii templa Curialia, ſive Parœciæ Divorum Andreæ, Catharinæ, & Georgii. In Eccleſia Leodienſi ſepultus.

XIV. Ratherius. An. 953. RATHERIUS, filius Comitis Viennenſis, ex Monacho Lobienſi Veronenſis Epiſcopus, creatus à JOANNE X. Pont. Max. ac deinde ſua Sede pulſus ab Hugone Italiæ Rege ex ſiniſtra ſuſpicione: cum ab eodem, cognitâ ejus innocentiâ, reſtitutus, tum etiam à Berengario II. qui Lothario Hugonis filio in regnum ſucceſſerat, rurſum ejectus; tum S. Hugonis Archiepiſcopi Colonienſis commendatione ex Epiſcopo depulſo, factus Leodienſis, quo in munere, dum in mores hominum, quà calamo, quà etiam linguâ liberiùs invehitur, etiam Leodio exulare coactus, Lobium ſe recepit, ibique biennio toto ſe continuit. Suffectus interim illi BALDRICUS: ipſe verò in Italiam profectus, ab Ottone Auguſto hujus nominis I. Veronenſi Cathedræ jam ternò redditur; ſed & hoc mortuo, à Veronenſibus ipſis etiam tertiò depulſus. Inde liberali joco de ſe ſic ludere ſolitus:

Veronæ Præſul; ſed ter Ratherius exul.

Scripſit plures libros multo ſale conditos. Scripſit & epiſtolam ad JOANNEM Pont. Max. quæ ſic incipit:

Summo Primæ, hoc eſt Romanæ Sedis Pontifici,
Ratherius peccator & exul.

Tandem ſeu annis gravis, ſeu humanarum rerum tædio victus, ad amicam Monaſticæ vitæ, in ſuo Lobio, quietem ſe tranſtulit, & octogenario major obiit: Lobii ſepultus, inſcriptâ ejus juſſu, tumulo hac epigraphe:

Conculcate pedes hominum ſal infatuatum. Ita nimirum, ut de ſe ſentirent poſteri, deſideravit Vir ſapiens, raro-Chriſtianæ modeſtiæ exemplo.

XV. Baldericus I. An. 956. BALDERICUS, Comitis Montenſis filius, cui in litteris inſtituendus à primis annis traditus eſt S. Bruno, generoſa Regum ſoboles. Præfuit duntaxat annis tribus, & in ſua Eccleſia ſibi ſepulchrum poſuit.

XVI. Eraclius. An. 959. ERACLIUS, Ducis Poloniæ filius, è Saxoniæ Ducis filia, quem EGREGIUM LEODIENSIS ECCLESIÆ DECUS nominavit Renerus. Litteras, quas Coloniæ Agrippinæ didicerat, publicè ibidem profeſſus cum laude, Ottoni Imperatori, & S. Brunoni, Archiepiſcopo Colonienſi in paucis carus, ex Præpoſito Bonnenſi Epiſcopus Leodienſis; primus omnium Leodii Scholas condidit, & valetudinem ope S. Martini (qui ſeſe illi viſendum cum S. Brixio obtulerat) conſecutus; illi templum cum Collegio triginta Canonicorum extruxit: & hoc piæ illius liberalitatis monumentum fuit; quod ſubjicio, religionis.

Octavo poſt recuperatam ſanitatem anno cum Turonibus eſſet ERACLIUS, & noctem duceret precibus inſomnem rurſum D. Martinus adfuit, comitantibus ſanctis Brixio, & Euſtachio: mandavitque ut Canonici Leodienſes Martiniani cum Turonibus ſocietate jungerentur his pactionibus.

Cùm ex altero Collegio venerint ad alterum, inter cæteros Canonicos in publico conventu ſeſſum recipiuntor, quotidianumque percipiunto ſtipendium.

Eorum, qui vita functi fuerint, invicem nomina mittuntor, quò juventur Sodalium ſuffragiis: quod & factum utriuſque Collegii approbatione.

Et hoc fuit ſanctiſſimi Antiſtitis Martini perenne beneficentiæ in Martinianos Canonicos argumentum: quod ſubdo, ſacræ ERACLII Pontificis munificentiæ.

Ingens quippe illi erat animus, & ad magna gerenda ſemper erectus. Hinc aliud Canonicorum Collegium Doctori gentium Paulo meditari cœpit. Sed cùm ipſe ſecum dubitaret, quo in loco templum conderet; ei in amœna noctis imagine ſeſe ſpectandum dedit S. Paulus, edocuitque ubi vellet extrui, & quidem miraculo. Nocte enim, auráque calidiore, circumjecta terra, aliâ nive, obruta apparuit, ſola area novo templo deſtinata, ea longitudine, latitudineque nuda manſit, & intacta à nive. Cœleſtis Architecti dimenſionem ſecutus ERACLIUS extruere Baſilicam aggreſſus eſt.

Neque tamen ibi ſtetit; ſed & tertium ædificare S. Laurentii templum conſtituit: ac deinde ternas curias deſcripſit, parœciiſque erexit templa S. Magdalenæ, S. Severini, & S. Margaretæ.

His, aliiſque, ſeu religionis, ſeu beneficentiæ ſuæ monumentis clarus, cùm ultimum ſibi diem imminere ſenſiſſet, in S. Pauli ſibi ſepulchrum juſſit aperiri; ſed aliud è cœlo decretum, cujus nuntius fuit ipſe Doctor Gentium, qui nolle ſe affirmavit, ut mortalium aliquis (quamquam ſanctiſſimus) in illa æde conderetur. Juberet ergo tumulum claudi, curæ ſibi futurum ut cœlum pateret. Hæc ut audiit ERACLIUS, in D. Martini ſe ſepeliri mandavit, conditusque eſt medio in choro, & in marmoreum poſtea monumentum propter aram principem tranſlatus.

B. NOTGERUS, gente Suevus, filius Graionis Ducis Sueviæ, ex Helena ſorore Ottonis I. Imperatoris. A rebus in Eccleſia Leodienſi geſtis vix ulli Anteceſſorum ſecundus. Monaſticen ad S. Galli in Helvetiis profeſſus; tum Abbas Sangallenſis; denique Leodienſis Epiſcopus, conſecratus à S. Gereone, Colonienſi Archiepiſcopo. XVII. B. Notgerus. An. 971.

Mira illius in ſacris magnificentia, cujus initium fecit ab æde Principe D. MARIÆ Virgini, Divóque LAMBERTO ſacrâ, quam inſtauravit; tum etiam S. Cruci templum condidit, cui quindecim Canonicos attribuit; tum S. Dionyſii, additis eidem Eccleſiæ Canonicis decem; tum Curialem ædem Divæ Virgini ad Fontes, S. Michaeli, S. Remaclo, & S. Adalberto Martyri; tum Caprimontem evertit, cujus ruinâ Leodium, & Aquenſis Eccleſia mirum quantum aucta. Nam everſâ ibidem Dei Parentis Baſilicâ Presbyteros duodecim, qui in illa vixerant, cum omnibus vectigalibus Aquenſi Collegio conjunxit, addiditque de ſuo præterea denos. Tum S. Caprafii Canonicos numero denos ad S. Pauli Leodium tranſtulit. Tum S. Joannis Evangeliſtæ templum, quod nec igne, nec ulla vi deſtrui priùs potuit quàm Baſilicam eidem Evangeliſtæ

Leodii ponendam Epiſcopus toveret. Vovit, & voti religione ſe liberavit anno ſequenti, quando templum extruxit adinſtar Aquenſis, rotundum, in quo triginta Canonicos inſtituit. Tum etiam Leodium, Thudinium, & Foſſas munivit; & Comitatum Hoyenſem Eccleſiæ ſuæ adjecit, donatione D. Lamberto facta ab Anfrido Hoyenſi Comite; quam donationem confirmavit Otto III. Imperator, anno Domini 985. Denique ea ubique munificentiæ ſuæ monumenta reliquit, ut de illo ad Legiam ſic Vates non ignobilis:

Notgerum Chriſto, Notgero cætera debes.

Ab illis clarus inter mortales eſſe deſiit, ſepultus in Eccleſia D. Joannis ad aram S. Hilarii, prout ipſe ſupremæ voluntatis ſuæ tabulis ſanxerat. Deinde poſt ſeros ſoles è tumulo elatus in Sacrarium ejuſdem Eccleſiæ ab Illuſtriſſimo D. Petro Aloyſio Caraffa, Nuntio Apoſtolico. Sunt qui illi BEATI nomen adſcribant, ſunt etiam qui SANCTI. Videri poteſt Martyrologium Petri Caniſii, & Andreæ Sauſſai.

XVIII. Baldericus II. An. 1007. BALDERICUS, filius Comitis Loſſenſis, ex filia Ducis Limburgenſis. S. Jacobi Monaſterium inchoavit, illatis in illud S. Jacobi Apoſtoli reliquiis, quas S. Henricus Imperator ei donaverat, Cathedralem Eccleſiam à NOTGERO reparatam conſecravit aſtante S. Heriberto, Archiepiſcopo Colonienſi; tum etiam D. Bartholomæi, in qua duodecim Canonicis alendis proventus reliquit: Sanctam hanc ejus munificentiam alia majore mox Deus compenſavit. Arnulfus enim Loſſenſis Comes poſt quàm ejus operâ ad chriſtianè vitam deſerendam uſus eſſet, ſolemni ritu omnem ſuam ditionem B. Lamberto Epiſcopo & Martyri donavit. Exinde Comites fuere clientes Epiſcoporum. Et hæc prima cœlo propitio beneficentia, cui acceſſit & altera. Reginardus Franchimontis Marchio cùm profecturus in Syriam liberis careret, S. Lambertum hæredem nominavit. Ita Transmoſanus, & Stabulans. Invenio tamen diploma Suendebôlti Lotharingiæ Regis datum Anno Dom. 898. in quo FRANCONI, Leodienſi Epiſcopo, ejuſque Eccleſiæ in honorem D. MARIÆ, & D. LAMBERTI præclari martyris, donat villam ſuam *Teux*, cum omnibus adjacentibus, *videlicet, campis, ſylvis; pratis, agris, molendinis.* verba ſunt diplomatis. Sic nimirum Eccleſiam ſuam etiam profanis incrementis auget Deus: ſic adauxit FRANCO, ſic & BALDRICUS: tanti refert in Deum, ac Superos eſſe liberalem. Sepultus primùm in cryptâ S. Andreæ (nam S. Jacobi templum ad feneſtras dumtaxat aſſurrexerat) marmoreum deinde ſepulchrum illi erectum in chori medio piâ munificentiâ Ad. R. D. Ægidii Lambrecht illius loci Præſulis.

XIX. Wolbodo. An. 1018. B. WOLBODO, Godefridi Ducis Montenſis filius, ex Joannâ filia Comitis Flandriæ. Generis claritudinem eruditione, & ſanctitate auxit. Stabuleti profeſſus eſt Monaſticen, ut vult Meierus, Anſelmus mavult Ultrajecti adoleviſſe in clauſtralis vitæ diſciplinis: ut ut ſit, raram ejus virtutem amplexus eſt S. HENRICVS Imperator, & religioſa quiete abſtractum ſacrario ſuo præfecit, atque inde etiam Eccleſiæ Leodienſi; in quâ mirum quantum enituit ipſius virtus: nec enim (ut plerumque fieri ſolet) de priore mentis ſtatu dejecit illum dignitas; ſed potius erexit. Jejuniis, vigiliis, ac ſeverioribus aliis caſtigationibus, corpus affligere cœpit, nudis pedibus ad ſacras ædes pergere, in iiſque noctes inſomnes ducere, humi cubare, aquâ, pane, viliori buſque cibis contentus, lautiores, qui ei pro dignitate parabantur, in pauperes erogare; imò cùm nihil ad manum eſſet periſtromata ipſa, ſacramque ſuppellectilem profundere, donec à familiæ Præfecto redimerentur. Ita palatii ſui parietes, & altaria nudabat, ut pauperes; hoc eſt Chriſti membra, tegeret, raro in tanto Præſule pietatis exemplo, quod & illuſtrius evaſit in eo quod ſubjicio. Intellexerat Henricum Imperatorem ſibi ſuboffenſum; etſi ſine cauſa, eique reconciliando, de ſuorum conſilio bonam pecuniæ ſummam collegerat, quam deinde eidem offerret: nimirum muneribus placantur Cæſares, placantur & Dii, ut vulgus autumat: non ita B. WOLBODO, qui mox mutato in melius conſilio, non Imperatori pecuniam obtulit; ſed inopum, ſed mendiculorum agmen collegit, & in illud collectum æs omne effudit: ratus ſibi melius fore ſi cœleſtem placaret, & non terrenum Regem: quod ut inaudiit S. Imperator, probavit vel maximè.

Ab his ſeu Chriſtianæ pietatis, ſeu miſericordiæ operibus Legiaco orbi conſpicuus vixit B. WOLBODO; ſed magis felici è vivis exceſſu. Illum in ſenectute bona invaſit morbus, cau mortis prodromus, quem ut ſenſit, intentam cœlo mentem pſalmodiâ & precatione roborare cœpit; tum vilibus ſtramentis, & ſuperinjecto incumbere cilicio. Ita nimirum jacêre, ita excedere volunt grandes animæ: non in purpurâ, non in molli anſere; ſed & in nuda humo, ſed in aſperiore cilicio: in hoc dum jacet, adfuit illi D. Laurentius, adpromiſitque futurum, ut die, quem nominabat, ejuſdem ſecum gloriæ particeps fieret. Recreatus eo nuntio pius Præſul S. Laurentium hæredem ſcripſit, & hoc ultimis voluntatis ſuæ tabulis, quas excepit S. Poppo Abbas Stabulenſis, cui etiam S. Laurentii monaſterium commendavit, ac deinde feliciter diem clauſit tot à morte miraculis celebratus, ut Stephanus primus D. Laurentii Abbas Virduno accitus, veritus ne multitudinis, ad opem à S. Epiſcopo referendam, concurſus, religioſam monachorum quietem interturbaret, ſanctum Præſulem rogarit, ut crebrioribus ſuperſederet miraculis, quod & obtinuit: ex eo quippe tempore miraculis abſtinuit.

Jacuit ſacrum illius corpus in crypta S. Laurentii ad annum uſque 1656. quo Illuſtriſſimus D. Joſephus Sanfelicius, Nuntius Apoſtolicus, è longa ſepulchri nocte extulit depoſuitque in Sacrario ejuſdem Eccleſiæ; quod dum molitur, ex ipſo tumulo manavit ſuaviſſimus ac cœleſtis quidam odor, quem & perſenſiſſe ſe Illuſtriſſimus Nuntius, & illius etiam domeſtici atteſtantur. Fuit is odor teſtis, & index illius, quem aſpirare ſolet eximia vitæ ſanctitas, & virtutum odor. Mortuo WOLBODONE vacavit Sedes anno uno, & amplius: ſucceſſit

DURANDUS: Parentes is habuit infimæ ſortis homines, & ruſticanos ſub clientela gentis Morialmeæ, in provincia Interamnenſi. Qui deinde NOTGERI opera, impenſiſque, litteris excultus, & virtute, adeò feliciter rem geſſit, ut Leodienſi Infula, Pedóque ſit donatus. Felicibus auſpiciis Epiſcopatum ingreſſus, ſacroſanctam Euchariſtiam adverſus Berengarium magnâ gloriâ tueri cœpit, & armis litterariis, hoc eſt calamo, in eum depugnare: ſicque (ut diſertè notavit Baronius) *Prima ſpicula in virulentum draconem vibrata fuerunt à nobiliſſima Eccleſia Leodienſi, Catholica fidei tenaciſſima, in primis verò ab ejus Epiſcopo Durando.* XX Durandus. An. 1021.

Digna profectò immortalitate gloria.

Verùm ut in malum prona ſunt hominum ingenia, facultates, quas D. Laurentio, ejuſque extruendo cœnobio reliquerat B. WOLBODO, aliò avertit DVRANDVS ipſe, ſed non impunè: nam ſemel, iterumque dormienti adſtitiſſe viſus eſt WOLBODO, & damnatâ ejus avaritiâ ablatas poſſeſſiones repetere. Territus hîc non leviter DVRANDVS: verùm ubi à familiaribus (veriùs autem à paraſitis) audiit eas eſſe ſomniantis capitis ludificationes, eas contempſit, & habuit velut inania ſomniorum ludibria;

dibria; ſed ejuſmodi non fuiſſe exitus, docuit, docuit & S. Præſul WOLBODO, qui tertiùm illi adfuit, & terribili voce minitans denuntiavit ſecurim ad radicem poſitam, ſimulque Pedo graviter cædere viſus eſt. Cum verbere mox hominem invaſit letalis ægritudo, quam deinde ſecuta mors ipſa; non tamen ab impœnitentre excepta. Primò enim Popponem, Abbatem longè ſanctiſſimum ad ſe vocavit, tum Archidiaconos, alioſque Civitatis optimates, perperàm à ſe acta narravit, ablata reſtituit; imò de ſuo Waſegam, inſigne prædium, D. Laurentio attribuit, & ſic deinde ad ſuos facti pœnitens, *Mortuum vos ad Wolbodonis ſepulchrum efferte, & ex ejus adverſo; ſed extra adu ambitum, & ſub patibulo inhumate:* quod & factum; ſed lapſu temporis cùm aliud templum extrueretur, incluſus muro, ſub tectum eſt receptus. Felicémne dicam culpam, quam talis excepit pœnitentia? Eſt certè qui felicem dicat, & attribuat inſigni illius in propugnandâ Euchariſtiâ zelo, nec malè.

XXI. Reginaldus An. 1025. REGINARDUS, Bavarici Principis filius, hic primùm in Virdunenſem Epiſcopum electus; dein etiam in Leodienſem. In D Laurentii commorabantur viri Religioſi Præſule S. Popponc, Abbate Stabulenſi; ſed in cellulis, veriùs tuguriolis, & templo utebantur perangusto: cum ecce SS. LAURENTIUS & WOLBODO, homini pio ſed ſimplici apparent, & novi templi amplioris ideam oſtendunt, ex cujus normâ, ut creditur, illud conſtruxit REGINARDUS. Et hæc prima illius in Superos munificentia: altera fuit, quâ S. Bartholomæi Collegium octo Canonicis auxit. Alia fuit digna Chriſtiano Principe in pauperes liberalitas. Ex inviſa agrorum ſterilitate dira fames erat conſecuta, quæ etiam tres annos tenuerat. In hos ita profuſus fuit REGINARDUS, ut trecentos quotidiana ſtipe Leodii ſuſtentaret, Hoii trecentos, Dionanti totidem, itemque Foſſis. Hac ſua in egenos profuſione ſibi viam ad ſuperos parabat providus Antiſtes, nec diu poſt ad eos abiit: ſepultuſque eſt in D. Laurentii ante aram majorem; ſed cum à Principe Auraſio templum unà cum Monaſterio aſſiſſet, corpus ejus cum veſtibus Epiſcopalibus, Pedóque ac calice argenteo nulla rubigine exeſo, inventum eſt integrum. Virtutis & ſacræ illius munificentiæ teſtimonium à multis hoc creditum eſt.

XXII. Nithardus. An. 1039. NITHARDUS, filius Reineri Comitis Gueldrorum ex ſorore REGINARDI; ætate juvenis, ſed moribus maturus, ex Cathedralis Cuſtode Epiſcopus. Rexit annis dumtaxat quatuor. Duas in Civitate Leodienſi parrochiales Eccleſias conſtruxit S. Thomæ & S. Remigii. Huic Henricus III. Imperator cognomento Niger dedit Comitatum Haſbaniæ: ut patet ex diplomate dato anno 1040. Sepultus in navi templi D. Lamberti ante oſtium chori.

XXIII. Waſo. An. 1042. WAZO humili loco natus, ad ſumma, virtute evaſit. Sub NOTGERO Capellanus, & Scholarum magiſterio deputatus: ſub BALDERICO Decanus: ſub REGINARDO Præpoſitus, & Archidiaconus: denique omnium ſuffragiis REGINARDO ſufficiendus, niſi ſua modeſtia & onus, & dignitatem declinaſſet, & ſtudioſè in NITHARDUM, REGINARDI nepotem tranſtuliſſet. Verùm ut tunc declinarit, at poſteà declinare non valuit. Creatus enim tandem Epiſcopus, & quidem in ætate decrepita: eſt qui velit cenſuiſſe annos quinque ſupra centum. Eo ſublimis ſolio, aliis exemplo prælucere voluit, ad nocturnas, æquè ac diurnas preces aſſiduus, cubiculi amans, & receſſus, ut ſecum habitaret. Hic ſaxeo ſedili pro lecto, natta lanea pro lectiſternio utebatur; Avenaceo pane, cum modicâ fabâ ſenile corpus ſuſtentabat. Cereviſia potus erat, ſæpiùs aqua pura. Statutis diebus nudatum humeros flagro ſe præbebat cædendum, percuſſoremque conteſtabatur, ne vel dignitatis reverentiâ, vel gratiâ ætatis parceret, nec denique ſecretum proderet. Ita in ſeſe aſper, & propè crudelis WAZO, in alios benignus, & miſericors, maximè verò in egenos. In maximâ annonæ caritate, & fame, quæ ferè ſex annos tenuit, adinſtar providi Joſephi annonam conquiſivit; quotidianam dabat pauperibus ſtipem, & quidem liberalem. Egenis familiis, quas à mendicatione ingenuus pudor abſterrebat, clam frumentum ſubmittebat, huic denos modios, alteri vicenos, illi tricenos, quinquagenósve, aliis etiam centenos.

In his pleriqne fuêre nobiles, quos ab extremâ paupertate ſervavit oportuna Præſulis liberalitas; quæ etiam in Clerum Leodienſem ſeſe effudit. Eccleſiam enim S. Crucis Leodii quindecim Canonicis auxit, ſancti verò Bartholomæi decem. Sic in homines liberalis & pius WAZO, nec minus in Superos. Argumento ſit unum illud, quod vegetus, & valens, nudis pedibus, acri licet frigore, pluvioque cœlo, ſanctorum Eccleſias adire ſolitus, eorumque pro grege ſuo patrocinium implorare, & in extremo morbo, lectulo affixus, cùm ad chorum de more ire non poſſet, intra penetralia pſalmodiæ dulcedine ſpiritum reficiebat, parabatque cœleſti brevi recreandum harmoniâ: ad quam dum animo, votiſque omnibus aſpirat, ſacro viatico refici voluit, tum maturè ſacro oleo inungi, quo officio tum functus Olbertus S. Jacobi Abbas. Ita terris vivere deſiit WAZO, ut cœlo viveret, ſepultus in D. Lamberti ante majorem aram, cum glorioſa hac epigraphe ipſi conditorio inſcripta:

Ante ruet mundus, quàm ſurgat Wazo ſecundus.

THEODWINUS, Principis Bavarorum filius, Epiſcopatum à bellica fortitudine auſpicatus, Theodoricum Marchionem Hollandiæ vicit, profligavitque, tum ad ſacra ſe convertit; & LEONEM IX. Pont. Max. (qui Leodium venerat) Romam uſque, & ad ſacra Apoſtolorum limina eſt comitatus, tum etiam HOIUM à Flandriæ Comite ex improviſò captum, incenſumque reſtauravit, & inſigni populi Hoienſis liberalitate adjutus D. Virgini Matri baſilicam extruxit, in eamque D. Domitiani corpus intulit: inſuper quindecim Canonicos eidem Eccleſiæ addidit. Sic Principatum ſuum religione auctum reliquit THEODWINUS, neque hac ſolum; ſed & nobili Hannoniæ comitatu. Richildis enim Hannoniæ, Flandriæque comes, cùm ſuſtinendis Roberti Friſii, qui Flandriam invadebat, viribus impar eſſet, Hannoniam obtulit THEODWINO Leodienſium Epiſcopo, quam pacta pecunia emit, & mox Richildi, filióque ejus Baldwino, Leodienſis Eccleſiæ beneficio, deinceps poſſidendam reddidit, hac pactione: ut Comes Hannoniæ Domino ſuo, Leodienſi Epiſcopo, clientelam ritè profiteretur, unà cum caſtellanis Montenſi, Bellomontio, Valentianenſi. Acta hæc Foſſis anno Domini 1071. præſentibus Godeſrido Bullonii Duce, Auberto Comite Namurcenſi, Comite de Mantaigu in Ardenna; & aliis è primâ nobilitate, & ſanctè obſervata annis longè conſequentibus. XXIV. Theodwinus. An 1048. Fiſen in flor. Eccl. Leod. 23. Iunii. MS de Epiſcop. Leod.

Sic aucto Principatu THEODWINUS, poſtquam illum annos viginti ſeptem magna laude rexiſſet, religioſè mortalem hanc vitam reliquit. Hoii ſepultus in æde, quam Virgini Matri condiderat, & ſacrarat. Commentarii Laurentiani eundem LUCIDUM HUIUS ECCLESIÆ SIDUS appellarunt. Et meritò: quidni enim Leodienſis Eccleſiæ SIDUS appellent, qui Romanæ, adeoque & univerſalis Eccleſiæ duos Pontifices, ceu duos ſoles, STEPHANUM X. & NICOLAUM II. ſuo in regimine viderit, & amarit, ut ſuprà oſtendimus.

XXV. Henricus I. An. 1075. HENRICUS I. Comitis Tullenſis filius ex Amita Godefridi Ducis Bullonienſis, ex Archidiacono Virdunenſi fit Epiſcopus Leodienſis, ſacraturque à S. Annone Archiepiſcopo Colonienſi. Vulgo dictus eſt PACIFICVS à pace, quam domi & foris attulit. Domi quidem componendo diſſidia inter Trudonenſes, & Bruſtemios, ex quibus cædes, rapinæ, direptiones, incendia etiam à vicinis Principibus, quos & hi, & illi in ſuas partes trahebant.

Foris autem inter Godefridum Bullonium, & Epiſcopum Virdunenſem poſitis armis, & ſtabilita pace: ab hac & illa audiit PACIFICVS; & pacem apud Superos æternam invenit. Hoji in æde principe ſepultus ante aram S. Joannis Baptiſtæ.

XXVI. Obertus. An. 1091. OBERTUS, filius Marchionis Brandeburgenſis ex ſorore Regis Daniæ, ex Canonico Leodienſi, & Præpoſito S. Crucis Epiſcopus. Leodium ingreſſus ſolemni pompa, & in comitatu Ducum octo, quos inter erant Dux Bavariæ, Auſtriæ, Poloniæ, Lotharingiæ, Ardennæ, aliique; & inſuper Comites viginti, & proceres primæ notæ.

Hic Leodienſi Eccleſiæ multa adjecit, & quidem primò Bullonium, quod à Godefrido Bullonii Duce pactâ pecuniâ emit: deinde Clarimontis caſtellum, & de Covinô, aliáque: tum etiam D. Lamberti feretrum auro veſtivit, & lapidibus pretioſis ornavit, aliáque ornamenta addidit digna tanti Principis munificentiâ, de quâ extat hæc proſa, ſimplici quidem; ſed nativo ſtylo:

Manus ejus quaſi tornalites Ad ſacra fuerunt habiles.

His cœlum, Divosque Tutelares ſibi propitios dum facit, è vivis exceſſit, ſepultus in Eccleſia D. Lamberti in choro inferiore.

XXVII. S. Fredericus. An. 1119. S. FREDERICUS, Comitis Namurcenſis filius, & Præpoſitus Leodienſis. De controverſia inter ipſum, & Alexandrum hîc nihil attingo, quia brevitati ſtudeo. Hoc unum ſatis, FREDERICVM communibus Cleri ſuffragiis in Epiſcopum electum: quod ubi factum, Rhemos abiit. Ibi Synodum celebrabat CALLISTVS Pont. Max. à quo etiam ſolemni ritu conſecratus FREDERICVS, inde rediit, & quidem iter illud quantum quantum eſt, nudatis pedibus emenſus; & hæc prima illi ſacræ dignitatis auſpicia, quibus cœlum ſibi propitium faceret; & certè fecit inſigni de adverſariis victoria potitus. Verùm ut inquieta ſemper impietas, ut turblenta, & barbara, facinus aggreditur quod tota deteſtabitur poſteritas: Optimo Præſuli clam venenum propinat, quod eum lentè per venas diffunderetur, impatiens moræ ſcelus iterat. Secundò igitur mortem bibit innocentiſſimus Præſul. Dolor invaluit, virus per ſingula mēbra pererravit, excuſſit alterum oculorum, alterum extinxit, ac deinde per venas, ac vitalia ſerpens, è vivis extulit, ut cœlo jam maturum redderet, nobili ſanè pugnâ, nobili & victoriâ, à quâ ad illius ſepulchrum tot perpetrata ſunt miracula, ut illis explicandis vix volumen ſufficeret. Hic ea generatim indicaſſe ſit ſatis. Unum illud eſt, quod de antiquitate queratur poſteritas, quòd eam glorioſi Præſulis, Martyrisque oblivionem paſſa ſit irrepere, ut neque ſepulchrum ejus, olim tot miraculis celebre, hodie certù notum ſit. Verùm ut mortalibus fortè ignotum ſit, at immortalibus eſt notiſſimum, notáque tam his quàm illis invicti Præſulis, Martyrisque virtus, atque conſtantia. FREDERICO mortuo vacavit Sedes duobus annis: ſubrogatus illi

XXVIII. Albero I. An. 1123. ALBERO I. Ducis Burgundiæ filios, ex Primicerio Metenſi Leodienſis Epiſcopus, in Deum, ac Superos pius, in homines liberalis, ac profuſus.

Pietatem teſtatur illud: Dies conſiliis de Republicâ capiendis dabat: precibus autem noctes conſumebat inſomnes, & ſolo contentus comite ſupplicatum ibat ad ſingula urbis templa per noctes ſingulas, pro ſuo grege ſollicitus Paſtor, & ante fores abjectus evangelicum imitabatur publicanum.

Liberalitatem autem prodiderunt quæ Poſteris reliquit opera, è quibus hoc primum: Præmonſtratenſes in monte Cornelii collocavit, atque proximam è regione tranſmoſana, S. Nicolai curiam, quam etiam Norberti ſodalibus commendavit: tum Canonicos Regulares in S. Ægidii, publico monte conſtituit ex D. Auguſtini inſtituto: tum etiam bina parœciarum templa dicavit, unum S. Clementis ad D. Petri, alterum S. Aldegundis ad Divi Dionyſii. Ita Nimirum cœlites ſibi conciliavit pius Præſul; homines autem, atque in primis ſubditos omnes, hoc uno, quòd omnium primus juri ſuo, quod dicitur *Manus mortua*, renuntiarit.

Fortè aliquando pro more abiit ad S. Servatii nocte intempeſta, cùm ecce de viâ fœminam audiit in ſuis ædibus miſerabili voce calamitatem ſuam deplorantem vel ex eo, quòd viro orbatam, unico domus ſuæ præſidio, hoc eſt culcitrâ, ſpoliaret Epiſcopus. Erat ea tempeſtate hoc juris Epiſcopo, ut inſtrumenti domeſtici partem optimam ſibi vindicare poſſet, cùm è vivis obiiſſet Pater-familias. Jus illud *Manum mortuam*, appellatum volunt, quod ſi domi nihil eſſet, ipſius hominis mortui manus abſciſſa Dominis offerretur. Pium Præſulis animum permovit ea fœminæ comploratio, eóque adduxit ut de Cleri ſui, Procerúmque conſenſu jus illud omne cenſuerit abrogandum. His ubi mortales, immortalesque conciliaſſet Præſul optimus, exceſſit è vivis, in æde Ægidiana ante aram principem ſepultus.

ALEXANDER I. Comitis Juliacenſis filius, ex Archidiacono Lambertiniano Epiſcopus, XXIX. Alexander I.
de quo hæc Leodienſe Chronicon: *Vir fuit magnæ* An. 1128
prudentia, ſagacis facundiæ, in humilitate præcipuus, in oratione devotus, in eleemoſinis pauperum nulli fortè ſecundus. Fuit hic Pontifex cum bona, cum mala fortuna compoſitus: in hac tamen, & illa ferè ſibi conſtans.

Acte illi bellum cum Comite Duraſſio adjuvantibus Comite Lovanienſi, & Flandrenſi: acris & pugna, è qua victor rediit, cæſis hoſtium (ut creditum eſt) ad decem millia; captóque vexillo quod factum erat opere plumario, & ab Angliæ Regina ſubmiſſum; quodque ad majeſtatem, faſtumque ferebat quadriga boum. Ad rei tum benè geſtæ memoriam, partæque tunc victoriæ monumentum, hoc vexillum in anniverſariis Rogationum ſupplicationibus diu poſtmodum circumlatum eſt.

Hos Præſulis ſui triumphos, & populi plauſus excepit infelix caſus, & infamis proditio caſtri Bullonienſis facta à cuſtodibus Raynaldo Comiti Barrenſi, cui deditum princeps illud Patriæ Leodienſis propugnaculum. Et iſta quidem foris adverſa, & triſtia: at domi fauſta omnia, & læta.

Primùm ab auguſta ſpecie Lambertiani Collegii, in quo recenſebantur Imperatoris Lotharii, filii duo, Regum ſeptem; Ducum quatuordecim; Comitum triginta; Baronum ſeptem. Quod Cleri Cathedralis decus, auguſtumque lumen dum aſpicit Bruſtemius, æſtu quodam ſeu amoris, ſeu ſtuporis incitatus, ſic exclamat:

Pulchra erat, & decora facies illuſtris Eccleſiæ Leodienſis, ut de ea diceretur: Glorioſa dicta ſunt de te Civitas Dei.

Secundò ab adventu Lotharii Imperatoris cum Auguſta conjuge.

Tertiò ab occurſu INNOCENTII II. Pont. Max. qui Leodium admiſſus inſigni pompa, Dominica

tertia

Digitized by Google

tertia Quadrageſimæ: tum Dominica Lætare, læto, & benè ominato die, à D. Martini in Monte, ad D. Lamberti inſtituta ſupplicatio; tum ſolemne Sacrum in æde principe ab ipſomet INNOCENTIO II. Pont. Max. celebratum.

Denique Dominica Palmarum, quaſi palmata, & Triumphali luce, ab eodem Pontifice, Lotharius, Auguſtus Cæſar, cum Auguſta Conjuge Imperiali coronâ redimitus; aſtantibus Cardinalibus plurimis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis tam Lotharingicis, quàm Tranſrhenenſibus triginta; & Abbatibus permultis, quos inter etiam D. Bernardus, Clarevallenſis Abbas. Et hi fuerunt ALEXANDRO Præſuli amœni dies, dies & fortunati, quos terminavit triſtior exitus: accuſatus enim (ut creditur, æmulorum invidia) apud Pontificem quaſi per ſimoniam in cathedram Epiſcopalem aſcendiſſet; indéque rationem redditurus, citatus Papiam ad Concilium, quod ibi tum temporis habebatur, cumque non comparuiſſet, ab eodem Pontifice mythrâ exutus, non multò poſt etiam & vitâ, quam eripuit ortus ex illo caſu mœror, à quo ut vivere deſiit, in D. Ægidii Eccleſia, in publico Monte, ſepultus eſt: cumque vacaſſet Sedes anno uno, electus eſt

XXX. Albero. An. 1136. ALBERO hujus nominis II. filius Gerardi I. Comitis Geldriæ, ex ſorore Comitis Namurcenſis: ex Primicerio Metenſi Epiſcopus. Incidit hic Pontifex in tempora, iniqua, & Eccleſiæ ſuæ penitus adverſa, ereptis illi poſſeſſionibus, quas inter, etiam caſtrum Bullonienſe, naturâ & arte munitiſſimum, à Raynaldo Comite Barrenſi occupatum: quod ut ſibi, ceu legitimo Domino, redderetur, ſæpiùs inſtitit tum apud Alemanniæ Regem, tum apud Pontificem, quem etiam adiit, tertiò Romam eâ de causâ profectus. Verum cùm in caſſum fuſæ preces, & tam hujus, quàm illius contempta eſſet authoritas, ad vim, & arma confugit, ultimum in malis remedium, Bullonienſe caſtrum obſedit magnis copiis, & majoribus ſemper animis. Sed cùm in vanum irent omnia, & tum obſeſſorum pertinacia, tum loci munitio vim omnem obſidentium eluderet: ad divina ſubſidia confugit ALBERO, & D. Lamberti, ſanctiſſimi Præſulis, invictique Martyris feretrum in caſtra transferri juſſit: quod & probaſſe viſus eſt S. Præſul & Martyr: dum non ſemel illius feretrum concuti, & quaſi claſſicum canere ſit auditum: & cœlum ipſum gratam ſibi eam S. Præſulis tranſlationem indicaſſe viſum, & multis, & inuſitatis miraculis. Certè ut ea in præſens taceam, pro cœleſti prodigio fuit illud, quod obſeſſorum Dux, & caput, à ſenſibus, & mente diſcedere, & in ſe quà unguibus, qua dentibus ſævire, & alii deinde in mutuas cædes proruere cœperint. Nimirum his armis pugnat & ſibi rebelles expugnat Deus: & his etiam pugnavit Legiaci orbis Divus Tutelaris LAMBERTUS, cujus feretrum triumphantis in morem, factâ jam deditione caſtri, in ejus Eccleſiam importatum eſt: ac deinde, ad perennem relatæ victoriæ, & hujus tranſlationis memoriam, quot annis feſtum Tranſlationis inſtitutum, quod etiamnum Leodii celebre. His, aliiſque clarus ALBERO Româ dum quartùm jam redit, Otridæ moritur, & ſepelitur.

Sub hoc Præſule, mandatum, ut feſtum Immaculatæ Conceptionis D. Virginis, tota Diœceſi Leodienſi celebraretur; anno ſcilicet 1142. Huic etiam Præſuli tanquam de Eccleſia ſua benè merito, INNOCENTIUS Pont. Max. conceſſit uſum rationalis; ut annotat Bucherius in ſua Chronologia ad annum Domini 1136.

XXXI. Henricus II. An. 1145. HENRICUS hujus nominis II. filius Comitis Luxemburgenſis, ex Præpoſito D. Lamberti Epiſcopus. Frederico Imperatori in paucis carus, Eccleſiam ſuam multis reditibus auxit, & auxiſſet etiam ſacris Trium Regum corporibus, ceu nobilióre theſauro, quo eum donarat Fredericus; ſed Papiæ mors inexpectata & importuna ſuſtulit: quo ita ſublato, Raynaldus Colonienſis Archiepiſcopus, ea à Frederico petiit, & impetravit.

Sub hujus Præſulis auſpiciis D. Bernardus iteratò Leodium venit, celebravit in arâ principe, concionem habuit in prato, quod dicebatur Epiſcopi, & multis miraculis inclaruit, quibus permotus HENRICUS Abbatiam Alnenſem fundavit.

Dum eſſet in Italia HENRICUS, Octavianus, ſeu Victor Antipapa moritur. Sufficitur Guido Cremēſis, dictus PASCHALIS, conſecratúrque ab HENRICO Leodienſi Epiſcopo VI. Kal. Maii die Dominico, Anno Domini 1164. HENRICUS ipſe tunc Papatum recuſavit, donatus proinde à PASCHALI pallii dignitate; ſed pridie nonas Sept. Papiæ moritur: indéque relatus in D. Lamberti Baſilicâ ſepelitur. Ita Bucherius in ſua Chronologia ad annum Dñi 1164.

ALEXANDER II. filius Godefridi Comitis Boloniæ ex filia Regis Navarræ, ex Præpoſito Lambertiano Leodienſis Epiſcopus. Hic juſſu ALEXANDRI Papæ unà cum Reginaldo Archiepiſcopo Colonienſi, præſente Frederico Imperatore, aliiſque primæ notæ Præſulibus, oſſa Caroli Magni levavit, & in feretro argenteo locavit. Obiit deinde in expeditione Italica, peſte (ut creditur) ſublatus. Corpus Leodium revectum, & in D. Lamberti Eccleſia ſepultum. XXXII. Alexāder II. An. 1164.

RADULPHUS, Ducis Lotharingiæ filius, ex filia Comitis Namurcenſis. Primùm Archiepiſcopus Moguntinus: dein Epiſcopus Leodienſis. Sub illo Henricus Epiſcopus Cardinalis Albanus Leodium venit, & Antiſtitem Cruce ſignatum ad recuperandam è barbarorum tyrannide terram Sanctam tranſmiſit: unde rediens, ad ipſos Patriæ & Diœceſis ſuæ fines 5. Auguſti è vivis ſublatus eſt, ſepultuſque in Eccleſia Viſetenſi. XXXIII. Radulphus. An. 1167.

S. ALBERTUS, Patrem habuit Godefridum, & fratrem Henricum, utrumque Brabantiæ Ducem: ex Præpoſito, & Archidiacono Lambertiniano communibus Cleri ſuffragiis electus Epiſcopus, & à Cæſare repulſam paſſus, ad Pontificem appellat, Romam proficiſcitur in abjecto viliique ſervi habitu, & in eodem ſe ſiſtit COELESTINO III. à quo renunciatur Epiſcopus, ac deinde Cardinalis Diaconus, Pontificiiſque diplomatibus inſtructus, Rhemis conſecratur Epiſcopus, tum etiam ſacrilegè trucidatur, & multis celebratur miraculis, glorioſus Eccleſiæ pugil, & Chriſti Martyr. Imminentem ſibi pro Eccleſiæ libertate, proque Deo mortem præſenſiſſe viſus, & hoc, in triſtiore, ac ferali ſomni unius imagine, in quâ & cameram tumultu plenam, & luctu, umbrâque mortis ſibi conſpicere viſus eſt: tum etiam ſe cultris, & gladiis impiorum peti, fœdéque trucidari. Somnio reſpondit eventus, nam non ita multò poſt, tredecim vulneribus confoſſus, interiit: & grandem animam per immania vulnera in cœlos tranſmiſit. Solemnes illi exequias decrevit, fecitque Clerus Rhemenſis, & inter Archiepiſcopos ſepulchri locum illi eſſe voluit. Poëta non ignobilis hoc illi epitaphium poſuit: XXXIV. S. Albertus. An. 1191.

Legia me legit, electum Roma probavit.
Rhemus ſacravit, ſacratum martyriſavit.

ALBERTUS Cuychius, Leodienſis Archidiaconus, Comitis Bleſenſis filius: cum inter illum, & Simonem, Leodienſem Præpoſitum, de Epiſcopatu orta eſſet controverſia, tam hic, quàm ille Romam profectus, ſucceſſu quidem diſſimili; ſed tamen felici. Simon enim ibi à Pontifice Purpuram accepit, & paulò poſt obiit. ALBERTUS autem Pedum, quo donatus, Leodium rediit. XXXV. Albertus II. An. 1195.

Sub

Sub hoc Præſule cœlo quaſi vindice alia, atque alia populum afflixere flagella; è quibus primum, maxima agrorum ſterilitas, & inde valida fames. Alterum ingens aquarum eluvies. Et huic, & illi malo remedium attulére exportatæ D. LAMBERTI reliquiæ.

Sub hoc Præſule Balduinus, Flandriæ & Hanoniæ Comes Hoium venit, & ALBERTO Leodienſi Epiſcopo pro Comitatu Hannonienſi clientelam profeſſus eſt, & juramentum fidelitatis præſtitit. Ita Meyerus in Chronico Flandriæ.

Sub eodem, anno ſcilicet 1198. ad fabrilem uſum, & in focum quotidianum inventa terra nigra, quam *Hullam* dicimus, nec ſine numine. Cùm faber unus aliquis quereretur ſibi parùm eſſe lucri, quod in opus ſuum tot lignis, ideóque tot expenſis, opus eſſet, adfuit illi in vico dicto *Coché* (unde poſtea nomen invaluit) adfuit, inquam, ſenex canitie venerandus, alba indutus veſte: & hæc illi, *Amice perge ad vicinum Monachorum montem, & ibi invenies terram nigram, igni ſtruendo, & fabrili operi perquam accommodam*. Dixit, & videri deſiit. Porrò perrexit faber, & invenit; eâ impoſterum uſus, ſuo, ac deinde communi bono. Obiit ALBERTUS, & in D. Lamberti Eccleſia ſepultus eſt.

XXXVI. Hugo Petrapontius. An. 1200. HUGO PETRAPONTIUS, D. Lamberti Præpoſitus, in Epiſcopum eligitur præſente Leodii Otione Rege: conſecratur autem Coloniæ à Guidone, Cardinali Legato. Ortus fuit illuſtri genere: patrem habuit Hugonem de Waſnadio, matrem nomine Clementiam, filiam Comitis Manaſſis Rereiſte, è Comitibus Namurcenſibus oriundam. Virtute, litteriſque nobilitatem ornavit, imprimiſque in Deum, ac Superos religione, cujus ſtudium ut augeret Ciſtercienſi Ordini cœnobium extruxit, quod *Vallem S. Lamberti* vocari placuit, aliudque ſeptena Ciſtercienſibus Virginibus Aſceteria; ſi non condidit, at certè ſacravit. Leodium S. Franciſci ſodales (quos Minores dicimus) evocavit: inſuper & Dominicanos, quorum præſidio, & auxiliaribus veluti copiis, uteretur.

Magnis præterea opibus Eccleſiam ſuam auxit: Comitatum Mohatium ab Alberto ejuſdem Comite accepit; hic enim cùm nullum ſperaret hæredem, Petrapontio authore, D. Lambertum hæredem ſcripſit.

Comitatum Loſſenſem, qui jam pridem in Leodienſis Eccleſiæ clientelam tranſierat, à Ludovico Comite cum omni illius ditione iterum beneficiatio mancipio recepit: adfuit enim dictus Comes, & An. 1208. præſentibus, HUGONE Epiſcopo, & Duce Ardennæ Henrico, atque Alberto Comite de Moha, Chapeavil. tom. 2. Cleróque univerſo, Comitatum Loſſenſem D. Lamberto, & ſuper ipſius altare, iterata donatione tradidit, quem deinde ille ipſe HUGO Epiſcopus, de conſilio Capituli, in feudum reddidit, ea lege, ut ſi quando deficeret hæres, ſtatim D. Lamberto cederet.

Accepit item & Trudonopolim, & duo ad Moſam monaſteria, Walciodorum, & Haſteriam, quæ omnia virtuti, & ſagaci providentiæ Epiſcopi ſui HUGONIS accepta debet, & refert Leodienſis Eccleſia, quam etiam armis felicibus propugnavit, inſignique victoria, quæ quia in campis Steppeanis obtenta, VICTORIAM STEPPEANAM appellare placuit; & quia D. Lamberto Duce, atque propugnatore parta fuerat, quot annis ejus memoriæ recolendæ conſtitutus eſt dies tertius ante Idus Octob. & felici, ac fortunato nomine dictus, TRIUMPHUS D. LAMBERTI. Et meritò. Eò quippe loci ac temporis pugnavit, vicit, ac triumphavit D. Lambertus: qui à B. Odilia viſus eſt candido invectus equo ad exercitum tendere, armis aureis fulgens, auream dextrâ haſtam quatiens, ſcutum aureum ſiniſtrâ. D. Lambertum viſa eſt præcedere Dei Mater, habitu virgineo, ac venerando. Ita Divæ Virginis auſpiciis, & D. Lamberti armis, ea Leodienſibus ceſſit victoria.

Ad Rhemenſem Cathedram electus eſt HUGO, cui tamen renuntiavit ut Leodienſem retineret. In- An. 1216. terfuit etiam Concilio Lateranenſi, in quo recenſiti Epiſcopi quadringenti duodecim. Tandem religiosè diem clauſit Hoii, ubi in morbum inciderat, corpus exanime revectum eſt Leodium ſecundo Moſâ. Clerus, Nobilitas, populuſque univerſus à S. Jacobi æde extulit ad S. Lambertū, & ibidem terræ condidit ante aram maximam, Sacris operante Jacobo de Vitriaco, Epiſcopo Aconenſi, qui ut morienti adfuerat, ſic & mortuo juſta perſolvit.

Dicitur à morte apparuiſſe B. Odiliæ, tum etiam B. Joanni Abbatulo, ex eodem Clero, viro eximiæ ſanctitatis, & vaticiniis claro, atque ab iis animæ ſuæ ſubſidium imploraſſe, in illis quibus tenebatur purgationis ignibus, è quibus deinde viſus in cœlos excedere deducente clariſſimo frequentium Epiſcoporum agmine.

JOANNES APIANUS, Præpoſitus Leo- XXXVII. Joannes Apianus. An. 1229. dienſis, ex ſorore nepos HUGONIS Petrapontii: ex patre autem regia Francorum origine clarus, & elatior inſigni morum honeſtate, atque inprimis caſtitate. Sacerdos conſecratus ab Epiſcopo Tornacenſi: Epiſcopus autem à Rhemenſi Archiepiſcopo. Sacris primùm operatus eſt in Valle D. Lamberti: tum Novo-monaſterii ad urbem Hoienſem Synodum habuit. Ab hoc extructa Divæ Virgini Eccleſia, quam primùm incoluerunt Canonici Regulares; tum Scholares: tum etiam inchoata Eccleſia Dominicanis in Inſula: Minoribus autem in loco, qui Treſtes vocatur, non procul à D. Jacobi baſilica. Extructum etiam Hoii Monaſterium Cruciferorum, quod illius Ordinis eſt princeps: quæ omnia, aliáque ejuſdem piæ munificentiæ opera, JOANNIS APIANI Principatum inſigni felicitate cumulaſſent, niſi eum importuno bello interpellaſſet Waleranus Luxemburgius. Coactus ſuam Eccleſiam tueri JOANNES, dum Pilovaccam obſidet, gravi correptus ægritudine, Dionantum ex caſtris ſe recepit, & poſt dies paucos naturæ conceſſit. Corpus ſecundo flumine deportatum ad Vallem S. Lamberti, ibique ſepultum: deinde tranſlatum in D. Lamberti baſilicam ante altare majus. Habitis deinde comitiis, de ſucceſſore certatum, & factionibus lacerata patria, cauſa per Pontificem deciſa.

GUILIELMUS SABAUDUS, ex Va- XXXVIII. Guilielmus Sabaudus. An. 1239. lentino Præſule deſignato, fit Leodienſis Epiſcopus, & in reditu à Curia Romana eodem anno, & Epiſcopatu, & vita defungitur Viterbii, & in monaſterio Cathacumba (quod ejus Parentes fundarant) ſepelitur. Dilata deinde Legati Pontificii juſſu electione ſucceſſoris, poſt annum fermè, eligitur

ROBERTUS DE THORATA, Comitis XXXIX. Robertus. An. 1240. Pictavienſis filius, ex Lingonenſi Epiſcopo Leodienſis: ut genere nobilis, ſic & rebus geſtis clarus. Ivit ad Concilium Lugdunenſe cum Jacobo Pantaleone Archidiacono Leodienſi, poſt Legato Pontificio, ac deinde Pontifice. Obtinuit ut ab ordine Ciſtercienſi univerſo celebraretur feſtum D. Lamberti; quem ſola commemoratione ad eum diem coluerant. Indixit deinde tota Diœceſi feſtum Venerabilis Sacramenti. Prima omnium hæc eſt ſanctio de feſto Corporis Chriſti. Foſſis piè admodum obiit, atque in Alnenſi monaſterio Ciſtercienſis Ordinis ſepultus; tranſlatus deinde in Eccleſiam Clare-vallenſem, in qua ſibi ſepulchrum delegerat, cùm eſſet Lingonenſis Epiſcopus.

Eadem hora, quâ obiit pius Præſul, D. Juliana, quæ Leodii in oratione procubuerat, propter ſe velut

veluti tranſeuntem umbram ROBERTO ſimillimam ſenſit, ex quo cum quæſiſſet, quis eſſet? *Robertus Epiſcopus ego ſum*, inquit. Paucis profectò, ſine expiatione conceditur in cœlum ingreſſus, ut mihi breyi concedatur pro me Deum ora, atque exora. Dixit, & videri deſiit. Mortuo ROBERTO vacavit Sedes per annum: ſubſtitutus deinde

XL. Henricus III An. 1247. HENRICUS III. de Monteforti, aliàs de GUELDRE, frater Ottonis III. Comitis Geldriæ, ex ſorore Ducis Brabantiæ, ex Canonico Leodienſi factus Epiſcopus: Hoc uno clarus, quòd ſub illo, & illius rogatu toto Orbe inſtitutum ſit ſolemne feſtum Venerabilis Sacramenti. Theobaldus, ante Archidiaconus Leodienſis, tum Pontifex Max. GREGORIUS X. nomine: ad illum epiſtolam ſcripſit, in quâ paternè monuit, ut & ſibi, & gregi ſuo invigilaret bonus Paſtor, adjiciens illud dignum cedro: *Quia plus vigilare, plus vivere eſt*. Utinam eâ vitâ viverent omnes animorum Paſtores, vitâ longiſſima, hoc eſt æternâ, deinde victuri. Evocatus à GREGORIO X. ad Concilium Lugdunenſe Epiſcopatu ceſſit.

Anno 1263. ſub eodem HENRICO Epiſcopo fundatum eſt Beghinagium, vulgo dictum *Tirbourſe*, in ea domo quam incolebant cives tres, qui concupiſcentiæ igne ſuccenſi, cùm pecuniam illi fundationi deſtinatam inter ſe dividere cogitarent, fulmine de cœlo tacti perierunt: ita nimirum Deo vindice, cœleſti flamma conſumuntur, qui terreſtri prius malè exarſerant.

XLI. Joannes Enghienſis. An. 1274. JOANNES ENGHIENSIS, quem geſta Abbatum Stabulenſium faciunt nepotem Regis Francorum, & S. Theologiæ Doctorem: aderat is Concilio Lugdunenſi, utpote Tornacenſis Epiſcopus, & à GREGORIO X. Leodienſi Eccleſiæ in primis commendatus, illi præficitur. Sepultus primò in Eccleſia B. Mariæ ad Fontes: deinde in D. Lamberti tranſlata ejus oſſa.

XLII. Joannes Guido. An. 1282. JOANNES GUIDO, filius Comitis Flandriæ, de quo iſta Hocſemius: *Vir nobilis, humilis, modeſtus, Decretorum Doctor*; ex Metenſi Epiſcopo Leodienſis Præſul ac Princeps. Synodum habuit Provincialem, in qua multa præclarè ſtatuit pro Eccleſiaſtica libertate. Obiit anno 1292. ejus corpus depoſitum ad Abbatiam de Flines, Ordinis Ciſtercienſis, ubi cum majoribus ſuis in Domino quieſcit. Vacavit Sedes Leodina annis quatuor, diviſis in duo capita ſuffragiis; tandem res deciſa per BONIFACIUM Pont. Max. nominatusque

XLIII. Hugo de Cabilone. An. 1296. HUGO DE CABILONE, filius Arnoldi Comitis Averniæ, ex filia Adulphi Ducis Burgundiæ: ex Epiſcopo Cabilonenſi factus deinde Leodienſis. Hic apud Pontificem BONIFACIUM VIII. de bello Huenſi, corruptâ monetâ, aliiſque capitibus accuſatus, Epiſcopatu exuitur; ſed poſtmodum probatâ ab eodem Pontifice ejus innocentiâ, ad Archiepiſcopatum Biſuntinum promovetur.

XLIIII. Adolphus de Waldege. An. 1301. ADOLPHUS DE WALDEGE, filius Comitis de Waldege ex Helena filia Marchionis Brandeburgenſis. Hic ditionem ſuam multis diſſidiis laceratam, ad pacem & concordiam reduxit, ut tamque in ipſa Civitate nobiles inter ac plebeios diſcordiam, ita compoſuit, ut impoſterum unus ex nobilibus, alter ex miniſterialibus Magiſtri eſſent Civitatis. Occaſio porrò civilis illius diſcordiæ fuit in cauſa Uſurariorum, quos è Civitate depelli jubebat Bulla Pontificia: cui dum parere vult Epiſcopus, non arma expedivit, non armatus è palatio ſuo exceſſit; ſed Pontificali Infula, Pedóque Paſtorali probè inſtructus Uſurariorum ædes confregit, & urbe expulit. Ita ſopitis domi, forisque plurimorum diſſidiis obiit non ſine ſuſpicione dati clanculum veneni. Sepultus in D. Lamberti ante altare majus.

XLV. Theobaldus Barrenſis. An. 1303. THEOBALDUS BARRENSIS, filius Theobaldi Comitis Barrenſis, ex filia Reginaldi I. Comitis Gueldriæ. Pontificatus ſui annos ferè inter arma exegit, ita ferre videbantur ea tempora. In provincia Interamnenſi Montevirolium caſtrum diruit, Agimontem recepit; Givetum ſubegit; Tudinium obſidione liberavit, de Mirevattio caſtro per obſides tranſegit. Tandem in Urbem profectus, cum Henrico Rege, dum fortiter contra Urſinos dimicat, multis confoſſus vulneribus capitur, atque intra triduum extinguitur, & in porticu Eccleſiæ D. Petri ſepelitur in capella Papæ.

XLVI. Adolphus à Marcka. An. 1313. ADOLPHUS A MARCKA, filius Comitis de Marcka, ex Præpoſito Wormatienſi Epiſcopus Leodienſis. A CLEMENTE hujus nominis V. ordinatus Subdiaconus, Diaconus autem ac Sacerdos ab Epiſcopo Præneſtino, denique à Berengario, Cardinali Epiſcopo Tuſculano, in Epiſcopum conſecratus. Incidit in ea tempora, in quibus & domi & foris turbæ multæ, adeóque turbatum ejus imperium.

Ab hoc Præſule, & Capitulo Leodienſi Mechlinia in feudum Comiti Flandriæ vendita 14 Julii, ut annotavit Bucherius in ſua Chronologia ad annum Dñi 1333. Hocſemius, & Chapeavillus hic c. XVIII. Ab eodem adita poſſeſſio Comitatus Loſſenſis: cum enim diem ſuum obiiſſet Ludovicus, ultimus Comes Loſſenſis, ADOLPHUS, & Capitulum Leodienſe ſuum fecit, jure antiquæ, & legitimæ donationis, & uſque in hanc diem ſuum facit: uti advertit Chapeavillus tom. 2. ad annum Domini 1336. Moritur ADOLPHUS Claramonte caſtro Leodium inter, & Huum, atque in D. Lamberti baſilica ſepelitur.

XLVII. Engelbertus à Marcka. An. 1345. ENGELBERTUS A MARCKA, ex fratre Epiſcopi defuncti nepos, ex Præpoſito Lambertiano Leodienſis Epiſcopus. Interfuit Aquis coronationi Caroli IV. Cæſaris, fit Archiepiſcopus Colonienſis, & Epiſcopatum Leodienſem abdicat.

XLVIII. Joannes Arkelius. An. 1364. JOANNES ARCKELIUS, Comitis Arckelii filius ex filia Comitis Warneburgii: ex Epiſcopo Ultrajectenſi creatus Leodienſis Epiſcopus. Dum ab æſtu negotiorum, tumultuque regiminis diſceſſionem parat, vitamque ſolitariam meditatur (ut qui diu aliis vixerat, ſibi ad extremùm viveret) à Deo, in cujus manibus ſunt ævi noſtri momenta è vivis evocatur, & Ultrajecti ſepelitur.

Circa annum 1364. inventa primùm tormenta bellica, bombardarum, ſclopetorum, & pulveris tormentarii uſus ad immanem generis humani cladem. ita Opmerus.

XLIX. Arnoldus de Horne. An. 1379. ARNOLDUS DE HORNE, filius Comitis de Horne, ex Epiſcopo Ultrajectino in Leodienſem Epiſcopum inauguratur. Tumultus Leodii exortos ſedat, in Angliam proficiſcitur, ut pacem inter Regem, & Ludovicum Flandriæ Comitem componat. Moritur & in Hornenſem agrum revehitur, ac ſepelitur in Monaſterio nobilium Virginum Ordinis Ciſtercienſis cui nomen Keſerbos, à majoribus olim ſuis fundato.

L. Joannes de Bavaria. An. 1389. JOANNES DE BAVARIA, ex Hannoniæ, Hollandiæque Comitis filio, creatur Leodienſis Epiſcopus. Leodium magnâ pompâ ingreditur. In conſeſſu Canonicorum Cathedralis Eccleſiæ excepit à Patre ſuo profeſſionem clientelæ ob Comitatum Hannoniæ; qui ſub THEODWINO Principe, etiam Bavaro in Leodienſis Epiſcopi clientelam venerat anno Domini 1071.

Sub finem Pontificatus ſui, hoc eſt anno Dom. 1414. Joannes de Bavaria, Aquis interfuit coronationi SIGISMUNDI Imperatoris, qui deinde Leodium venit pridie Natalis Domini paullò poſt Veſperas, quas ſecundò decantari voluit, quibus adfuit ipſe, ac deinde ipſâ Natalis Domini ſacra luce etiam horis Matutinis, in cappa, & habitu quaſi Pontificio. Accepit ab Eccleſia Leodienſi Crucem auream gemmis, & unionibus divitem incumbentem pomo

aureo, inde trãſiit in Angliam cõciliandæ cauſâ unionis cum Eccleſia; ſed piis tanti Cæſaris conatibus exitus non reſpondit. Epiſcopatum ad manus Pontificis repoſuit JOANNES de Bavaria: ſubſtitutus illi

LI. Joannes de Walenroda. An. 1418.

JOANNES DE WALENRODA, natione Germanus, patria Franco, profeſſione Doctor utriusque Juris, dignitate Archiepiſcopus Rygenſis. In Concilio Conſtantienſi contra Joannem Wicleff acerrimè declamavit. Pupillorum ac viduarum patronus, ac defenſor: Juſti, æquique in paucis amans, eóque injuſtis, improbisque inviſus; quorum invidia, dolóque venenum poculo immixtum imprudens hauſit, unáque etiam mortem: Epiſcopatu ſanctè adminiſtrato per decem ferè menſes, diem ſuum obiit, & in D. Lamberti Baſilica ſepultus eſt ante Altare majus.

LII. Joannes Heinsberg. An. 1419.

JOANNES HEINSBERGIUS, filius Excel. Principis Joannis Heinſbergii, & Lewenbergii: ex Archidiacono Hasbaniæ Epiſcopus Leodienſis. Cum Archiepiſcopis Colonienſi, & Trevirenſi Cruce ſignatus à Legato Apoſtolico expeditioni bellicæ contrà Huſſitas in Bohemiâ nomen dedit: Peregrinationem Joroſolymitanam ſuſcepit; ſed ſtructis in viâ inſidiis, intermiſit, Friderici III. Imperatoris coronationi interfuit Aquiſgrani, ac deinde, pertæſus oneris ac negotiorum, Epiſcopatum dimiſit, Heinsbergium receſſit, ibidem mortuus, ac ſepultus.

LIII. Ludovicus Borbonius. An. 1456.

LUDOVICUS BORBONIUS, filius Caroli Ducis Borboniæ, & Averniæ, ex Agnete, filia Joannis Ducis Burgundiæ, & Comitis Flandriæ: ex Præpoſito Brugenſi Leodienſis Epiſcopus. Sub illo, tam domeſticis, quàm externis diſſidiis, & patria propè univerſa, & civitas ipſa fœdum in modum afflicta: tota quippe Caroli Burgundi victoris, & militum licentiæ, ac furori patuit, à quo nulli ætati, nulli ſexui parcitum eſt; imò nec ipſis aris, ac Divorum lipſanis. Hæc enim propè omnia in prædam militi ceſſere: ſi D. Lamberti feretrum exceperis. In hoc, cùm fortè miles unus aliquis auſu temerario manus injeciſſet, derepentè retrorſum abiit, & mortuus concidit, D. Lamberto vindice, ac pro ſe quodammodo pugnante. Et hic funeſtæ illius tragediæ finis: quem deinde excepit alius ipſi Borbonio fatalis: dum enim hoſti ſuo Arembergio armatus occurrit, ipſe tribus vulneribus conficitur, quorum unum à Marcano inflictum. In D. Lamberti baſilica ante aram majorẽ ſepultus. Interfecto Borbonio, diſtractis in diverſa ſuffragiis, vacavit Sedes annis ferè duobus, tandẽ ſubſtitutus illi

LIV. Joannes de Horne. An. 1484.

JOANNES DE HORNE, filius Jacobi Comitis de Horne, ex illuſtri Clivenſium Ducum proſapia, matre verò filia Comitis de Meurs: ex Præpoſito Leodienſi Epiſcopus. Competitores duos habuit Arembergium, & Croyum, unde alii, atque alii bellorum motus, indéque etiam direptiones, cædes, & multa intus & foris calamitas: à qua mœrore confectus, & apoplexia tactus, Trajecti ad Moſam obiit, ſepultusque in Eccleſia Fratrum Minorum in monte, non procul Trajecto: ſub illo peremptus Ghisbertus de Canne, vir in pauris ſeditioſus. Mortuo Horneo vacat Sedes uno propè anno: ſufficitur illi omnium votis

LV. Erardus à Marcka. An. 1506.

ERARDUS A MARCKA, filius Roberti Comitis à Marcka, ex Canonico D. Lamberti primùm reſidente Leodienſis Epiſcopus; tum etiam Carnotenſis; tum Archiepiſcopus Valentinus; deinde S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalis; denique Sedis Apoſtolicæ Legatus à Latere. Principium adminiſtrationis ſuæ à Deo, ac Religione ducturus, in Laurentiano primùm cœnobio, deinde in Carthuſiano Montis Dei propè Sedanum ad Sacra ſe comparat opportuno ſeceſſu, & rerum divinarum commentationibus; tum confirmatiõne à Pontifice accepta, ad S. Laurentii Sacerdotio initiatur, ac deinde Tungris Epiſcopali charactere conſecratus, Leodiũ ingreditur ſolemniter: Sacerdotii primitias Deo offert in æde D. Lamberti, ipſo Pentecoſtes die, ſpectante multitudine innumera, in qua & Abbates quinque ſupra viginti. De hoc Præſule ut homines taceant, loquentur opera, tam ſacra, quàm profana.

Inter Sacra recenſeri poſſunt, ac debent: Primò, D. Lamberti Martyris ſacrum caput, quod ſic executus eſt. Quo die creatus eſt Leodienſis Epiſcopus, illi ornando contulit grave argénti pondus; tum auratam ex argento ſtatuam curavit opere elegantiſſimo, amplitudine pluſquam humana ad umbilicum. Epicopum illa refert Inſulà redimitum, dexterâ Pedum, librum levà geſtantem. Pro baſi opus eſt arte rara elaboratum in modum porticus totam molem ambientis, in qua minoribus figuris efficta ſunt illuſtriora invicti Martyris facinora. Et hoc primum Sacræ illius munificentiæ monumentum.

Alterum eſt, nobilis ex argento theca, mole, ac pondere ſpectabilis; ſed factoris arte ſpectabilior, in quam recondidit D. Martyris Theodardi ſacrum corpus.

Poſt hoc etiam molitus eſt aliud: geminum ſcilicet æs campanum, Erardi nomine unum; alterum Chryſogoni, quibus nullum in urbe, aut magnitudine, aut pondere comparandum.

Tum etiam Aræ principis pallium opere phrygio, gemmis, & unionibus ſanè dives: opus & materiâ & arte nulli ſecundum, cui acceſſere ad Miſſæ ſacrificium, ſacræ veſtes, & cappæ duodecim è tela aurea, & ipſæ unionibus graves.

Eodem ſpectat, quod duobus ante obitum annis ſepulchrum ſibi vivens poſuerit, cui nullum fortè in Europa par invenias: opus eſt ex ære aurato, ſtatuis rara arte fuſis inſigne: cui hoc epitaphium ipſe inſculpi juſſit:

Erardus à Marcka mortem habens præ oculis vivus poſuit.

Et hæc fuerunt ſacræ illius in poſteros beneficentiæ monumenta, quibus paria; imò & majora ſunt opera, quæ perfecit & in urbe, & foris: foris quidem erecta in finibus patriæ munimenta, cujuſmodi ſunt, Arx Hoyenſis, Dionantia, Franchimontana, Stockhemenſis, Curingiana.

In urbe autem palatium ingentis omninò molis, cui erigendo totos triginta duos annos inſumpſit, ſumptu planè regio: nec enim alium aut poterat, aut volebat, qui illi regius erat animus.

Eſſe in terra deſiit Anno 1538. XIV. Kalendas Martias: Corpus illatum ſepulchro, quod ſibi vivens erexerat: Cor autem Hoyum in æde Crucifexorum: Exta reliqua in Cœnobium Septem fontium non procul Bruxellis delata ſunt.

LVI. Cornelius à Bergis. An. 1538.

CONELIUS A BERGIS, ex Illuſt.^ma^ Marchionum Bergenſium ortus proſapia, patre Cornelio à Bergis, matre autem Maria de Sevenbergh. Capituli aſſenſu, datus ERARDO A MARCKA primò Coadjutor, dein in Epiſcopatu ſucceſſor. Anabaptiſtas Leodio ejicit, & punit: Securitati publicæ conſulit, uti & religioni: Ferdinandum Regem Leodii excipit, Georgium Auſtriacum à Capitulo Coadjutorem petit, & impetrat, Epiſcopatúque ſe abdicat.

LVII. Georgius Auſtriacus. An. 1543.

GEORGIUS AUSTRIACUS, Maximiliani Imperatoris filius, ex Archiepiſcopo Valentino, & Coadjutore Leodienſi, fit Epiſcopus Leodienſis. In primo limine ſui Pontificatus Comitia celebrat. Moritur Lutherus à Catholica fide apoſtata, ab Ordine ſuo profugus, infame hominis monſtrum, cujus etiam morientis afflatum ne in ſuis pateretur AVSTRIACVS, edicta contrà hæreticos publicari mandat. Wielmum à Pictavia, Scholaſtirum Leodienſem ad Concilium Tridentinum mittit, uti & Legatos ad Cæſarem, alioſque Reges: ſic nimirum & ſtatui politico, & Religioni conſulebat pius Præſul, qui ut régere ſimul, ac vivere deſiit, in æde D. Lamberti ſepultus eſt.

ROBER-

LVIII. Robertus à Bergis. An. 1557.

ROBERTUS A BERGIS, ex Coadjutore deſignato Epiſcopus: Marchionis Bergenſis frater: ſimul atque Infula Leodienſi donatus eſt, Sacerdos conſecratus in Herckenroede, celebri Virginum monaſterio, præſentibus quatuor Epiſcopis, Cameracenſi, Atrebatenſi, Tornacenſi, & Ultrajectenſi. Leodii Deo primitias obtulit in Cathedrali: Comitia celebravit, edicta adverſus hæreticos renovari ſtatuit, tandemque cum imminentem ſibi mortem præſentiret, à Capitulo, GERARDUM GROESBEECKANUM Coadjutorem & ſucceſſorem petiit, impetravit, & Epiſcopatui renuntiavit, Bergamque ſe recepit, ubi paulò poſt è vivis exceſſit.

LIX. Gerardus à Groesbeeck An. 1564.

GERARDUS A GROESBEECK, ex Illuſtriſſima Baronum Groesbeckanorum familia genitus, abdicatione ROBERTI à PIO IV. confirmata, ex Decano Leodienſi fit Epiſcopus, & conſecratur in Herckenroede, nobili Virginum aſceterio, aſſiſtentibus tribus Epiſcopis, Abbatibus quamplurimis, & præcipua totius patriæ nobilitate, inde Leodium magnâ pompâ & omnium gratulatione ingreditur. Plurimùm illi debet ditio Leodienſis, plurimùm & Avita Religio, quam ſemper & ubique ſartam tectam voluit. Gueſios terris ſuis imminentes ne ultrà progrederentur, impedivit: ſubditos à Catholica religione diſcedentes, quâ prudentiâ, paternâque in eos caritate, quà metu, minisque, quà etiam armis, apertoque marte revocavit, nutantes confirmavit, bonos animavit, malos exanimavit, exarmavitque: verbo uno, Diœceſim omnem ſuam ab hæreticorum contagio liberam, atque immunem conſervavit, ſicque Eccleſiam, ceu ſponſam, quam virginem acceperat, Chriſto, ceu ſponſo, virginem reddidit. Inſuper Arauſio Principi hoſtilia intentanti fortiſſimè reſtitit, & Leodium ipſum impendenti periculo, atque obſidione liberavit.

Tridentino Concilio adhuc Decanus interfuit, & in publico illo ſeu eximiæ virtutis, ſeu altioris ſapientiæ theatro ſibi nomen, famamque fecit, quam deinde mirum quantum auxit Epiſcopus: propter illa excelſi animi decora & probè nota in univerſam Eccleſiam merita, à GREG. XIII. donatus eſt Pileo Cardinalitio, quem ei Pontificis nomine detulit Illuſtr. Guielmus Grimbergius, deinde Canonicus Leodienſis, tum etiam Decanus, tum Epiſcopus Antwerpienſis, denique Archiepiſcopus Cameracenſis, ut infrà videbimus.

Tandem meritis & annis gravis, cum Stabuletum cum Arſcotano iviſſet GERARDUS, afflicto ad Saxum pede, antiquo recrudeſcente vulnere, Leodium revectus, piè moritur, & ſepelitur in Choro ædis Lambertianæ, ad ſiniſtrum murum non procul ab Arâ principe.

LX. Ernestus Bavarus. An. 1581.

ERNESTUS, utriuſque Bavariæ Dux, ex Epiſcopo Friſingenſi, & Hildeshemienſi fit Leodienſis Epiſcopus, & ſolemni, & numquam aliàs visâ pompâ Leodium ingreditur. Aderant Dux Ferdinandus frater, Cliviæ, Arſcoti, Niverniæ Duces, Badenſis Marchio, Princeps Chimæus, aliique plures Comites, Barones, & Proceres. Plauſus undique, & undique feſtivæ aggratulationes tanto Principi, cui primò cura fuit arcere à ditionibus ſuis Calvinianos, qui iis imminebant; uti deinde Coloniæ, in qua Gerardus Truchſeſius ex paſtore lupus, religionis libertatem, id eſt perniciem, conceſſit, qui cum ſæpè monitus non ſaperet exauctoratus eſt, & ei ſuffectus ERNESTUS, qui pro Dei domo fortiter ſtetit, & Truchſeſio, tum conſilio, & authoritate, quâ plurimùm valebat, tum etiam armis ſeſe oppoſuit. Immanis fuit Truchſeſii defectio tam à fide, quàm ab Epiſcopali munere, & caſtimonia, quam dum exuit, inceſti matrimonii vincula induit, & Agnetem, Joannis Georgii Comitis Mansfeldii filiam, religioſæ vitæ vinculis, ac votis illigatam, in uxorem ducit, & Bonnæ inceſtuoſas nuptias publicè celebrat, à quibus in vulgus abiit hic verſiculus:

Ferra trahit magnes, ſed plus Truxem trahit Agnes.

Potentia nimirum amoris impuri vincula, potentiâ libidinis tela, quibus ſua opponit ERNESTUS, militem Leodii ſcribit, in agrum Colonienſem immittit, loca munitiora obſidet, & capit, & auctus copiis Bavaricis, Duce Ferd. fratre, Truchſeſii turmas diſſipat, Bonnam cingit, & accipit. Depulſo jam, & profligato hoſte, ab armis, & tumultu bellico, ad religionis defenſionem, & morum reformationem delabitur; tum pace domi habitâ, etiam foris eam procurare nititur, & unà cum Archiepiſcopo Trevirenſi, Belgii diſſidia componere tentat; tum in Religionis bonum, AVITA FIDE) id eſt Bavaricâ) ſemper intentus, edicta contrà hæreticos renovari mandat: Hoium ab Hollandis captum recuperat, tum FERDINANDUM ex fratre nepotem; Coadjutorem Colonienſem, & Leodienſem aſciſcit. Et hæc ſunt beneficia, quæ in commune contulit, magnus Princeps, & omnium Pater, præter quæ etiam alia in privatos derivari voluit. Ex his eſt minima JESU Societas, quæ illi, uti & Sereniſſimæ ejus familiæ, mirum quantum eſt obſtricta: hanc enim attributâ dote Leodii fundavit: quod beneficium ut iret in poſteros, declaratus eſt Fundator, uti & ejus in omne ævum in Leodienſi Principatu ſucceſſores. Exacto vitæ curſu, cum anno uno ſuprà triginta, Epiſcopatuum, Friſingenſis, Hildiſhemienſis, Leodienſis, Colonienſis, & ad extremum etiam Monaſterienſis, onus ſuſtinuiſſet; & onus & vitam in Dei manibus piè admodum depoſuit Arensburgi in Weſphalia, ingeminans ſæpiùs illud dolentis, & amantis animæ: *IESV præceptor, miſerere mei.* Sepultus Coloniæ in Eccleſia Cathedrali.

FERDINANDUS, utriuſque Bavariæ Dux, Archiepiſcopus & Elector Colonienſis, Epiſcopus & Princeps Leodienſis, Monaſterienſis, Hildeshemienſis, & Paterbornenſis, in quo cum Bavarico, Auguſtóque ſanguine certavere virtutes omnes in pari gradu: atque inprimis ardua in Deum fides, in Superos religio, in ſubditos pietas, in hoſtes clementia, manſuetudo in omnes. Princeps fuit AVITA FIDE, quam (ut pro teſſera habuit) ſic ſartam tectamque ſervavit in quinque Epiſcopatibus ſibi cōcreditis, in ſumma licet temporum iniquitate. LXI. Ferdinandus Bavarus An. 1612.

S. HENRICUS, Imperator Auguſtus, Bavarici ſanguinis decus illuſtre, moriens hæc ad Parentes conjugis ſuæ ſanctiſſimæ D. Cunegundis: *Filiam veſtram à me recipite, tam caſtam, quàm mihi dediſtis.* Nempe Virginem acceperat, & Virginem reddebat.

Quod S. Henricus, D. Cunegundis parentibus ex vero dixit: hoc FERDINANDUS, & Eccleſiæ, ceu bonæ matri, & ſummo Pontifici, ceu communi fidelium Patri dicere potuit: *Filiam veſtram* (hoc eſt, & has, & illas Diœceſes) *à me recipite*, à ſervata Deo fide tam *caſtas, quam mihi dediſtis.* Quod ut illi perhonorificum, ac ſalutare; ſic & Sereniſſimæ ejus familiæ imprimis glorioſum: uti & iſtud, quod ſubjicio.

Sub immani bellorum mole jam plurimis annis nutabat, ac propè fatiſcebat Germania; concutiebatur Imperium, Provinciæ vaſtabantur, diripiebantur Urbes nobiliſſimæ, incendebantur agri; arma undique, & undique cædes, & ab his, & illis effuſa Orbi Chriſtiano miſeranda calamitas: quam ut ſiſteret FERDINANDUS, ſexaginta legiones per annorum intervalla ſuo ære conſcripſit & ferratas acies, quaſi murum oppoſuit pro Dei domo, proque Imperio, ut ex merito ſuo dici potuerit & AVITÆ FIDEI propugnaculum, & clypeus Imperii.

Rebus ita domi, foriſque præclarè geſtis, tandem meritis, & annis gravis deceſſit Arensburgi pridiè exaltatæ S. Crucis; die ſacro, die illi benè ominato, ut qui Crucis dum viveret fuiſſet amantior; cujus argumento eſt nobilis illa baſilica, quam ædificavit uno millari ab urbe Bonnenſi, in monte, qui vulgo dicitur *Sanctæ Crucis*, & peregrinantium concurſu eſt percelebris, in quo Servitis monaſterium exſtruxit, attributóque cenſu fundavit. Sepultus Coloniæ in Eccleſia Cathedrali.

LXII. Maximil. Henricus Bavarus. An. 1650. MAXIMILIANUS HENRICUS, utriuſque Bavariæ Dux, Archiepiſcopus Colonienſis, & Princeps Elector; Epiſcopus & Princeps Leodienſis, Hildeshemienſis, quem Deus Opt. Max. Eccleſiis ſuis, Romanóque, Imperio diutiſſimè præſtet incolumem. In ejus laudes, & debita virtuti encomia longiùs effluere deberet oratio, niſi eam ſiſteret ingenita tanto Principi modeſtia, qui ut laudanda faciat, laudari tamen ſe non patitur. Verùm, ut in aliis non patiatur; at cum bonâ veniâ admittet unum illud, quod in omnium ore, atque oculis eſt, ut verè dicatur, & ſit PRINCEPS PACIS. Hanc attulit Civitati ſuæ Leodienſi, cum eam ab inteſtinis diſſidiis, quibus diu fuerat agitata, liberavit. Hanc Patriæ reſtituit, cùm immunem illam, liberamque reddidit à frequenti, totieſque repetitâ militum externorum eluvie: verè PRINCEPS PACIS, quod unum cùm dixi, omnia dixi. A majoribus noſtris HENRICO I. Leodienſium Præſuli, datum eſt amabile PACIFICI nomen, à pace, quam domi pepererat, & foris; & illud ipſum à Poſteris dabitur MAXIMILIANO HENRICO, eritque encomiorum omnium, quæ magno Principi inſcribi poſſunt, veluti Compendium.

GLORIA
LEODIENSIS ECCLESIÆ
AB EPISCOPIS, ARCHIEPISCOPIS
PATRIARCHIS
E D. LAMBERTI COLLEGIO
AD ALIAS DIŒCESES REGENDAS
TRANSMISSIS.

CAPUT V.

HACTENUS recenſui Præſules, quos tibi dilecta cœlo LEGIA Deus elegit: abeamus à ſolo patrio, & in exteras regiones exeamus, ſive tuas Anglia, ſive tuas Italia, ſive tuas Gallia, ſive tuas Hiſpania, ſive etiam tuas, quâ longè, lateque pates, Germania, ſive denique tuas, ô Belgium, Orbis Hiſpanici corculum; & videamus, qui illis omnibus, ab Eccleſia Leodienſi, ſuavi Dei providentia tranſmiſſi Præſules, qui Epiſcopi, qui etiam Archiepiſcopi, & Patriarchæ: eos eruam ex variorum Scriptorum monumentis, & luci dabo: ex iis plurimos jam eruit Bartholomæus Fiſen è Societate JESU, tum in floribus Eccleſiæ Leodienſis, tum in tomo 2. hiſtoriæ Leodienſis, qui necdum lucem vidit, utinam brevi videat: Prius tamen quàm illud aggrediar, unius te monitum velim, Amice Lector. Si fortè aliquos prætercam (quod facturum me ſat ſcio) ne tribuatur illud minus propenſæ in omnes voluntati; ſed vel ignorantiæ meæ (quæ quanta ſit non ignoro) vel Antiquitati, in qua & ſenium eſt, & ſenii vitium, oblivio: vel denique priſcorum authorum incuriæ, qui eorum nomina non tranſmiſerunt ad Poſteros: ego ea hic recenſebo, quæ illi mihi ſub oculos poſuerunt: & quidem ſervato, quantum licebit, annorum ordine, in quo primus qui occurrit, eſt

RATHERIUS, ex Monacho Lobienſi Epiſcopus Veronenſis, ac deinde ex Veronenſi Leodienſis, tum etiam ex Leodienſi rurſum Veronenſis, de ſede ſua Veronenſi tertiò pulſus, & tertiò reſtitutus. Anno 925.

GUALTERUS, ex Canonico Leodienſi Epiſcopus Dunelmenſis in Anglia: Vir à ſapientia, virtuteque ſpectabilis, eóque nomine ad Epiſcopatum evectus, quo dum probè fungitur; ſenſit quod virtuti proprium eſt, æmulorum invidiam, Anglorumque odia ſuſtinuit, etiam innocens, ad ipſamque tandem aram, dum Sacris operatur, ceu alter STEPHANUS Papa, gladiis impiorum occubuit; ut teſtatur Sigebertus. 1082.

Henricus, ex Canonico Leodienſi Epiſcopus Virdunenſis. Is reſignato Epiſcopatu, Leodium rediit, ibique, ſibi, ac Deo vacans; exceſſit in ſenectute bona, ut plenus dierum, ſic & meritorum: Sepultus eſt in D. Lamberti, ante altare S. Stephani. 1187.

S. Conrardus, ex Canonico Leodienſi primùm Epiſcopus de Loſſana, tum S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Epiſcopus Oſtienſis 1209.

Hugo Petrapontius, ex Epiſcopo Leodienſi communibus Cleri ſuffragiis, electus Archiepiſcopus Rhemenſis, quam cathedram recuſavit, ut Leodienſem retineret. 1216.

Burchardus Hannonius, Canonicus Leodienſis, dein Epiſcopus Metenſis. 1282.

Gulielmus Arvernus, Canonicus Leodienſis inde Archiepiſcopus Biſuntinus. 1281.

Gulielmus Bertoſius, Archidiaconus Leodienſis, Præpoſitus Lovanienſis, S. Theologiæ Doctor, & à BONIFACIO Pontifice creatus Epiſcopus Ultrajectenſis. 1296.

Hugo de Cabilone, ex Epiſcopo Cabilonenſi Leodienſis, & ex Leodienſi Archiepiſcopus Biſuntinus. 1296.

Joannes Richecurtius, ex Canonico Leodienſi Epiſcopus Virdunenſis deſignatus. 1296.

Walerandus, filius Gerardi Comitis Juliacenſis, ex Præpoſito Leodienſi Archiepiſcopus Colonienſis. 1331.

Engelbertus à Marcka, ex Epiſcopo Leodienſi creatus Archiepiſcopus Colonienſis. 1345.

Gulielmus Hanneffius, Canonicus Leodienſis, Colonienſis Præpoſitus, tum Archiepiſcopus Colonienſis creatus, etiam invitus. 1350.

Simon, ex Præpoſito Leodienſi Archiepiſcopus Mediolanenſis, deinde Cardinalis. 1375.

Qui deinceps ſequentur, ii recenſebuntur ex anno ſuæ receptionis in D. Lamberti Collegium, è quo deinde ad aliarum Eccleſiarum Infulas ſunt aſſumpti. Exceptis Principibus, & Cardinalibus, qui annumerabuntur ab anno aditi muneris Epiſcopalis, vel adeptæ dignitatis Cardinalitiæ, ſicut & alii, qui notabuntur aſteriſco. *Ex Opere Perill. ac Gen. D. Wiſſocq.*

Petrus de Ranchicourt, Canonicus Leodienſis, deinde Epiſcopus Atrebatenſis. 1449.

Henricus de Beauvoir, Canonicus Leodienſis, tum Epiſcopus Ambianenſis. 1457.

Jacobus de Croy, ex Canonico Leodienſi, Archiepiſcopus & Dux Cameracenſis, Comes Cameracenſis, & Sacri Romani Imperii Princeps. 1464.

Fridericus Cluniacenſis, ex Canonico Leodienſi Epiſcopus Tornacenſis, tum etiam Cardinalis. 1470.

Henricus de Bergis, Canonicus Leodienſis, tum Archiepiſcopus & Dux Cameracenſis, Comes Cameracenſii, & S. Romani Imperii Princeps. 1474.

Antonius de Granis, ex Canonico Leodienſi Epiſcopus Tiburtinus. 1478.

Bartholomæus de Ruvere, Canonicus Leodienſis, Epiſcopus Ferrarienſis, & Patriarcha Antiochenus; 1480.

ex per-

ex perilluſtri familia Roborea, vulgo dicta Ruve-
rea ab inſignibus gentilitiis, quæ robore, ſeu quer-
cu aurea, expreſſa ſunt. Ex qua familia etiam
fuit JULIUS II. Pont. Max. Videri poteſt Ciaconius
in Julio II.

Juſtus, ex Canonico Leodienſi Epiſcopus Si-
pontinus.

1484. Antonius de Croy, Canonicus Leodienſis, poſtea
electus Morinenſis Epiſcopus.

1486. Gabriël Sclafenatis, Canonicus Leodienſis,
Epiſcopus Vaplaſenſis.

1502. Ægidius Buſlidius, ex Præpoſito Leodienſi Ar-
chiepiſcopus Biſuntinus.

1506. Philippus de Duna, ex Canonico Leodienſi crea-
tus Archiepiſcopus Colonienſis.

1509. Joannes Antonius, Canonicus Leodienſis, tum
etiam Archiepiſcopus Mediolanenſis, denique S.
Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Epiſcopus Albanus,
Præneſtinus, & Sabinur.

1509. Ludovicus Vacca, Canonicus Leodienſis, Pæ-
dagogus Caroli, Archiducis Auſtriæ, dein Epiſco-
pus Palentinus.

1511. Oliverius, ex Canonico Leodienſi, Cardinalis,
& Epiſcopus Sabinenſis, dein Oſtienſis.

1514. Erardus, à Marcka, ex Epiſcopo Leodienſi fit
Epiſcopus Carnotenſis in Gallia, quem Epiſcopa-
tum pauces poſt annos Guillardo, Epiſcopo Torna-
cenſi tranſcripſit.

1517. Euſtachius de Croy, Canonicus Leodienſis,
dein Epiſcopus Atrebatenſis, & Præpoſitus S.
Audomari.

1518. Erardus à Marcka, ex Epiſcopo Leodienſi crea-
tus Archiepiſcopus Valentinus in Hiſpania, tum S.
Rom. Eccleſiæ Cardinalis.

1521. Antonius de Monte S. Sabini, ex Canonico Leo-
dienſi, & Brabannæ Archidiacono Archiepiſcopus
Siponrinus, denique Cardinalis Epiſcopus Por-
tuenſis.

1523. Guilielmus Enkevortius, ex Archidiacono Fa-
mennæ Epiſcopus Dortuſenſis, tum Archiepiſco-
pus Ultrajectenſis, denique Cardinalis.

1524. Joannes Copis, Canonicus Leodienſis, Archi-
diaconus Haſbaniæ, dein Ferrarienſis Epiſcopus.

1525. Hieronymus Aleander, ex Canonico Leodienſi
Archiepiſcopus Brunduſinus, tum Cardinalis.

1526. Georgius, ex Comitibus D'Egmont, Canoni-
cus, & Decanus Leodienſis; deinde Archiepiſcopus
Ultrajectenſis, & Abbas Commendatarius S. Aman-
di in Hannonia.

1528. Adolphus, ex Comitibus de Schawembourg;
Canonicus & Præpoſitus Leodienſis; tum Archie-
piſcopus Colonienſis, & Princeps Elector.

1535. Petrus Vorſtius, Juris U. Doctor, Canonicus
Leodienſis, Archidiaconus Famennæ, Sacri Palatii
Apoſtolici Auditor, deinde Epiſcopus Aquenſis.

1535. Guilielmus Pictavius, Canonicus, & Scholaſti-
cus Leodienſis, Archidiaconus Campiniæ, Cancel-
larius Principis, Præpoſitus Leodienſis, denique
nominatus primus ad Epiſcopatum Audomarenſem;
ſed priùs vitâ functus quàm iniret.

1537. Philippus Nignus, ex Canonico Leodienſi pri-
mus Epiſcopus Antwerpienſis, quam Infulam in-
duiſſet niſi mors immatura invidiſſet.

1542. Antonius, ex Comitibus de Schawemboug, Ca-
nonicus, & Præpoſitus Leodienſis, dein Archiepiſ-
copus Colonienſis, & Princeps Elector.

1544. Georgius ab Auſtria, Canonicus Leodienſis,
tum Archiepiſcopus Valentinus in Hiſpania; tum
ex Coadjutore Leodienſi Epiſcopus, & Princeps
Leodienſis.

1554. Ludovicus de Berlaymont, ex Comitibus de Ber-
laymont, Canonicus Leodienſis, dein Archiepiſ-
copus, & Dux Cameracenſis, Comes Camerace-
ſii, & Sacri Romani Imperii Princeps.

Lævinus Torrentius, Canonicus Leodienſis, & 1557.
Archidiaconus Brabantiæ, datus eſt Antwerpienſi-
bus ſecundus Epiſcopus; deinde tertius Archiepiſ-
copus Mechlinienſis, licet ſeptuagenario major;
quam dignitatem adiviſſet, niſi mors, quæ etiam
Infularis, etiam coronatis verticibus imminet, priùs
è vivis extuliſſet.

Olaus Magnus, natione Gothus, Archiepiſco- 1557.
pus Upſalenſis, Canonicus Leodienſis: Vir fuit
variæ, reconditæ, & miræ eruditionis, de quo, ut
cætera taceant, loquentur opera, ab his certè
MAGNUS audit, & in ævum omne audiet.

Nicolsus Veniero, Canonicus Leodienſis, dein 1558.
Epiſcopus Baſncoregienſis, utriuſque ſignaturæ
Referendarius.

Antonius Perennottus Gravellanus, ex Canoni- 1561.
co Leodienſi Epiſcopus Atrebatenſis, dein Archi-
epiſcopus Mechlinienſis; tum S. Romanæ Eccle-
ſiæ Cardinalis.

Hermannus, ex Comitibus Schawembourg, 1563.
Canonicus Leodienſis, tum Epiſcopus Mindenſis.

Erneſtus, utriuſqoe Bavariæ Dux, Canonicus 1581.
Leodienſis, dein Epiſcopus ac Princeps, tum
Archiepiſcopus Colonienſis, & Princeps Elector,
Hildeshemienſis, Friſſingenſis, Monaſterienſis.

Guilielmus Grimbergius, ex perilluſtri Grim- 1583.
bergiorum familia natus; J. U. Doctor, & GRE-
GORIO XIII. Pont. Max. carus in paucis, atque
adeò eidem à cubiculis: primò Leodienſis Canoni-
cus; dein etiam Decanus: Lævino Torrentio,
Antwerpiæ ſucceſſor datus in Epiſcopatum; tum
Joanni Sarazino Cameraci, in Archiepiſcopatum
ſubrogatus, in hoc, & illo munere conſiliorum
grana, & claritate factorum ſemper enituit.

Joannes Carolus Schetz de Grobbendonck, Ca- 1586.
nonicus Leodienſis, deinde Epiſcopus Turnacenſis
nominatus.

Philippus utriuſque Bavariæ Dux, Canonicus 1597.
Leodienſis; tum Epiſcopus Ratisbonenſis; tum S.
R. Eccleſiæ Cardinalis.

Franciſcus de Gand à Villain, Canonicus Leo- 1608.
dienſis, ex Comitibus d'Iſenghien, modò Epiſco-
pus Tornacenſis, quem Deus illi Eccleſiæ diutiſſimè
ſoſpitem velit, ac præſtet.

Ferdinandus, utriuſque Bavariæ Dux, Cano- 1612.
nicus Leodienſis; tum ex Coadjutore Epiſcopus,
& Princeps Leodienſis; tum Archiepiſcopus Co-
lonienſis & Princeps Elector; tum Epiſcopus &
Princeps Monaſterienſis, Hildeshemienſis, & Pa-
terbornenſis.

Franciſcus à Lotharingia, Canonicus Leodien- 1610.
ſis, modò Epiſcopus & Comes Verdunenſis, Præ-
poſitus Colonienſis, quem Deus Opt. Max. quàm
diutiſſimè velit incolumem.

Nicolaus Franciſcus à Lotharingia, Canonicus 1626.
Leodienſis: Archidiaconus Hannoniæ; dein Epiſ-
copus Tullenſis; denique S. R. E. Cardinal.

Maximilianus Henricus, utriuſque Bavariæ Dux, 1650.
Canonicus & Decanus Leodienſis; ex Coadjutore
Epiſcopus & Princeps Leodienſis; tum Archiepiſ-
copus Colonienſis, & Princeps elector; Epiſcopus
& Princeps Hildeshemienſis: quem Deus Eccleſiis
ſuis diutiſſimè ſoſpitem velit, & faciat.

[illegible]ertus Sigiſmundus, utriuſque Bavariæ Dux, 1651.
[illegible]us Leodienſis, Epiſcopus Friſſingenſis:
[illegible] Cœli favor ſervet ſeros in annos

Eugenius Albertus d'Allamont de Malandry, 1659.
ſubſtitutus Arnoldo de Merode, ex Comitibus de-
Waroux, Avunculo ſuo; Canonico Leodienſi;
primùm Epiſcopus Ruremundenſis; deinde Gan-
denſis, quem illi Eccleſiæ diutiſſimè ſoſpitem op-
tamus, niſi ad altiora vocarit amabilis Dei provi-
dentia; quæ bono publico nunquam non invi-
gilat.

Præter hos, quos per annos hîc degeſſi, Barth. Fiſen, alios recenſet, nullo tamen anniorum ordine, certa tamen fide: ex his eſt Adelmannus è Scholaſtico Leodienſi Brixienſis Epiſcopus in Italia: cujus etiam meminit Trithemius in viris illuſtribus, & Baron. ad An. 1036. is contrà Berengarium, ejusque hæreſim calamum ſtrinxit, & quidem ſucceſſu feliciſſimo. Ut enim verbis Baronii utar: *Eloquentia Chriſtiana illius confutavit errorem, arguit temeritatem, damnavit audaciam, retudit procaciam, & exhortatus eſt ad reſipiſcentiam.*

. Docti illius ſtyli, etiam poſt ſæcula ſenſit aciem Calvinus; nec retundere vel potuit, vel auſus eſt aliter, quàm familiari Hæreſiarchis omnibus maledicentiâ. Præter hunc è D. Lamberti Collegio, ad Pedum, Infulamque aſſumpti, Haymo Virduni, Hezelo Tulli, Gontberus Salisburgi; Ultrajecti Adelbodds, Andræas Cuickius, Guido Hannonius; Cameraci Rothardus & Erluinus.

Et hi quidem ſunt ex Authorum fide mihi noti, qui è Leodienſi Eccleſia, ceu novo in terris cœlo, Diœceſes alias illuſtrarunt, ſeu altioris doctrinæ luce, ſeu etiam virtutis eximiæ ſplendore, ſeu denique ſacræ dignitatis majeſtate. Plures eſſe non dubito; ſed quia me latent, de iis in præſentiâ tacere cogor vel invitus.

GLORIA LEODIENSIS ECCLESIÆ.

A SERENISSIMIS, AUGUSTIS IMPERATORUM. REGUM DUCUM, COMITUM, BARONUM FILIIS IN D. LAMBERTI CANONICIS.

CAPUT VI.

VT antiquum, ſic & veriſſimum illud pronuntiatum: *Limum omnes habent generis authorem ſui.* Quod & firmatum, confirmatúmque ipſius Dei ter Opt. Max. oraculo, quod & audiit prima naſcentis Orbis infantia, & etiamnum Coronatis Verticibus ab Eccleſia quotannis accinitur: *Pulvis es, & in pulverem reverteris.* Quod ut veriſſimum ſit: attamen etiam indubitatum illud, Virtutem in purpura plus fulgere, quàm in vili, abjectoque centone: plus nitere in auratis, gemmeiséque Regum verticibus, quàm in pauperculis, & malè comptis egenorum capitibus.

Et inde factum autumo, ut omnis ætas, & omnis hominum ordo à Nobilitate, & avito Majorum ſuorum ſanguine, laudem, ac ſplendorem peti poſſe, imò & debere, ſemper exiſtimarit: quod in præſens moliri mihi eſt animus, dum ab Infulatis, & Purpuratis Patribus, delabor ad illos, qui in Leodienſi Eccleſia, ab ingenitæ ſibi nobilitatis luce, ſuum quoque lumen, ſuum & ſplendorem addiderunt; ut cœlo ſolent adgenita ſidera.

Sidera voco, à generoſo ſanguine, à Regia, Auguſtaque ſtirpe, à fumoſis Majorum ſuorum [illegible]ginibus conſpicuos magis, in quibus tame[illegible] immẽſum excurrat oratio) etiam erit quibu[illegible] luti liminibus coarctanda, & quidem ad unicum du[illegible]taxat annum, ex quo de aliis facilior erit conjectura.

Is porrò erit à Chriſto nato milleſimus centeſimus, trigeſimus primus, in quo ſub ALEXANDRO, hujus nominis I. Leodienſi Epiſcopo; in una D. Lamberti Eccleſia recenſiti Regum filii novem; Ducum autem quatuordecim; Comitum verò triginta; Baronum denique ſeptem.

Horum nomina, non (ut aliàs) è Manu-ſcriptis codicibus (in quibus ſubinde Amanuenſium vel incuriâ, vel ignorantiâ irrepere ſolet error) ſed expreſſis, & publico datis voluminibus eruere ſtatui, ut tutior, & certior ſit fides. Erunt autem illa authoribus, Bruſthemio, Placentio, Chapeavillo.

REGUM FILII NOVEM.

Lotharii Alemannorum Regis, & Imperatoris Auguſti, filii duo: Lotharius, Canonicus & Præpoſitus S. Lamberti. Anſelmus, Canonicus & Condruſiorum Archidiaconus.

Regis Franciæ, Ludovici, Groſſi, Philippus, Canonicus & Archidiaconus Hannoniæ.

Regis Hungariæ, Theobaldus, Canonicus & Archidiaconus Ardennæ.

Regis Daciæ filii duo, Orgerus, Canonicus & Archidiaconus Famennæ, ac deinde ejuſdem in ampliſſimo regno ſucceſſor: Godefridus, Canonicus & Archidiaconus Brabantiæ.

Regis Bohemiæ, Guido, Canonicus & Archidiaconus Haſbaniæ.

Regis Navarræ, filii duo: Joannes, Canonicus & Archidiaconus Campiniæ. Et Guido, Canonicus.

Et hæc Eccleſiæ Leodienſis ab Imperatoris, & Regum filiis regia auguſtáque majeſtas, cui ſuppar ea, quæ eſt à Ducum filiis.

DUCUM FILII QUATUORDECIM.

Dux Bavariæ duos habuit: Bertrandum Canonicum & Abbatem Thudinenſem: & Haymonem Canonicum & Abbatem Meſſienſem.

Dux Saxoniæ, unum, Guilhelmum, Canonicum & Cantorem Leodienſem.

Dux Sueviæ, etiam unum, Conrardum, Canonicum, & Præpoſitum Huyenſem.

Dux Ardennæ, Guidonem, Decanum Leodienſem, & S. Theol. Doctorem.

Dux Normanniæ, Doyckingum, Canonicum & Abbatem Eyckenſem.

Dux Lotharingiæ, duos: Carolum, Guidonem Canônicos: illum Cuſtodem: hunc verò Scholaſticum Leodienſem.

Dux Auſtriæ, unum, Franconem nomine, Canonicum, & Præpoſitum Mechlinienſem.

Dux Burgundiæ, tres Canonicos, & ſimul Legum Doctores (ut ad ſanguinem, Ducumque illuſtre ſtemma accederet etiam doctrinæ lux aurea) Carolum quidem Præpoſitum S. Dionyſii; Petrum Præpoſitum S. Petri; & Hugonem Præpoſitum S. Bartholomæi.

Dux Viturìæ, duos eidem Eccleſiæ dedit filios: Ludovicum Canonicum, & Abbatem Amanienſem: & Baretum Canonicum, & Abbatem Cellenſem, nunc Viſetenſem.

Et hæc à Ducibus gloria, atque commendatio, cui deinde ſecunda à filiis Comitum.

COMITUM FILII TRIGINTA.

Comes Lovanienſis, unum habuit, Godefridum, Canonicum.

Comes de Monhault, Segninum, etiam Canonicum.

Comes Hannoniæ, duos omninò filios, Simonem, Abbatem Cinacenſem; & Balduinum, Canonicum.

Comes Loſſenſis, Raynaldum, Canonicum, & Præpoſitum Foſſenſem.

Comes Sabaudiæ, Guidonem, Abbatem B. Mariæ Namurcenſis.

Comes Geldriæ, Alberonem, S. Martini Præpoſitum, ac deinde etiam Leodienſem Epiſcopum.

Comes,

Comes Flandriæ, Notgerum, S. Joannis Evangeliſtæ Præpoſitum.

Comes de Zeyne, filios duos: Petrum, Præpoſitum S. Pauli; & Ogerum, S. Crucis.

Comes Vianæ in Ardennâ, Rogerum, Can.

Comes de Claro-Monte, Arnoldum, Abbatem N. Dominæ, Dionanti; & Henricum Can.

Comes Namurcenſis, filios etiam duos: Henricum, & Albertum, Canonicos.

Comes de Monte-Acuto, etiam filios duos: Walonem, & Falconem, illum Abbatem Noſtræ Dominæ Tungrenſis, & hunc B. Mariæ Trajectenſis.

Comes Luxemburgenſis, Henricum, primò Leodii Præpoſitum, dein Epiſcopum.

Comes Rupefortenſis, tres omnino filios: Joannem, Arnoldum, & Erardum, Canonicos.

Comes Bolonienſis, Petrum, Canonicum, & Decretorum Doctorem.

Comes de Treſte, tres pariter filios, Laurentium, Paulum, & Joannem, Canonicos.

Comes Provinciæ, duos: Guidonem, & Henricum Canonicos.

Comes Montenſis, tres etiam filios: Ogerum, Ferritum, & Rolandum, Canonicos.

Et hæc longior Comitum ſeries, à quâ Divi Lamberti Capitulo ſua laus, ſuumque decus, cui etiam ſuum acceſſit à filiis Baronum.

BARONUM FILII SEPTEM.

Boynus de Wahania, Canonicus.

Sebaſtianus de Harſtallio, Decretorum Doctor.

Rodolphus, & Godefridus de Pratis, S. Th. Doctores.

Theodoricus de Morialme, S. Th. Doctor.

Ingherandus de Fleron, Legum Doctor.

Reginaldus de Falcomonte, adoleſcens, & ſtudioſus, Canonicus, & ipſe probatæ Nobilitatis.

Et hi ſunt quos unus, idemque tulit annus, deditque Eccleſiæ Leodienſi, ſeu alumnos, ſeu etiam filios, à quibus accepit decus æviternum: quod ne quis fortè detractum velit, viſum eſt hîc, aliis; atque aliis rationum momentis confirmare idipſum, quod jam luci dedi.

Primum ducetur à Majorum traditione, quæ jam, per quinque & amplius ſæcula tranſiit ad poſteros, & cui fidem negare & ipſis injurium videtur, & ipſi antiquitati, quæ apud omnes eſt in veneratione.

Secundum petetur ab authoritate, cui ſua quoque debetur fides. In manus meas venere tria Manu-ſcripta Tungrenſium & Leodienſium Epiſcoporum, in quibus omnibus diſertis verbis aſſeritur, Anno 1131. ſub ALEXANDRO I. Leodienſi Præſule fuiſſe in D. LAMBERTI Collegio, filios Regum novem; Ducum quatuordecim; Comitum triginta; Baronum ſeptem.

Primum mihi commodatum eſt ab Adm. Reverendo, ac Peril. D. LAVRENTIO DE MEAN, Archidiacono Hannoniæ, Canonico, & Scholaſtico Leodienſi, Præpoſito Tungrenſi.

Secundum à Perilluſtri, ac Generoſo Domino ÆMILIO AB OVLTREMONT, Barone de Han, Canonico Leodienſi, & Præpoſito Huenſi.

Tertium collectum fuerat, & concinnatum ſummo ſtudio, & multa lectione ab Adm. R. D. COLSONIO, Abbate Selidhenſadienſi, qui pro firmanda veritate eorum quæ poſteris reliquit de geſtis Epiſcoporum Leodienſium, citat Authores quadraginta novem, quos ipſemet evolvit; & è quorum lucubrationibus, quod ad rem ſuam faciebat, eruit.

Tum pro Scriptionis argumento, quod modò eſt in manibus, addit hæc verba:

Spectabilis tunc erat Canonicorum Eccleſiæ Leodienſis, Pont. Max. Innocentium II. excipientium, majeſtas. Erant enim reſidentes Regum filii 9. *Ducum* 14. *Comitum* 30. *Baronum* 7. Hactenus ille.

Tertium argumentum, erit ab eorum (qui hoc ipſum jam typis evulgarunt) authoritate, quos inter J. Bruſtemius Minorita; Joannes Placentius, Dominicanus; Chapeavillus, Canonicus Leodien. & Sereniſſimi FERDINANDI in Spiritualibus Vicarius, in geſtis ALEXANDRI I. Epiſcopi Leodienſis. Hubertus Thomas dirionis Leod. hiſtoriographus, Vir eximiè doctus, & ob raras virtutes Secretarius Friderico Palatino Electori. Et ex illo Ludovicus Guicciardinus nobilis Florentinus.

Poſtremum denique exhibuit tabella in D. LAMBERTI diutiſſimè appenſa, quæ omnium nomina legentibus propoſuit etiam à ſæculis, à quibus cùm vetuſtate jam attrita videretur, renovata eſt juſſu Sereniſſimi FERDINANDI glorioſæ memoriæ, anno 1632.

Et hæc ſunt argumenta, quæ mihi ſuccurrunt pro juſta hujus traditionis defenſione: alia fortaſſis aliis occurrent. Interim ad Vos redeo ILLVSTRISSIMI, REVERENDISSIMI, GENEROSI DOMINI.

Spectaſtis potiora Eccleſiæ Veſtræ lumina: Et quidem, primùm in Petri Sede, Tiaráque Pontificia, tum in Purpura, Pileoque Cardinalitio; tum in Infulà, Pedóque: & hos quidem à vitæ ſanctimonia per ſeptem prima ſæcula nominatos, & Divorum catalogo jam inde aſcriptos non ſine inſigni divinæ munificentiæ argumento, propè dixi, miraculo; tum etiam alios longa ſerie à D. HVBERTO ad Sereniſſimum MAXIMILIANVM HENRICVM; & in illis auguſta Eccleſiæ Veſtræ decora, atque ornamenta; tum etiam ad extremum ſuſpexiſtis Sereniſſimos, Auguſtos Imperatorum, Regum, Ducum, Comitum, Baronum filios, Collegas olim Veſtros. Bonum omninò factum: Suſpicite porrò, & amate, & quam ab illis lucem hauſiſtis, ſeu Avitæ Nobilitatis, ſeu etiam Chriſtianæ ſanctitatis, veſtra quoque luce & ſuſtinere, & augere pergite in ævum omne. Hoc eſt cœli votum; hæc ſpes Eccleſiæ; hoc Patriæ deſiderium; hæc bonorum omnium expectatio; hæc denique gloria veſtra, quæ ibit in ſæcula, & in omnem retrò æternitatem: quam Vobis omnibus, dum opto, voveoque feliciſſimam, unum illud mihi concedite, ut me ad extremùm inſcribam


DOMINATIONUM VESTRARUM

Devotiſſimus in Chriſto ſervus

JACOBUS LOBBETIUS

E Societate JESU.

FINIS TOMI QUARTI.



L E O D I I.

EX OFFICINA TYPOGR. JOA. MATHIÆ HOVII,
Sub ſigno Paradiſi Terreſtris.

M. DC. LXVIII.